



GUILIELMI ESTII,

SS. THEOLOGIAE DOCTORIS
ET IN ACADEMIA DUACENA PROFESSORIS PRIMARII,

IN OMNES

D. PAULI EPISTOLAS,

ITEM IN

CATHOLICAS

COMMENTARII.



AD
OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM ACCURATISSIME RECUDI
CURAVIT

JOANNES HOLZAMMER,
SS. THEOLOGIAE IN SEMINARIO EPISCOPALI MOGUNTINO PROFESSOR.

TOMUS II.

Qui complectitur ad Corinthios secundam et reliquas D. Pauli Epistolas, excepta Epistola ad Hebraeos.

EDITIO SECUNDA TRIBUS TOMIS COMPREHENSA.

MOGUNTIAE,
SUMPTIBUS FRANCISCI KIRCHHEMII.
1859.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

IN EPISTOLAM SECUNDAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Paulo Apostolo suum ad Corinthios adventum, quem promiserat, graves ob causas differente diutius, quam vel illi sperarent, vel ipse statuisset, interea temporis quidam ex circumcisione pseudapostoli, quibus studium erat Evangelio legem Mosaicam admiscere, et ex Evangelio quaestum facere, Paulo absente, liberius apud Corinthios se suamque doctrinam insinuaverant, non sine ambitione, Paulique eorum Apostoli contemptu, cujus et doctrinae, et personae detrahebant. Porro ea, de quibus in priore epistola Corinthios admonuerat, partim jam erant correcta, partim non erant. Nam fornicarius quidem ille famosus excommunicationis ignominia ad poenitentiam erat adductus; verum alia quaedam gentilitatis ac veteris hominis vitia adhuc apud eos residebant. Sed et de collecta facienda in fratres pauperes, Hierosolymae degentes, necdum Apostoli praescripto satisfactum erat.

Quibus intellectis, cum statim ad eos accurrere non posset, hanc secundam scripsit epistolam, in qua *primum* commemoratis afflictionibus, in quas inciderat, excusat sese, causamque reddit, cur juxta promissum non venerit. *Deinde* fornicarium jubet in gratiam recipi condonatione punitionis reliquae. *Tertio* munus suum apostolicum ex comparatione legis Evangelicae cum lege Mosaica commendat et extollit, obiter taxans pseudapostolorum hypocrisin, suamque in Evangelio praedicando sinceritatem asserens. *Quarto* subnectit exhortationem, qua monet, ut vitam ducant Christiana professione dignam, atque infidelium mores et societatem vitent. *Quinto* consolatur eos, ac docet, quantam ceperint utilitatem ex tristitia, quam eis pepererat objurgatio prioris epistolae. *Sexto* provocat eos exemplo Macedonum ad largam pecuniae collationem in pauperes Hierosolymitanos, additis et aliis argumentis, quibus id persuadeat. *Septimo* rursus suum commendans ac stabiliens ministerium, apertius jam invehitur in pseudapostolos ac suis eos coloribus depingit. Et quoniam illi magnis titulis sese venditabant apud simpliciores, ipse contra de se recenset ea, propter quae multo justius adversus illos possit gloriari. *Postremo* Corinthios monet, ut vitia, quibus adhuc erant inquinati, corrigant, talesque sese praestent, quales ab ipso cum potestate venturo velint inveniri.

Caeterum Epistolae status, in quo praecipue moratur, est apostolatus ac personae suae defensio contra pseudapostolos.

Quo loco fuerit scripta, non constat. Summarium epistolae, Latinis codicibus praefixum, loquitur, e Troade missam, cujus fit mentio cap. 2.; Graecorum hypographe Philippos Macedoniae nominat. Utriusque loci meminit Lucas Actor. 20., ubi ea Pauli profectio describitur, in qua valde probabile est, eum hanc epistolam scripsisse. Verum e Troade missam, dici non potest. Jam enim inde Paulus discesserat in Macedoniam, ut ipse testatur cap. 2, 12. et 13. Quare verisimilius est, vel in Macedonia scriptam esse, vel, ut existimat Cardinalis Baronius, in urbe Nicopoli, post reditum Pauli e Macedonia. Nam illic hiematurum se, scribit ad Titum. 3. Est autem Nicopolis in Epiro sita, Graeciae vicina.

Per quem aut per quos missa sit epistola, satis aperte ex eodem octavo capite colligitur; nempe per Titum missam esse, perque duos alios, quos una cum Tito mittere se dicit, tacitis eorum nominibus. Nec diversum tradunt annotationes Latinorum et Graecorum. Nec rationem video, cur de Tito quidam neotericorum dissentiant, qui mihi videntur parum attente considerasse ea, quae Paulus scribit loco memorato de legatis a se missis Corinthum, causa collectae, quam indixerat, maturandae. Nam de priore Titi ad Corinthios adventu ut id intelligatur, series sermonis, ac res ipsa, de qua agit, omnino non patitur. Scriptam vero etiam hanc epistolam ante eam, quae est ad Romanos, ex eo liquet, quod in hac urgetur adhuc negotium faciendae collectae quam factam et paratam, ut a se perferatur Hierosolymam, ad Romanos scribens significat.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS
SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei[1]), et Timotheus fratrer[2]), Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo[3]). 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi! Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, 4. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra[4]), ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo, 5. quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra[5]). 6. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quae operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur, 7. ut spes nostra firma sit pro vobis; scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. 8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia[6]); quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere. 9. Sed ipsi in nobismet ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos[7]); 10. qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit; in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, 11. adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis[8]), ut ex multorum personis, ejus, quae in nobis est, donationis per multos gratiae agantur pro nobis. 12. Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae[9]), quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali[10]), sed in gratia Dei conservati sumus in hoc mundo; abundantius autem ad vos[11]). 13. Non

---

1) Gal. 1, 1. 2) 1 Cor. 16, 10. 3) Rom. 1, 7. 4) Vers. 8. seq. 5) Cap. 12, 9. 6) Act. 19, 23. seq. 7) 1 Cor. 15, 32. seq. 8) Rom. 15, 30. Phil. 1, 19. 9) 1 Cor. 4, 3. seq. 10) 1 Cor. 2, 1. 11) Cap. 4, 2.

enim alia scribimus vobis, quam quae legistis, et cognovistis. Spero autem, quod usque in finem cognoscetis, 14. sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi [1]). 15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, 16. et per vos transire in Macedoniam [2]), et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judaeam. 17. Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me: *Est* et *non?* 18. Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo: *Est* et *non;* 19. Dei enim Filius, Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me, et Silvanum et Timotheum [3]), non fuit: *Est* et *non*; sed *Est* in illo fuit. 20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo *Est,* ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo [4]), et qui unxit nos Deus, 22. qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris [5]). 23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum [6]); non quia dominamur fidei vestrae, sed adjutores sumus gaudii vestri; nam fide statis.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Ostendit Apostolus, tam afflictiones suas, cujusmodi passus fuerat in Asia, quam consolationem a Deo super iis acceptam cedere in Corinthiorum solatium ac salutem. Conscientiae et conversationis suae sinceritatem eis declarat. Deinde excusat, quod, prout statuerat, nondum venisset, asserens, firmam nihilominus permanere Evangelii a se praedicati veritatem.

1. *Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Idem initium cum eo, quod erat prioris epistolae, nisi quod hic non additur epitheton: *vocatus.* Explicationem require ex illius loci commentario, simul ex iis, quae commentati sumus in epist. ad Rom.

Et Timotheus frater. Timotheus, ut ex epist. priore cap. 4. et ult. constat, a Paulo Corinthum missus fuerat hac potissimum causa, ut fideles illic in doctrina, quam a Paulo acceperant, confirmaret. Quo perfunctus officio et ad Paulum reversus, retulerat de eorum statu atque profectu, necnon de pseudapostolis, propter quos scripserat Paulus: *Videte, ut sine timore sit apud vos,* 1 Corinth. 16. Hunc ergo, tamquam suum ad Corinthios legatum, deque iis bene meritum, honorat adjuncto ejus nomine in fronte epistolae, quam ad illos scribit. Fratrem vero nominat, non tam propter fidei communionem, qua ratione omnes Christiani inter se fratres erant et dicebantur, quam propter dignitatem ministerii Evangelici, in quo eum socium agnoscebat et quasi coapostolum, licet ipse multis alioqui nominibus superior; haud dissimili ratione, qua Romanus Pontifex omnes episcopos appellat fratres. Hanc enim comparationem adhibet S. Thomas.

Porro non hic solum, sed et in aliarum aliquot epistolarum initio similes ob causas Timothei nomen adjungit suo; ut ad

---

[1]) 1 Thess. 2, 19. [2]) 1 Cor. 16, 5. [3]) Act. 18, 5. 2 Thess. 1, 1. [4]) 1 Cor. 1, 8. [5]) Eph. 1, 13. 1 Joann. 3, 24. [6]) Cap. 2, 3. 12, 19. seq. 13, 2. 10.

Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, et in utraque ad Thessalonicenses. Quod cum honoris causa faciat, simul, ut significet, Timotheum eadem secum in his, quae scribit, sentire; non est tamen, ut quis suspicetur, Paulum in componendis epistolis a Timotheo fuisse adjutum, nihilo magis, quam in epistola ad Galatas ab illis, quos sibi in salutatione consociat, dicens: *Et qui mecum sunt omnes fratres.*

Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. Graece: *In tota Achaia.* Subaudi: scribunt, quae sequuntur. Nam quia Corinthus Achaiae metropolis erat, ad quam caeteri ejusdem provinciae confluebant, vult Apostolus, epistolam totius Achaiae fratribus communicari, maxime, quod verisimile sit, iisdem fere monitis ac remediis omnes indiguisse. Sanctos autem vocat, quia sanctae erant eorum Ecclesiae, tametsi non singuli sancti. Vide, quae dicta sunt ad Rom. 1, 7.

2. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo!* Subaudi: multiplicetur. Salutatio vere Apostolica, quae totidem verbis habetur in duabus epistolis praecedentibus, et repetitur in omnibus paene sequentibus. Ejus expositionem pete e comment. epist. ad Rom. Hactenus epigraphe nominis cum salutatione. Sequitur exordium ipsius epistolae.

3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi!* Benedictio in Scripturis ad Deum relata laudem significat, qua nimirum bona de Deo praedicantur. Itaque sensus est: Benedictus sit Deus, id est, laudetur a nobis Deus propter opera suae bonitatis erga nos exhibitae. Porro genitivus *Domini nostri Jesu Christi,* licet accipi possit, ut et Deum, et Patrem respiciat (est enim Deus hominis, Pater Verbi; et ad Deum refert Tertullianus lib. 5. contra Marc. cap. 11., citans hoc tantum modo: *Benedictus Deus Domini nostri Jesu Christi),* convenientius tamen ad Patrem solummodo refertur, ut post illud: *Benedictus Deus,* hypostigma figatur; uti faciendum monent post Theodoretum Theophylactus et Oecumenius.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Graece: πάσης παρακλήσεως, *omnis consolationis,* sicut et legitur textu Ambrosii, et apud Hieronymum in comment. Jesaiae 40., ubi versus aliquot hujus loci recitat. Incipit Apostolus explicare laudis divinae materiam; et sensus est: Qui idem Deus ac Jesu Christi Pater etiam *Pater est misericordiarum,* quatenus tamquam benignus parens multiplicia misericordiae ac beneficentiae suae dona in homines effundit; *et Deus autor omnis consolationis,* quia non levem et modicam, sed perfectam consolationem afflictis fidelibus et amicis suis impertitur. Phrasis usitata, vocare *Deum patientiae, solatii, spei, pacis,* quod sit horum autor, Rom. 15. et alibi.

Innuit autem priori membro, Deum, qui Pater est Jesu Christi per naturam, nostrum esse Patrem per misericordiam. Vel certe Patrem misericordiarum Hebraea phrasi dicit Patrem valde multumque misericordem et beneficum. Nam quod Cajetanus imaginatur, Deum vocari Patrem misericordiarum, tamquam ab ipso genitarum per ejus voluntatem; quo nimirum sensu dicitur etiam *pluviae pater,* Job. 38., speculatio mihi videtur a mente Pauli aliena. Posterior pars ostendit, etiam Patrem vocari posse paracletum, id est, consolatorem. Nam Filium et Spiritum sanctum esse paracletos, ipse Filius apud Joann. cap. 14. declarat illis verbis: *Ego rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis Spiritum veritatis.*

4. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Nos* intelligit se ipsum et socios Evangelii ministros; nam hos etiam afflictionis socios ac participes habuerat; nisi malis numerum pluralem positum pro singulari. Id enim et in sequentibus hujus capitis observare est. Non recte quidam participium ὁ παρακαλῶν, *consolans,* transtulit verbo praeteriti temporis, *qui consolatus est.* Non enim solum

respicit Apostolus ad consolationem praeteritam, sed significare vult aliquid perpetuum erga electos; ac si diceret: Consolator noster. Etenim proprium est electorum, in aestu tribulationis non relinqui sine refrigerio consolationis divinae.

Ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. Voculam *et* Graeca non habent, nec eam legerunt Hieronymus et Primasius; tametsi confert ad sensum, ideoque etiam addita ab interprete Syro. Expressius autem e Graeco vertunt alii: *In hoc, ut possimus nos consolari eos, qui sunt in quacumque afflictione.* Quam interpres prius tribulationem, nunc pressuram vertit, cum Graece eadem sit dictio θλίψις.

Per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Potius ex Graeco vertendum fuit: *Per consolationem, qua consolamur ipsi a Deo* (verbo *consolamur* accepto passive); quomodo legitur in textu Ambrosii. Cujus item lectionis vestigia sunt apud Primasium et Sedulium; nec secus citat Hieronymus. Denique suffragatur editio Syriaca. Neque enim in Graeco diversa sunt vocabula, sed eadem, quae noster interpres modo consolationem et consolari, modo exhortationem et exhortari transtulit; nec erat ratio mutandi consolationem in exhortationem, licet alioqui tam verbum, quam verbale nomen utramque significationem habeat. Et quidem ex Hieronymi citatione conjicio, locum hunc unum esse ex iis, quos ille in vulgata versione novi Testamenti correxit; sed correctionem hanc, ut alias multas, per usum inveteratum veteris editionis excidisse.

Sentit Apostolus, suam consolationem, quam in pressuris acceperat a Deo, non sibi solummodo profuisse; sed et hunc ex ea fructum provenire, quod per illam alios etiam afflictos consolari posset, sive exemplo suo, quod alii intuentes facilius admissuri sint consolationem; sive quia afflicti et consolati magis idonei sunt, qui fomentum consolationis aliis afflictis adhibeant; adeo, ut dicat S. Thomas: *Qui non est consolatus, nescit consolari.* Innuit autem Paulus, ad ministros Evangelii inter caetera pertinere etiam consolandi officium, atque ad id aptos reddi, dum et ipsi tribulationibus pressi consolationem a Deo percipiunt.

5. *Quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis.* Graece εἰς ἡμᾶς, *ad nos,* vel *erga nos.* Quamvis et bene habet *in nobis,* quod et Erasmo placuit. Sensus: Quemadmodum passiones et afflictiones, quas pro Christo et Evangelio patimur, exuberant in nos, abundant in nobis etc. Utitur abundantiae vocabulo propter multitudinem et gravitatem afflictionum, quas passus fuerat, et quibus paene obrutus, ut ex sequentibus patebit.

Chrysostomus, eumque secuti Theophylactus et Oecumenius, passiones Christi interpretantur, quas Christus patitur in membris suis, quorum unum et praecipuum erat Paulus, qui alibi dicit, adimplere se *ea, quae desunt passionum Christi in carne sua,* Col. 1. Addunt et illud, Christum in quibusdam membris suis plura pati, quam fuerit passus in semet ipso; idque significari, cum dicit Apostolus, passiones Christi in se abundare, id est, ut ajunt, plures ac majores esse, quam in ipsius Christi persona fuerint. Verum, ut taceam, quam dure sonet hujus expositionis sententia, quamque sit aliena a recepta Theologorum de acerbitate passionum Christi doctrina; certe prior sensus planior atque simplicior est, quem tradunt Latini, tam veteres, quam posteriores. Congruit etiam, quod sequitur:

Ita et per Christum abundat consolatio nostra. Conjunctio transposita. Nam Graeca sic habent: *Ita per Christum abundat et consolatio nostra.* Quae eadem Hieronymi lectio est; annuitque textus Syriacus. Ita Christus, inquit, eos, qui pro nomine ipsius patiuntur, non relinquit solatio destitutos; sed pro magnitudine passionum etiam consolationis materiam et effectum subministrat. Ut enim Christus nobis est afflictionis occasio, sic idem ipse etiam consolationis est causa, tam efficiens, ut Deus, quam meritoria,

ut homo pro nobis passus; quod genus causae significari solet hac phrasi: *per Christum.* Videtur autem alludere Paulus ad id, quod David canit in Psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.*

6. *Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute.* Hic rursus pro *exhortatione* reddi potuit, ac ni fallor, debuit: *consolatione;* tametsi commentator Ambrosii hoc duntaxat loco *exhortationem* legit: *Sive autem,* inquit, *angustiam patimur pro vestri exhortatione et salute.* Graeci tractatores utra significatione Graecam dictionem παράκλησιν acceperint, haud omnino liquet. Nam et interpretes eorum variant, aliis exhortationem, aliis consolationem vertentibus. At quia tam superiora, quam sequentia consolandi significationem exigunt, non est verisimile, Paulum in hac parte vocabulum idem Graecum diversa significatione posuisse.

Proinde videtur hic esse sensus: Sive affligimur, pro vestri consolatione et salute affligimur; quatenus scilicet afflictiones nostrae cedunt in vestri consolationem et salutem. Etenim magna revera consolatio fidelium est in afflictione positorum, cum vident, Apostolos, aliosque Evangelii ministros, inter tot afflictiones et persecutiones, invicto constantique animo praedicasse et plantasse fidem Christi. Nam et ea res animum illis addit, ut et ipsi magistrorum suorum exemplo fortiter ferant adversa, certi, eam esse viam ad salutem, eodem Apostolo testante, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* Act. 14. Haec Cajetani est expositio, Graecorum commentariis consona, quam et Erasmus sequitur in paraphrasi. Confirmatur autem per ea, quae continuo sequuntur juxta Graecam lectionem, de qua paulo post agemus.

Sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute. Ita multi codices, secundum quos in universum tria sunt membra totius periodi: primum tribulationis, secundum consolationis, tertium exhortationis. Verum praestantiores et antiquiores libri, ii maxime, quibus in castigandis bibliis usi fuere Theologi Lovanienses, quibus addo veteres concordantias, medium membrum non agnoscunt. Qua de re consule notationes viri doctissimi F. Lucae. Unde satis apparet, veterem interpretem id solum ex Graeco in Latinum vertisse, quod alii codices habent tertio loco. Secundum vero membrum: *sive consolamur pro vestra consolatione,* videtur insertum ex alia quapiam translatione, cum id, quod in Graeco est, aliter atque aliter redditum fuisset Latine; ac fortasse de reliquiis est Hieronymianae correctionis, qua substitutum fuerit pro altero; sed nimia scribarum diligentia factum, ut nec alterum textui deesset.

Etenim tam Graeci codices, quam Syriaci unum duntaxat membrum hoc loco faciunt; quod quidem ex Graeco, propter amphiboliam dictionum, verti poterat utroque modo, cum Syriaca lectio solam admittat versionem: *Sive consolamur* etc. Nec ullo modo suspicandum est, Graeca hic esse diminuta. Nam si coneris supplere, medio membro consolationis addito, jam inepta erit in Graecis ταυτολογία, cum sint eadem, ut dixi, in Graeco vocabula, a nostris varie reddita. Hoc sane, quod de diversa harum vocum translatione dicimus, accidit etiam alibi; velut Rom. 15., ubi vulgata versio *consolationem Scripturarum* habet, idque recte; textus autem Ambrosii pro consolatione legit *exhortationem,* minus recte; quemadmodum illic annotavimus.

Rectius idem textus Ambrosii hoc loco: *Sive consolationem consequimur, pro vestri consolatione et salute,* non addito membro exhortationis. Nam utique de consolatione sermonem instituit Apostolus, qua Deus ipsum in suis afflictionibus consolatus fuerat, ut sit sensus: Consolationes etiam, quibus nos Deus in afflictionibus recreare dignatus est, cedunt in vestri consolationem et salutem; quia ni-

mirum consolatio magistri merito discipulos excitabat spe consolationis ad similia ferenda, quorum tolerantia proficiebat ad salutem. Quamquam illam particulam: *et salute*, multi Latini codices in hoc membro non addunt, uti nec in Syriaco legitur. Sed tamen in Graecis omnibus habetur, et plane ab Oecumenio exponitur. Ejus omittendae causa fuisse videtur, quod non apparet, quomodo verbum subsequens *operatur* cum *salute* cohaereret; cum non salus, quae in fine exspectatur, sed praesens consolatio tolerantiam passionum operetur; salus autem sit hujus tolerantiae effectus et praemium. Attamen quomodo bene cohaereat, statim liquido patebit.

Illud quispiam mirabitur, in textu Romanae castigationis adhuc exstare hujus loci tria membra, cum Graecus textus, sicut ostendimus, non admittat plura duobus. Verum non dubito, quin correctores illi bene viderint, unum membrum hic redundare ex diversa translatione; sed quia eis non constabat, variantibus exemplaribus, utrum ex duobus membris posterioribus a nostro interprete scriptum fuisset, judicarunt, utrumque textui relinquendum, ut lectori vel expositori remaneret electio ejus, quod melius ac sincerius ipsi videretur; aut certe, quia satis intelligebant, tertium membrum esse veteris interpretis, et tamen secundum, cujuscumque sit, magis respondere menti scriptoris, id est, Apostoli, non putarunt hoc, quod melius est et vulgatae versionis exemplaria jam occupavit, e textu pellendum esse.

Quae operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur. Multa mss. legunt: *Quae operatur in tolerantiam;* nonnulla vero, quibus accedunt veteres concordantiae: *in tolerantia.* Quae quidem est Graecorum codicum atque interpretum lectio. Nec sensu discrepat, quod in Ambrosiano textu legitur: *per patientiam.* Ut autem hujus partis verum intellectum, a quo praeter alios Latinos etiam Erasmus et Cajetanus aberrarunt, assequamur, oportet, ut verbum *operatur* passive exponamus. Siquidem in Graeco participium est passivum ἐνεργουμένη, id est, *effecta*, ut exponit Benedictus Arias, vel potius (quia praesentis temporis est participium), *quae efficitur;* quomodo bene et dilucide verterunt Oecumenii et Theophylacti interpretes. Erasmus quidem meminit activae lectionis ἐνεργούσης; sed ea vix usquam apparet, nec ea Rob. Stephano annotata est. Imo Chrysostomus aperte testatur, Paulum non dixisse ἐνεργούσης, hoc est, *quae efficit, sed* ἐνεργουμένης, id est, *quae efficitur.*

Est igitur sensus Apostoli: Quae salus efficitur, gignitur ac paratur, obtinenda tandem a vobis per tolerantiam talium afflictionum, quales nos patimur, id est, per hoc, quod similes afflictiones patienter sustinetis. Jam enim dictum est, patientiam salutis esse causam. De hac passiva Graeci verbi significatione propter eos, qui putant, esse mediae significationis, pluribus agemus, exponentes illud Gal. 5.: *Sed fides, quae per charitatem operatur,* et illud 2 Thess.: *Nam mysterium jam operatur iniquitatis.*

Porro sciendum est, toto hoc loco diversum esse textus ordinem in Graecis exemplaribus ab eo, qui est in Latinis. Nam Graeca, quibus duo tantum membra superius leguntur, hanc partem: *Quae operatur* priori membro subnectunt hoc modo: *Sive autem affligimur, pro vestri consolatione et salute, quae efficitur in tolerantia earundem passionum, quas et nos patimur. Sive consolamur, pro vestri consolatione et salute.* Tum sequitur: *Et spes nostra firma pro vobis;* nisi quod in editione Complutensi seu Regia, et Aldina, aliisque non paucis antigraphis apud Rob. Stephanum annotatis, hoc postremum: *et spes nostra firma pro vobis,* consequenter etiam priori membro subjungitur; quem eundem lectionis ordinem itidem conspicere est in Graecorum commentariis; imo et in textu Ambrosiano.

Ordinis confundendi praebuit occasionem, uti conjicio, homoeoteleuton duorum

membrorum. Nec de vero ordine facile est pronuntiare, praeterquam quod illis verbis: *Et spes nostra firma pro vobis,* melius convenit locus, quem habent in Latinis et plerisque Graecis exemplaribus, quem etiam eis tribuit Hieronymus. Caeterum editio Syriaca, quod ad ordinem attinet, plane consonat Latinorum lectioni, juxta quam hic sequitur:

7. *Ut spes nostra firma sit pro vobis.* Graece: *Et spes nostra firma pro vobis.* Eadem lectio cum addito verbo: *est,* in multis est et melioribus Latinis mss.: *Et spes nostra firma est pro vobis.* Sic habent et concordantiae veteres et biblia a Theologis Lovaniensibus castigata. Quamquam ad sensum non admodum refert, utro modo legatur; quemadmodum et illud, utrum, quod in Graeco est: ὑπὲρ ὑμῶν, Latine reddas: *pro vobis,* an *de vobis.* Nam sensus idem est: Spem, inquit, firmam et certam animo cepi pro vobis, id est, de consolatione et salute vestra; idque propter communicationem passionum. Siquidem, ut ait Rom. 5., *tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit.* Unde sequitur:

Scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Interpres explicandi gratia de suo adjecit verbum: *eritis,* cum alioqui de proximo supplendum videretur: *estis.* Item socios dixit, quod in Graeco est: κοινωνοὶ, *participes,* ut alii vertunt; sed utrumque bene. Sensus: Cum sciamus, vel quia scimus, uti nobiscum estis participes afflictionum, intellige: patienter toleratarum; sic et consolationis fore participes. Consolationem autem dicere videtur, quam in hac vita Deus afflictis impendit, ut exponit Cajetanus. Nam de ejusmodi consolatione supra locutus est. Adde, quod in futura beatitudine proprie locum non habet consolatio, quae est in malis; cum illic nullum sit malum.

Veruntamen consolationem praesentem considerat Apostolus velut arrham salutis ac gloriae futurae, secundum id, quod alibi dicit: *Si compatimur, ut et conglorificemur.* Rom. 8. Juxta contextum Graecorum interpretum, de quo supra, qui sic habet: *Sive consolamur, pro vestri consolatione et salute, scientes, quod* etc., commodior est quidem hujus partis coordinatio cum praecedenti; nam istud: *Spes nostra firma est pro vobis, scientes,* etc. soloecam facit orationem. Verum Paulo non est insolens, grammaticas leges negligere, dummodo constet de sensu, quemadmodum probe constat hoc loco. Sic alias abrupte, sine nomine et verbo, utitur eodem participio, ut Rom. 13.: *Et hoc scientes tempus,* etc.

8. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia.* Repetitur in Graeco pronomen primae personae: *De afflictione nostra, quae facta est,* sive *quae contigit nobis in Asia.* Textus Syriacus et Ambrosianus tantum legunt posteriore loco. Significatur autem Asia minor, in qua est Ephesus. Commemorat Apostolus afflictionem gravissimam, qua pressus fuerat, et ex qua liberatus consolationem a Deo acceperat. Cujus nimirum occasione dixit superiora. Sed quaenam illa fuerit afflictio, quaeritur. Cajetanus negat, se quidquam authenticum alibi de hac afflictione legisse. Theophylactus et Oecumenius, Chrysostomum secuti, referunt ad eam, quae significata fuit illis verbis prioris epistolae, cap. 16.: *Et adversarii multi.* Quod non est verisimile. Refert enim Apostolus hanc afflictionem tamquam recentiorem, et quae Corinthiis nondum innotuerit. Hoc enim vult ille sermo: *Nolumus vos ignorare.* Qua ratione nec ad illud referri potest: *Si ad bestias pugnavi Ephesi,* 1 Cor. 15., sive eaedem fuerint illae bestiae cum illis adversariis, sive diversae.

Rectius igitur Theodoretus et Latini fere omnes interpretantur hunc locum de tumultu adversus Paulum Ephesi per Demetrium argentarium concitato, qui describitur Act. 19. Quamvis enim illa afflictio, quantum apparet ex narratione Lucae, non admodum diuturna fuerit,

gravissima tamen fuit, et periculi plena, ut in eam vere competant, quae hic consequenter a Paulo dicuntur. Nam de uno quodam periculo, non de pluribus eum agere, satis etiam illud arguit, quod inferius dicit juxta fidem Graeci textus: *Qui de tanta morte nos eripuit.*

Porro commemorat eam afflictionem, non ut adventus sui tarditatem excuset, uti putant nonnulli; nam Ephesinus ille tumultus non tam fuit Apostolo causa morandi diutius, quam festinantius inde discedendi, quod patet ex sequentis capitis vicesimi initio. Sic enim et alibi festinato discessit ac fugit, ubi periclitabatur, ut Damasci, Iconii, Lystris, Actor. 9. et 14. Sed ea ratio est, ut hac tanti sui periculi narratione benevolentiam Corinthiorum sibi conciliet, quemadmodum annotavit S. Thomas; simul ut ad gratiarum actionem pro beneficio suae liberationis Deo reddendam eos excitet. Hanc enim causam ipse non multo post indicat.

Quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem. Supra modum, Graece κατ᾽ ὑπερβολὴν, *per excessum,* quomodo et alibi loquitur Paulus, ut in priore epist. cap. 12., vers. ult.; alias ὑπερβαλόντως, *excedenter,* ut hujus epist. cap. 11., ubi nos legimus: *In plagis supra modum.* Quod sequitur: *gravati sumus,* malo *fuimus;* nam gravatum esse etiam praesenti tempori convenit. Sensus: Scire vos volo, quod attinet ad afflictionem, quam Ephesi passus sum, eam usque adeo gravem ac vehementem fuisse, ut et modum et vires meas excesserit, ita plane, ut ei ferendae par non essem. Annotant Graeci, plus aliquid esse *supra vires,* quam *supra modum.* Nam supra modum esse dicuntur, quae permagna sunt, etsi non omnino viribus majora; quasi supra mediocritatem.

Jam quomodo non repugnet hic locus illi sententiae, qua dixit 1 Cor. 10: *Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis,* ex illius loci commentario satis intelligi potest. Nam hoc quidem loco non aliud sentire videtur Apostolus, quam afflictionem suam fuisse tantam, ut et communem modum et vires ordinarias hominis, etiam in Dei gratia constituti, excederet; quam tamen ipse superaverit potentiore gratia roboratus. Alia solutio est, Apostolum non dicere, quod supra vires tentatus fuerit, sed gravatus, ita nimirum, ut afflictio major viribus fuerit, non tentatio. Tunc autem afflictio vires excedit, quando sua magnitudine hominem opprimit et exstinguit, etiamsi animus patientiam non amittat. Et huic sensui convenit, quod sequitur:

Ita ut taederet nos etiam vivere. Non absurde potest intelligi taedium vitae passus Apostolus ob gravitatem afflictionis. Nam et Beatus Job inter adversa dixit: *Taedet animam vitae meae,* cap. 10. Caeterum textus Ambrosianus sic habet: *Ita, ut desperaremus nos etiam vivere,* id est, vitae spem abjiceremus. Quod voluit paraphrastes Syrus his verbis: *adeo, ut propinqua esset vita nostra, ut projiceretur.* Tertullianus quoque lib. de resurrect. carnis, cap. 48. legit: *ut de vita haesitaremus.* Atque in hanc sententiam alii quoque interpretes vertere malunt verbum Graecum, alioqui ambiguum, ἐξαπορηθῆναι, quod idem legitur infra cap. 4., ubi noster vertit: *sed non destituimur.* Itaque sentit Apostolus, pressuram malorum fuisse tantam, ut nec spes, nec consilium esset evadendi; quomodo 1 Reg. 23. de Davide legimus, quod *desperabat, se posse evadere a facie Saul.* Sensum hunc exprimunt etiam Graecorum scholia. Favet idem, quod sequitur:

9. *Sed in nobismet ipsis responsum mortis habuimus.* Connexio talis est: Adeo, ut non sperarem, me supervicturum, sed responsum mortis in memet ipso haberem, id est, omnino existimarem, me moriturum. Quidam responsum mortis dici putant metaphora sumpta a crisi medicorum; ac si diceret Apostolus, se et suo et aliorum judicio non potuisse mortem evadere; quomodo propter certa morbi symptomata de aegroto judicare solet medicus. At medici judicium hoc non ἀπόκριμα, sed κρίσιν appellant. Po-

tius arbitror, phrasim esse Hebraeam, qua significetur sententia, dictamen, decretum mortis. Nam *respondere* pro *dicere* consuetudo Scripturae est, ut Dan. 4, 27. Matth. 11, 25. Marci 12, 35.

Sensus igitur Apostoli est, pressuram tam gravem fuisse, ut non aliud ipsi loqui videretur, quam mortem instantem; vel, ut ipse sibi in animo non aliud loqueretur, ac de se non aliter statueret, quam sibi moriendum esse. Quem posteriorem sensum habet interpretatio Syriaca: *Et de his sententiam mortis tulimus.* Significat, in extremo vitae periculo certaque mortis exspectatione positum se fuisse.

Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo. In nobis, Graece ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, *in nobis ipsis,* quod magis emphaticum est. Ut ne confidamus, inquit, nostris viribus, id est, industriae, prudentiae, consilio nostro, sed auxilio Dei. Declarat fructum, quem electis adferre solet afflictionis magnitudo. Qui fructus est, non sibi fidere, sed ad Dei auxilium in omnibus respicere, et dicere cum Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum,* Psalm. 24.

Qui suscitat mortuos. Id est, qui non tantum viventes servare potest et eripere periculis, verum etiam mortuos ad vitam revocare; quod quidem multis exemplis comprobavit.

10. *Qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit.* Verisimile est, interpretem scripsisse: *et eripit,* maxime cum et futurum ejusdem verbi continuo sequatur: *eripiet.* Cur enim verbum diversum, idque ambigui temporis hic interposuisset, cum idem Graecis sit verbum: Sic autem habent: *Qui ex tanta morte eripuit nos et eripit.* Mortem vocat mortis periculum, sicut infra cap. 11: *in mortibus frequenter.* Quo sensu dixit etiam in priore epist. cap. 15.: *Quotidie morior.* Chrysostomus plurali numero legit: *e tantis mortibus;* necnon Origenes hom. 11. super Levit., et inter Latinos Ambrosiaster, cujus textus sic habet: *Qui de tantis mortibus liberavit nos et liberat.*

Ex quibus apparet, olim exstitisse Graecos codices, qui pluralem numerum haberent; quos secutus vetus noster interpres, reddita sententia, verterit: *de tantis periculis.* Nunc tamen in omnibus Graecis legitur, ut dixi: *de tanta morte.* Quae eadem lectio est Theophylacti et Oecumenii, et Syri interpretis. Caeterum Apostolus, addens etiam praesentis temporis verbum: *et eripit* seu *liberat,* innuit, se nihilominus adhuc versari in continuis periculis, quorum semper alia aliis succedant, etsi non omnia paris gravitatis. Nec enim verbum *eripit* referendum ad tantam mortem, sed ad mortes simpliciter, id est, mortis pericula, secundum illud, quod dixit 1 Cor. 4.: *Usque in hanc horam persecutionem patimur.*

In quem speramus, quoniam et adhuc eripiet. Speramus, Graece ἠλπίκαμεν, *speravimus,* id est, quem collocavimus, et, ut Erasmus et Hentenius verterunt: *spem fixam habemus.* Estque illud praeteriti temporis verbum hac ipsa significatione frequens in Scriptura veteris testamenti, nominatim in Psalmis, idque ex proprietate linguae sacrae. Qua de re vide, quae diximus ad illud 1 Cor. 15.: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus.* Habent Graeci sua quaedam huic similia praeteriti temporis verba, quemadmodum observat Erasmus; ut: δέδια, timore correptus sum; γέγηθα, gaudio affectus sum. Sensus: In quo spem firmam collocatam habemus, quod et deinceps erepturus sit, scilicet e malis adhuc obventuris.

11. *Adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis.* Graece: *Cooperantibus et vobis pro nobis oratione seu deprecatione.* Quamquam in Graeco non est consuetum compositum συνεργούντων, sed tricompositum συνυπουργούντων, quod significat cooperationem subservientem. Hinc alius quidam sic vertendum putat: Vobis item una pro nobis deprecationi subservientibus; tametsi magis placet, ut sexto casu reddatur tertius Graecus, τῇ δεήσει, *deprecatione,* seu *per deprecationem,* uti vertit Erasmus; nec tam significetur cooperatio subserviens, quam

suffulciens ac sustentans; quasi dicat Apostolus: Idque maxime futurum confido, si vos mihi per orationes vestras, ad Deum pro me fusas, subsidio fueritis. Interpres Ambrosii sensum ita dedit, minus plene: *Accedente pro nobis etiam vestra oratione.*

Magna Pauli modestia, qui passim aliorum precibus se commendat, nec in ea re metuit offensam unius mediatoris Christi, quam stolide nobis Catholicis, suffragia sanctorum cum Christo regnantium implorantibus, objicere solent haeretici. Nec vero, si proprie loquendum sit, dum id facimus, mortuos invocamus, quod odiose nobis impingunt sectarii. Scimus enim, eos, qui mortui sunt, non esse, donec resuscitentur ad vitam. Sed animas invocamus eorum, qui in Domino mortui sunt; quas vivere et cum Christo regnare, qui negat, apertis Scripturis contradicit.

Ut ex multorum personis, ejus quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis. Ex multorum personis. Ita legimus ex castigatione Romana, cum prius in omnibus paene libris scriptum haberetur: *ex multarum personis facierum.* Nam et Graeca tantum habent: ἐκ πολλῶν προσώπων. Sed cum dictio πρόσωπον et faciem, et personam significet, et duo genitivi sic accipi possint, ut alter ab altero regatur, hinc accidit interpretationis varietas, ut quatuor modis haec particula verti possit: *Ex multis faciebus. Ex multis personis. Ex multorum faciebus. Ex multorum personis.* Quo postremo modo nostrum interpretem vertisse, verisimile est. Cum autem in quibusdam codicibus ex alia versione, forte non minus antiqua, legeretur: *ex multorum faciebus* (quo propinquant exemplaria Malmundariense majus, et Constantiense, quae habent: *ex multorum facie,* et textus Ambrosii, qui sine praepositione legit: *multorum faciebus),* inde factum improba scribarum diligentia, ut in codicibus vulgatae editionis simul utrumque vocabulum legeretur, altero in genitivum mutato.

Latini veteres, excepto Ambrosio, quid legerint, non liquet, nisi quantum colligi potest ex eorum commentariis. Pelagius et Sedulius exponunt: *ex multorum conventu.* Primasius: *ex multarum conventu personarum.* Nec illud praetereundum est, quod admonet glossator ordinarius, aliam translationem habere: *in multorum facie.* Quod et legitur in prioribus editionibus textus Ambrosiani, nec dissonat ab eo, quod legit Chrysostomus ἐν πολλῷ προσώπῳ, *in multa facie,* sive *in multis faciebus;* nisi forte littera ν desideratur, ut legendum sit ἐν πολλῶν προσώπῳ, *in multorum facie,* ut plane conveniat cum dicta translatione Latina.

Praeter haec notanda peculiaris ac rara locutio, qua passive τὸ χάρισμα εὐχαριστηθῆναι dicit Apostolus, id est, pro dono, seu doni causa gratias agi, quod etiam Latine dici posset, tametsi minus explicate: donum gratum et acceptum haberi. Jam et illud: Διὰ πολλῶν, *per multos,* etiam verti potest: *per multa,* id est, Oecumenio exponente, *multis modis.* Quamquam id Paulum voluisse, non est verisimile. Non enim alio sensu dixit hoc loco: διὰ πολλῶν, quam infra cap. 9. in sermone simili: *Sed etiam abundat in hoc, quod per multos gratiae agantur Deo,* juxta Graecam lectionem; ubi multos homines intelligi, non est dubium. Eundem Oecumenium *pro vobis,* non *pro nobis* legisse, perspicue docet ejus commentarius. Quae lectio etiam aliorum est codicum non paucorum, Graecorum et Latinorum; cujus et glossa meminit inter lineas scripta. Sed tamen plures utriusque linguae codices primam habent personam, Graecis item tractatoribus Theodoreto et Theophylacto, necnon interprete Syro suffragantibus, denique et contextu propensius eam optante.

Nunc, ut sensum adferamus probabilem hujus loci, qui multos torsit, primum arbitror, vulgatam lectionem Graecam in Latinam ita commode transferri posse, quomodo transtulit Erasmus: *Ut ex multis personis pro dono, in nos collato, per multos gratiae agantur pro nobis.*

Quidam vero sic exponunt: Multis vo-

bis pro me orantibus, fiet, ut propter beneficium liberationis et incolumitatis, *ex multis personis*, id est respectu multorum, in me collatum, etiam *per multos* gratiae Deo pro me agantur. Sensum hunc meditatus est Valla, quibusdam aliis probantibus, eumque suggerit ordo verborum, qui est apud Ambrosiastrum: *Ut, quod multorum faciebus donum in nos collatum est, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.*

Nec tamen erit diversus sensus, si cum Theophylacto verba Apostoli distinguas ad hunc modum: *Ut ex multis personis,* id est, a multis hominibus, pro dono, in nos *per multos,* id est, ob multorum preces collato, gratiae Deo pro nobis agantur. Huic constructioni Graeca non refragantur, sicut de priori censet Erasmus propter articulum minus apte positum ad eam sententiam. Quamquam illud: *per multos,* melius ad sequentia refertur, id est, ad gratiarum actionem, velut infra cap. 9. verbis paulo ante citatis.

Quod si juxta vetera quaedam exemplaria, quorum supra memini, legamus: *in multorum facie,* sensus occurret hujusmodi: *Ut inter multos et coram multis* (quomodo glossator Augustini nomine eam lectionem interpretatur) et *magna hominum frequentia* (quomodo Chrysostomum similiter legentem exponit Erasmus) pro dono liberationis in nos collato per multos itidem gratiae Deo pro nobis agantur; nimirum ut multi sint clara voce gratias agentes, idque fiat coram multis, id est, in publico fidelium coetu. Sic enim loquitur David: *In medio Ecclesiae laudabo te,* Psalm. 21., et: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te,* Psalm. 34. Hic commentarius in speciem probabilis est. Sed tamen obstare ei videtur, quod ἐν προςώπῳ pro eo, quod est coram et in conspectu, non invenitur alias usurpatum in sacris litteris, quemadmodum ostendemus ad illud proximi capitis: *in persona Christi.*

Ut igitur a vulgata Graeca lectione non recedamus, existimo, sensum, quem primo loco dedimus, caeteris esse praeferendum, et collocationem articuli, de quo scrupulum movet Erasmus, non nimis urgendam; sed perinde accipienda verba Apostoli, ac si, reducto antrorsum articulo, dixisset: ἵνα τὸ ἐκ πολλῶν προςώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα. Nam articuli rite collocandi non ita magnam rationem habuisse Paulum, qui se fatetur *imperitum sermone* infra cap. 11., facile crediderim. Cujus rei ne longe petamus exemplum, en obvium est in verbis proxime praecedentibus: *adjuvantibus et vobis* ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει. Quod ipse Erasmus ita vertit: *per deprecationem pro nobis,* tamquam a Paulo scriptum esset: τῇ ὑπὲρ ἡμῶν δεήσει.

Quin et hujus partis sensum, quem probamus, idem Erasmus in sua paraphrasi non obscure approbat, Apostolum ita loquentem faciens: *ut, quemadmodum multorum votis, et in multorum commodum servamur, ita multifariam per multos agantur gratiae Deo pro nobis servatis.* Porro docet hic locus, ubi multi Deum orant, non solum facilius id, quod petitur, impetrari (quia difficile est, multorum preces non exaudiri), verum et alterum fructum insignem continuo sequi, ut iidem multi de dono vel donis impetratis Deo gratias agant. Qui quidem fructus, quia semper cum laetitia conjunctus est, et cum beatis in aeternum permansurus, utique summopere est exoptandus.

12. *Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Rationem adfert fiduciae, qua dixerat: *In quem speramus, quoniam et adhuc eripiet. Gloria,* Graece καύχησις, *gloriatio.* Sensus: Id, de quo glorior, et in quo confido coram Deo, testimonium est conscientiae meae, quasi dicat: Propterea spero, me liberatum iri a Deo e pressuris, quae mihi adhuc instant; quia bene mihi conscius sum, ac de eo gloriari possum apud vos. Bona quippe conscientia fiduciam parit impetrandi, Joanne testante 1. Epistol. 3.: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab Eo,*

quoniam mandata Ejus custodimus, et ea, qaae sunt placita coram Eo, facimus. Meminit autem gloriae propter pseudapostolos, aemulos suos, contra quos apertius suam causam agit infra post medium Epistolae.

Quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei. *Cordis* in Graeco et Syriaco non additur. Vetustiores quoque Latinos non legisse, satis perspicitur ex eorum commentariis; quibus addo Lombardum, Aquinatem, Liranum, Carthusianum. Postremo nec Augustinus in Speculo, nec veteres concordantiae, nec in ullis exemplaribus castigatio Lovaniensis agnoscunt. Irrepsit huc, opinor, ex aliis Scripturae locis, in quibus simplicitas cordis commendatur, ut Sap. 1., Eph. 6., Col. 3.; eoque facilius, quod ad explendam sententiam desiderari videretur. Verum alibi saepe simplicitas ad animum relata legitur in Scripturis, non addito genitivo *cordis* aut *animi;* vel in hac ipsa epist., ut cap. 8. 9. 11.

Vocabulum *Dei* non ad solam sinceritatem, ut quidam volunt, sed etiam ad simplicitatem refertur; non ut sensus sit: *in simplicitate Dei,* id est, *quomodo Deus simplex est et sincerus,* ut exponit Pelagius; sed ut simplicitas et sinceritas Dei dicatur, quae Deo digna est, aut quae ex Deo est, aut, quod magis germanum puto, quae coram Deo talis est; vera scilicet ac minime fucata animi simplicitas atque sinceritas; quemadmodum justitia Dei vocatur vera et coram Deo justitia, Rom. 1. 3. 10., et gloria Dei gloria coram Deo, Rom. 3, 23. Sensum hunc explicat illud 1 Thess. 2.: *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.*

Dicit igitur Apostolus, suam conscientiam sibi testari, quod simplici, recto et sincero animo, qui Deo judice probetur, conversatus sit. Simplicitas haec opponitur duplicitati, dum quis, aliud agens, aliud intendit. Sinceritas autem ipsam intentionem rectificat, de qua sic eodem loco ad Thessal.: *Neque enim,* inquit, *aliquando fuimus in sermone adulationis; neque in occasione avaritiae; nec quaerentes ab hominibus gloriam.*

Et non in sapientia carnali. *Et* Graecis abest, necnon Latinis quibusdam antiquis; verum id absque sensus detrimento. Sapientiam carnalem intelligit eam, quam in priore Epistola vocavit humanam, et hujus mundi, et saeculi sapientiam, cap. 1. et 2., et a qua quosdam appellat *sapientes secundum carnem,* ibidem cap. 1., id est, sapientiam humano studio atque ingenio comparatam, cujusmodi fuit sapientia philosophorum.

Sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. Graece et Syriace: *in mundo,* sine pronomine, quemadmodum et legit Augustinus in Speculo: item Primasius et veteres concordantiae. Notandum est, Apostolum duo a se removere, ac duo sibi adscribere. Primum sibi tribuit simplicitatem ac sinceritatem conversationis in munere Apostolico, per quod tacite removet a se vitium hypocrisis ac depravatae intentionis, quo laborabant ejus adversarii. Deinde sapientiam carnalem a se excludit, opponens ei et agnoscens in se gratiam Dei. Hujus autem oppositionis ea ratio est, quia, si Christus et Apostoli fuissent usi sapientia saeculari in praedicando Evangelio, jam conversio hominum ad fidem non fuisset attributa gratiae et potentiae Dei, sed hominum sapientiae. Quod manifeste significant illa Apostoli verba prioris Epist. cap. 2.: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Quo et illud pertinet, quod ejusdem Epist. cap. 1. dixit, se missum a Christo *evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi;* et iterum: *Ea, quae stulta sunt mundi, Deum elegisse, ut confundat sapientes, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Hoc igitur est, quod nunc Apostolus dicit, suam conscientiam praeter caetera sibi testari, quod non usus fuerit adminiculo sapientiae saecularis; sed a gratia

Dei fructum suae praedicationis exspectans, in Apostolico munere versatus sit apud homines. Gratiam Dei dicere videtur gratuitam ac potentem Dei operationem, tam in signis exterioribus miraculorum, quae per eum Deus faciebat, quam in occulto tractu plurimorum ad credendum Evangelio per ipsum praedicato; ut conveniat, quod hic dicitur, cum verbis modo citatis ex priore Epistola: *Sed in ostensione Spiritus et virtutis,* ac rursus: *In virtute Dei.* Caeterum oblique notat Apostolus toto hoc versu pseudoapostolos, qui nec sincere, sed quaestus et gloriae captandae studio, nec in gratia Dei, sed in sapientia carnali Christum praedicabant.

Abundantius autem ad vos. Vel.: *apud vos,* ut habet textus Ambrosii, vel: *erga vos,* ut alii verterunt, quod Graece est πρὸς ὑμᾶς. Dicit: *abundantius* sive *potissimum apud vos,* non quod apud alios minus sincere conversatus fuisset; sed quia majora sincerae suae conversationis argumenta apud Corinthios ostenderat, ut quibus gratis ac sine stipendio praedicasset Evangelium, parcens eorum infirmitati.

13. *Non enim alia scribimus vobis, quam quae legistis et cognovistis.* In Graeco verbis praesentis temporis sic legitur: *quam quae legitis aut etiam cognoscitis.* Latini codices in tempore variant. Vulgares habent: *legistis et cognovistis;* praestantiores: *legistis et cognoscitis;* pauci, sed praestantissimi: *legitis et cognoscitis,* quibus annuunt et veteres concordantiae, et tam textus, quam commentarius Ambrosii. Syrus quoque praesentis temporis verba reddidit. At quoquo modo legas, obscura est sententia propter verbum *legitis* aut *legistis;* id quod alii ad praesentem Epistolam, alii ad priorem referunt; quasi sensus sit: Ea, quae scribimus de nostra sincera conversatione, consentanea sunt iis, quae in hac epistola legitis, vel quae in priore legistis. Cajetanus de utraque simul exponit.

Verum difficultas remanet, quomodo recte doceat Apostolus, ea, quae scribit, vera esse, ex suis ipsius scriptis, quae legere possent Corinthii; cum nemo se ipsum legitime sibi testem assumat, ipso etiam Domino teste, Joann. 5.: *Si,* inquit, *ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Addit quidem Apostolus: *Et cognoscitis,* quo verbo ad ipsorum Corinthiorum conscientiam sese refert. Sed per hoc non tollitur scrupulus, quem facit verbum *legitis.*

Tolletur autem penitus, si pro: *legitis,* ex Graeco vertas: *recognoscitis,* seu *recordamini.* Nam Graecum verbum ἀναγινώσκετε significat utrumque. Sane Theophylactus, cum non satis se expediret in reddendo sensu Apostoli secundum priorem magisque receptam Graeci verbi significationem, confugit ad hanc posteriorem, quam et videre est expressam a Syro interprete. Is enim Graeca sic vertit: *quam ea, quae agnoscitis, et vobis persuasa habetis.* Erit igitur hic sensus: Non sunt vana, quae scribo de recta et sincera mea apud vos conversatione. Vos ipsi mihi testes estis. Neque enim alia scribo, quam quae vos ipsi recognoscitis, id est, quorum facile meminisse potestis, et quae etiamnum experimento cognoscitis. Vis sermonis Apostolici esse videtur in duabus praepositionibus, verbum γινώσκετε componentibus, ἀνὰ et ἐπὶ, quasi dicat: et *re*cognoscitis antiqua, et *insuper etiam* cognoscitis recentia.

Spero autem, quod usque in finem cognoscetis. Graece cum interposita copula: *quod et usque.* Erasmus et Hentenius: *quod usque ad finem quoque cognoscetis.*

14. *Sicut et cognovistis nos ex parte.* Addens: *ex parte,* perstringit Corinthios, quod, plus satis auscultantes aemulis et obtrectatoribus Pauli, minus adhuc bene et honorifice de suo Apostolo sentirent. Sunt, qui illud, *ex parte* ad cognoscentes referant, hoc sensu: Quidam vestrum, non omnes, cognovistis integritatem meam. Non enim sum nescius, istic esse *quosdam, qui arbitrentur nos, tamquam se-*

cundum carnem ambulemus, infra cap. 10. Sed melius ad rem cognitam, id est, ad Paulum refertur, sicut exposui. Nam et alibi sic loquitur, ut 1 Cor. 13.: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus.*

Quod gloria vestra sumus. Graece καύχημα, *gloriatio,* quam et vox Syriaca significat. Porro dubium est, utrum illa praecedentia: *Spero autem, quod usque in finem cognoscetis, sicut et cognovistis nos ex parte,* referenda sint ad superiora, ut sit sensus: Spero, quod etiam deinceps semper magis ac magis experturi sitis et cognituri, vera esse, quae scribo de integritate meae conversationis; quemadmodum et nunc, aliquousque me talem esse, re et experientia cognovistis; an vero cohaereant cum eo, quod sequitur: *quod gloria vestra sumus,* videlicet hoc sensu: Spero, vos usque in finem cognituros, sicut jam ex parte cognovistis, nos esse gloriam vestram. Qui totum ad superiora referunt, hic non legunt *quod* sed *quia,* idque causaliter accipiunt. Utrumque enim significat Graecum ὅτι, et in Latinis codicibus utrumque reperitur. Imo plerique omnes mediae aetatis enarratores una cum glossatore et Ambrosiastro *quia* legerunt.

Veruntamen nobis magis probatur eorum distinctio, qui priorem partem ad superiora, posteriorem vero huc referunt. Et prioris quidem partis sensus jam patet; posterior autem sic exponitur: Quemadmodum et jam ex parte de me cognovistis et persuasum habetis, quod sim gloria sive gloriatio vestra, hoc est, quod ex me sit vobis gloriandi materia; nempe quod nacti sitis talem Apostolum, tamque sincerum Evangelii praedicatorem, qui non sua quaerat, sed tantum ea, quae Jesu Christi sunt ac vestrae salutis. Ne vero, tamquam immoderatius sese efferens, arroganter hoc dicere videatur, addit, quod ad laudem Corinthiorum faciat:

Sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi. Graece tantum: *in die Domini Jesu;* tametsi textus Syriacus Latino consonat. Haec pars: *In die Domini* etc., non ad utrumque membrum praecedens referenda est, sed tantum ad istud: *Et vos nostra,* scilicet gloria seu gloriatio estis. Sentit enim Apostolus, se vicissim in adventu Domini ad judicium de Corinthiis gloriaturum, tamquam apud quos egregie laboraverit, non sine copioso fructu fidei et salutis eorum; ac proinde quasi dicturum ad judicem Christum: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi; ecce, alia quinque superlucratus sum;* ut vicissim audiat illud: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui,* Matth. 25.

15. *Et hac confidentia volui prius venire ad vos.* In Graecis hic ordo est: *Et hac fiducia volebam ad vos venire prius,* ut intelligas, adverbium *prius* non cum verbo *volebam,* sed cum venire construendum esse. *Volebam,* Graece ἐβουλόμην, quod significat velle cum consilio ac deliberatione, videlicet deductum a nomine βουλή, *consilium.* Delabitur Apostolus ad excusationem dilati sui adventus, rationem redditurus, cur juxta promissum ad eos nondum venerit. Cum autem hactenus plurali numero de se locutus fuerit, utique modestiae causa, quod versaretur in iis commemorandis, quae ad suam laudem pertinerent, hic jam, ubi de purganda culpa agitur, numerum mutat, ac singulariter de se loquitur, ne quemquam alium involvere secum in causam videatur. Hac, inquit, fiducia vestrae bonae existimationis de me, quae spem dabat, fructum me vobis adventu meo allaturum, constitueram ad vos venire prius, id est, primum, jam pridem; vel, priusquam in Macedoniam proficiscerer. Utra expositio potior sit, ex sequentibus judicabitur.

Ut secundam gratiam haberetis. Hoc est: Ut ex secundo meo adventu secundam acciperetis gratiam, qui dudum accepistis primam, quando primum istuc veniens ad fidem vos converti. Annotat Oecumenius χάριν, id est, *gratiam,* hic ab Apostolo dici χάραν, id est, *gaudium.* Sunt etiam, qui arbitrentur, Apostolum non χάριν, sed χάραν scripsisse. Siquidem

et Theodoretus χάραν legit et exponit. Verum hi non satis attendisse videntur ad morem sermonis Apostolici. Nam et alibi sic loquitur, velut Roman. 1.: *Desidero videre vos,* inquit, *ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis.*

Gratiam igitur intelligit spirituale beneficium ad veram pietatem pertinens, uti sunt fides, spes, charitas, caeteraeque Christianae virtutes et earum incrementa. Cujusmodi sane beneficium accepturi erant Corinthii per Apostoli sui ministerium, si ad eos venisset. Nam, ut ex priore constat epistola, multa Corinthiis adhuc deerant, tam fidei, quam morum doctrinam spectantia, quae praesentem curam magistri postularent. Hinc, opinor, in textu Ambrosiano legitur: *ut plenam gratiam haberetis.* Apparet autem ex his verbis, Apostolum antea semel tantum Corinthi fuisse, quoniam hic secundae gratiae meminit. Sed hoc an ita sit, et si ita est, quomodo non sit ei contrarium, quod infra cap. 12. ac rursum cap. 13. scribit, se tertio venturum ad Corinthios, discutiemus, quum ad eum locum capitis 12. perventum erit.

Juxta eos, qui Paulum prius, quam haec scriberet, secundo Corinthum adiisse putant, dici posset, gratiam secundam hic intelligi gratiam iteratam quocumque numero. Nam Graecum δεύτερον aliquando significat iteratum, sive posterius, non habita numeri ratione. Quod autem Graeci secundam gratiam interpretantur gratiam geminam seu duplicatam, epistolae nimirum, ac deinde praesentiae Pauli (quod secutus Erasmus vertit: *ut geminam apud vos inirem gratiam),* mihi longius petitum videtur.

16. *Et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos.* Supple e versu praecedenti *volui* seu *volebam.* Quaeritur, quo pacto consentiant ista cum illis, quae scribit in priore epist. cap. ult. Nam illic venturum se pollicetur, postquam Macedoniam pertransiisset. Haec autem verba plane significant, eum prius voluisse Corinthum ire, atque inde transire in Macedoniam. Forte putabit quispiam, eum loqui de promisso, quo dixerat cap. 4. prioris epistolae: *Veniam ad vos cito.* Verum si id dixit, cogitans, prius Corinthum venire, quam iret in Macedoniam; igitur in eadem epistola mutavit consilium, utpote postea scribens, se prius in Macedoniam profecturum. Quam in una eademque epistola consilii mutationem Paulo adscribere, nescio, an sit boni interpretis. Et nos quidem illa duo promissa non esse inter se contraria, suis locis ostendimus.

Ad quaestionem itaque respondent Chrysostomus et Theophylactus, Paulum non dicere: Scripsi, me per vos transiturum in Macedoniam; sed: *volui,* tamquam diceret: Plus volui, quam scripsi. Nam animus mihi fuit ad vos proficisci prius etiam, quam iturus essem in Macedoniam. Eodem fere modo respondent Theodoretus et Oecumenius. Secundum istos igitur non sibi contrarius est Paulus; sed hic aliquid amplius dicit se voluisse, quam in priore epistola scripserat, hoc est, non modo post iter Macedonicum, quemadmodum illic pollicitus est, verum etiam ante illud invisere Corinthios.

Sed huic Graecorum responsioni potest objici: Si Paulus voluit tantum, et non scripsit, neque per nuntium mandavit (id enim tantundem esset, ac si scripsisset), quid opus erat, ut de ejusmodi voluntate seu proposito non impleto sese in epistola tam operose purgaret? Deinde: Si scripsit, se prius invisurum Macedones, quam Corinthios, ut ex priore epistola est manifestum; mox autem aliud voluit, nempe prius ire Corinthum, quam in Macedoniam; et hanc rursus voluntatem commutavit cum priore: non semel igitur, sed secundo mutavit consilium. Quae res certe majoris inconstantiae speciem habet. Nec vero de ea se Paulus excusat, sed de una tantum consilii mutatione, significata per unum: *est et non.*

Illud meo judicio verisimilius, quod apud S. Thomam et Liranum hac de re legitur, Apostolum Paulum in prima epist. ad Corinthios data, quae non exstat, et cujus mentionem facit in epistola supe-

riore cap. 5. *(vel per nuntium,* addit Thomas), promisisse Corinthiis id, quod hic refert; nempe se prius venturum ad eos, quam iret in Macedoniam. Caeterum postea, mutato consilio, in secunda epistola, quae nobis prima est, scripsisse, quod prius in Macedoniam profecturus esset, atque inde venturus Corinthum. Quod quia priori promissioni contrarium erat, de eo nunc, inquiunt, Apostolus sese excusat. His similia commentatur Cajetanus.

Utcumque vero se res habeat de prima epistola non exstante, cujus hic mentionem Cajetanus non facit, et de qua quid nobis videatur, suo loco diximus; in eo sane videntur admodum loqui probabiliter autores isti, quod promissionem, de qua non praestita se nunc Apostolus excusat, diversam fuisse dicunt ab illa, quae in superiore epistola habetur, eaque priorem, et quidem ei contrariam. Nam quod attinet ad verba promissionis, quae in priori leguntur epistola, nihil illis contrarium hucusque fecerat, et adhuc integrum ipsi erat, illud promissum complere scilicet a Macedonia (cujus in transitu, vel certe post transitum scribitur haec epistola) proficiscendo Corinthum; idque adeo se facturum adhuc pollicetur hujus epistolae cap. 12. et 13., quod ipsum etiam praestitit. Nam e Corintho postea scripsit epistolam ad Romanos, ut ostendimus in argumento illius epistolae. Sed et Lucas refert Act. 20., Paulum, postquam *Macedoniae partes perambulasset, in Graeciam venisse,* id est, in Achaiam, ubi Corinthus est. Vide, quae diximus ad illud 1 Cor. 16.: *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero.*

Quin et prior epistola tale quid etiam, quale dicunt hi scriptores, innuere videtur, illis maxime verbis: *Nolo enim vos modo in transitu videre,* nempe sicut antea constitueram, et facturum me vobis significaveram. Cum enim multa corrigenda essent apud Corinthios, quae in transitu corrigi non possent, sed egerent longiori mora, simul ob alias causas hac epistola suis locis indicandas, mutat Apostolus consilium de transitu, et promittit, se, postquam Macedoniam pertransisset, venturum, ac justo tempore apud eos moraturum, sic inquiens: *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo;* et iterum: *Spero enim, me aliquantum temporis manere apud vos.* Quod quidem tempus fuit mensium fere trium, uti Lucas significat Act. 20. Videat lector Chrysostomi commentarium ad illa verba Pauli inferiora: *Testem Deum invoco, quod parcens vobis nondum veni Corinthum,* et comperiet, eum tandem in hanc, quam probamus, sententiam descendere. Dicit enim ac probabilius censet, *Paulo in animo fuisse, priusquam superiorem epistolam scriberet, ad Corinthios se conferre; caeterum, suadente charitate, sese continuisse, ne eos incorrectos offenderet.*

Et a vobis deduci in Judaeam. In priori epistola dixerat indefinite: *Ut vos me deducatis, quocumque iero,* ac de profectione sua in Judaeam tantum illud: *Quod si dignum fuerit, ut et ego eam, mecum ibunt;* videlicet tunc adhuc incertus, an illuc profecturus esset. Interea vero *per Spiritum* edoctus, quod, *transita Macedonia et Achaia, Hierosolymam ire* deberet, ut habetur Actor. 19., nunc definite Judaeam nominat, quo sit deducendus; eo maxime, quod, probata Macedonum liberalitate, jam constitutum esset, pecuniam, quae colligebatur in usum pauperum sanctorum, qui erant Hierosolymis, ab ipso perferendam esse. Ita Paulus hac mentione suae profectionis in Judaeam tacite et velut in transcursu Corinthios submonet ejus officii, ad quod inferius ex instituto eos hortatur.

17. *Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum?* Graece: *Hoc igitur volens, numquidnam levitate usus sum? Volens,* βουλόμενος, Ambrosius: *cogitans,* id est, deliberate proponens ac statuens. Sensus autem est: Numquid volens ac statuens illud facere, quod tamen postea non feci, leviter ac temere illud volui? Sensum hunc postulat Graecum praesentis temporis partici-

pium. Non igitur hic quaerit Apostolus, an animi levitate mutaverit prius consilium; sed an prior illa voluntas et propositum cum levitate fuerit conjunctum. Quod quidem videri poterat ob mutationem consilii subsecutam. Eundem sensum aperte exhibet translatio Syriaca: *Hoc igitur, quod cogitavi, numquid tamquam levis cogitavi?* Confirmat etiam, quod sequitur:

Aut quae cogito, secundum carnem cogito? Graece: *Aut quae volo, secundum carnem volo?* Est enim idem in Graeco verbum, quod interpres supra semel et iterum vertit *velle.* Significat autem, ut diximus, velle cum deliberatione et consilio, quod est cogitare. Quare et Erasmus exemplo nostri interpretis hic vertendum sibi putavit: *cogito.* Secundum carnem cogitare est cogitare more hominum carnalium, id est, in cogitationibus suis ac studiis obsequi carnali cuipiam affectui, velut avaritiae, ambitionis, aut consequendi cujuscumque commodi temporalis.

Nota, Paulum duas causas prioris consilii suscepti a se removere; levitatem animi, qua fit, ut quis temere proponat et statuat, quod postea cogatur mutare; et intentionem depravatam ex affectu carnali, quo vitio similiter impelli solent homines ad ea statuenda ac promittenda, quorum ipsos postmodum poeniteat. Ex quibus intelligi vult, prius suum consilium, quo cogitaverat Corinthios invisere, priusquam iret in Macedoniam, quamvis illud postea mutaverit, reprehensionem non mereri. Nam et sapientis est, consilium mutare ex re nata, quae prospici non potuit. Cur autem mutaverit, eoque suum adventum distulerit ultra, quam promisisset, causas adfert inferius, partim sub finem hujus capitis et initio sequentis, partim sub finem capitis 12.

Ut sit apud me: Est et non? Haec pars sub eodem cadit interrogationis tenore cum praecedenti; maxime secundum Latinam lectionem. *Est,* Graece ναὶ, *etiam,* adverbium affirmandi. Geminatur autem in Graeco tam affirmatio, quam negatio, duntaxat hoc loco. Sic enim legitur: ἵνα ᾖ παρ᾽ ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὒ; id est, *ut sit apud me: Etiam, etiam, et Non, non?* quae geminatio *est, est, non, non,* legitur etiam in textu Ambrosii juxta priores editiones, haud obscure suffragante commentario; legitur et in translatione Syriaca. Caeterum Graeca propter appositum articulum τὸ plenius transferri possunt, vel hoc modo: *ut sit apud me illud: Etiam, etiam, et illud: Non, non;* vel sic: *ut apud me etiam sit Etiam, et non sit Non.* Quomodo transtulit Erasmus, cui favere videtur sermo similis in epist. Jacobi, cap. 5. juxta Graecam lectionem: *Sit autem vestrum: Est, est, et Non, non.* Sed de eo videbimus suo loco.

Chrysostomus ac caeteri Graeci partem hanc ita accipiunt, quasi Paulus pro absurdo habeat, ut sit apud ipsum *Etiam, etiam,* id est, constantia affirmationis, *et Non, non,* id est, constantia negationis; eo nimirum, quod Spiritu dictante ac jubente vir spiritualis cogatur aliquando consilia mutare; sicut de Paulo scribitur Act. 16., quod semel et iterum prohibitus fuerit a Spiritu sancto proficisci in eam regionem, quam volebat. Verum quia non mutare consilium, etiam ubi oportet, non est levitatis, sed obstinati animi, Paulus autem levitatis et inconstantiae, non autem pertinaciae crimen hic a se depellere studet; fit, ut praesenti loco parum apte quadret ille Graecorum commentarius.

Porro nonnulli sine interrogatione legendam putant hanc partem, ut ad interrogationem praecedentem: *Aut quae cogito, secundum carnem cogito?* subaudiatur responsio: Nequaquam. Cujus deinde ratio sequatur: *ut sit apud me: Etiam, etiam, et Non, non,* hoc est, ut, quod affirmo, maneat affirmatum, et quod nego, maneat negatum, nec consilium temere mutem, sed ubique vestris serviam commodis, hac in parte mihi semper similis et constans. Hunc sensum velle videtur Ambrosiaster, ejusdemque meminit Erasmus in annotationibus, atque eum tradit in paraphrasi.

Etsi vero nonnihil probabilitatis huic sensui conferant loca Matth. 5. et Jacobi 5., quibus praecipitur, ut sermo noster sit: *Est, est; Non, non;* multo tamen planior erit hujus loci contextus, si totus usque ad finem interrogative legatur, hoc itidem plano et aperto sensu: Num levis, num carnalis sum? ut propterea sit apud me: Est, et non? id est, modo affirmare, modo negare? dicere et non praestare? Cui sensui non obstat, quod in Graeco duplicantur adverbia; nam id factum videri potest fortioris affirmationis aut negationis significandae causa; idque ex more Hebraeorum, quo et Christus usus est, dicens identidem apud Joannem: *Amen, amen dico vobis;* quod non est aliud, quam: *Etiam, etiam,* aut, *vere, vere dico vobis.* Qua ratione sensus erit hujus partis: Ut rem eandem nunc vehementer affirmem, nunc vehementer negem.

Haec si non placeant, restant suspiciones una et altera Graecae lectionis vitiatae. Prior est, in Graeco fortasse desiderari negationem, qua addita legatur: *Ut non sit apud me: Est, est, et Non, non?* Sic enim erit sermo perspicuus, habensque similitudinem sensus cum Scripturis Matth. 5. et Jacobi 5. Altera, quae pluribus probatur, geminationem adverbiorum huc in Graecum textum irrepsisse ex dictis locis Matthaei et Jacobi, cum scriptum esset simpliciter, quemadmodum infra semel et iterum: *Etiam et Non.* Quam conjecturam auget constans lectio veteris et vulgatae editionis, et omnium ejus interpretum, ut versimile sit, eam in quibusdam Graecis olim exstitisse.

Porro videtur Apostolus his verbis non prorsus a se removere: *Est* et *Non,* sed eatenus tantum, ut proveniat ex causis memoratis, scilicet ex animi levitate vel affectu carnali. Prorsus autem et omnino removet a Deo divinisque promissis; necnon a se, quatenus erat Christi Apostolus, et verborum ejus interpres. Dicere enim poterant ejus adversarii: Si dicta tua et promissa non sunt certa, sed ex occasione mutabilia, poterit igitur et in sermone tuo, quo Christum nobis praedicasti, mutabilitas reperiri; ut sit in eo: *Est* et *Non.* Huic objectioni jam consequenter occurrit, dicens:

18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo: Est, et non.* In multis codicibus legitur: *qui fit apud vos,* quemadmodum et sequenti cap. vertit: *quae fit a pluribus,* cum neutribi verbum in Graeco sit expressum. Hoc quidem loco sic habet: *quia sermo noster, qui ad vos* (ὁ πρὸς ὑμᾶς), *non fuit: Etiam et non.* Erasmus et Hentenius vertunt: *sermo noster erga vos,* id est, quo usus sum apud vos. Particulam *in illo* ut Graeca pariter et Syriaca non agnoscunt, ita nec Latinus exhibet textus Ambrosii et Primasii. Quod vero apud eosdem huic versui proxime subjungitur: *Sed Est in illo est,* id hoc loco nulli alii codices habent, nec ei quidquam respondet in illorum commentariis, ut plane crediderim, inconsiderate adscriptum esse. Sensus Apostoli: Deus verax est et infallibilis in dictis et promissis; et ideo sermo praedicationis nostrae, quo vobis Christum annuntiavimus tamquam Dei Apostoli, non talis fuit, ut mutari posset ex affirmatione in negationem, id est, nihil in eo incertum et mutabile; sed omnia firmissima veritate constant. Conjunctionem causalem cum sancto Thoma per redditivam ejus interpretor, *quia* per *ideo.* Quae quidem ejus acceptio non est infrequens in sacris litteris. Exempla sunt in Psalmo 85. *Clamavi ad te, quia exaudisti me.* Psalm. 114.: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* Oseae 9.: *Omnes nequitiae eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos.* Vide etiam infra ad illud capitis 4.: *Credidi, propter quod locutus sum.*

Quidam istud: *Fidelis Deus,* volunt esse formulam obtestantis aut jurantis, ac si dicat: Deum veracem testor, aut, Deus est mihi testis fidelis, *quod sermo noster,* etc. Quem sensum adfert etiam S. Thomas priore loco. Sed profecto verisimilius est, id Apostolum consueta phrasi dixisse enuntiative. Sic enim scribit in priore epist. cap. 1.: *Fidelis Deus,*

per quem vocati estis in societatem Filii ejus; et iterum cap. 10.: *Fidelis Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis.* Jam quod nonnulli partem hanc interpretantur de sermone Pauli, quo promiserat se venturum, tamquam neget, eum fuisse vanum et inconstantem, eo, quod non temere, sed justa ratione consilium mutasset, non habet connexionem cum sequentibus, quae tamen optime cohaerent cum sensu, quem nos dedimus.

19. *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est.* Illud *per nos* non dicit, ut multa superiora, de sua tantum persona, sed de pluribus, quos continuo nominat.

Per me, et Silvanum et Timotheum. Meminit ejusdem Silvani velut coapostoli sui in epigraphe utriusque epist. ad Thessalonicenses. Meminit et Petrus in fine primae suae epistolae. Hunc autem eundem esse cum Sila, Pauli collega, de quo frequens in Actis Apost. mentio per cap. 15. 16. 17. 18., videlicet Hebraeo nomine (quod missum, id est, Apostolum significat, Hieronymo teste in epist. 143., quae est ad Damasum, et in comment. epist. ad Gal. 1.) flexione quadam in Romanum commutato, consentiunt omnes fere interpretes. Nam quod Hieronymus in epist. memorata censet, vitiose Silvanum pro Sila legi in epistolis Paulinis, in hoc ei non assentior, quandoquidem non uno loco, sed pluribus, omnium exemplarium consensu, legitur tam Graece, quam Latine Σιλουανὸς, Silvanus. Quod autem in Menologio Graecorum ad diem tricesimum Julii annotantur tamquam duo diversi, *Silas et Silvanus Apostoli,* errore factum non dubito. Potius fuerat scribendum: *Silas* sive *Silvanus Apostolus.* Porro Silam et Timotheum fuisse Pauli cooperarios in praedicando Corinthiis Evangelio, potest intelligi ex illis verbis Actor. 18.: *Cum venissent autem de Macedonia* (nempe Corinthum ad Paulum) *Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus.* Venerant enim a Paulo accersiti, ut ejusdem libri cap. 17. dicitur, certe non ob aliud, quam ut ipsum in illa nova plantatione Evangelii adjuvarent.

Non fuit: Est et non; sed Est in illo fuit. Graece: *Non fuit: Etiam et non; sed Etiam in ipso fuit.* Totius periodi sensus hic reddi potest: Jesus Christus, Dei Filius, qui apud vos per me, et Silvanum et Timotheum praedicatus est, cum sit aeterna veritas, ideoque nec fallere possit, nec falli, non fuit mutabilis ab affirmatione ad negationem, ut aliquid eorum, quae diceret, mutato consilio non praestaret; sed fuit in eo constans affirmatio. Cum ergo nos simus Apostoli et legati Jesu Christi, eoque nomine non aliud, quam Christi verbum et Evangelium ac promissa vobis annuntiaverimus (nam et hujus legationis nostrae fidem operatione signorum testatam atque probatam fecimus), utique consequitur, nostrum ad vos de Christo sermonem non fuisse mutationi obnoxium.

At sciendum, extremam partem ita verti posse: *sed Etiam per ipsum fuit,* sive *factum est*, Graece γέγονεν, ut sensus sit: Sed affirmationes et promissiones divinae per ipsum completae sunt et complentur. Ita statim ipse noster interpres vertit Graecum ἐν αὐτῷ, *per ipsum.* Et huic sensui valde congruunt sequentia.

20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est.* Graece: *in ipso Etiam,* supple: sunt; quod recto ordine dicas: *sunt etiam in ipso.* Et quamvis Graeca lectio neutra parte habeat verbum *sunt,* in utraque tamen subintelligendum est; quemadmodum probe expressit textus Ambrosianus. Itaque sensus est: Omnes Dei promissiones, quascumque vobis annuntiavimus, per Christum sunt ratae, validae et immutabiles, quia per eum complentur; sive quatenus est Filius Dei, *per quem omnia facta sunt,* ut habet symbolum fidei nostrae; sive quatenus homo, per cujus meritum, et non aliter, Deus in nobis implet sua promissa. Quod posterius magis videtur Apostolus velle.

Nominat autem in praecedenti sententia Dei Filium, ut rationem innuat, quare

Christus non fuerit: *Est et non.* Id enim non habet ab humana natura, sed a divina. Merito Vallam hoc loco reprehendit Erasmus, quod particulam *in illo* vel *in ipso* referat ad adverbium *etiam*, dicatque, ab aliis imperite ad Christum referri. Qua in re certe suam ipse prodit imperitiam. Nam ne ad *etiam* referatur, palam repugnat priori quidem loco *etiam* antepositum, posteriori autem praepositus ei articulus τὸ casu nominandi, qui cum dativo αὐτῷ non potest cohaerere.

Ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. Ideo non est in Graecis, uno vetusto codice excepto, quem annotavit Rob. Stephanus, in quo scriptum erat: διὸ καὶ δι᾽ αὐτοῦ, *ideo et per ipsum.* Quemadmodum et legitur in textu Syriaco. Caetera Graeca sic habent: *Et in ipso Amen Deo ad gloriam per nos.* Quae eadem prorsus est lectio textus Ambrosiani, nisi quod pro: *in ipso*, nobiscum legat: *per ipsum*, quod est alterius explicatio. Pelagium quoque, et Primasium atque Sedulium legisse: *per nos*, ex eorum scholiis est manifestum. In quibus autem Latinis codicibus legitur: *ad gloriam vestram*, mendosos esse, non dubium est; ut et eos, in quibus adscriptum est verbum: *dicimus*, sive ante *Amen*, sive post *Deo.* Hoc enim, inquit Haimo, non est *de textu, sed de glossa*, scilicet ordinaria, quae id supplendum putavit, quomodo Syrus Paraphrastes supplet verbum: *damus*, id est, respondemus: *Amen.* Quamquam non videtur opus hujusmodi supplemento, maxime secundum Graecam lectionem. Nam Apostolus dicens: *in ipso Amen*, repetit id ipsum, quod dixerat: *in ipso etiam;* ut, quemadmodum illic, ita et hic, verbo *sunt* subaudito, oratio perficiatur. Repetit autem, ut ipsa repetitione rem magis confirmet, affirmationem, per adverbium Graecum ναὶ declaratam, velut obsignans affirmatione significata per Hebraicum *Amen*, id est, fiat, firmumque sit; quod vocabulum jam usu receptum erat in Ecclesiis Graecorum atque Gentilium.

Dicit igitur, omnes Dei promissiones per Christum esse *Amen*, id est, veraces, firmas et immutabiles, *Deo ad gloriam*, hoc est, *ad Dei gloriam*, uti reddidit interpres Syrus. Glorificatur enim Deus in Christo, per quem implet sua promissa. Docet hic locus, per Christi meritum omnia bona salutaria nobis provenire. Sequitur autem loco: *nostram*, in Graeco: *per nos*, id est, per ministerium nostrum. Loquitur enim de se suisque coapostolis, quos supra nominavit, per quos, ut et per alios fidos Christi ministros, Evangelium ejus sua praedicatione propagantes, Deus gentes ad fidem et salutem vocabat, eoque pacto promissiones implebat patribus factas, nominatim illam Gen. 22.: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus.* Quoniam proxime dixerat: *per nos* implentur Dei promissiones, explicat illud, ac totum rursus in Deum autorem refundit. Pro eo, quod habemus: *Nos vobiscum*, exemplaria quaedam legunt e converso: *vos nobiscum;* sed priorem lectionem germanam esse, probat consensus codicum et interpretum Graecorum, adstipulante versione Syriaca cum plerisque etiam Latinis exemplaribus. Addit autem Apostolus: *vobiscum*, id, quod de se dicit, commune ex parte faciens Corinthiis, ut eos in hac sua defensione benevolos habeat. Potestque particula *vobiscum* repeti ad tria sequentia verba, *unxit, signavit, dedit pignus*, etc. Competunt enim haec omnia suo modo toti Ecclesiae. Unde et Ephesiis attribuit, quod sint *obsignati Spiritu sancto*, Ephes. 1. Quamquam alioquin, ut hic ad singula repetatur, non est necesse.

Deus est, inquit, qui nos Evangelii sui ministros una vobiscum *confirmat in Christo*, vel (ut Graeca habent, et vetera quaedam Latina) *in Christum*, id est, facit firmiter Christo inhaerere; vos quidem per fidem, de qua paulo post dicit: *Nam fide statis;* nos autem praeter hoc faciens fideles Evangelii sui ministros, et inter tot tentationes et adversitates firmi-

tatem atque constantiam suppeditans, ne quid aliud, quam quod ab eo accepimus, cujus Apostoli sumus, vos doceamus. Idem Deus est, *qui nos unxit,* videlicet Spiritu sancto, id est, delibutos reddidit multorum et magnorum Spiritus sancti donorum infusione, quae praebent argumentum rectae et sincerae nostrae praedicationis. Pelagius et Primasius etiam chrismatis hic meminerunt, dicentes: *Unxit nos Spiritu sancto vel chrismate,* quasi sit allusio ad chrismatis unctionem, quae fit in sacramentis. Locum hunc paulo aliter legit commentator Ambrosii: *Qui autem confirmat nos vobiscum, Christus Dominus est; et qui unxit nos, Deus*; eandemque lectionem studiose explanat et urget pro consubstantialitate Filii cum Patre. Nusquam tamen alibi hanc lectionem reperio.

22. *Qui et signavit nos.* Graece, ὁ δὲ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *qui etiam obsignavit nos,* nempe Spiritu sancto, id est, tamquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum sanctum, largiendo varia ejus charismata, quae sigilli instar nos probent veros Dei nuntios ac ministros. Nam sigillum principis impressum aut appensum diplomati certam fidem facit inter homines. Spiritum sanctum intelligi in utraque parte praecedenti, declarat pars sequens:

Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Pignus, Graece ἀῤῥαβῶνα, *arrhabonem,* sive *arrham,* quae nimirum dari solet ad confirmationem contractus aut promissi. Nam pignus aliam notissimam apud Latinos significationem habet. Sed interpres pignus pro arrha posuit ob significationis quandam affinitatem. Sensus: Qui idem Deus dedit in cordibus nostris arrham suarum promissionum ipsum Spiritum sanctum. Et quidem intransitive *pignus Spiritum* legit Augustinus locis a Beda recitatis, necnon commentator Ambrosii, qui et in eundem sensum exponit, ita scribens: *Qui et signavit nos, dando Spiritum suum nobis pignus, ut non ambigamus de promissis ejus.* Hic rursus Spiritum intellige secundum varia ejus dona, quae largius effusa fuerunt in Apostolos, quam in caeteros fideles. Conferendus est hic locus cum eo, qui est Ephes. 1., ubi leguntur haec verba: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae,* ubi et a nobis hae metaphorae sigilli et pignoris sive arrhae plenius explicantur. Jam ex his colligi vult Apostolus Paulus, nulla ratione credendum, quod suae praedicationi tot modis divinitus confirmatae subesse possit aliqua justa falsitatis aut incertitudinis suspicio.

23. *Ego autem testem Deum invoco in animam meam.* Postquam depulit a se crimen inconstantiae, tandem eis aperit causam mutati consilii ac promissi non praestiti. Poterat hic esse principium secundi capitis, cum quo ista cohaerent. Nam et textus Syriacus hinc facit sectionis initium, et Chrysostomus ab hoc loco novam homiliam incipit. Caeterum Apostolus, quo certius persuadeat, quod dicturus est, juramentum adhibet, idque non simplex, sed cum adjuncta exsecratione. Deum, inquit, advoco testem ejus, quod loquor (id enim est jurare); ac ni ita sit, Deus, injuria affectus, quod falsi testis vocatus sit, ulciscatur in animam meam, id est, in me. Nam anima pro homine synecdoche est in Scripturis usitatissima.

Non igitur his verbis jurat Apostolus per animam suam, ut quidam existimant (quod et sensisse videtur, qui vertit ex Syriaco: *Ego vero testor Deum per animam meam);* sed jurat per Deum expresse nominatum, addita exsecratione sive maledicto, cui animam suam, id est, semet ipsum subjiciat, si fallat; ac si diceret: Perdat me Deus, nisi vera dixero. Sunt, qui sic exponant: Deum invoco testem animi mei. Sed hi ad Scripturae phrasim non attendunt.

Porro jurasse per animam suam solus Deus in Scripturis legitur, ut Jeremiae 51. et Amos 6. Siquidem solus jurat per se ipsum, quia non habet majorem, per quem juret, Hebr. 6. Locum hunc inter alios observat Augustinus epist. 89. quaest.

5., ut doceat, Christiano juramentum non esse illicitum, ubi necessitas aliqua postulat, ut juretur. Quae quidem Paulo fuit in re praesenti, scilicet ut adversus aemulorum calumnias suam existimationem et Apostolatus sui dignitatem apud Corinthios tueretur.

Quod parcens vobis non veni ultra Corinthum. Non ultra, Graece οὐκέτι, *non adhuc,* id est, *nondum,* ut habet textus Ambrosianus. Deum testor, inquit, me propterea nondum venisse Corinthum, sed alio abivisse, secus, quam promiseram, quod parcerem vobis, id est, evitarem occasionem vos puniendi pro peccatis commissis ac poenitentia non deletis, qualia nimirum commemorat infra cap. 12., quorum et meminit superioris epist. cap. 4. 5. et 6. Unde et ult. cap. hujus epist. dicit: *Haec absens scribo, ut non praesens durius agam pro potestate, quam Dominus mihi dedit.* Itaque parcere est non durius agere. Hanc rationem retardati sui adventus amplius declarat capite proximo.

24. *Non quia dominamur fidei vestrae.* Quia dixerat: *parcens vobis,* quasi potestatem habens puniendi (nam ejusdem est parcere et punire), ne tamquam Dominus hoc dixisse videatur, removet hanc de se opinionem. Neque enim soli domini puniunt, sed etiam patres. Simul autem oblique taxat pseudapostolos, quos dominantes et omnia imperantes, ac velut tributorum exactores, ferebant Corinthii. Hoc est enim, quod infra scribit capite 11.: *Sustinetis, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* Ista namque facere solent domini. Eadem vero longissime aberant a moribus Apostoli Pauli. Quod dicit: *fidei vestrae,* Cajetanus exponit: *vobis fidelibus.* Theophylactus ex mente Chrysostomi hoc modo: *Non quod sit mihi jus in fidem vestram. Liberae namque voluntatis fides est, neque quisquam cogit nolentem credere.*

Porro Theodoretus et apud Oecumenium Photius sic interpretantur: Non quod dominemur vobis fide, id est, propter fidem vestram, quam nostro magisterio didicistis; quasi propter eam jus aliquod ac potestatem, qualis est dominorum, ego et consortes mei in vos usurpare velimus. Atque hic videtur esse germanus sensus, quem et Gaignaeus probat, et sua versione expressit Erasmus: *Non,* inquit, *quod dominemur vobis nomine fidei.*

Sensus hic probabilis fit ex articuli τῆς collocatione, quemadmodum observat idem Erasmus in annotatione. Neque scripsit Apostolus: τῆς ὑμῶν πίστεως, sed ὑμῶν τῆς πίστεως, ut subaudiatur ἕνεκα, causae significativum. Est autem dominari praeesse cum ostentatione potestatis, eaque abuti ad privata commoda; quod non solum a praelatis ecclesiasticis abesse debet, verum etiam a saecularibus. Quod si dominari esset praecipere, minari, punire, ut quidam adversus ecclesiasticam potestatem hunc locum interpretantur, non bene Paulus a se dominationem removeret, qui et praecepta dedit, tam Corinthiis, quam aliis, *et in promptu habet ulcisci omnem inobedientiam,* infra cap. 10., et minatur Corinthiis in utraque epistola (minantis enim verba sunt: *In virga veniam ad vos?* 1 Cor. 4., et: *Si venero iterum, non parcam,* infra cap. 13.), et infamem illum apud eos fornicatorem severe puniendum iisdem Corinthiis praecepit, 1 Cor. 5.

Sed adjutores sumus gaudii vestri. Adjutores, Graece συνεργοὶ, *cooperatores.* Quin potius, inquit, ideo dixi: *parcens vobis,* quod una studeamus procurare gaudium vestrum. Potest autem intelligi illa cooperatio, vel Pauli cum suis coapostolis, vel Pauli cum iis, ad quos scribit. Quamquam magis arbitror intelligendum priori modo. Loquitur autem de gaudio opposito tristitiae, quam illis pepererat ipsius objurgatio; de qua eorum tristitia mox initio capitis sequentis, ac rursum cap. 6. et 7. Ad hoc enim parcebat eis, ne tristitiam haberent puniti, sed gaudium absque severitate pu-

nitionis correcti. Unde et haec epistola magna parte consolatoria est.

Nam fide statis. Minus recte apud Primasium legitur ex alia quapiam versione: *stetistis.* Graecum enim praeteriti temporis verbum: ἑστήκατε, significationem habet actus perseverantis, ut Matth. 20.: *Quid hic statis* (ἑστήκατε) *tota die otiosi?* Theophylactus hanc partem refert ad illud praecedens: *Non quia dominamur fidei vestrae;* tamquam Apostolus dicat: Nam quod ad fidem attinet, statis, non excidistis ab ea; quare non est, quod metuatis, ne fidei causa potestatem Apostolicam, quam dominationem aemuli mei interpretantur, in vos exerceam. Verum sunt alia quaedam apud vos merito punienda, de quibus scribo, me vobis parcere. Eodem refert B. Thomas, licet sensum non explicet. Cajetanus vero jungit cum eo, quod proxime praecessit, hoc sensu: *Indigetis gaudio, quoniam fide constantes estis.*

Equidem malim hunc sensum: Digni estis gaudio, quia statis in fide. Et ideo nolumus vos contristare, sed magis suggerere materiam gaudii, quod constans fides vestra meretur; tantum abest, ut fidei nomine dominationem apud vos affectemus. Fide stare dicit pro eo, quod est in fide stare. Quomodo Gal. 5. juxta Graecum textum: libertate stare, id est, in libertate stare. Sed de ea scriptura suo loco; quum alioqui possit, quod hic dicitur, etiam sic intelligi, quomodo S. Thomas exponit: *Per fidem statis in ista gratia Christi.* Caeterum non negat Apostolus, inter Corinthios fuisse, qui vacillarent in aliqua parte fidei; quales erant, qui dicebant, resurrectionem non esse, 1 Cor. 15. Verum in hoc eos laudat, quod fidem Christianam non desererent, sed in ejus confessione permanerent. Annotat Erasmus, in quibusdam Graecis exemplaribus haberi: ἑστήκαμεν, *stamus.* Sed eam lectionem, ut mendosam et contextui incongruam, alii merito rejiciunt.

CAPUT SECUNDUM.

Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. 2. Si enim ego contristo vos; et quis est, qui me laetificet, nisi qui [1]) contristatur ex me? 3. Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere; confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. 4. Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas; non, ut contristemini; sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. 5. Si quis autem contristavit [2]), non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem omnes vos. 6. Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio haec, quae fit a pluribus, 7. ita, ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. 8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. 9. Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi [3]), 11. ut non circumveniamur a Satana [4]); non enim ignoramus cogitationes ejus. 12. Cum venissem

---

[1]) Cap. 1, 23. [2]) 1 Cor. 5. [3]) 1 Cor. 5, 4. [4]) Cap. 11, 14. seq.

autem Troadem propter Evangelium Christi [1]), et ostium mihi apertum esset in Domino, 13. non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum [2]), sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, 15. quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt; 16. aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitae in vitam [3]). Et ad haec quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes [4]) verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo [5]), coram Deo, in Christo loquimur.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Scribit, idcirco se non venisse, ne eos tristitia afficeret. Hortatur, ut fornicario jam satis afflicto condonationem una secum faciant. Addit de Tito non invento, et de Evangelio per suam praedicationem instar boni odoris late disperso, licet non ab omnibus recepto. Notat insinceros Evangelii ministros.

1. *Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.* Causam, propter quam nondum venerat, paulo ante indicatam, cum diceret: *parcens vobis,* hic jam plenius exponit Apostolus. Graeca sic habent: *Decrevi autem mihi ipsi,* id est, *apud me ipsum, hoc, non iterum venire in tristitia ad vos.* Significat enim illud: *non iterum venire* etc., fuisse apud se decretum et constitutum; uti patet ex articulo Graeco τὸ praefixo. Dubium est autem, adverbium *iterum* quid determinet. Neque enim referri potest ad totum illud: *venire in tristitia;* non enim antea aliquando Paulus ad Corinthios venerat in tristitia. Chrysostomus et ejus sequaces, quos et Erasmus sequitur in sua paraphrasi, referunt ad solum illud: *in tristitia.* Nam, ut ajunt, quia superiore epistola Corinthios moerore affecerat, noluit iterum eos contristare. Quod futurum erat, si ad eos nondum correctos venisset.

At vero Cajetanus rem melius videtur assecutus, quando particulam *iterum* tantummodo referri vult ad verbum *venire,* ut sensus sit: Nolui secundum meum adventum ad vos esse cum tristitia. Quod et ante Cajetanum breviter annotavit Theodoretus, dicens, *illud iterum cum adventu, non cum tristitia conjunctum esse.* Sentiunt hoc ipsum Pelagius et Primasius, dum Apostoli verba sic exponunt: *Cogitavi vel disposui, ne in tristitia secundo venirem, qui, cum primum credidistis, apud vos in gaudio fui.* Sensum hunc confirmat contextus Graecus, in quo proxime sibi junguntur: *iterum venire.* Simili sermone dicit infra cap. 12.: *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos.* Vide loci illius commentarium. Porro loquitur Apostolus de tristitia, non tam sua, quam Corinthiorum, qua nempe per ipsum afficiendi erant; quamvis ex illa doceat etiam suam tristitiam consecuturam. Hoc enim est, quod sequitur:

2. *Si enim ego contristo vos; et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me?* Sermonem mutilum esse putat Cajetanus, ac suppplet hoc modo: Si ego contristo vos, quis vos consolabitur; cum mei sit officii vos consolari? Deinde nova sententia vult subjungi, quod sequi-

---

[1]) Act. 16, 8. 20, 6. [2]) Cap. 7, 5. seq. [3]) 1 Cor. 1, 18. 23. seq. [4]) Cap. 4, 2. [5]) Cap. 4, 6. 1 Cor. 2, 10.

tur: *Et quis est, qui me laetificet, nisi* etc. Magis placet, quod alii dicunt, voculam *et,* ut interdum in scriptis Paulinis, redundare. Quamquam etiam videri potest, per eam additam aliquid gratiae accedere interrogationi; velut si dicatur: Ecquis, aut, quis vero, quis obsecro. Planus igitur sensus est: Quod si ego vos contristo, dum praesens sum apud vos; quisnam erit, obsecro, qui me apud vos exhilaret? ac si dicat: Nemo. Nam vos ex me contristati me exhilarare non poteritis. Alius vero, qui me exhilaret apud vos, nullus est.

3. *Et hoc ipsum scripsi vobis.* Ordo in Graecis: *Et scripsi vobis hoc ipsum.* Chrysostomus et Oecumenius *hoc ipsum,* quod se scripsisse dicit, intelligunt de eo, quod scripsit in fine praesentis epistolae, videlicet illis verbis cap. 12.: *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt;* etc. At profecto absurdum videtur, ut Apostolus scripsisse se dicat, quod sub finem epistolae scripturus est. Sic enim interpretatur: *Hoc ipsum, quod parcens vobis nondum veni, scripsi in hac epistola.* Alii verisimilius putant, Apostolum respicere ad priorem episolam; quasi dicat: De hac re, scilicet ut prius emendaretis errata, quam ego venirem, scripsi ad vos in priore epistola. Nam illius epistolae cap. 4. 5. et 6. sollicite eos ad corrigenda vitia fuerat hortatus, etiam cum gravi increpatione et comminatione; qualis illa: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Hic sensus maxime textui videtur accommodus, et confirmatur ex eo, quod statim post repetit Apostolus, se scripsisse *ex multa tribulatione et per multas lacrymas,* utique in priore epistola, ut illud ab omnibus accipitur. Nam praesentem epistolam non ex tribulatione, neque cum lacrymis scripsit, sed divina consolatione recreatus, ut capite superiori, et ob emendationem Corinthiorum gaudio repletus, ut infra late cap. 7.

Ut non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere. *Cum venero,* Graece participium ἐλθὼν, pro quo textus Ambrosianus: *cum venissem,* Erasmus: *si venissem.* Illud: *super tristitiam,* in Graecis, quibus et Syriaca subscribunt, non habetur, exceptis Complutensibus et Rhodiensi quodam codice (de quo vide, quae scribit Erasmus in annot.), et alio, si tamen est alius, apud R. Stephanum indicato. Certe nec Graeci commentatores attingunt. Latini quidem omnes, praeter unum Ambrosianum, legunt et exponunt; sed non levis suspicio est, adventitium esse ex epistola ad Philipp. cap. 2., ubi tam Graece, quam Latine leguntur haec verba: *Ne tristitiam super tristitiam haberem.*

Alioqui sane haec duplicatio non admodum quadrat huic loco. Nam sensus est: Hoc ipsum vobis ideo scripsi, ne, cum venero, vel (commodius ad mentem Apostoli) ne, cum venissem, ad vos scilicet nondum correctos, dolorem caperem ex iis, *de quibus oportebat* (ἔδει) *me gaudere;* id est, ex vobis, qui mihi debebatis esse gaudii materia, quia vester sum Apostolus, et *vos opus meum estis in Domino,* 1 Cor. 9.

Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. *Confidens,* Graece πεποιθὼς, *confisus, persuasus,* Ambrosius: *Certum habens.* Potest autem hoc participium construi vel cum verbo *scripsi,* quo referunt plerique; vel cum illa parte: *ne tristitiam habeam,* nisi referas, quod quibusdam placet, nec mihi displicet, ad proximum verbum *gaudere,* ut vel neglectu grammaticae, vel Hebraeo more dixerit Apostolus: *gaudere confidens,* pro: *gaudere confidentem.* Ita sensus erit: Ne tristitiam habeam ex vobis, de quibus oportebat me gaudere, et quidem cum fructu gaudii vestri; ut qui eam fiduciam de vobis animo jamdudum conceperim, quod, me gaudente, sitis omnes gavisuri, sive, exponente Cajetano: *quod meum gaudium aestimetis ut vestrum.* In summa significat, se gaudere velle non tam sui causa, quam illorum, in quos suum

gaudium erat continuo redundaturum. Dicit autem: *in omnibus vobis*, ut idem annotat Cajetanus: *praesumendo bonum de omnibus ex eo, quod non constabat ei contrarium de aliquo;* vel potius universe loquitur, totam Corinthiorum Ecclesiam significans, licet non, quantum ad singulos, sine exceptione.

4. *Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* Declarat, quod dixit, habiturum se tristitiam, si venisset; idque ex tristitia, quam habuit absens. Simul objectionem removet, qua dicere poterant Corinthii: Quomodo nunc scribis, te nolle nos contristare, quos in epistola priore tam graviter increpasti? Nam, inquit, ex multa animi afflictione, id est, dolore, et ex multa cordis anxietate (quam Graece συνοχὴν, id est, coarctationem vocat), utpote vehementer sollicitus, quomodo peccata vestra, quae me contristabant, corrigi possent, scripsi vobis priorem epistolam; nec id sine multis lacrymis, quae doloris mei magnitudinem testabantur; scripsi, inquam, cum objurgatione.

Non, ut contristemini. Melius: *contristaremini.* Scripsi, inquit, non intendens malum tristitiae vestrae, sed bonum aliquod ei conjunctum; scilicet emendationem vestram. Unde scribit infra cap. 7.: *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam.* Non addit tamen Apostolus hanc objurgationis suae causam, id est, emendationem ipsorum; sed, eam relinquens intelligendam, exprimit aliam, qua dulciorem reddat sermonem, suaeque erga illos dilectionis affectum commonstret, ut annotavit post Chrysostomum Theophylactus. Ea causa sequitur:

Sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. Graece: *Sed charitatem ut cognosceretis, quam habeo abundantius in vos.* Noster interpres verba commode transposuit. Ambrosius sic legit: *Sed ut cognoscatis charitatem, quam habeo abundantius erga vos.* Sensus: Sed ut ex hujusmodi literis meis testatam vobis facerem amoris, quem erga vos gero, magnitudinem. Breviter: Ut intelligeretis, quantum vos diligam. Siquidem illud: *abundantius*, pro abundanter positum videtur. Nam et paulo post plures dicit pro multis, et abundantiorem tristitiam pro valde magna. Quamquam Graeci comparativum expendunt, nominatim Chrysostomus, tamquam sentiat Apostolus, se Corinthios majore prae caeteris amore complexum fuisse, quod eos in Christo per Evangelium genuisset, ideoque proprie eorum pater et Apostolus esset, 1 Cor. 4. et 9. Similia leguntur apud Latinos interpretes. Verum quia plurimi erant alii, quos Paulus in Christo genuerat, in quibus Macedones, ad quorum imitationem in hac ipsa epistola Corinthios excitat, qui proinde non minus diligendi fuerint; idcirco priorem expositionem puto retinendam. Est autem verae et magnae charitatis argumentum, si quis eorum, quos curare debet, peccata non dissimulet, sed aperte et opportune corripiat, etiam adhibita, si opus sit, duriori increpatione, quamvis noverit, eos inde contristandos.

5. *Si quis autem contristavit, non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem omnes vos.* Transit ad mentionem hominis, qui praecipuam tristitiae causam dederat. Is erat fornicarius ille, de quo in priore epist. cap. 5. Dico praecipuam, quoniam erant et alii, quorum gravia peccata punitionem merebantur, et propter hoc tam Apostolo, quam aliis bonis erant causa tristitiae; de quibus infra meminit in fine cap. 12. Mollit autem sermonem, utens conditionali vocula, quae solet esse dubitantis: *Si quis contristavit;* non quod dubitet, sed quasi facti oblitus propter illius poenitentiam. Ideo neque crimen ipsum exprimit, sicut in priore epistola; nempe quod ille, qui peccaverat, jam per contritionem et poenam susceptam tegere ac delere coepisset suum peccatum.

Alioquin eundem hunc esse cum illo, quem prius ob incestum jusserat tradi Satanae, nullus est commentatorum, qui dubitet. Id ipsum vero diserte testantur

Origenes hom. 1. super Psalm. 37., Pacianus in epist. 3. ad Symphron., Ambrosius lib. 1. de poenit., capit. ult., et Gregorius lib. 33. Moral. cap. 8. Quamquam et res ipsa loquitur, eundem esse. *Nam,* ut ait Augustinus lib. 3. contra epistol. Parmen., cap. 1., *non invenitur, de quo alio significet* Apostolus, haec scribens. Nec audiendus Tertullianus, qui multis verbis alium esse contendit, lib. de pudic. cap. 13. et aliquot sequ., ne videlicet fateri cogatur (quod in eo libro negat et oppugnat), moechos et fornicatores ad ad poenitentiam ab Ecclesia recipiendos esse. Quapropter, ut hunc ab illo diversum esse doceat, ratiunculas coacervat, sed revera leves ac futiles, in quibus refellendis non sit nobis immorandum.

Porro locus hic nonnihil obscurus est, et varie construitur atque exponitur. Sensus primo obvius esse videtur hujusmodi: Quod si quis contristavit, hoc est, autor fuit ejus moeroris ac tristitiae, de qua locutus sum, non me contristavit solum et proprie; sed me contristavit ex parte, id est, ut partem et membrum Ecclesiae, quae principaliter laesa et contristata fuit. Idque dico, ut ne vos omnes onerem culpa illius fornicarii. Nam si me solum contristasset, vos omnes essetis ab ea tristitia immunes; ideoque videremini peccati illius per consensum esse participes, quia, qui non dolet de malo, quod novit, consentire videtur. Potest etiam illud: *non me contristavit,* absolute capi, verum ita, ut sequatur exceptio: *sed ex parte,* id est, nisi ex parte. Nam ut *nisi* pro *sed* in Scripturis frequens est, ita vicissim *sed* pro *nisi* positum interdum reperitur, ut Marci 9.: *Neminem amplius viderunt, sed Jesum solum,* ut in Graeco; hoc est, nisi Jesum solum. Quamquam hic sensus in eundem recidit cum priori.

Quidam exponunt hoc modo: Qui contristavit, non me omnino contristavit, sed ex parte aliqua, secundum rationis modum, aliis multis bonis, qui apud vos sunt, ex altera parte me consolantibus; ut ne videar omnes vos incusare, et omnibus meae tristitiae causam imponere. Probat hunc sensum S. Thomas, quem Liranus, Carthusianus et Titelmannus sequuntur. Aliter Hervaeus: Non omnino me contristatum dixerim, sed moderate; ne, si vehementius contristatum me dixero, vos etiam omnes, qui me amatis, vehementiori tristitia gravem, cujus studium est, uti praefatus sum, tristitiam a vobis repellere.

Caeterum alii in verbis Apostoli hyperbaton esse volunt, quo separantur illa duo sensu conjungenda: *ex parte* et *omnes vos.* Sensum enim hunc faciunt: Autor ille tristitiae non me solum contristavit, sed ex parte etiam vos omnes; ex parte, inquam, ut *non onerem,* sive, ut Graece est, ἐπιβαρῶ, *aggravem,* scilicet illum hominem nostri vestrique luctus autorem, id est, ne peccatum ejus videar nimis exaggerare, simpliciter affirmando, quod in moerorem et luctum vestram Ecclesiam totam conjecerit. Ubi tamen illud: *ex parte,* non est additum ad excipiendum aliquos Corinthios a participatione moeroris; dicit enim: *omnes vos;* sed ad imperfectionem moeroris significandam, quomodo dixit 1 Cor. 19.: *Nunc cognosco ex parte,* et in hac epistola cap. praecedenti: *cognovistis nos ex parte.*

Videtur enim et hoc loco, dum velut extenuat delictum fornicarii, dicens: *ex parte,* simul eodem verbo notare teporem Corinthiorum, qui in principio non satis, ut oportebat, commoti fuerint adversus tantum flagitium apud ipsos perpetratum. Hic autem commentarius Chrysostomi est, et sequacium ejus Graecorum, comprobatus etiam a Latinis plerisque recentioribus. Nec diversum volunt, qui particulam: *ut non onerem,* interpretantur: ne quid gravius aut acerbius de illo dicam.

Sunt et aliae apud alios hujus loci interpretationes, inter quas est et ea, quam ex glossa ordinaria sumserunt Lombardus et alii quidam, ironice exponentes illam partem: *ut non onerem omnes vos.* Verum potiores sunt, quas adduximus, et inter eas ad mentem Apostoli maxime accommodata, quam postremam posuimus.

Vult enim Apostolus, ut omnes condonent quia omnes affecti fuerant tristitia; faciles tamen esse vult ad indulgendum, quia non plurimum, sed ex parte contristati fuerant. Syrus paraphrastes hyperbaton quidem agnoscit, dum ita vertit: *Si quis autem tristitia affecit, non me tristitia affecit, sed paululum vos omnes;* at dum nihilominus illa verba: *ut non onerem,* ad eosdem refert Corinthios, sic ea interpretans: *ne gravis esset sermo contra vos,* videtur ab Apostoli mente recedere.

6. *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio haec, quae fit a pluribus.* Verti poterat: *Quae facta est a pluribus.* Nam verbum in Graeco non est expressum. Ac sane praeteritum magis quadrat. *Objurgatio,* Graece ἐπιτιμία, *increpatio,* severa correptio, pro qua mendose, ni fallor, apud Augustinum *correctio* legitur. Nam correctio non est increpatio, sed finis increpationis. Descendit Apostolus ad consolationem incesti illius excommunicati, jamque poenitentis, quem vult in gratiam ab Ecclesia recipi condonatione delicti, quo eam contristaverat, et pro quo jam subiverat aliquantam poenam, a fidelium communione separatus ac Satanae traditus. Id enim erat aliquo usque satisfecisse, quod significat verbum: *sufficit,* Graece ἱκανὸν, *sufficiens est, satis est.* Nam *satis est* legunt Ambrosiaster in comment., et Ambrosius in fine lib. 1. de poenit., et ante eos Tertullianus. Alibi quoque vetus interpres satisfactionem transtulit, ut Actor. 17.: καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν, *et accepta satisfactione ab Jasone* etc. Accedit, quod Graeca vox ἐπιτιμία non solum significat increpationem, verum etiam mulctam seu poenam pro delicto satisfactoriam. Quae significatio probe congruit huic loco. Non enim nudam increpationem verbis factam sufficientem esse vult Apostolus, sed totam punitionem, quae ab increpatione ceperat initium.

Igitur hujus loci sensus est: Illa publica separatio cum gravi increpatione et criminis exaggeratione, totius Ecclesiae vestrae consensu facta, qua a corpore Ecclesiae velut membrum noxium amputatus est, et hactenus ab omnibus devitatus, non sine maximo ipsius pudore ac dolore, *sufficit illi tali* (τῷ τοιούτῳ), scilicet ei, qui Ecclesiam contristavit; sufficit, inquam, pro satisfactione sui delicti, ita nimirum, ut, quamvis enormitas facinoris poenam longe majorem ac diuturniorem merito postulet, reliquum tamen poenae per indulgentiam ei condonetur. Qui sensus manifeste colligitur ex sequentibus. Etenim ne subsecuta condonatio, de qua consequenter agit, inanis ac frustranea videatur, intelligere debemus sufficientem poenam priorem, id est, tantam, quanta judicio Ecclesiae sufficiat, tum spectata qualitate personae, quam non expediebat amplius gravari, ne in desperationem incideret; tum vero habita ratione publicae utilitatis, quam ex illa moderatione poenae Ecclesia recipit.

Idem erit sensus, si pro: *sufficit, satis est,* vertas: *sufficiat, satis sit.* Nam et ita verti posset, quandoquidem in Graeco verbum non exprimitur. Notandum autem, quod, etsi peccator iste non fuerit poenitens tunc, quando fuit excommunicatus (non enim poenitentes, sed contumaces excommunicandi sunt), tamen statim, ut projectum se vidit et ab omnibus desertum, pudore affectus ob ignominiam, peccatum suum agnoscere coepit, ac de eo vehementer dolere. Ex quo quidem tempore poena excommunicationis, a Paulo sub increpationis nomine comprehensa, coepit illi, quamvis nondum reconciliato, valere ad satisfactionem pro peccato commisso.

7. *Ita, ut e contrario magis donetis, et consolemini.* Donare dixit interpres hic et in sequentibus pro condonare, remittere, gratiam debiti facere. Nam Graecum verbum χαρίζεσθαι, ἀπὸ τῆς χάριτος, a gratia deductum est. Sic et infra cap. 12.: *Donate mihi hanc injuriam.* Sensus est: Ita, ut e contrario, id est, loco severitatis, qua longiorem adhuc poenam exigere possetis, potius uti vos oporteat lenitate et indulgentia, qua con-

donetis ac remittatis, quidquid ei poenae reliquum est, jamque satis afflictum etiam benigne consolemini. Sic enim alibi praecipit: *Consolamini pusillanimes,* 1 Thessal. 5. Quo sensu toti communitati tribuat officium condonandi, cum ea potestas non sit omnibus data, sed solis Ecclesiarum praefectis, inferius explicabitur.

Sed quaeret aliquis, cur Apostolus specialiter hic praecipiat consolationem excommunicati, cum generale praeceptum habeamus omnes, vel ab ipsa natura, de consolandis afflictis, etiam peccatoribus, maxime si sint poenitentes; ut proinde ad hunc consolandum, de quo sermo est, nihil opus fuerit autoritate Pauli jubentis; sicut ad condonandum. Responderi potest, ideo necessarium fuisse praeceptum Apostoli de isto consolando, quia Corinthii penitus eum aversabantur, velut exsecrabilem et Satanae traditum. Sed et dici potest, consolationem intelligi in ipsa condonatione. Qui enim poenam remittit, re ipsa consolatur. Veriorem tamen arbitror responsionem, si dicatur Apostolus per hanc consolationem voluisse significare receptionem excommunicati in gremium Ecclesiae, et, quae inde sequitur, fidelium fraternam allocutionem. Haec enim propria est excommunicatorum poenitentium consolatio, si communioni fidelium restituantur, fratres deinceps ab universa fraternitate salutandi. Igitur duo praecipit Apostolus: ad communionem recipi poenitentem, et a poena per indulgentiam liberari; tametsi fortassis haec duo, quod ad praesens attinet, in unum conveniant. Nam poena, cujus hic mandatur indulgentia, non alia fuisse videtur, quam ipsius excommunicationis, et pudoris ac doloris inde consequentis. Porro condonationis hujus et consolationis adhibendae causam ex parte poenitentis adjungit, dicens:

Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Ne forte, Graece μήπως, *ne quo modo,* ut habet textus Ambrosii. Tristitiam abundantiorem vocat eam, quae nimia est et immodica. Nimiam et immodicam dico; non quod contritio de peccatis nimia esse possit, cum nec dilectio Dei possit esse nimia; verissime namque dictum est a S. Bernardo in libro de diligendo Deo, *modum esse diligendi Deum, sine modo diligere.* Sed ea tristitia, quam gignit aliorum quorundam malorum, quae peccantes incurrunt, consideratio, facile excessum admittit; praesertim si etiam in inferiorem appetitum redundet. Cujusmodi mala in isto excommunicato erant ipsa excommunicationis poena, et eam consequens desolatio, et ignominia publica.

De hac ergo tristitia loquitur Apostolus, et sensus est: Ne contingat, eum ita totum aegritudine moeroris occupari, dum nec poena mitigatur, nec consolationis officium impenditur, ut ea prorsus obruat hominem, pariatque in eo effectus ex immodico moerore consequi solitos; ut sunt: animum despondere, spem salutis abjicere, pietatis operibus renuntiare, totum se mundo dedere, et a mundi concupiscentiis ac voluptatibus solatium quaerere; sicut de quibusdam dicitur Eph. 4.: *Qui desperantes, semet ipsos tradiderunt impudicitiae.* Hinc apostasia a fide, et interdum illud horribile, cujus exemplum in Juda proditore habemus, qui per desperationem laqueo se suspendit. Nam et horum immoderati moeroris effectuum meminerunt interpretes.

8. *Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Propter quod,* ne scilicet *abundantiori tristitia absorbeatur. Obsecro* vel *adhortor,* Graece παρακαλῶ. Charitatem Origenes intelligit ejus, qui peccaverat; tamquam velit Apostolus, hortatu fratrum confirmari in illo charitatem, quae jam ante inerat, et quae illi non perierat. Videtur autem Origenes nomine charitatis intelligere amorem Ecclesiae, id est, societatis fidelium. Tale quid etiam indicat titularis Ambrosius. At vero non dixit Apostolus: *in illo,* quod mendose legitur in quibusdam libris, sed εἰς αὐτὸν, *in illum.* Quare multo rectius alii charitatem intelligunt Corinthiorum erga illum, qui peccaverat. Hortatur autem eos et obsecrat,

ut publico consensu ac decreto firmam ratamque faciant suam erga eum charitatem, recipiendo videlicet eum ad pacem Ecclesiae. Quem sensum exposcit Graecum verbum κυρῶσαι, quod non significat utcumque confirmare, sive (quemadmodum legunt Tertullianus et Pacianus) constituere; sed cum autoritate decernere, et legitime rem transigere, quod uno verbo vocant authenticare. De qua Graeca voce plura legat, qui volet, apud Erasmum in annotationibus.

Obsecrat autem Paulus, et, praecipere cum possit, intercessoris partes apud Corinthios suscipit, quos sciebat animo esse propter id, quod acciderat, exulcerato, ut, dum eos velut judices honorat (quomodo Graeci interpretes loquuntur), mitiores reddat ac promptiores ad exsequendum, quod petit. Alioqui certe, qui praeceperat excommunicandum, praecipere etiam poterat absolvendum, et in communionem recipiendum. Quamquam et hoc satis praecipit in eo, quod verbis sequentibus obedientiam requirit. Neque tamen hoc loco, dum judicium eis defert, plus aliquid illis tribuit, quam debuit. Nam vere Ecclesia Corinthiorum in suis praefectis potestatem habebat judicandi. Qua sicut usa fuerat in excommunicando fornicario, sic et uti potuit in eodem absolvendo; quemadmodum infra declarabitur. Vide etiam, quae diximus ad illud 1 Cor. 5.: *congregatis vobis.* Quidam per hanc charitatis confirmationem proprie significari putant Eucharistiae participationem, ut quae erat symbolum redditae communionis. Sane gratus esset hic commentarius et acceptione dignus, si in Scripturis aut Patribus inveniretur habere fundamentum.

9. *Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Graeca sic habent: *Ad hoc enim et scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, num ad omnia obedientes sitis.* Caeterum loco istius partis: *ut cognoscam probationem vestri,* in textui Ambrosii tantum legitur: *ut probarem.* Idque satis est ad sensum. Nam verba Apostoli non amplius significant. Est enim Hebraismus, cognoscere experimentum seu probationem (ut legit Tertullianus) pro eo, quod est experiri, probare, cognoscere per experientiam. Cujusmodi locutiones sunt: *Timor, quem timebam,* Job. 3. *Concupierunt concupiscentiam,* Psalm. 105.

Quod ait: *scripsi,* plerique de praesenti epistola accipiunt, et ad verba proxime praecedentia referunt, hoc modo: Propterea haec scribo vobis, ut experiar et probem obedientiam vestram in omnibus, id est, tam in officio charitatis ad recipiendum fratrem correctum, quam in severitate disciplinae, qua eum e vestro consortio ejecistis; aut breviter: Ut videam, utrum, sicut obedistis in eo excommunicando, sic et obediatis in recipiendo. Qui sensus apertus est.

Ad priorem vero epistolam si referas, quod facit Erasmi versio: *Nam et in hoc scripseram,* hic erit sensus: Quod enim scripseram vobis de illo excommunicando, non id feci, ut aut illum infamia, aut vos moerore afficerem, ut nec meae potestatis ostentandae causa, sicut adversarii mei calumniantur; sed inter alia bona hoc spectavi, ut probarem, an vos, filii mei in Christo, per omnia mihi sitis obedientes. Nam si in re tam gravi, qualis est membri a corpore separatio, obedientiam praestitistis, facile collegero, vos etiam in caeteris dicto obedientes fore, ac nominatim in eo, quod nunc a vobis exigo, ut fratrem correctum in gratiam recipiatis, et corpori vestro membrum suum restituatis. Quod utique multo lubentius a vobis fieri debeat, quum sit per se magnopere desiderandum. Hic sensus mihi germanior videtur.

10. *Cui autem aliquid donastis, et ego. Donastis,* Graece χαρίζεσθε, *donatis* seu *condonatis.* Annuit textus Syriacus, et vetusti quidam Latini codices, una cum concordantiis. Tertullianus legit: *donaveritis,* eoque modo Primasius interpretatur. Nam videtur Apostolus uti verbo praesentis temporis cum extensione ad futurum, ut sensus sit: Ego me in eo,

quod facere vos hortor, non sejungo; sed sicut in priori epistola ad excommunicandum me vobis conjunxi, illis scilicet verbis: *Congregatis vobis et meo spiritu;* ita nunc quoque me vobis adjungo, et quod, me hortante, feceritis, ipse etiam me facere declaro. Aut generaliori sensu: Vobis aliquid alicui condonantibus, ego etiam condono. Quomodo dicat eos donare, postea dicemus. Sensus autem iste generalior satis convenit cum eo, quod sequitur:

Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi. Graece: *Nam et ego si quid donavi, cui donavi, propter vos,* etc. Veteres Latini fere tantum legunt alteram partem; alii: *si quid donavi*, ut Tertullianus et Ambrosiaster; alii: *quod donavi,* ut post Pacianum verus Ambrosius libro 1. de poenit. capit. 6.; alii: *si cui donavi*, ut Augustinus scribens adversus Parmenianum. Graeca videntur ita supplenda: *si quid donavi, et si cui donavi.* Caeterum illud: *in persona Christi*, ἐν προςώπῳ Χριστοῦ, posset aeque verti, si nuda verba ponderes: *in facie Christi.* Quod secutus Erasmus vertit: *in conspectu Christi,* quasi coram Christo, atque in ejus praesentia. Qui sensus etiam in scholiis Graecorum reperitur.

At sciendum est, in Scripturis sacris hoc, quod Latine saepenumero legitur: *in conspectu,* et *coram,* Graece nusquam scribi, quomodo hic legitur; ἐν προςώπῳ, *in facie;* sed id significari quibusdam adverbiis, ut ita dicam, praesentialibus; cujusmodi sunt: ἐνάντιον, ἐνάντι, ἀπέναντι, ἐνώπιον, ut Psalm. 37. et Psalm. 50. semel et iterum, Joann. 20., Actor. 3. 4. 7., et alibi passim in utriusque testamenti libris. Nec ipse Paulus aliter, ut Rom. 12. et 14., 1 Cor. 1., Eph. 1. et hoc ipso cap. in fine, cum ait: *Coram Deo, in Christo loquimur,* ac rursum cap. 8.: *coram Domino, coram hominibus.* Si cubi vero utitur Scriptura vocabulo προςώπου ad significandum, quippiam in conspectu alicujus fieri, non dicit: ἐν προςώπῳ, sed locutione Graecis usitata: κατὰ πρόςωπον; ut Eccl. 45., 1 Machab. 1., Luc. 2., Actor. 3., Gal. 2. et hujus epist. cap. 10. semel iterumque; vel certe dicit: εἰς πρόςωπον, ut hujus epist. cap. 8. in fine, et in Graeco Job cap. 1. et 2. Infra quidem in hac eadem epist. cap. 4. legitur ἐν προςώπῳ, ubi nos habemus: *in facie Christi Jesu;* sed illud nec ipse Erasmus vertendum putavit: *in conspectu,* et nos docebimus, admodum bene congruere illi loco, si vertatur: *in persona.* Rursus cap. 5. legitur: ἐν προςώπῳ, ubi Latini: *qui in facie gloriantur;* verum non est sensus: *in conspectu.* Nam nec Erasmus ita vertit. Opponit enim illic Apostolus *in facie* et *in corde.* Non opponuntur autem *in conspectu* et *in corde.* Sed sensus est: Qui gloriantur in his, quae exterius apparent, ex quibus solet vulgus personam aestimare.

Quae cum ita sint, haud satis in Scripturis exercitatum se ostendit Erasmus, quando id, quod hoc loco scripsit Apostolus: ἐν προςώπῳ Χριστοῦ, nullo exemplo vertit: *in conspectu Christi;* cum interpres noster optime id reddidisset: *in persona Christi*, quemadmodum et alii interpretes transtulerunt, tam veteres, quam recentiores, etiam illi, qui Graecos commentarios fecerunt Latinos. Hoc autem: *in persona Christi,* non est aliud, quam nomine, vice et autoritate Christi, cujus scilicet personam Paulus gerebat; ut, sicut *in nomine Domini Jesu Christi* tradiderat hominem Satanae, quemadmodum dicit in priori epist. cap. 5., sic in ejusdem Christi nomine ac persona nunc eum absolveret.

Ita non solum legunt hunc locum, sed et disertis verbis exponunt veteres Latini commentatores ad unum omnes. Qui et pro confirmatione sui commentarii proferunt illa Christi verba ad Apostolos dicta, Matth. 18.: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Nec ab his Graeci tractatores dissentiunt. Non enim illi simpliciter interpretantur, Apostolum donare in conspectu Christi, aut coram Christo; sed sic, ut Christus id ratum habeat, tamquam quod ipsius vice

geritur. Theodoreti verba sunt: *Hoc, inquit Apostolus, facio, tamquam intuente Christo, et, quod fit, gratum habente.*

Theophylactus quoque Paulum haec dicentem facit: *Coram Christo*, id est, *illo hoc jubente, ac veluti ejus loco exsistens, dimisi,* ut quidem habet Loniceri interpretatio. Nam in Graeco significantius legitur, καὶ ὡς ἀντιπρόςωπος ὢν ἐκείνου, *ac velut illius personam referens.* Chrysostomus vero, quaerens, quid sit *in persona Christi?* cum respondisset, aut: *secundum Deum, aut ad Christi gloriam*, adjecit et tertium: *aut tamquam Christo hoc etiam imperante.* Quae eadem verba suis etiam scholiis Oecumenius inseruit.

Nos igitur sensum reddamus verborum Apostoli: Nam et ego, inquit, si cui vestrum in grave aliquod delictum prolapso ac poenitenti condonationem aliquam fecerim, id feci ac facio vestri causa, hoc est, pro publica salute et utilitate vestrae Ecclesiae; ne scilicet illa detrimentum capiat; feci, inquam, et facio, tamquam delegatus Christi minister, cujus ea in re personam refero.

Utitur autem verbo praeteriti temporis: *donavi,* vel (ut quibusdam placet) quia jam apud se statuerat hanc condonationem facere; quemadmodum et prius excommunicationem decreverat, quam excommunicaret, dicens: *Jam judicavi, ut praesens eum, qui sic operatus est,* etc. 1 Cor. 5.; vel secundum Cajetanum, quia aliis adhuc aliquando condonaverat; vel potius, quia generaliter loqui intendit de condonatione, seu facta, seu facienda, ut *donavi* positum sit pro donaverim, condonaverim, condonationem fecerim, sicut jam a nobis expositum est. Dicit enim indefinite: *Si quid donavi,* et *si cui donavi.* Sic autem loquitur, ut in se ipso generale proponat exemplum omnibus Ecclesiae praelatis imitandum, quo sciant, in ligandis aut solvendis subditis agere se debere, non ut dominos, sed ut Christi ministros, totum, quod agunt, referentes ad salutem publicam et Christi gloriam, cujus personam gerunt.

11. *Ut non circumveniamur a Satana.* Explicat id, quod dixit: *propter vos;* idque mutata secunda persona in primam, modestiae causa, ne se ipsum videatur excludere. Graecum verbum πλεονεκτεῖν, quod noster interpres et hoc loco, et iterum cap. 7. et bis cap. 12. vertit: *circumvenire,* proprie significat plus justo possidere, occupare, quod tuum non sit. Unde Pacianus et Augustinus et commentator Ambrosii legunt: *ne possideamur,* et Erasmus vertendum putavit: *ne occupemur;* ut sensus sit, condonationem faciendam esse tum fratri, propter quem haec scribuntur, tum aliis similiter a lapsu poenitentibus, ne adversarius noster diabolus, occasione nostrae nimiae severitatis, illos nobis eripiat et in suam possessionem vendicet, quod futurum sit publicum Ecclesiae damnum, quia omnes invicem membra sumus. Verum quoniam, qui aliena appetunt, etiam fraudulenti et interdum violenti esse solent, ideo verbum illud capitur aliquando pro fraudare, circumvenire; item pro extorquere, ac rapaciter agere.

Quare secundum nostram versionem, quae magis convenit primae personae pluralis numeri, sensus erit: Ne specie boni decipiat nos Satanas, et contingat nobis malum, quod jam dictum est. Utrumque sensum complexa sunt Graecorum commentaria, nominatim Chrysostomi, qui Graeci vocabuli πλεονεξίας significationem perurget, et, quam vere diabolo conveniat, ostendit. Utrique sensui potest etiam aptari, quod Ambrosius, huc respiciens, brevissime dixit, cavendum nobis esse, *ne remedium nostrum fiat ejus* (id est Satanae) *triumphus,* lib. 1. de poenit., cap. ult.

Non enim ignoramus cogitationes ejus. Cogitationes, Graece νοήματα, pro quo textus Ambrosii habet *astutias,* Sedulii *versutias,* ex S. Ambrosii loco jam dicto. Tertullianus legit: *injectiones,* ut subaudias laqueorum, quasi dicat: *illaqueationes.* Augustinus *mentes* legit, adversus Parmen. scribens, et in epist. 239. et 240. Sic enim et noster interpres can-

dem vocem transtulit infra cap. 4, 4. Et quidem vox Graeca generaliter *cogitationes* significat, quemadmodum et Erasmus et alii plures verterunt; sed interdum contrahitur ad significandum cogitationes ingeniosas, vafras et ad fallendum compositas, dum quis aliud praetendit, aliud intendit. Quam significationem expresserunt aliae versiones supra dictae, excepta ea, quae est apud Augustinum, quae praesenti loco minus quadrat. Nam ceterae diaboli, serpentis antiqui, ingenium declarant, quod est sub specie boni persuadere, quod malum est. Hac enim arte Hevam, primam parentem, aggressus est atque seduxit, Genes. 3. Est et illud obiter notandum, non sine allusione dictum a Paulo: νοήματα ἀγνοοῦμεν, ac si Latine dicas: *Scientias nescimus*, aut *cogitationum incogitantes sumus.*

Igitur Apostolus: Dico, inquit, *ne circumveniamur a Satana;* neque enim ignoramus cogitationes et artes et studia diaboli, tum in genere semper in nostram perniciem intenta, tum speciatim istud, quo per occasionem disciplinae nostrae severioris in illum, qui peccavit, aliosve similes, tentet eos impellere in barathrum desperationis. Quod de illo incesto significabant illa superiora verba: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Hanc artem Satanae pluribus explicatam vide apud Augustinum libro 3. epistol. cont. Parmen. capit. 1. et 2. Certe quod hic in illo uno frustra tentavit diabolus, Paulo nimirum prudenter obsistente et cogitationes ejus eludente, id multo post iterum in Ecclesia tentavit majore cum successu, quando suscitavit haeresin Novatianorum, qui praetextu disciplinae ecclesiasticae lapsis ad Ecclesiam reditum per poenitentiam negarunt; ex qua re multarum animarum secutus est interitus.

Porro non sentit Apostolus, omnes diaboli cogitationes in particulari notas esse vel sibi, vel aliis. Id enim Deo proprium est, ut qui solus est cordium scrutator. Sed hoc est, quod dicit, cogitationes diaboli jam memoratas non posse latere fideles spirituales, cum ex Scripturis sacris didicerint, quanta sit illius astutia cum extrema malitia ac nocendi studio conjuncta. Hactenus egit Apostolus de fornicario excommunicato et poenitente in gratiam recipiendo.

Est autem totus hic locus bene notandus ac diligenter expendendus propter hujus saeculi sectarios, qui omnes, principe Luthero, negant, esse in Ecclesia potestatem indulgentias, quas vocamus, conferendi. Nam hic multa summatim indicantur ad indulgentiarum doctrinam pertinentia.

Primum est ipsa potestas relaxandi poenam temporalem ei, qui pro peccato poenitentiam agit, adhuc restantem; quae quidem est potestas conferendi indulgentias. Haec manifeste significatur, cum dicitur: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio haec, ita, ut e contrario magis donetis;* et iterum: *Cui autem aliquid donatis, et ego; nam et ego quod donavi,* etc. Quem locum adducens Pacianus in epistola saepe dicta, qua contra Novatianos disserit: *Vides,* inquit, *Apostoli indulgentiam proprias etiam sententias temperantem.*

Secundum est, quod illa potestate utantur Ecclesiae praefecti tamquam Christi ministri, a quo eam potestatem acceperunt, et cujus vice eam exercent. Hoc enim est, quod ait: *In persona Christi*, quemadmodum satis est supra declaratum. Unde et Ambrosius lib. 1. de poenit. cap. 6., de hac eadem re contra Novatianum agens, ostendit, Paulum in eo, quod donare se dicit, quoniam expresse adjecit: *in persona Christi,* jus a Domino acceptum sibi vendicasse, non indebitum usurpasse. Nec obstat, quod Apostolus, generatim Corinthios fideles alloquens, dicit: *Ut e contrario magis donetis,* et: *Cui aliquid donatis,* quasi ista potestas sit omnium, et non ad solos pertineat Ecclesiae praefectos. Nam intelligi potest, non omnibus illud scribi, sed solis presbyteris ac praefectis Ecclesiae, sive, quod eodem recidit, ipsi Ecclesiae in suis praefectis. Constat enim, ea, quae passim in suis epistolis Apostoli

praecipiunt, non omnia ad omnes pertinere; sed alia ad alios, ut ad parentes, filios, viros, mulieres, dominos, servos. Sic nimirum alia sunt, quae ad praefectos Ecclesiae cujusque praecepta dirigantur, alia, quae ad caeteros fideles.

Vel aliter, ac rectius fortasse dici potest: velle quidem Paulum illis verbis omnes, ad quos scribit, comprehendere; qui tamen non omnes condonent eodem ac simili modo. Nam praefecti id faciunt potestate, quam promittunt illa verba Christi: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo,* Matth. 18. Caeteri vero fideles una cum praefectis condonant et solvunt consensu, desiderio, commiseratione et precibus ad Deum fusis pro fratre peccatore; sicut omnes aliquo modo remittimus fratrum peccata, qui ex animo dicimus illud in oratione quotidiana: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* quemadmodum testatur Augustinus tract. 58. super Joann., juxta quem sensum idem Augustinus, disputans adversus Donatistas, saepe dicit, pacem, charitatem, unitatem Ecclesiae solvere ac dimittere peccata, et per gemitus columbae, id est, per orationes sanctorum, remissionem peccatorum dari. Loca sunt lib. 3. de baptismo, cap. 17. et 18., et lib. 5. cap. 21., et lib. 6. cap. 4.; item tract. 121. super Joann. et alibi. Sic et Ambrosius, exponens illud Lucae 19.: *Solvite eum et adducite: Solvit eum,* inquit, *manus Apostolica; talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis et tu, ut possis ligatos solvere.* Nec alio sensu dictum est a Theophylacto, tractante verba Domini: *Quaecumque solveritis* etc., *non solum, quae solvunt sacerdotes, esse soluta; sed quaecumque et nos injuria affecti vel ligamus, vel solvimus, et ipsa esse ligata vel soluta.*

Ad hunc autem modum, et quidem multo perfectius, etiam sancti cum Christo regnantes solvere nos a peccatis dicuntur, scilicet intercessione et merito. Quod plane sonant invocationes illae in hymnis Ecclesiae; ut ad Dei matrem: *Solve vincla reis,* et iterum: *Nos, culpis solutos, mites fac et castos;* et ad Domini praecursorem: *Solve polluti labii reatum;* et ad Apostolos: *Nos a peccatis omnibus solvite jussu, quaesumus;* et ad martyrem: *Nos solve vinclis saeculi.* Dicuntur autem Apostoli jussu solvere, propter impetrandi certitudinem, simul cum allusione ad potestatem, quam in terris habuerunt.

Hunc igitur modum solvendi et condonandi, piis omnibus communem, comprehendi putamus sub illis verbis, quibus Corinthios ad condonationem fratri lapso faciendam Apostolus hortatur, admonens, ut et consolationis officium ei impendant, et suam in eum charitatem confirment, ad quam pertinet in primis, ut pro fratre preces offerant Deo. Quo respiciens Ambrosius ita scribit lib. 1. de poenitentia, cap. ultimo: *Si satis ad condemnationem est objurgatio, quae fit a pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio, quae fit a pluribus.* Omnes autem intelligi, statim declarat, dicens: *Nec solum donavit ipse, sed voluit etiam omnes donare.*

Porro tertium est, quod illa poenae relaxatio non tantum sit moderatio quaedam rigoris ecclesiasticae disciplinae, sicut quidam errantes opinati sunt; verum etiam valeat in judicio divino ad remissionem poenae alioqui in futuro saeculo persolvendae; valeat, inquam, perinde, atque si Christus ipse hujusmodi condonationem faceret; quemadmodum et facit re vera per suum ministerium, cui id faciendi potestatem dedit. Quod rursus illa verba significant, quibus affirmat Apostolus, se donare *in persona Christi,* hoc est (ut eam partem ex veterum commentariis atque ex ipsa forma locutionis interpretati sumus), tamquam Christi vicarium, et Christo factum ipsius ratum ac gratum habente, velut a se factum esset. Ac sane, nisi coram Deo judice valuissent per Apostolum Paulum factae condonationes, tam huic fornicario, quam aliis lapsis, fefellisset ille miseros homines, quibus hujus saeculi poenam remitteret, pro qua longe gravior illis esset in altero saeculo

poena luenda. Quod absit, ut de eo suspicemur.

Quartum est causa seu ratio dandae indulgentiae, sive ex parte poenitentis, sive ex parte Ecclesiae. Ex parte quidem poenitentis apertissime significatur causa, cum dicitur: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Debet enim provideri, ne poenitens, in desperationem actus, ad deteriora se convertat, et in nostra severitate *pereat infirmus frater, pro quo Christus mortuus est;* ut alibi in re simili loquitur Apostolus, Rom. 14. et 1 Corinth. 8. Ex parte Ecclesiae causa redditur in eo, quod dicitur: *propter vos,* id est, propter Ecclesiae vestrae publicam utilitatem. Sed et cum additur: *ut non circumveniamur a Satana,* ratio faciendae condonationis indicatur, vel ex parte poenitentis, vel ex parte Ecclesiae, juxta diversas illius loci interpretationes a nobis allatas.

Quintum est, quod bona pars satisfactionis a poenitente debeat esse expleta ad hoc, ut reliquum ei condonetur. Id enim est, quod ait Apostolus: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio haec.* Nam eam objurgationem non levem fuisse declarat metus Apostoli dicentis: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Exigunt illud ipsum veteres Ecclesiae canones, qui de ea re exstant complures; exigunt autem propterea, ne per indulgentiam enervetur ecclesiastica disciplina, quodque deterius est, ipsa poenitentium satisfactio, quae legis divinae est, evertatur ac pessum eat. Quas ob causas etiam B. Cyprianus epist. 11., quae est ad martyres et confessores in carcere constitutos, serio monet eos ac rogat, ut non alios, quam *quorum poenitentiam satisfactioni proximam,* id est, propinquam, *conspexerint,* libellis suis ad plenam delictorum indulgentiam episcopo commendent.

Sed quaeret ad extremum aliquis, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potius intelligenda veniat absolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel a peccatis in sacramento poenitentiae. Siquidem utraque absolutione poenitens ille egebat. Respondeo, tam verba, quam contextum Apostoli plane respuere ejusmodi intellectum. Nam primum relaxatio vinculi excommunicationis neque in Scriptura sacra, neque apud Patres usquam condonatio vel indulgentia vocatur; obstante videlicet ipsarum vocum proprietate. Deinde, quod ait: *Cui aliquid,* hoc est, aliquam partem *donatis,* aeque in absolutione excommunicati locum non habet, ut nec in ea, qua poenitens a culpa absolvitur.

Fit autem illud, dum per indulgentiam matris Ecclesiae post aliquantam satisfactionem poenitentibus relaxatur ac remittitur, quod reliquum erat poenae debitae. Quam poenae relaxationem manifestius etiam declarat illud praecedens: *sufficit illi;* quasi dicat: Satis jam poenarum dedit; reliquum ei condonetur. Hoc enim est, quod sequitur: *ita, ut e contrario magis donetis;* velut si, sonte quopiam per sententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato, post tricesimam plagam dicat judex: Sufficit, aut, satis est; non quod sententiae sit satisfactum, sed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratiose remittens. In quem sensum Chrysostomus et Theophylactus ea Pauli verba diserte sunt interpretati. Et haec quidem duntaxat occasione praesentis loci Paulini de indulgentiis poenitentium dicta sint. Nam de toto hoc indulgentiarum argumento sententiam Ecclesiae catholicae plenius explicare conati sumus in scriptis super 4. sent. dist. 20.

12. *Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi.* Graece: *in* vel *ad Evangelium Christi,* subaudi: praedicandum seu propagandum, ut exponunt Graeci. Troas eadem est, quae quondam Ilium et Troja vocabatur, urbs Asiae celeberrima, post decennale bellum a Graecis eversa; quae postmodum et Antigonia, et Alexandria dicta fuit. Ejusdem rursum meminit Apostolus 2 Timoth. 4. Est, qui Troadem interpretetur ipsam regionem, in qua Troja fuit, id est, Phry-

giam minorem, quam constat etiam Troada vocari. Sed si consulantur alia loca Scripturae citata et citanda, in quibus fit mentio Troadis, facile apparebit, non regionem, sed urbem eo vocabulo tam a Paulo, quam a Luca designari.

Porro notandum est, hunc Pauli ad Troadem accessum, qui fuit a Luca praetermissus, esse medium inter primum, de quo Lucas Actor. 16., et tertium, quem describit Actor. 20. Contigit autem post Pauli discessum a Epheso, quando, sicut dicitur Actor. 20. sub initium, *profectus est, ut iret in Macedoniam.* Nam et hic paulo post testatur Apostolus, se, Troade relicta, in Macedoniam profectum fuisse.

Sed quorsum spectet haec Pauli narratio, quidve ad ejus institutum faciat, haud plane liquet. Plerique putant, eum hic alteram adferre causam dilati sui adventus, scilicet ex fructu Evangelii, quem alibi faciebat, et amplius facturum se sperabat; ne videlicet tam insigne bonum per suam ad Corinthios acceleratam profectionem impediretur. Alii aliam rationem adducunt interpositae hujus narrationis. Verum quia pendet hujus rei cognitio ex intellectu sequentium, ubi dolorem suum commemorat Apostolus de Tito non invento, propterea nos istius difficultatis explicationem illuc rejicimus. Tractat totum hunc locum usque ad finem capitis, Hieronymus in epist. 150., quae est ad Hedib., quaest. 11.

Et ostium mihi apertum esset in Domino. Hoc est, exponente Hieronymo: *Cumque plurimi credidissent, sive per signa atque virtutes, quae in me operabatur Deus, spes esset nascentis fidei, et in Domino succrescentis.* Sic enim locum Hieronymi lego ex priori editione, et ex Hervaeo verba Hieronymi referente; remota videlicet copula, *et spes esset nascentis,* quae sensum reddebat imperfectum. Particulam: *in Domino* nullus Graecorum exponit, ut videantur, nescio quo casu, non legisse. Nam et in textu Theophylacti praetermittitur. Hodie tamen et in Syriaco legitur, et in omnibus Graecis. Potest autem bifariam exponi, vel ut sit idem, quod in Christi Domini negotio; tamquam sentiat Apostolus, ostium Troade sibi apertum fuisse ad Evangelium Christi praedicandum, fidemque propagandam; vel: *in Domino,* id est (ut alii tum ex Graeco, tum ex Syriaco vertunt), *per Dominum,* quod est: Domino operante; quemadmodum videtur etiam Hieronymus intellexisse. Quem sensum inter alios secutus S. Thomas ostendit, etiam ipsius ostii apertionem (sive per eam credendi facilitas, sive praeparatio animorum intelligatur) adscribendam esse potentiae divinae, cum ait: *In Domino, quia ipsa praeparatio mentis humanae est ex virtute divina. Nam licet facilitas, qua mentes praeparantur, sit causa conversionis; tamen ipsius facilitatis et praeparationis causa est Deus.* Sic ille. In eundem sensum Primasius et Sedulius ostium Paulo apertum in Domino interpretantur: *quia corda eorum aperuit Deus, quibus ille praedicabat.* De metaphora ostii aperti vide etiam, quae diximus ad locum similem 1 Cor. 16, 9.

13. *Non habui requiem spiritui meo. Requiem,* Graece ἄνεσιν, *remissionem, relaxationem.* Et pro tertio casu *spiritui meo,* πνεύματί μου, sextum alii reddunt, quo Graeci carent, *spiritu meo.* Nam quietus aut inquietus spiritu quis dicitur, non spiritui. In textu Ambrosii juxta quaedam exemplaria, necnon apud Haimonem legitur: *in spiritu meo.* Sensus autem est: Animo non conquievi, *quoniam,* ut ait Hieronymus, *speratam consolationem invenire non potui.* Cujus rationem Apostolus subjungit:

Eo quod non invenerim Titum fratrem meum. Titum, quem in epist. ad eum scripta filium appellat, tamquam in fide Christiana discipulum, hic fratrem suum vocat, id est, in Evangelio praedicando adjutorem et socium; eadem scilicet ratione, qua Timotheum initio hujus epistolae fratrem ab eo nominatum diximus. Quaerit Hieronymus, quae causa fuerit, cur Apostolus absentiam Titi tam moleste tulerit; ac respondet, *Paulum,*

etsi virum doctissimum et eruditum ad pedes Gamalielis, et scientia sanctarum Scripturarum instructum, quique diversarum linguarum gratiam possideret, divinorum sensuum majestatem non potuisse digno Graeci eloquii sermone explicare. Habebat ergo, inquit, *Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum;* et post pauca: *Ergo et Paulus Apostolus contristatur, quia praedicationis suae in praesentia fistulam organumque, per quod Christo caneret, non invenerat.* Haec Hieronymus.

At quae causa coegit principes Apostolos Petrum et Paulum ad evangelizandum uti interprete? cum ille donum omnium linguarum in die Pentecostes accepisset, hic vero de se gloriatus fuerit in priore ad Corinthios epistola cap. 14., dicens: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum (magis) lingua loquor.* Ad hanc dubitationem variae sunt responsiones. Quarum una est, Apostolos, etsi dono linguarum praeditos, non tamen eo semper et pro arbitrio uti potuisse, quomodo quis utitur lingua, quam didicit; sed tunc solum, quando ad loquendum linguis a Spiritu sancto moveri se sentiebant; quemadmodum et accidebat eis in dono prophetandi et miracula faciendi. Haec sententia multis non probatur eo, quod existiment, linguarum donum in Apostolis fuisse, non ut actum transeuntem, uti fuit in aliis fidelibus, saltem illis, qui, quae lingua peregrina loquebantur, interpretari non poterant, de quibus agit Paulus 1 Cor. 14.; sed ut habitum permanentem, more aliarum scientiarum, propterea quod donum illud eis attributum fuerit, ut Evangelium Christi toto orbe terrarum praedicarent; quod sine prompta linguarum notitia difficillimum eis fuisset.

Alii proinde respondent, Paulum (idemque de Petro judicium), licet Graece nosset ac loqueretur, sive ex dono, sive etiam ex institutione (nam Graece non solum scripsit, sed et locutus est, Actor. 21. et alibi), quia tamen Hebraeus erat gente ac lingua, non potuisse perfectam Graecae linguae pronuntiationem assequi; ideoque Titum, cui Graeca lingua nativa erat, interpretem et oratorem (quo uti solitus) desiderasse. Nec id mirum de Paulo, quando et Josephus historicus, Graece scribendi doctissimus, de se ipso fatetur in calce voluminis antiquitatum Judaicarum, exquisitam Graecae linguae pronuntiandae facultatem *per patriam consuetudinem* assequi se non potuisse. Haec ipsius Hieronymi videtur esse sententia, cum dicit, ideo Paulum usum interprete, quod non posset divinorum sensuum majestatem digno sermone Graeci eloquii explicare.

Eandem sententiam verbis Hieronymi refert Hervaeus; meminerunt et alii, non ita tamen, ut omnino probent. Cum enim Apostoli linguarum scientiam divino miraculo fuerint assecuti, nec imperfecta sint Dei dona, censent, eos pari facilitate Graecam linguam, qua Hebraeam, pronuntiasse. Qua ratione etiam S. Thomas illam responsionem refellit ac rejicit. Quae tamen istorum opinio quatenus valeat, intelligi potest ex iis, quae diximus ad locum memoratum 1 Cor. 14.: *Gratias ago Deo meo* etc., idque ex mente S. Thomae in summa Theologica. *Licet enim Apostolus* (ait Liranus) *omnes linguas sciret loqui, tamen magis facundus erat in Hebraea.* Quod et sentiunt, qui dicunt, idcirca plus eloquentiae elucere in epist. ad Hebraeos, quam in caeteris Pauli epistolis, quod eam Hebraice scripserit.

Ut ergo demus, Apostolos pari facilitate potuisse pronuntiare linguas peregrinas, qua domesticam, id est, Hebraeam; non tamen eas sonabant pari nitore sermonis et eloquentia. Quamquam ita perfecte loquebantur ad intelligentiam auditorum, ut verborum suorum ac sententiarum interprete non egerent; quemadmodum nec indiguit Paulus, quando apud Felicem et Festum, praesides Romanos, ipse pro se loqui jussus, causam suam egit, Actor. 24. 25. et 26.

Dicunt ergo nonnulli, quorum sententiam probat Cardinalis Baronius in anna-

libus ad ann. Dom. 45., Paulum ac caeteros Apostolos in Evangelio praedicando duas ob causas sibi interpretes adhibuisse. Primum, ut, quando alicui genti concionabantur lingua genti propria, velut Romanis Latina, Graecis Graeca, tum, si qui forte adessent diversae nationis ac linguae homines, eam linguam non intelligentes, iis satisfacerent interpretes, ipsorum lingua reddentes ea, quae ab Apostolis dicta essent. Deinde volunt, interpretes Apostolis necessarios fuisse, qui ea, quae sublimia et captu difficilia ab illis inter concionandum dicebantur, auditoribus elucidarent.

At profecto nec hae causae rem diligenter expendenti satis, opinor, idoneae videbuntur, vel ad explicandum hunc locum, vel ad usum interpretis declarandum. Nam quod ad priorem causam attinet, ea certe praesenti loco nequit accomodari. Nam Graeca lingua, qua utebantur regiones Asiae et Macedoniae, quibus Paulus praedicabat, adeo communis erat ac passim omnibus nota, ut non sit credibile, Paulum propter absentiam interpretis, qui sermonem ejus aliqua diversa lingua (pauculis forte hominibus) exponeret, ita discruciatum animo fuisse, ut, Troade relicta, abiret in Macedoniam, quaesiturus illic suum interpretem. Et alioqui sane oportuisset, hujusmodi interpretes non unius aut alterius linguae, sed plurium gnaros esse, quo diversarum gentium ac linguarum hominibus, Apostolum praedicantem non intelligentibus, officium interpretationis impenderent.

Sed et altera causa mihi non admodum probabilis videtur. Nam Apostoli, apud multitudinem praedicantes, sermonem suum attemperabant captui multorum, secretiora mysteria servantes in tempus commodum, quo traderent ea capacioribus, atque fide provectioribus. Argumento sunt Apostolorum Petri et Pauli conciones ad plebem, in Actis eorum a Luca descriptae, in quibus prima quaedam rudimenta fidei Christianae proponere contenti, de caeteris, quae nondum ferre posset auditorum infirmitas, reticent, ac ne quidem Christum Deum aperte eloquuntur. Unde Paulus 1 Cor. 2.: *Sapientiam* se loqui dicit *inter perfectos*, et cap. 3.: *Non potui vobis*, inquit, *loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Quod si Christus suis discipulis, quibus dixerat: *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum,* Matth. 13., tamen in illo sermone, quem ultimum ad eos ante passionem habuit, ita loquitur: *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo,* Joann. 16., quanto magis Apostolos sic agere conveniebat cum iis, qui plane rudes erant dogmatum christianae religionis?

His addo: Si Titus fuit Pauli interpres, sive hoc posteriore modo, sive priore, non debuit Paulus eum a se absentem facere, nec ad Corinthios mittere, nec in Creta relinquere; sed jugiter apud se retinere, virum in re tanta sibi necessarium. At nec ordinarium Pauli comitem Titum fuisse, quemadmodum Lucam, usquam legitur; quando nec in Actorum libro fiat ejus ulla mentio. Quae cum ita sint, haud facile defendi posse videtur Hieronymi sententia, qua Paulum propter absentiam Titi tamquam interpretis sui scribit adeo tristem et anxium fuisse.

Quare ab aliis aliae quaeruntur rationes. Graeci expositores in genere dicunt, absentiam Titi, velut egregii multumque necessarii cooperatoris, in causa fuisse, quo minus Apostolus, quod Troade coeperat, in negotio praedicandi Evangelii posset absolvere. Cajetanus autem ingenue confitetur, se non penetrare, nec invenire posse, quid impedimenti attulerit absentia Titi praedicationi Pauli jam paratae, propter quod ille tam fuerit irrequietus, ut, cum ostium sibi apertum esset in Domino, tamen ob Titum non inventum alio discederet. Ambrosiaster rem explicari conatur. Dicit enim, Apostolo, quod solatium Titi deesset, laborem apud Troadenses intolerabilem fuisse. *Quamvis enim*, inquit, *quidam eorum*

aperuerant corda sua ad recipiendum sermonem Dei, tamen impudentia infidelium non minima exsistebat, insurgens in Apostolum zelo credentium. Et haec duo ab uno impleri non poterant, nempe et fideles instruere, et incredulis repugnare. Sic ille. Cujus sententiam etiam Hervaeus approbat, ea, quam priore loco adduxerat ex Hieronymo, posthabita. Accedunt et alii ex Latinis, Haimo, Lombardus, S. Thomas, Liranus, Carthusianus, plerique etiam hoc addentes, quod Titus, si praesens fuisset, institisset praedicationi et conversioni bonorum; Paulus vero, velut, doctior restitisset adversariis.

At vero Primasius hanc adfert causam, cur, Tito non invento, requiem Apostolus non habuerit, quia per Titum, quem Corinthum miserat, exspectabat, ut sibi nuntiaretur, an Corinthii jam se correxissent. Requiem ergo spiritus Pauli non habebat eo, quod Titum non invenisset, scilicet Corintho reversum, ut ejus relatu certior de rebus Corinthiorum fieret. Et haec Apostolus scribit, ait Primasius, *ut intelligant, ipsum omnia propter charitatem fecisse.* Eandem rationem etiam Pelagius et Sedulius tradunt, et inter neotericos Hofmeisterus et Arias Montanus. Attingit quoque Theodoretus.

Sane probabilitatem habet ista ratio non exiguam; tum ex eo, quod alioqui non videtur haec Pauli narratio de Titi praesentia tam cupide desiderata vel satis intelligi posse, vel ad rem institutam pertinere; tum quia, quae de Tito memorat inferius cap. 7. et 8., probe consentiunt cum hujusmodi intellectu praesentis loci; maxime cum ait: *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi,* et quae deinde sequuntur. Juxta hanc igitur rationem ostendit Apostolus ab eo loco: *Cum venissem autem Troadem* etc., sese, quamvis corporis accessu nondum venisset Corinthum, spiritu tamen ac sollicitudine Corinthiis esse praesentem; ut qui non fuerit animo quietus, donec Titum ab illis reversum conveniret, atque ex eo intelligeret, quomodo res illorum sese haberent.

Ergo, quod dicit, tale est: Postquam, Epheso digressus, veni Troadem Evangelii causa, quamvis in ea urbe spes copiosi fructus appareret, adeo tamen rerum vestrarum cura ac sollicitudine tenebar, ut illic non putaverim mihi subsistendum, eo, quod Titus, quem a vobis exspectabam, non advenisset.

Sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Valefaciens eis, Graece: ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *cum valedixissem eis;* Ambrosius: *vale illis facto;* Erasmus: *dimissis illis;* tametsi verbum Graecum non significat simpliciter dimittere aut valedicere, sed mandatis iis, quae volumus; ut solemus dimittere notos et amicos. Utitur eodem verbo Lucas, itidem de Paulo fratribus valedicente loquens, Act. 18, 18. et iterum vers. 21. Utitur etiam Evangelii sui cap. 9., ubi nos Latine legimus: *Permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt.* Itaque sensus est: Sed cum fratres illic morantes, datis mandatis, dimisissem, *profectus sum,* Graece, ἐξῆλθον, *exivi,* id est, abivi, discessi *in Macedoniam;* scilicet Titum illic exspectaturus, et ex eo de vobis aliquid certi cogniturus. Quem invenisse se tandem, eoque referente, laeta de Corinthiis audivisse, testatur infra cap. 7., ubi narrationem, quam hic ambrumpit, repetit ac prosequitur. Sunt, qui putent, Apostolum hic indicare rationem mutati consilii sui de Corinthiis prius visendis, quam iret in Macedoniam. Sed falluntur. Jam enim, antequam Epheso discederet, constitutum habebat, prius in Macedoniam proficisci; quemadmodum patet ex 1 Cor. 16.

Sed cur in eo non peccavit Paulus, quod Titi quaerendi causa abiverit in Macedoniam, Troade relicta, ubi ostium ei apertum erat in Domino, id est, occasio oblata rei evangelicae feliciter procurandae? Nam de Tito necessario interprete responsionem jam pridem exclusimus. Quamquam nec quaerere suum interpretem Paulus debuisset, sed per

nuntium accersere. Jam vero nec inventum adduxit Troadem, perfecturus illic cum eo, quod coeperat; sed, Macedoniae partibus perambulatis, venit in Graeciam. Respondeo, Paulum in Macedoniam profectum fuisse, non recenti consilio, sed jam ante deliberato, priusquam Troadem appelleret; nec mutare consilium debuisse propter occasionem Evangelii apud Troadenses promovendi. Nam urgebat eum profectio Hierosolymitana, quam parabat a Spiritu admonitus, Act. 19, 21., prius tamen Macedoniam et Achaiam transiturus, ut ibidem dicitur; nimirum colligendi subsidii causa, quod ad fratres pauperes Hierosolymam perferret.

Neque tamen idcirco Troadenses dereliquisse putandus est, quibus ut priore accessu, de quo Lucas Actor. 16, 8. et. 9., Christum annuntiaverat, ita postmodum e Graecia reversus eosdem revisit, et post synaxim Dominicam apud eos celebratam, atque sermonem in mediam noctem productum, insigni miraculo mortui resuscitati in fide confirmavit, ut habetur Actor. 20. Sane Troadensium salutem Paulo discedenti curae fuisse, etiam ipse significat hoc loco, dum utitur vocabulo ἀποταξάμενος; ac si diceret: Cum eos, rebus Ecclesiae prius ordinatis ac dispositis, dimisissem. Nec enim dubitandum est, quin, ut alias solet, discedens reliquerit illic aliquem vel aliquos, qui et Ecclesiam regerent, et Evangelio propagando vacarent, ut, quomodo Titum in Creta, et Timotheum Ephesi, ita quempiam, fortasse Carpum, cujus meminit 2 Tim. 4., Troade constituerit episcopum et Evangelii ministrum.

Quod vero quidam annotant, ut Hieronymus ad Hedibiam scribens, Haimo et S. Thomas in comment., item Carthusianus et Hofmeisterus, etsi dubitanter loquentes, hanc Apostoli profectionem e Troade in Macedoniam esse eandem cum illa, quam divino monitu suscepit, de qua Lucas Act. 16. sic loquitur: *Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum, et dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos,* et quae sequuntur: haud dubie falluntur lapsu memoriae. Nondum enim Paulus Corinthiis Evangelium praedicaverat, quando illa visio et profectio contigit, ut ex Actorum historia constat.

Quocirca verius est, hanc profectionem, ut ante diximus, a Luca attingi sub initium cap. 20. Act., ubi scribit, Paulum, Epheso relicta, profectum fuisse, ut iret in Macedoniam. Nam Epheso per Troadem, quae duae civitates Asiae sunt, in Macedoniam fuisse profectum, praesens locus nos docet. Ex quo etiam palam est, hanc epistolam non, ut aliqui putarunt, Troade scriptam esse, sed posteaquam venit in Macedoniam, prout ostendimus in argumento epistolae.

14. *Deo autem gratias.* Graece χάρις, *gratia;* quemadmodum et legit Hieronymus. Subaudi: sit. Infra cap. 7. sic ait: *Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnae, intus timores.* Deinde subjungit de sua consolatione per adventum Titi. Prius ergo, quam venisset Titus, multa passus in Macedonia, sed in omnibus superior ac victor; ecce, gratias agit Deo. *Qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* Nomen *Jesu* Graeci et Syri codices non exprimunt. *Triumphat nos,* dictum putat Hieronymus, *pro eo, quod est: triumphat de nobis, sive triumphum suum agit per nos.* Nam, ut postea subjicit, *triumphus Dei est passio martyrum.* Commentator Ambrosii legit: *triumphat per nos,* et exponens: *Hoc est,* inquit, *Deum per Apostolos triumphare in Christo; victores illos facere in fide Christi; ut, calcata perfidia, trophaeum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, et malevoli non proficiunt in persequendo credentes.* Verum ut Graeci libri constanter habent: θριαμβεύοντι ἡμᾶς, ita Latini caeteri: *qui triumphat nos.* Id vero interpretari: *qui triumphat per nos,* ut fecit Erasmus, textum Ambrosianum imitatus, satis coactum videtur.

Porro Graecorum expositio hujusmodi est: *Qui semper triumphat nos,* id est,


ex victoriis, quas a diabolo et hominibus adversariis reportamus, illustres et conspicuos nos facit, velut publice triumphum agentes. Id ipsum Latini, tam recentiores, quam veteres, praeter duos supra dictos ita breviter: *Triumphat nos,* id est, triumphare nos facit; ac si clare dicat Apostolus: Deo gratias ago, qui nos, id est, me, meosque Evangelii praedicandi socios, in omni pressura et pugna, quae nobis fuit cum adversariis, non solum victores efficit, verum etiam ex victoria reddit gloriosos; idque per Christum, in quo solo vincimus et triumphamus. Videtur autem Apostolus in verbo Graeco hebraizare, dum illud ex neutro transitivum facit, more verborum Hebraicorum, quae in conjugatione Kal neutro, in Hiphil fiunt transitiva, nonnulla etiam in eadem conjugatione nunc activa sunt, nunc neutra. Simile quid habemus in illo versu Psalm. 51.: *Emigrabit te de tabernaculo tuo,* ubi Graece legitur: μεταναστεύσαι σε, *emigret te,* verbo neutro, sed exponendo transitive: emigrare te faciat. Caeterum alibi contrario sensu, sed phrasi Graecis non insueta, dicitur Christus triumphasse principatus et potestates, Col. 2., id est, de daemonibus superatis triumphum egisse, vel eos devictos et captivos in triumpho duxisse.

Et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco. Hoc est, sui notitiam ac famam, velut odorem quendam, spargit quaquaversum per me et socios laboris mei in Evangelio, dum non modo praedicamus Christum apud omnes, sed etiam persecutionibus et pressuris quasi pistillis conterimur, ut odor notitiae Dei, id est, famae ejus, a nobis quam longissime diffundatur. Res enim odoriferae si conterantur, ut vehementius olent, ita longius odorem spargunt. Potest enim verti: *notitiae ejus*, scilicet Christi, si αὐτοῦ scribas cum leni spiritu. Christus enim est, cui dicitur: *Oleum effusum nomen tuum,* et: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum,* Cant. 1. Unde et de Christi odore sequitur:

15. *Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt.* *Bonus odor*, uno vocabulo Graece est εὐωδία; quasi dicas: beneolentia. Videtur Apostolus se suosque cooperatores bonum odorem vocare causaliter, ut qui de se bonum odorem emittant. Jam enim Dei seu Christi notitiam odorem vocaverat per Apostolos manifestatum. Idque vult ista Hieronymi expositio: *Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo, et praedicationis nostrae longe lateque spirat fragrantia;* sensus igitur est: Quamvis enim fidem Christi non omnes recipiant, nos tamen, instar fragrantis cujusdam unguenti, seu florum aut herbarum, famam nominis ejus, velut bonum ac suavem odorem, Deoque gratissimum (est enim allusio ad odorem thymiamatis incensi) spargimus apud omnes; non eos solum, qui credunt et salvi fiunt; verum etiam, qui credere nolentes pereunt.

Non simpliciter odorem, sed bonum odorem Christi se suosque collegas vocat, id est, Silvanum et Timotheum, quos supra nominavit capit. 1., item Titum et Lucam, et si quos habebat his similes Evangelii praedicandi socios, quia non quoquo modo, Christum praedicabant, sed, uti statim post indicat, cum sinceritate et integritate conversationis. Quod qui non faciunt, sed inquinatis moribus bonam doctrinam conspurcant, hi plerumque foetere faciunt odorem ejus apud homines.

Partem hanc: *in iis, qui pereunt,* quidam specialiter referunt ad detractores et aemulos Apostoli Pauli, quibus bona ejus doctrina et doctrinae successus per invidiam vertebatur in perniciem; contra quos agit in sequentibus hujus epist., ac rursus ad Philipp. cap. 2. Consimiliter autem, et illos, qui salvi fiunt, interpretantur eos, qui Paulum diligebant ut fidelem ac sincerum Evangelii dispensatorem, gaudentes de successu ministerii ejus. Ita S. Augustinus tract. 50. super Joann. et aliis locis a Beda collectis, quem sequuntur Primasius, Glossator, Hugo Victorinus, Lombardus et alii nonnulli.



Verum magis placet sensus generalis, quem et Graeci tradunt, et complures Latini, quem nec Augustinus excludit; ut priore membro comprehendantur, quicumque credebant Evangelio per Apostolos praedicato; posteriore, qui non credebant. Est, qui partem illam: *et in iis, qui pereunt,* supplendam putet per contrarium hoc modo: Et malus odor sumus in iis, qui pereunt. Sed absit, ut fateamur, bonos Christi ministros esse aut spargere malum odorem Deo propter malitiam eorum, qui non credunt. Notum est autem, bonum odorem aliis esse salutarem, aliis lethalem. Hoc enim est, quod sequitur:

16. *Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitae in vitam.* Clarius ita reddas: *His quidem odor mortis ad mortem; illis autem odor vitae ad vitam.* Unum exemplar Graecum apud Robertum Stephanum, addita in utroque membro praepositione ἐκ, ita legit: *Ex morte in mortem; de vita in vitam.* Sed adjectitiam esse praepositionem, plane existimo. Sumus, inquit Apostolus, iis, qui pereunt, id est, reprobis, odor lethalis, mortem aeternam illis adferens, iis autem, qui salvi fiunt, id est, electis, odor vitalis, utpote vitam aeternam illis adferens.

Rursum causaliter odorem se vocat, quatenus sua praedicatione famam nominis Christi tamquam bonum odorem late dispergebat. Qui odor malis ac reprobis lethalis erat, non suo, sed illorum vitio, propterea quod occasione Evangelii sibi praedicati, dum credere nolunt, gravius condemnantur; quum odor ille secundum se semper bonus sit, etiam tunc, quando quibusdam est odor mortis ad mortem. Sic enim et fragrantia boni unguenti columbam vegetat, scarabaeum necat, ut ait Oecumenius. Sic et lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit; et ignis aurum purgat, stipulas absumit; et ipse Christus aliis *in ruinam,* aliis *in resurrectionem positus est,* Luc. 2. Qua ratione etiam de sacramento corporis et sanguinis Domini canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis.*

Et ad haec quis tam idoneus? Vocula *tam* in Graeco et Syriaco non additur, ut nec in textu Ambrosii et Sedulii. Legitque sine ea passim Augustinus, ut tract. 50. super Joann., et in enarr. Psalmi 7. et aliis locis apud Bedam. Suspicatur Erasmus, interpretem vertisse: *quisnam idoneus?* Certe ratio ostendit, illud *tam* abesse debere, ne sit sententia arrogantior. Legisse tamen Pelagium, arguit hoc ejus glossema: *Ad haec facienda quis potest tam idoneus esse, quam nos, qui ad hoc sumus electi?* Quod idem in suum collectaneum transscripsit Sedulius. Atqui sensus est: Quotusquisque ministrorum Evangelii idoneus est ad haec, quae dico, praestanda? scilicet ut sit bonus odor Christi in omni loco, id est, ut bonam famam Evangelii Christi de se spargat apud omnes. Idoneum intelligit, qui re ipsa talem se praebet. Indicat autem hac interrogatione, perpaucos esse tales, multos vero non tales. Et ab his sese eximit verbis sequentibus:

17. *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei. Plurimi,* Graece πολλοὶ, *multi, plerique.* Nisi quod in tribus codicibus a Roberto notatis legitur λοιποὶ, *caeteri.* Quod nec veritati congruit, nec modestiae Pauli; magisque redolet Pharisaicum illud: *Non sum, sicut caeteri homines,* Luc. 18. Notat autem his verbis Pseudoapostolos, quorum mores expressius describit cap. 11. *Adulterantes,* inquit, *verbum Dei,* Graece: καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id est, *cauponantes verbum,* sive *sermonem Dei. Cauponantes* etiam in antiquis concordantiis lego. Et ad eam lectionem alludunt veteres Latini, Pelagius, Primasius, Sedulius; nec non eos secuti glossator et Lombardus, dum huc citant illud Jesaiae 1. secundum LXX.: *Caupones tui miscent vino aquam.* Estque sane venustior hoc loco metaphora cauponari, quam adulterare.

Potest autem bifariam exponi, vel ut sensus sit: Quaestus et commodi sui gratia

verbum Dei praedicantes, ad quaestum Evangelio abutentes. Quo sermonis tropo Pyrrhus, Epirotarum rex, apud Ennium dixit: *Non cauponantes bellum, sed belligerantes.* Cauponum enim est, omnia ad quaestum vertere. Et hoc attendit, qui interpretatus est: *venundantes,* uti legit Hieronymus juxta priores editiones; pro quo et repetit: *qui venditent verbum Dei,* et exponit: *Qui quaestum putant esse pietatem, et turpis lucri gratia omnia faciunt.*

Vel hoc sensu: Vitiantes verbum Dei sanamque doctrinam permixtione falsitatis. Qua significatione Graecum verbum accepit tam noster interpres, quam ille, cujus textu usus est Ambrosiaster, dum vertit uterque: *adulterantes,* id est, quod sincerum est, corrumpentes. Quod item faciunt caupones vinum aqua miscentes. Hoc autem posterius ex priori fere consequitur. Nam ut caupones lucrandi studio mixta pro meris, et vitiata pro sinceris vendunt; ita qui in Evangelio Christi praedicando, quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi, ad illum finem etiam suam doctrinam libenter inflectunt atque accommodant. Utrumque in cauponandi verbo considerarunt Chrysostomus et ejus sequaces. Et quidem eos, quos hac epistola insectatur Apostolus, utrumque fecisse, constabit ex eorum descriptione, quam nobis tradet cap. 11., ubi non solum eos taxat ut sui lucri gloriaeque studiosos, verum etiam pseudapostolos vocat et Satanae ministros. Rursus autem iidem, ut *adulterantes verbum Dei,* notantur infra cap. 4., verbo quidem Graeco diverso, non tamen diversae significationis; ut illic videbimus.

Sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Sinceritatem opponit cauponationi. Loquitur ergo verbum Dei *ex sinceritate,* vel, ut est in Graeco, *tamquam ex sinceritate,* id est, tamquam sincerus Evangelista, qui neque Dei verbum adulterat admixtione alienae doctrinae neque eo abutitur ad quaestum aut gloriam humanam. Verba Apostoli sic expono: Sed loquimur et annuntiamus verbum Dei sincere, tamquam profectum et acceptum a Deo; loquimur, inquam, *coram Deo,* vel in conspectu Dei, id est, Deum testem ac judicem prae oculis habentes, ideoque Deo, non hominibus placere studentes; denique loquimur illud *in Christo,* id est, per Christum, vel autoritate Christi, cujus sumus ministri. Particula *sed,* secundo repetita, vim orationis intendit. Cujus exemplum luculentius habebimus infra cap. 7, 11.

CAPUT TERTIUM.

Incipimus iterum nosmet ipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis [1])? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus [2]); 3. manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis [3]), sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, 5. non, quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est [4]), 6. qui et idoneos nos fecit [5]) ministros novi testamenti, non littera, sed Spiritu; littera enim occidit [6]), Spiritus autem vivificat [7]).

---

1) Cap. 5, 12. 10, 8. 12. 2) 1 Cor. 9, 1—3. 3) Vers. 7. 4) Phil. 2, 13. 5) 1 Cor. 15, 10. 6) Gal. 3, 10. 7) Rom. 8, 2.

7. Quodsi ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus, quae evacuatur[1]; 8. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9. Nam si ministratio damnationis gloria est[2]), multo magis abundat ministerium justitiae in gloria. 10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim, quod evacuatur[3]), per gloriam est; multo magis, quod manet, in gloria est. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur, 13. et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur; 14. sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur[4]); 15. sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Dominus autem Spiritus est[5]); ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem[6]), tamquam a Domini Spiritu.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Negat Apostolus, aliena commendatione se indigere, cum fructus suae apud Corinthios praedicationis satis ipsum commendet. Ministerii novae legis, qua Spiritus et justitia subministratur, prae ministerio veteris legis, quae fuit littera occidens, excellentiam demonstrat, docetque, Judaeis adhuc velatum esse, quod novi testamenti ministris revelatum est.

1. *Incipimus iterum nosmet ipsos commendare?* Quoniam delapsus fuerat ad commemorationem integritatis ac sinceritatis suae in Apostolico munere exsequendo, ne vel in ea re videatur, quod suum est, quaerere, suaeque gloriae studere, et per hoc imprudenter incurrere in vitium, quod in aliis reprehendebat, suspicionem hujusmodi repellit. Non haec, inquit, dicimus, quo nos ipsos commendemus, ac vestram benevolentiam captemus, commodum aliquod nostrum inde sperantes. Dicit autem: *iterum,* quia in priore epistola passim, ac praecipue cap. 9., multa dixerat, quae ad ipsius commendationem spectare viderentur. Verum illa omnia, sicut et ista, proprie non sui commendandi causa dixit, sed ad utilitatem eorum, quibus scribebat; simul ut in se ipso ostendat, quales esse debeant omnes ministri verbi Dei. Alii sic exponunt: Numquid haec dicimus, tamquam volentes nos vobis et aliis commendare? quasi dicat: Id quidem mihi supervacaneum fuerit; scilicet post tot nostra de vobis merita, per quae et vobis, et aliis satis superque cogniti sumus et commendati. Congruit huic sensui, quod sequitur:

Aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Noster interpres in Graeco legisse videtur: ἢ μὴ, *aut num,* ut habet unum duntaxat exemplar Roberti Stephani, respondetque Syra versio. Caetera legunt: εἰ μὴ, id est, *nisi,* quomodo vertit inter-

[1]) 2 Mos. 34, 29. seq. [2]) Gal. 3, 10. [3]) Gal. 3, 19. [4]) Joann. 5, 39. 46. Rom. 3, 21. Hebr. 8, 8. [5]) Joann. 4, 24. [6]) Rom. 8, 29. seq.

pres Theophylacti; tametsi usurpatur interdum pro *num, numquid,* quod huic loco melius quadrat. Ita textus Ambrosii: *Numquid indigemus,* etc. Erasmus et alii: *Num egemus.* Vocabulum *commendatitiis* Graeca repetunt in fine: *aut ex vobis commendatitiis?* Repetitio non necessaria; quamvis et eam cernere est in Syriaco. Sensus: Num opus habemus litteris commendatitiis, vel ab aliis ad vos, vel a vobis ad alios?

Sicut quidam. Supple: egent, seu potius: faciunt, id est, commendatitias undique studiose conquirunt. Pseudapostolos notat, in quos dicit illud cap. 10.: *Non qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat;* et quorum jactantiam memorat cap. 11. Sese vero ejusmodi commendationibus haudquaquam indigere docet ea ratione, quam subjungit:

2. *Epistola nostra vos estis.* Vos ipsi, inquit, estis epistola nostra, id est, nostri commendatitia; nec praeter vos aliam requiro. Si quidem abunde nos et vobis et aliis commendat fides et vita vestra, quos sic instituimus. *Vos enim* (ut in priore epistola dixit, cap. 9.) *opus meum estis in Domino,* et iterum: *Signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.* Quare quemadmodum opus commendat opificem, et sigillum facit certam fidem rei signatae, ita vos mihi estis loco epistolae commendatitiae, per vosmet ipsos obsignatae.

Scripta in cordibus nostris. Graece ἐγγεγραμμένη, *inscripta;* habet enim emphasim repetita praepositio. Sensus: Eam epistolam, quae vos estis, cordi meo inscriptam et impressam ubique circumfero, et pro mei commendatione exhibeo, quibus volo. Inscriptionem intellige per memoriam et amorem. Locutio similis apud Jesaiam cap. 49.: *In manibus meis descripsi te.*

Quae scitur et legitur ab omnibus hominibus. In Graeco est agnatio vocabulorum: γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη, quasi dicas: *quae cognoscitur et recognoscitur,* id est, *legitur;* Graecis enim ἀναγινώσκειν est legere. Similis erat paronomasia cap. 1, 13. Eam ut hoc loco redderet Erasmus, vertit: *quae intelligitur et legitur,* parum commode. Sic enim praeposterus esset Apostoli sermo, cum prius sit legere litteras, quam intelligere. Nec vero γινώσκειν intelligere significat, sed cognoscere; quemadmodum et habet textus Ambrosii. Cognoscitur autem etiam, quod nondum intelligitur. Itaque sensus est: Quam epistolam omnibus in promptu est inspicere et legere, perinde ut litteras patentes, omniumque oculis expositas. Hoc dicit propter famam fidei Corinthiorum late dispersam.

3. *Manifestati, quod epistola estis Christi. Manifestati* referendum est ad pronomen *vos,* estque praesentis temporis participium in Graeco, mediae significationis: φανερούμενοι, quod Erasmus active vertit: *dum declaratis.* Verum rectius interpres noster passive reddit: *manifestati,* id est, de quibus manifestum est et palam constat, *quod epistola estis Christi,* vel quia scripta a Christo, vel quia Christus in ea scriptus; qui posterior sensus Graecorum est, dum epistolam Christi interpretantur, in qua lex et praecepta Christi, velut inscriptae litterae, maneant ac serventur. At priori sensui, quem Latini tradunt, et quo significatur, Corinthios, quatenus fideles, esse scripturam et opus Christi, melius respondet, quod sequitur:

Ministrata a nobis. Hoc est, nostro ministerio conscripta. Christus, inquit, hujus epistolae principalis est autor, idemque nobis ministris ad eam scribendam usus est. Hinc ait 1 Cor. 4.: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Erasmus dum vertere maluit: *subministrata a nobis,* nec vim Graeci vocabuli διακονηθεῖσα, nec mentem Apostoli satis explicuit. Nam in verbo subministrandi non necessario ministerium intelligitur. Subministrat enim, qui suppeditat ac praebet aliquid, etiamsi minister non sit ejus, cui praebet; quale est subministrare sumptus alicui. Quare nec in paraphrasi suam

hanc versionem idem Erasmus sequendam putavit. Paraphraseos verba sunt: *Sinceritate fidei, vitaque evangelica declaratis, quod sitis epistola Christi, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio.*

Et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi. Et scripta, Graece *inscripta,* sine conjunctione; quemadmodum et Irenaeus legit lib. 5. cap. 13. Abest item conjunctio in Ambrosiano textu atque Syriaco, et apud Augustinum de spir. et lit. cap. 14. et 17. Jam quod interpres *vivi* reddit loco *viventis,* ζῶντος, fere perpetuum illi est. Scripta vero, inquit, non atramento, quales sunt epistolae manibus hominum exaratae; sed virtute Spiritus sancti, *per cujus efficaciam,* uti scribit in hunc locum Cajetanus, *operatur Christus in animo hominis assensum, spem atque dilectionem.* Refert autem Apostolus hanc scriptionem ad Spiritum sanctum ea ratione, qua omnis nostra sanctificatio (quod ad eam naturae vires non attingant) in Spiritum sanctum referri solet. Quem et vocat Spiritum Dei viventis, quia de epistola animata ac vivente loquebatur. Estque allusio ad locum Jeremiae 31., ubi Dominus novum pactum, vetere reprobato, promittens, ita loquitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Eodem pertinent sequentia:

Non in tabulis lapideis. Quomodo nimirum scripta fuit lex vetus, populo Judaico per Mosen data, Exod. 24. 31. et 32. Nam ad eam historiam respicit Apostolus, uti constat ex iis, quae infra dicuntur.

Sed in tabulis cordis carnalibus. Carnalibus, Graece σαρκίναις, *carneis,* ut alii vertunt. Et sensus est: Sed in ipsis cordibus, tamquam tabulis quibusdam, iisque non duris instar lapidis, sed mollibus instar carnis seu cordis humani, id est, facilibus et promptis ad obediendum. Alludit enim ad illam novi testamenti promissionem, quae exstat apud Ezechielem cap. 11., et iterum cap. 36. his verbis: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Quam suam promissionem exponens Dominus, ibidem subjungit: *Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.*

Patet igitur, carnale hic non opponi spirituali, quemadmodum alibi passim in epistolis Apostolicis; sed ei, quod durum est. Nam et in Graeco diversa sunt vocabula, σαρκικὸν *carnale,* quod alibi, et σάρκινον *carneum,* quod hic legitur (uno licet dissentiente codice Complutensi) et in utroque loco Ezechielis, juxta versionem interpretum LXX. Dicitur autem epistola, de qua sermo est, id est ipsi Corinthii fideles, scripta in tabulis cordis carneis, in quantum fides et charitas etc., quae lex nova praecipit, in eorum cordibus impressa erant per Spiritum sanctum. Ex hac Scriptura Pelagianos, qui naturae viribus attribuebant divinae legis observationem, refellit Augustinus variis locis, nominatim lib. de spir. et lit. cap. 17., et de grat. et lib. arb. cap. 14.

4. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum.* Quod dixit: *ministrata a nobis* (quo verbo rei maximae sibi ministerium adscripsit), ne dixisse videatur arrogantius, id nunc totum ad meritum Christi Domini sui, deinde et ad Deum autorem refert. — *Fiduciam,* Graece πεποίθησιν, metonymice posuit pro gloriatione, quae ex fiducia nascitur, uti bene exponit Theophylactus. Sic enim et alibi πεποιθέναι, *confidere,* dixit pro gloriari, ut Rom. 2.: *Confidis, te ipsum esse ducem caecorum,* et hujus epistolae cap. 10.: *Si quis confidit sibi, Christi se esse.* — *Ad Deum,* Graece πρὸς τὸν θεὸν, Erasmus: *erga Deum;* sed melius: *apud Deum.* Quomodo vertit alibi noster interpres, ut Joann. 1, 1., et 2 Rom. 4, 2. et Philipp. 4, 6. Sensus enim est: Quod vos sitis epistola per nos ministrata et a nobis quodammodo scripta, quae proinde nos commendet, de ea re non in nobis, sed in Christo et per Christum gloriamur apud Deum; a quo scilicet ministerii nostri praemium exspectamus. Dicendo namque *ad Deum* sive *apud Deum,* significare voluit veram et

solidam gloriandi materiam, ut quae probetur ac remuneretur in judicio Dei. Sic e contrario dicit Rom. 4.: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

5. *Non, quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Graece: *Non quia idonei sumus a nobis ipsis cogitare aliquid, tamquam ex nobis ipsis.* Est enim in Graeco vox eadem ἱκανοί, quam interpres nunc idoneos, nunc sufficientes vertit. Arausicana synodus et passim Augustinus *idonei* legunt. Et quamvis ἱκανός interdum etiam dignum significet, ut 1 Cor. 15.: *Non sum dignus vocari Apostolus,* et aliis locis, quae nos ibidem annotavimus; huic tamen loco, satis apparet, eam significationem non convenire. Simile est illud 2 Tim. 2.: *Qui idonei* (ἱκανοὶ) *erunt et alios docere,* ubi nemo dixerit vertendum *digni.* Certe et interpretes omnes, quos vidi, locum hunc verterunt aut *sufficientes,* aut *idonei,* et Latini Patres altero tantum horum modorum citasse reperiuntur.

Porro quod habemus: *a nobis* et *ex nobis,* Ambrosiaster utrumque legit: *a nobis;* contra Hieronymus: *ex nobis* et *ex nostro,* lib. 2. dial. adversus Pelag. cap. 3. Sed et Erasmus atque Hentenius utrumque reddiderunt: *ex nobis ipsis.* Verum noster interpres, Graeca secutus, ubi legitur: ἀφ᾽ ἑαυτῶν et ἐξ ἑαυτῶν, praepositionem et ipse variavit. Quamquam quod ad significationem attinet, aut nullam inter illa duo differentiam esse, aut exiguam, videri potest. Id enim indicare voluerunt Patres concilii Tridentini sess. 14. cap. 8., quum, ad hunc locum respicientes, eadem usi sunt praepositione: *Qui ex nobis,* inquiunt, *tamquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus.*

Est autem accipienda Apostoli sententia de cogitatione ejus, *quod attinet ad pietatis viam* (alias *vitam) et verum Dei cultum,* ut exponit Augustinus lib. de dono persever. cap. 13.; sive aliis verbis: *quod ad salutem pertinet vitae aeternae,* ut exponit Arausicanum concilium can. 7.; deque ea cogitatione non qualicumque, sed afficiente voluntatem. Nam bonum aliquid et pium cogitare sola mentis apprehensione, sic ut voluntas rei cogitatae vel apprehensae nullatenus afficiatur, potest homo ex se ipso ac solis naturae viribus; neque ad hujusmodi cogitationem opus habet gratia Dei per Christum. Quamquam illud proprie nec Latinis est cogitare, nec Graecis λογίζεσθαι. Quod quidem verbum non simpliciter significat animo quippiam apprehendere, sed cum deliberato rationis judicio et voluntatis affectu circa rem apprehensam. Sic enim et alias hanc vocem Paulus usurpat, ut Philipp. 4.: *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa,* etc., *haec cogitate.*

Quare qui pro *cogitare* verterunt hoc loco *reputare,* quomodo legit Hieronymus ex aliena, ut existimo, translatione, non satis vim Graecae vocis, ut hic a Paulo sumitur, assecuti sunt; licet ea versio bene conveniat aliis quibusdam locis apud eundem Apostolum, ut infra cap. 5.: *Non reputans illis delicta ipsorum,* et cap. 10. semel et iterum: *Hoc cogitet apud se,* et 1 Cor. 13.: *Charitas non cogitat malum,* juxta sensum illic a nobis probatum. Eadem fere ratio de voce *aestimare,* quae legitur in textu Ambrosiano. Capitur etiam interdum λογίζεσθαι pro suo composito συλλογίζεσθαι, *ratiocinari,* ut eodem cap. 13. prioris ad Cor.: *Cogitabam ut parvulus,* et Marci 11.: *Cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus: De coelo* etc. Quod Lucas cap. 20. per compositum exponit συνελογίσαντο. Sed ea significatio non quadrat huic loco, qui voluntatis affectum praecipue requirit, ut haec Apostoli sententia respondeat cum illa, qua dicit 1 Cor. 12.: *Nemo potest dicere Dominum Jesum,* scilicet ex pio cordis affectu, ut illic expositum est, *nisi in Spiritu sancto.*

Sensus igitur hujus loci est: Gloriamur apud Deum de nostro erga vos ministerio ejusque successu, nihil interim nobis vendicantes, ut qui non valeamus boni quippiam, quod ad rem evangelicam aut

omnino ad pietatem pertineat, ex propriis naturae nostrae viribus vel cogitare, quanto minus agere et exsequi! Addit Apostolus: *quasi ex nobis*, quia cogitamus quidem a nobis vel ex nobis ea, quae bona sunt; id est, mente et ingenio, atque etiam voluntate nostra cogitationem ejusmodi exercemus; sed non quasi ex nobis, quia non ad hoc sufficiunt vires naturae; ut differant quidem: *a nobis*, et: *quasi ex nobis;* non tamen differant: *a nobis* et *ex nobis;* quomodo non differunt: *ex fide* et *per fidem,* Rom. 3, 30., et infra hoc cap. vers. 11.: *per gloriam* et *in gloria.* Si quis tamen hic urgendam putet praepositionis mutationem, reddere poterit hunc sensum: nos non posse cogitare aliquid a nobis, ita ut ex nobis, non ex alio. Quod velle videtur sequens antithetum: *ex Deo.*

Sed sufficientia nostra ex Deo est. Sufficientia, Graece ἱκανότης, *idoneitas.* Sed, inquit, quod idonei sumus ad aliquid boni vel cogitandum, vel agendum, et semel, quidquid boni possumus, id totum ex Deo est per Christum. Nam illud: *per Christum,* jam ante praemiserat. Utitur hoc Apostoli testimonio: *Non quod idonei simus cogitare aliquid* etc., B. Augustinus adversus Pelagianos, quo doceat, nec boni cupiditatem, nec fidem, nec ipsius initium fidei, nec ullius operis boni progressum et perseverantiam, nos ex nobis habere, sed ex Deo. Loca sunt lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8., lib. de praedest. sanct. cap. 2., et lib. de dono persev. cap. 8. et 13. Utuntur eodem testimonio Patres Arausicani concilii can. 7., quo definiant, eum *haeretico falli spiritu,* qui dixerit, hominem *per naturae vigorem bonum aliquod ad salutem pertinens vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti.*

Porro Graeci commentatores, Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius, Apostoli mentem explicantes, loquuntur his modis: *non aliud esse nostrum, aliud Dei;* adeoque *nihil plane nostrum esse, ne minimum quidem; sed totum Deo adscribendum.* Legat praeterea, qui volet, ea, quae scribit in hunc locum Sanct. Thomas, docte prorsus ac solide; ubi praeter alia affirmat, etiam philosophi sententiam fuisse, *quod numquam homo per liberum arbitrium potest ullum bonum facere sine adjutorio Dei: Qui,* inquit, *et homines movet, et omnia, quae agunt, ad actiones suas.*

6. *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Transit Apostolus ad commonstrandam dignitatem et excellentiam ministerii sibi crediti, quod erat ministerium novae legis; idque ex comparatione ejus cum lege veteri. *Idoneos fecit,* Graece ἱκάνωσεν, pro quo Hieronymus legit: *dignos fecit.* Nam et noster interpres eandem vocem alibi sic transtulit, ut Col. 1.: *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Verum quia derivativum est hoc verbum a nomine ἱκανοὶ, quod praecessit, et non aliter verti debuit, quam: *idonei, sufficientes,* quemadmodum et ἱκανότης, *idoneitas, sufficientia;* propterea conformiter est vertendum: *Qui et idoneos,* sive *sufficientes nos fecit* etc., ut sensus sit: Qui Deus, inter alia bona, quae ex ipso habemus, etiam hoc nobis Apostolis contulit, quod aptaverit et idoneos reddiderit novi testamenti ministros; idoneos autem, id est, non, quae nostra sunt, quaerentes, sed ea, quae Jesu Christi; neque verbum Dei adulterantes, sed ex sinceritate tamquam coram Deo illud annuntiantes. Talem enim supra descripsit idoneum Evangelii ministrum, id est, eum, de quo interrogaverat: *Et ad haec quis idoneus?* ut ista sit velut responsio: Nos idonei sumus, non ex nobis, sed ex Deo, qui nos idoneos fecit novi testamenti ministros. Est autem novum testamentum pactum seu promissio vitae aeternae gratuito donandae nobis a Deo per Christum. Quo referenda sunt omnia dona virtutum ac bonorum operum, per quae vitam aeternam quacumque ratione meremur atque consequimur. Hoc

ergo Dei beneficium qui annuntiant hominibus, novi testamenti ministri sunt.

Non littera, sed Spiritu. Graece: οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, *non litterae, sed Spiritus;* quomodo verisimile est interpretem vertisse. Sic enim et mss. quaedam legunt, et in his, Erasmo teste, duo Constantiensia; necnon veteres concordantiae; exstatque eadem lectio apud Augustinum lib. de spir. et lit. cap. 17. et 20. Quid vero legerit Ambrosiaster, ex ejus commentario percipi non potest. Pelagius quoque et Sedulius quid legerint, non liquet, nisi quod ex eorum scholio (quod alter ab altero sumpsit) apparet, tertium casum eis lectum fuisse: *non litterae, sed Spiritui.* Porro sextus casus obrepsisse videtur ex simili loco, qui est Rom. 2.: *in Spiritu, non littera.*

Est autem haec pars expositio ejus, quod dixerat: *novi testamenti.* Sensus enim est: Fecit nos idoneos ministros novi testamenti; non, inquam, ministros litterae, id est, legis scriptae et datae per Mosen, quae est lex vetus; sed ministros Spiritus, hoc est, ministros legis novae, qua Spiritus sanctus datur ad legem implendam. Sensum hunc, simul et Graecam lectionem confirmat, quae paulo post nominatur: *ministratio Spiritus.* Spiritum autem sanctum intelligi, patet ex eo, quod postea subjicit, tamquam se ipsum exponens: *Dominus autem Spiritus est.* Jam quanto praestabilius sit ministerium Spiritus ministerio litterae, docet ex insigni discrimine litterae et Spiritus, dicens:

Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Per litteram, uti dictum est, lex in tabulis scripta, ac veteri populo data significatur. Per Spiritum vero Spiritus sanctus intelligitur, quatenus autor est nostrae sanctificationis ac renovationis, idque praecipue per charitatem, quam cordibus nostris infundit. Itaque sensus est: Lex scripta, quam Deus per Moysen dedit, si sola sit, ac Spiritu destituta (quod est lex vetus), occidit, hoc est, eos, quibus data est, aeternae morti reddit obnoxios; non quidem per se suoque vitio (*Lex enim sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum,* Rom. 7.), sed ex occasione latentis in eis concupiscentiae; de qua sub nomine peccati ita scribit Apostolus eodem loco: *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit; et inventum est mihi, mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.*

Porro Spiritus per gratiam, qua nos efficit legis observatores, vivificat nos, id est, aeternae vitae constituit haeredes. Sensum, quem dedi de littera occidente, illud praeterea comprobat, quod proxime post verba jam citata ex epist. ad Rom. subjungit Apostolus: *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit;* utique reddendo obnoxium morti aeternae. Neque enim aliud est, peccatum occidere hominem per mandatum, quam legem seu litteram occidere hominem occasione peccati. Conferendae sunt et aliae Scripturae, ut Rom. 4.: *Ubi non est lex, nec praevaricatio,* et cap. 5.: *Lex subintravit, ut abundaret delictum,* 1 Cor. 15.: *Virtus peccati lex,* et Gal. 3.: *Lex propter transgressiones posita est.*

Ex quibus omnibus, ac potissimum ex cap. 7. epist. ad Rom., satis liquet, eos haud assecutos mentem Apostoli, qui litteram interpretantur occidere, quod lex Mosis temporale supplicium mortis, ut erant lapidatio, crucifixio, transgressoribus comminetur et irroget; quae Graecorum, et inter Latinos Ambrosiastri est expositio. Constat enim, Apostolum eo loco non agere de ejusmodi supplicio, sed de morte aeterna, de qua dixerat cap. 6.: *Stipendia peccati mors.* Alioqui certe permulti tempore veteris legis, vel occulte peccantes in legem, vel potentiores, qualis David adulter et homicida (quod utrumque crimen secundum legem erat capitale), supplicium mortis evadebant, ut in iis juxta sensum Graecorum locum non haberet: *littera occidit.* Denique si litteram

occidentem de morte temporali interpreteris, oportebit et Spiritum vivificantem de vita temporali intelligere, ut consistat antithesis. Id vero quam sit a mente Pauli remotum, scopus doctrinae ejus palam ostendit.

Atqui multo minus hac sententia significare voluit Apostolus, litteralem sive historicum Scripturae sensum occidere, id est, noxam adferre lectori; mysticum vero sensum, quem spiritualem vocant, vivificare, id est, ad pietatem conducere. Qui sensus priori parte falsus est, et ad Origenis damnata dogmata rejiciendus. Quamquam interdum accommodatur haec Apostoli sententia non male (quemadmodum fecit Augustinus lib. 3. de doct. Christ. cap. 5.) ad significandum, quod interpretari Scripturam ubique sic ad litteram, ut verba sonant, ducit in errorem; ut si Deo caput, manus, pedes, animam proprie tribuas, quoniam haec in Scriptura Deo leguntur attributa. Quo sensu littera occidit Anthropomorphitas, necnon eos, qui simili ratione misericordiam, iram, poenitentiam, et alias hujusmodi affectiones proprie putaverunt esse in Deo, velut Judaei, et inter Christianos Lactantius, aliique nonnulli, quos Anthropopathitas appellare possumus. Antitheses huic loco non dissimiles sunt illae: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam,* Joann. 6. *Scientia inflat, charitas aedificat,* 1 Cor. 8. In altero namque caro spiritu destituta prodesse negatur; in altero scientia charitate vacua dicitur inflare. Pleniorem intelligentiam discriminis hic assignati inter legem veterem et novam si quis desideret, legat Augustini librum de spir. et lit. a cap. 4. usque ad 25., item quae scribit lib. 15. contra Faustum, cap. 8., lib. 2. cont. advers. legis et proph. cap. 7., serm. 3. de verbis Apostol. cap. 10. et 11., et lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7. et lib. 4. cap. 5.

7. *Quodsi ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria.* Ex dato discrimine litterae et Spiritus jam colligit, quanto plus gloriae debeatur ministerio novae legis, quam veteris. Quod Graece est διακονία, noster interpres hoc et sequenti capite vertit: *ministrationem,* ac semel duntaxat: *ministerium.* Alii quidam *administrationem* malunt, tametsi revera magis quadrat ministerii nomen. Nec Graece est: *litteris,* sed: *in litteris,* ἐν γράμμασι; quemadmodum et Augustinus legit loco memorato contra legis adversarium. Juxta quam lectionem, quae nobis germana videtur, adhaeret haec particula praecedentibus: *Quodsi ministratio mortis in litteris,* id est, ministratio litterae occidentis, ut interposito commate sequatur: *Deformata in lapidibus. Deformata* non aliud est, quam *insculpta.* Simplici verbo *formata* legit Ambrosiaster. *Figurata* legit Augustinus de spir. et lit. cap. 14., et Beda in textu. Utrumque reperies apud Augustinum scribentem contra advers. legis. Graecum ἐντετυπωμένη sonat: *informata,* quod tamen interpres melius atque elegantius extulit: *deformata;* quomodo Quintilianus dixit: *marmora prima deformata manu,* et Vitruvius: *Tragicae scenae deformantur columnis, signis et regalibus rebus.* Quod sequitur: *fuit in gloria,* ἐγενήθη ἐν δόξῃ, potuit etiam verti: *fuit,* seu *facta est in claritate.*

Sensus autem hujus partis est: Quodsi ministerium legis occidentis atque mortiferae, tabulis lapideis insculptae, gloriosum fuit, utpote glorificatum per insignem claritatem et splendorem vultus Moysis, quando secundo descendit de monte legem adferens, ut habetur Exodi 34. Alii ministrationem mortis in litteris exponunt legem mortis ministratam, ut aptius ei jungatur, quod sequitur: *deformata in lapidibus.* Quae expositio commoda quidem est; sed quia scopus est Apostoli, ministerium cum ministerio comparare, idcirco prior sensus accommodatior esse videtur ad ejus mentem explicandam.

Ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus, quae evacuatur. Intendere, Graece, ἀτενίσαι, ad oculos refertur. Ambrosius legit: *intueri.* Nec in Graeco diversum est vocabulum, sed idem, πρόσω-

πον, quod interpres in eadem hac periodo prius *faciem* vertit, postea *vultum;* consulto, ut arbitror, ne, si faciem secundo loco dixisset, videretur relativum sequens: *quae evacuatur,* ad faciem pertinere. Sensus: Adeo clarificatum fuit illud legis occidentis ministerium, ut non possent filii Israël intentis oculis adspicere faciem Moysis ministrantis legem; idque propter gloriam seu claritatem vultus ejus insigniter radiantis *ex consortio sermonis Domini,* ut habetur Exodi loco supra dicto. Partem sequentem: *quae evacuatur,* quidam ex Latinis ad ministrationem, alii ad legem retulerunt; sed ex Graeco manifestum est, non alio, quam ad *gloriam* referri posse, quae dicitur evacuari, seu potius aboleri, quia claritas illa vultus Moysi transitoria erat ac modici temporis. Hoc addens Apostolus, materiam dat novo argumento, quod ipse statim explicat versu 11. Caeterum idcirco ministerium veteris legis aliqua gloria, tametsi non magna, nec diuturna dignum habitum fuit, quia, licet veteri populo fuerit ministratio mortis, ipsa tamen lex sancta erat et divina, atque eo saltem officio fungebatur erga electos, ut esset illis *paedagogus ad Christum;* quemadmodum docet Apostolus Gal. 3. Pendet adhuc periodus, et absolvitur erotemate sequenti:

8. *Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?* Id est: Cur non magis ac potius ministerium novae legis, quae vivificantem Spiritum subministrat, glorificabitur? scilicet ea gloria, quae in futurum saeculum promissa est. De qua gloria loquitur expressius Rom. 8., vocans eam gloriam adoptionis filiorum. Nam licet illa sit futura communis omnibus electis, longe major tamen iis continget, qui se praebuerint idoneos novi testamenti ministros; ut per quos caeteri fuerint ad gloriam adducti. Argumentatio Pauli perspicua est, et sequela manifesta a minori ad majus. Postulat enim ratio, ut ministerium vitae multo magis glorificetur, quam ministerium mortis.

9. *Nam si ministratio damnationis gloria est.* Rem eandem aliis verbis inculcat. In multis codicibus legebatur: *in gloria est;* sed veram lectionem restituit nobis editio Romana, consentanea Graeco et Syriaco textui; quae et habetur in multis mss. et in antiquis concordantiis, et apud Augustinum loco saepe dicto contra advers. legis. Suffragatur item textus Ambrosii, qui sic habet: *Si enim in administratione damnationis est gloria;* necnon Primasii atque Sedulii, apud quos ita legitur: *Nam si ex ministerio damnationis gloria est;* denique textus et commentarius Haymonis. Nec additur in Graeco verbum *est,* magisque congruere videtur verbum *fuit,* ut sensus sit: Quod si ministerium legis, quae reddit homines aeternae damnationi et morti obnoxios, gloria fuit, id est, res gloriosa; sequitur:

Multo magis abundat ministerium justitiae in gloria. Abundat, Hebraea phrasi idem, quod *excellit,* quomodo verterunt Erasmus et Hentenius. Igitur, inquit Apostolus, multo major et excellentior debetur gloria ministerio novae legis, quae justitiam confert, qua damnatio mortis evaditur et vita acquiritur. Liquet ex dictis, idem esse Paulo ministerium mortis et damnationis, idemque e diverso ministerium Spiritus et justitiae.

Est autem observandum hoc loco, Paulum non comparare Moysen cum Christo, sed cum Apostolis Christi. Non enim Moyses suam tulit legem, sed eam, quam Deus illi dictaverat tamquam verus legislator. At vero Christus non solum ut minister, sed ut Dominus, etiam quatenus homo, suam ipsius legem attulit mundo. Quare non cum Christo, sed cum Christi ministris, id est Apostolis, qui novam legem a Christo latam mundo publicarunt, Moyses, tamquam veteris legis administer, non autem ipsius proprie legislator, comparandus fuit. Nam si Moysen cum Christo conferas, quod alibi facit Apostolus, ut Hebr. 3., ea ratione jam multo latius et incomparabiliter majus erit utriusque legis discrimen.

10. *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* Mutat interpres verbum,

quod in Graeco unum idemque est; ac si Graeca Latine sic reddas: *Namque ne quidem glorificatum est, quod glorificatum est* etc.; vel: *Ne quidem claruit, quod claruit.* Utitur autem Apostolus eo ipso verbo et participio, quod legerat apud interpretes LXX. Exod. 34.; δεδόξασται, δεδοξασμένον, id est, *claruit, clarificatum.* Nec dissonat, quod ex Hebraeo vertit Hieronymus, *cornutam Moysi faciem* fuisse; nam vox Hebraica קרן *(Karan)* significat quidem cornificare, seu cornua proferre; sed usurpatur pro eo, quod est, promicare emissis radiis, velut directis cornibus. Quod enim suspicantur nonnulli, scriptum illic ab interprete fuisse: *corusca,* quod librariorum oscitantia mutatum fuerit in *cornuta,* vana est conjectura.

Sensus Apostoli est: Etenim *in hac parte,* id est, in hac comparationis materia, ne dicendum quidem est, glorificatum fuisse, quod olim glorificatum est; nempe veteris legis ministerium; idque propter eminentem longeque superiorem gloriam ministerii novae legis. Quasi dicat: Tam excellens erit gloria ministerii evangelici, ut ministerium Mosaicum, etsi per se splendidum et gloriosum fuerit, tamen, cum evangelico collatum, prorsus inglorium fuisse videatur. Theodoretus et ex eo Oecumenius pulchre rem declarant comparatione lucernae, cujus lumen, noctu splendidissimum, meridie absconditur, ac ne lumen quidem esse putatur; videlicet a lumine solis obscuratum.

Cajetanus sensum huc adfert multo alium, tamquam velit Apostolus, gloriam Moysi, unde major fuit, inde redditam esse minorem; ut cujus excellentia praestiterit impedimentum gloriae. Sic enim exponit: *Id quod glorificatum est in hac parte, id est, in facie Moysi, non est glorificatum simpliciter et absolute, quia impeditum est ab intuitu propter excellentiam gloriae nimio splendore opprimentis visum.* Ita Cajetanus, parum attendens ad phrasim Apostoli: *in hac parte,* qua utitur et infra cap. 9, 3., et exponit versu 4. dicens: *in hac substantia,* id est, materia. Quamquam et absurdum est, claritatem Mosaicam hoc argumento extenuare, quod prae sui magnitudine intuentium oculos perstrinxerit; velut si quis claritatem solis absolute claritatem esse neget eo, quod adspectum ejus oculi mortalium non ferant.

11. *Si enim, quod evacuatur, per gloriam est, multo magis, quod manet, in gloria est.* Verbum substantivum in neutro membro Paulus Graecus expressit, sed intelligendum reliquit; in priori quidem praeteritum *fuit,* in altero autem futurum *erit.* Eadem vero sunt: *per gloriam,* et *in gloria;* nisi quod: *per gloriam* innuere videtur aliquid momentaneum ac transitorium, *in gloria* aliquid manens ac stabile. Argumentatur autem Apostolus ex eo, quod paulo ante dixit, gloriam vultus Moysi evacuari, seu aboleri; per quod significatum fuit, ipsum ejus esse ministerium, ipsamque legem, quam ferebat, abolendam esse. Tale igitur est argumentum rursus a minori: Si ministerium, quod cum lege abolendum erat, jamque abolitum est, gloriosum fuit; multo magis ministerium legis, usque in finem saeculi permansurae, gloriosum erit. Si quidem major debetur gloria rebus mansuris, quam abolendis.

Alii legem Christi, id est, novum testamentum permansurum interpretantur, non modo ad finem usque saeculi, sed in sempiternum, propter effectus ejus, qui sunt aeterni; quo sensu Christo tribuitur sempiternum sacerdotium, Heb. 7. Nec aliter sane ministerium novae legis aeternum dici potest, quum constet, ipsum secundum se post hanc vitam cessaturum. Quocirca nonnulli rationem adferunt haud incongruam abolitionis et permanentiae, de qua loquitur Apostolus, ex timore et charitate, velut effectibus. Lex enim vetus lex erat timoris, ut lex nova lex est charitatis. Quod autem timor abolendus sit, ostendit illa Joannis sententia 1 epist. 4.: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Charitatem vero mansuram Paulus testatur 1 Cor. 13., dicens: *Charitas numquam excidit.* Innititur haec

ratio officio veteris legis circa electos, quod erat, ut supra diximus, esse paedagogum eorum ad Christum. Id enim officii praestabat per timorem, sub quo electos ad tempus continebat, donec ad Christum eos adduceret. Hanc rationem tradit Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 18., ubi loquens de vetere et novo testamento, sic ait: *Ideo illud evacuatur, hoc manet; quoniam terrens paedagogus auferetur, cum timori successerit charitas.*

12. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.* Postquam evangelici sui ministerii demonstravit excellentiam prae ministerio veteris legis, agit nunc deinceps de recto usu ejusdem sui ministerii. In quo argumento versatur ab hoc loco usque ad cap. 7. Ac primum docet, ad ministrum novae legis pertinere, ut palam, aperte ac libere doctrinam Evangelii proponat. Nam pro *fiducia* Graece est *παῤῥησία*, quo nomine significatur libertas et audacia loquendi id, quod verum est; quae non solum opponitur silentio, verum etiam assentationi. Quo vitio plurimum laborabant pseudapostoli.

Graecum verbum *χρώμεθα*, pro quo legimus: *utimur*, commune est modo exhortantis: *utamur;* sicque legit et exponit nuncupatus Ambrosius. Quae lectio conspicitur etiam in quibusdam libris mss. Verum certe praesens locus postulat indicativum *utimur,* quod in multo pluribus legitur et melioribus. Nam hic et in sequentibus enuntiave loquitur Apostolus sub exemplo fidorum Evangelii ministrorum, in quibus se numerat, rectum ac legitimum illius ministerii usum commonstrans. Cum igitur, inquit, nos evangelicae legis ministri spem habeamus tam excellentis gloriae, quam ex ministerio nostro exspectamus, multa libertate utimur in Evangelio praedicando. Id enim convenit luci ac gloriae legis evangelicae. Quod declarat verbis subjunctis:

13. *Et non, sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam.* Explenda sententia est: Et non facimus, sicut Moyses, qui (quemadmodum in Exodo legitur) velamen ponebat super faciem suam. Id est, non occultamus Evangelii lucem, sicuti Moyses in typo fecit, occultans eam Israëlitis. Hoc enim est, quod sequitur:

Ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur. Graece et Syriace: *In finem ejus, quod aboletur.* Sed et Augustinus *in finem* legit atque exponit, contra leg. advers. scribens, et lib. de Spir. et lit. cap. 17., et aliis locis a Beda collectis; nisi quod alteram addat praepositionem: *usque in finem*, quod Graecae veritati non consonat. Rursus *in finem* legitur in textu Ambrosiano prioris editionis; sicque legendum esse, commentarius arguit. Pelagium quoque, Primasium et Sedulium legisse: *in finem,* vel *ad finem*, satis certo colligitur ex eorum scholiis; licet apud duos priores textus mutatus sit a scribis in id, quod vulgati codices habent; quamvis et interpretem nostrum *in finem,* non *in faciem* scripsisse, plus quam verisimile est. Qui si scripsisset: *in faciem*, id, quod in Graeco sequitur: *τοῦ καταργουμένου,* non vertisset: *ejus, quod,* sed *ejus, qui evacuatur,* scilicet Moysi, cujus in faciem intendere filii Israël non possent; quando nec ea similitudo vocum est in Graeco, quae in Latino, ut facile altera pro altera scribi potuerit. Nam quod a nonnullis allegantur exemplaria quaedam Graeca, quae habeant: *εἰς τὸ πρόσωπον*, certe ejusmodi nulla a Roberto Stephano sunt annotata; ac merito suspicatur Erasmus, illa talia ad Latinorum lectionem fuisse correcta. Denique Graecos expositores *τέλος*, non *πρόσωπον* legisse, perspicue declarant eorum commentarii.

Quod ad sensum attinet, Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius significari putant, Israëlitas non potuisse videre, quod finem haberet lex, id est, quod aliquando foret abroganda. Sunt alii, qui finem hunc interpretantur intima, profunda et arcana legis, id est, mysteria sub littera legis occultata. Quem sensum etiam apud Basilium videre est libro de Spiritu sancto, cap. 21. Alii vero, sensu tamen non multum diverso, finem ejus,

quod aboletur, Christum intelligunt. Nam ut *finis legis Christus,* Rom. 10., ita et finis est totius ministerii legis.

Ita sensus Apostoli est, Moysen velo texisse faciem ad significandum, filios Israël non potuisse mentis oculos intendere in Christum, qui finis est ejus ministerii, quod abolendum erat. Dicitur autem Christus finis ministerii Mosaici, quia consummatio est et complementum eorum omnium, quae per Mosem fuerunt ministrata; nam et decalogus per ejus gratiam perficitur, et omnis umbrarum legalium significatio per ejus adventum impletur: *quia lex per Moysem data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* Joann. 1. Finem interpretantur hoc modo primum Augustinus utroque loco sup. cit., tum commentatores Primasius, Sedulius, Cajetanus, et inter Graecos Theodoretus. Videtur et Apostolus in hunc sensum paulo post exponere semet ipsum, dicens: *Quoniam in Christo evacuatur.*

Interim observa, Paulum eleganter et apposite rem gestam, quae in Exodo scribitur, ad allegoriam convertere, et latens sub historia mysterium aperire. Moyses enim veteris legis, cujus erat minister, figuram gerebat, faciesque ejus splendida praefigurabat gloriam Christi, cujus mysteriis gravida lex erat. Quod autem filii Israël non poterant in faciem Moysi splendentem, oculos defigere, significabat id, quod jam dictum est ab Apostolo, Judaicum populum non potuisse cognoscere Christum, ad quem, ut finem et complementum, lex tota referebatur.

Porro velum positum ante faciem Moysi et oppositum oculis populi statim ipse Paulus interpretatur velum obtusionis, sive hebetudinis ac duritiae, positum super cor Judaeorum, quo nimirum impediebantur, ne in Christum ejusque mysteria per fidem adspicerent, quae res etiam significata fuit per *velum templi,* quod, Christo moriente, *scissum fuisse in duas partes,* Matthaeus Evangelista commemorat cap. 27. Postremo quid Moysi conversio ad Dominum, ac veli depositio significet, infra suo loco ex mente Pauli conabimur explicare.

14. *Sed obtusi sunt sensus eorum.* Graece: ἀλλ᾽ ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, *sed occallucrunt sensus,* seu *cogitationes,* seu *mentes eorum.* Nam *cogitationes* vertit supra cap. 2, 11., *mentes* infra cap. 4, 4. *Occalluerunt* autem, id est, *obduruerunt.* Alii vertunt: *excaecati sunt,* quomodo sequenti capite legitur *Deus hujus saeculi excaecasse mentes infidelium.* Verum illic diversum et proprium est verbum ἐτύφλωσε. Tertullianus et Cyprianus cum interprete nostro legunt: *obtusi sunt;* ille libro 5. cont. Marc., cap. 11., iste contra Judaeos lib. 1. testim. 4. *Sed* pro *quia* positum videtur, ut alias interdum; quemadmodum et S. Thomas exponit; ut significetur, filios Israël ideo non intendisse animum in finem legis, quod haberent sensus animi obtusos, obduratos et excaecatos; id, quod alibi saepe de iis Scriptura testatur.

Usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum. Partem illam: *usque in hodiernum diem,* submota conjunctione *enim,* Ambrosiaster, Pelagius et Primasius annectunt ei, quod praecedit; quemadmodum et Cyprianus. Verum nostra lectio Graecis et Syris, ipsique Tertulliano consentanea est, et sensum recipit commodiorem. Exponit autem Apostolus, quod dixerat de velamine posito super faciem Moysi, et sensus est: Idem illud velamen, quod olim, super faciem Moysi positum, prohibebat ejus intuitum, remanet in praesens usque tempus non retectum sive non ablatum a cordibus Judaeorum, quoties libros veteris testamenti legunt. Vocat idem velamen eo tropo sermonis, quo signum dicitur idem cum re significata. Nam, ut ante dictum est, velamen illud, Moysi faciem tegens, signum erat ac figura velaminis obtegentis corda Judaeorum.

Quoniam in Christo evacuatur. Variant exemplaria, tam impressa, quam mss., aliis *quoniam,* aliis *quod* legentibus. Nam et Graecum ὅτι ambiguum est ad

quoniam et *quod* relativum. Similiter autem et ex Syriaco alius *quoniam,* alius *quod* transtulit. Prioribus suffragantur veteres concordantiae, et textus Ambrosii, Bedae, Haimonis, Lombardi, Hervaei, Carthusiani; necnon Augustinus lib. 3. cont. duas epist. Pelag. cap. 4. Posterioribus annuit textus Pelagii et Primasii, item glossatoris, Aquinatis, Lirani. Sensus tamen eodem redit. Nam relatio fit ad velamen, quod aufertur et aboletur in Christo, id est, non nisi per Christum, qui finis legis est, fide receptum. Quem cum Judaei non receperint, sequitur, nondum esse remotum ab eorum oculis, id est mentibus, velamen.

15. *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Repetit idem, ut addat aliquid, quo velaminis significationem clarius explicet. Sed, inquit, usque in hoc tempus, cum in eorum synagogis legitur lex vetus a Moyse scripta (legebatur autem per omne sabbatum. Actor. 15.), manet velamen superpositum cordibus eorum. Ubi significatur, velamen istud esse aliquid inhaerens animis Judaeorum. Quocirca non obscuritas librorum legis et Prophetarum, ut quidam volunt, mystice per velamen significata videtur, sed mentis, uti diximus, hebetudo, quam parit affectio carnalis ac terrena, qua nimirum mens impeditur, ne Scripturas intelligat, et veritati, quam loquuntur, acquiescat; quod est nolle credere. Ita plerique commentatores, et ante eos Origenes homil. 12. super Exod.

Neque necesse est, duo secundum Apostolum facere velamina mystica, quorum alterum sit velamen lectionis, id est, obscuritas legis, alterum velamen cordis, id est, infidelitas legentium; uti distinguit Hervaeus. Nam quod obscuritas legis et Prophetarum non sit velamen ab Apostolo significatum, satis etiam ex eo liquet, quod, illa obscuritate manente et non ablata, multi crediderunt. Nec vero mirandum, si velamen idem positum dicatur super faciem Moysi, et super corda Judaeorum. Siquidem et ipse Moyses legem ferens carnalem, quemadmodum et Isaac caecutiens et Jacob claudicans, Gen. 27. et 32., figuram gesserunt carnalis, et caecutientis et claudicantis populi Judaici. Legem dico carnalem, propter promissa temporalia et caerimonias carnali populo accommodatas. Nam et Hebr. 7. *legem mandati carnalis* legimus.

16. *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Quod in quibusdam libris plurali numero legitur: *Conversi fuerint,* contra fidem est tam Graeci textus, in quo singulare est ἐπιστρέψῃ, quam Latinorum codicum mss., quibus passim omnibus legitur: *conversus fuerit.* Syriaca paraphrasis sic habet eodem numero: *Et cum aliquis ex eis conversus fuerit,* etc. Faciunt nobiscum veteres Latini commentatores ad unum omnes, ac fere etiam posteriores; item Cyprianus in testimoniis juxta priores editiones, et autor quaest. vet. ac novi testam., quaest. 8. Nam quod Tertullianus active legit: *Cum vero converterit* (supple *se*) *ad Deum,* accidit ex ambiguitate verbi Graeci, quod et transitive, et absolute sumitur, etiam in Scriptura sacra, quemadmodum facile est exemplis ostendere. Fefellit autem Cajetanum Erasmi versio, dum pro singulari reponit plurale *conversi fuerint.* Est et alia lectio apud Augustinum lib. 12. cont. Faustum. cap. 4. et 39., et lib. de utilitate credenti, cap. 3., et alibi. Legit enim verbo secundae personae: *Cum autem transieris ad Dominum.* Sed qui ita vertit, accepit ἐπιστρέψῃ, in secunda persona verbi medii; quemadmodum et Theophylactus accepisse videtur. Sic enim habet ejus interpretatio: *Quando converteris ad Dominum, hoc est, quando a lege defeceris, accesserisque spirituali Evangelio, tunc auferetur velamen.*

Sed ad nostram lectionem, quae germanior est, redeamus, cujus sensum alii alium adferunt. Plerique sic exponunt: Cum autem conversus fuerit Israël ad Dominum, sive totus, ut in fine saeculi; sive aliquis ex eis; tunc auferetur vela-

men de cordibus eorum. Obstat huic expositioni verbum singularis numeri, supposito non respondente. Nam praecesserat plurale: *eorum.* Ad quod si respiceret Apostolus, non diceret: *conversus fuerit,* sed *conversi fuerint.* Nam *Israël* longius praecessit, quam ut eo referri commode possit. Nec populum significabat, sed Patriarcham.

Addo, quod, si de Judaeorum ad Deum conversione loqueretur, potius e converso diceret: Cum autem ablatum fuerit velamen, tunc convertentur ad Dominum. Etenim ordine naturae prius est, ut impedimentum credendi tollatur, quam ut credant; quomodo prius est aperiri fenestram domus, quam solis radios in eam recipi.

Proinde sentiunt probabilius, qui illud: *conversus fuerit,* ad Moysen referunt, de quo dixerat: *Cum legitur Moyses;* ut hic jam novum mysterium in Moysi persona praefiguratum nobis insinuetur. Ut enim Moyses, faciem habens obvelatam, gessit figuram populi Judaici velamen habentis super cor suum; ita videri potest idem Moyses, quando, dimisso populo, reversurus ad Dei colloquium, velamen a facie removebat, uti scribitur Exod. 34., significasse eos, qui ex eodem populo tempore novi testamenti, remoto cordis velamine, convertendi essent ad Dominum.

Veruntamen si contextus Apostolici sermonis attente consideretur, non tam videbitur agere Paulus hoc loco de conversione Judaeorum ad Dominum, aut de Moyse eam conversionem significante, quam de Moyse praefigurante populum Christianum. Hoc enim declarant illa sequentia: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes,* etc.

Igitur doctrinae praesentis haec summa est: Moyses aversus a Domino, et facie velatus, significavit populum veterem Deo contrarium, et cor habentem obscuratum. Idem vero Moyses conversus ad Dominum, atque retectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad Deum conversi, et revelata cordis facie salutis mysteria contemplantis. Sane notandum est, Graecum verbum περιαιρεῖται, quod interpretes fere transferunt passive: *auferetur,* magis habere significationem activam: *auferet,* vel potius *aufert* in praesenti; quo magis intelligas, Apostolum non de Israële, sed de Moyse loqui, de quo legitur in Exodo, quod ipse *auferebat* velum de facie sua, cum Domino locuturus. Ubi LXX. quoque eodem usi sunt verbo: περιῃρεῖτο, *auferebat,* quod et ab Oecumenio allegatur. Ex quibus apparet, interpretes Latinos in una voce vertenda bis hallucinatos esse; et quod pro activo reddiderint passivum; et quod pro praesenti futurum. Apud unum Cyprianum, loco superius citato, legitur praesentis temporis verbum: *aufertur velamen.*

17. *Dominus autem Spiritus est.* Nimirum ille Spiritus, quem hoc capite jam aliquoties nominavit; id est, Spiritus Dei vivi, per quem novum testamentum distinxit a veteri, et cujus suppeditandi ministrum se docuit, quem etiam statim Spiritum Domini nuncupat. Connexio talis est: Moyses, ab Israële conversus ad Dominum, typus fuit nostri, qui transivimus a littera ad Spiritum. Nam Spiritus ille Dominus est. Hoc addit, ut volunt Chrysostomus, Theodoretus et Oecumenius, ne minus aliquid nobis praestitum videatur, qui convertimur ad Spiritum, quam Moysi, qui convertebatur ad Dominum; quum Spiritus ipse sit Dominus.

Est autem manifestus hic locus pro divinitate Spiritus sancti, quemadmodum id Graeci tractatores bene declarant; neque enim alius Dominus, quam verus Deus intelligi potest; ille videlicet, ad quem Moyses se convertebat. Et ne quis contendat, nomen Spiritus hoc loco non esse personale, sed essentiale, velut ibi: *Spiritus est Deus,* Joann. 4., ut, quemadmodum eo loco significatur, Deum esse Spiritum, ita hic dicere velit Apostolus, Dominum, id est, Christum esse Spiritum (sic enim Ambrosiaster, et alii quidam eum secuti, partem hanc interpretantur): refellit hoc argumentum Chrysostomus, atque retorquet. Nam si illa propositio:

Spiritus est Deus, πνεῦμα ὁ θεὸς, sic ordinanda est: Deus est Spiritus; quidni et ista: Dominus Spiritus est, ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, ordinetur hoc modo: Spiritus est Dominus? suadente videlicet utrobique eam constructionem articulo, qui posteriori vocabulo additus est. Qua ratione et illud Joann. 1.: *Deus erat verbum,* Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ita construitur: Verbum erat Deus. Verum utcumque se habeat responsio Chrysostomi ex articulo sumpta (non enim scrupulo caret, propterea quod tam priori, quam posteriori vocabulo sit additus hoc loco articulus; quemadmodum et in eo, quod habetur 1 Cor. 10.: *Petra erat Christus,* ut illic a nobis annotatum est), certe Christum appellari Spiritum, Apostolica consuetudo non habet, et hujus loci circumstantia magis diversum exigit.

Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Spiritum, quem Dominum vocavit, nunc Spiritum Domini vocat, sicut et supra: Spiritum Dei, ut intelligamus, Spiritum non sic vocari Dominum seu Deum, quin simul oporteat confiteri, eum a Deo procedere. Porro libertatem dicit oppositam servituti. Hanc enim libertatem Graeca vox ἐλευθερία significat. Intendit autem Apostolus hac parte explicare mysticam significationem ablati velaminis. Ut enim velum impositum subjectionis ac servitutis cujusdam indicium est in eo, cui imponitur, quemadmodum docet Apostolus 1 Cor. 11, 10., ita velaminis ablatio significationem habet donatae libertatis, quae donatio fit non per litteram, sed per Spiritum, ut sensus sit: Spiritus Domini, cum ipse sit Dominus, ideoque liberrimus, de quo scriptum est, quod, *ubi vult, spirat,* Joann. 3., et quod *omnia operatur, prout vult,* 1 Cor. 12., tamquam velamine servitutis ablata (removet enim illud, *quia vult,* ait S. Thomas), libertatem communicat iis, quos inhabitat, id est, Christianis; libertatem utique spiritualem, quia Spiritus est, a servitute legis et peccati eos liberans.

Abusi sunt hac Apostoli sententia jam olim haeretici quidam, uti refert B. Thomas, ad statuendum suum illud perversum dogma, quo docebant, viros spirituales lege divina non teneri, utpote per Spiritum assertos in libertatem. Cujus absurditatem doctrinae bene declarat idem doctor, ostendens, impossibile esse, ut quis, sive homo, sive angelus, praeceptis Dei non subdatur. Libertas autem, de qua Paulus, immunitas est non tam a lege, quam a servitute legis, ut dictum est. Nam et antiqui justi, nati sub lege, libertatis hujus fuere participes. Quamvis autem sententia Pauli generalis sit ad libertatem totam, quam dixi scilicet oppositam servituti legis atque peccati; specialiter tamen attendere videtur illam mentis libertatem, qua, libere et absque velaminis impedimento, rem objectam mens adspicit et contemplatur. Nam et hanc libertatem adfert Spiritus sancti praesentia, velut portionem quandam ejus libertatis, quae servituti legis opponitur; ad quam servitutem inter alia pertinebat, signa pro rebus amplecti, quemadmodum docet Augustinus lib. 3. de doct. Christ. cap. 5. 6. et 8. Ad eam libertatem Paulum respicere, probat, quod sequitur:

18. *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes.* Haec pars etsi declarativa sit ejus, quod proxime praecessit, accipi tamen potest ut respondens ad illud superius: *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam,* etc. Ac si dicat: Non facimus, ut Moyses, velo faciem suam occultans; sed revelata facie gloriam Domini, in ea receptam, exhibemus. Nam *speculantes* idem est hoc loco, quod instar speculi suscipientes atque reddentes. Id enim secundum Graecos interpretes significat Graecum participium κατοπτριζόμενοι, ut *speculantes* hic accipias, non a specula deductum, quasi sensus sit, tamquam e specula prospicientes; sed a speculo, quod Graeci κάτοπτρον vocant. Quod et Augustinus admonet lib. 15. de Trin. cap. 8., licet ejus expositio *speculantes,* id est, *per speculum videntes,* minus congruat, ut et illa translatio cujusdam: *in speculo videntes.*

In eandem imaginem transformamur. Graece sine praepositione: τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, ut subaudias κατὰ, quod in hujusmodi solet intelligi, id est: *juxta*, vel *ad eandem imaginem transformamur*, quod et Syrus supplevit. Tertullianus sexto casu legit: *eadem imagine transfiguramur.* Videtur autem hic esse sensus: Ejusdem gloriae imagine in nobis ut in speculo recepta, velut in eam transformamur. Nam imago in speculo quodammodo forma speculi est. Qui per gloriam et imaginem putant idem significari, nempe Christum, qui est gloria et imago Dei increata, quomodo vir est *imago et gloria Dei* creata, 1 Cor. 11., non videntur Apostoli mentem assecuti, paulo post a nobis explicandam.

A claritate in claritatem. Vel: *a gloria in gloriam*, uti legunt Tertullianus, Augustinus, Ambrosiaster et Sedulius. Est enim idem in Graeco vocabulum, quod supra toties *gloriam* vertit: licet aeque claritatem significet. De sensu mox videbimus.

Tamquam a Domini Spiritu. Tamquam hoc loco non similitudinem denotat, sed verum et congruentem rei modum declarat, sicut in Evangelio Joann. 1.: *tamquam unigeniti a Patre.* Quod autem in Graeco est: ἀπὸ κυρίου πνεύματος, tribus modis, ut ab Erasmo et aliis annotatum est, Latine reddi potest: *a Domino Spiritu, a Domino Spiritus*, et *a Domini Spiritu.*

Primum modum amplectuntur et adversus Pneumatomachos urgent in suis commentariis Chrysostomus, Theodoretus et Theophylactus; necnon Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 21. Similiter ex Syriaco translatum habemus: *tamquam a dominatore Spiritu.*

Secundum modum tradunt neoterici quidam, volentes, Christum appellari Dominum Spiritus, quia Spiritus sancti charismata largitur, quibus voluerit. Quod significatum videri potest illa lectione, quae est apud Tertullianum: *tamquam a Domino Spirituum.*

Tertia versio communis est interpretum Latinorum, qua et Augustinus usus est loco sup. alleg. Nam quod apud eum legitur in impressis codicibus lib. 22. de civit. Dei, cap. 29.: *tamquam ad Domini Spiritum*, mendose legi, non est dubium, veram lectionem: *tamquam a Domini Spiritu*, exhibentibus omnibus mss. in castigatione Lovaniensi adhibitis.

Harum interpretationum prima probabilis est ex eo, quod praecessit: *Dominus autem Spiritus est.*

Tertia quoque probabilis, quia praecessit: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Verum quia nusquam in Scriptura legitur hoc ordine: *Domini Spiritus*, sed ubique: *Spiritus Domini*, sicut et in versu praecedenti; facile mihi persuasero, Paulum id voluisse, quod habet Graecorum interpretatio, ut, quod dixerat, Dominum esse Spiritum, hac repetitione confirmare voluerit.

Mediam interpretationem probare non possum. Nusquam enim legitur Christus Dominus esse Spiritus sancti, et sermo non parum offendit; imo simpliciter falsus est et haereticus, et pugnans cum eo, quod dixit, Dominum esse Spiritum.

Porro tota Paulina sententia potest ad hunc modum explicari: Nos autem omnes novi testamenti filii, quos Moyses, revelata facie cum Domino loquens, eamque ex consortio sermonis Domini splendidam ac radiantem habens, significavit; itidem facie mentis revelata, gloriam Domini per fidem intuemur, ejusque splendorem in animis nostris velut speculis quibusdam recipientes, quodammodo transformamur ad eandem imaginem, hoc est, ad similitudinem gloriae Dei; idque a claritate Dei in claritatem nostram, id est, claritate seu gloria Dei in nobis expressa ac repraesentata perinde, ut olim in facie Moysi, transformamur, inquam, velut *a Domini Spiritu*, vel *a Domino Spiritu.* Quod addidit, quemadmodum habet commentarius Ambrosianus, *ut ostenderet, talem gloriam dari, quae congruat sublimitati dantis*, hoc est, Spiritus sancti, qui Spiritus Domini est et ipse Dominus; et, ut ait Theophylactus, *qua-*

lem par est habere eum, qui a Spiritu Domino, qui nulli est subjectus, illustratus est. Nam *si ministratio mortis in litteris,* ut supra dictum est, id est, ministratio litterae mortiferae *fuit in gloria; quomodo non magis ministratio Spiritus* vivificantis *erit in gloria?*

Quidam recentiores illud: *a gloria in gloriam,* sic exponunt: in ampliorem et in dies majorem; ut phrasis similis sit cum illa Rom. 1.: *ex fide in fidem.* Augustinus alias adfert expositiones, *de gloria creationis in gloriam justificationis; de gloria fidei in gloriam speciei; de gloria, quia filii Dei sumus, in gloriam, qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Nobis id, quod prius diximus, a claritate Dei in claritatem nostram, maxime videtur textui consonum. Quae et Graecorum omnium est expositio. Dicit autem Apostolus: *nos omnes,* ut significet, id, quod uni Moysi quondam in figura ac mysterio contigit, nunc in veritate toti Ecclesiae fidelium competere. Sic enim partem hanc plerique, tam Graeci, quam Latini, intelligunt.

Potest autem eadem sententia, ni fallor, commodius exponi (quemadmodum exponunt eam Cajetanus, Gaignaeus et alii nonnulli) de solis Evangelii ministris, in quorum persona, tam superius, quam in consequentibus multa loquitur Paulus; ut ab eo loco: *Cum autem conversus* etc., sensus sit hujusmodi: Moyses, ablato velamine Dominum adspiciens, significat, nos, Evangelii ministros, quotquot sumus, qui revelata facie gloriam Domini, id est, notitiam mysteriorum salutis nostrae, quibus glorificatur Deus, non solum in nobis velut speculis quibusdam recipimus (*nobis* enim *revelavit Deus per Spiritum suum,* 1 Cor. 2.), verum etiam more speculorum refundimus ad alios, id est, aliorum mentibus eandem notitiam aperta ac libera Evangelii praedicatione repraesentamus; nimirum a Spiritu, libertatis autore, cujus ministerium obimus, ad hoc impulsi. In hujus rei signum ipsi Paulo a Judaismo ad Christianismum, velut a littera ad Spiritum converso, et in Evangelii praedicatione plus aliis laboraturo, cum coelestis luminis fulgore caecatus fuisset, *ab oculis ceciderunt tamquam squamae, visumque recepit;* unde *et continuo coepit praedicare Jesum, quoniam hic est Filius Dei,* Act. 9. Convenit hic sensus cum eo, quod in persona ministrorum Evangelii supra dixit: *Fiduciam autem talem habemus* etc., et iterum: *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur;* nec minus apte cum iis, quae deinceps sequuntur.

CAPUT QUARTUM.

Ideo habentes administrationem, juxta quod misericordiam [1]) consecuti sumus, non deficimus [2]). 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo [3]). 3. Quodsi etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum; 4. in quibus deus hujus saeculi [4]) excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi [5]), qui est imago Dei. 5. Non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum [6]), 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris

---

[1]) 1 Cor. 15, 9. seq. [2]) Vers. 8. [3]) Cap. 1, 12. 2, 17. [4]) Luc. 22, 53. Joann. 1, 5. Eph. 6, 11. 12. [5]) Cap. 3, 14. seq. [6]) 1 Cor. 1, 13. 3, 21.

lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu[1]). 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus[2]), ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis[3]). 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; 9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus[4]); 10. semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum[5]), ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali[6]). 12. Ergo mors in nobis operatur, vita[7]) autem in vobis. 13. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est[8]): Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur; 14. scientes, quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum[9]). 15. Omnia enim propter vos, ut gratia, abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus[10]); sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem[11]). 17. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis[12]), 18. non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur[13]). Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Scribit, se suosque collegas sincere et palam apud omnes (licet quidam prae mentis caecitate non credant) annuntiare Evangelium Christi; et quamvis infirmos et multis modis afflictos propter Christum, haudquaquam tamen deficere, videlicet ob spem repositae sibi pro temporaria afflictione gloriae aeternae.

1. *Ideo habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus.* Pergit Apostolus exponere ministrorum novae legis officium; ac porro de iis loquitur in prima persona, quod peculiariter suum ministerium Corinthiis, quorum erat Apostolus, commendatum esse vellet, maxime propter adversarios suos et obtrectatores pseudapostolos; ita tamen, ut simul etiam collegas suos, Titum, Silvanum, Timotheum, et alios comprehensos velit, qui cum ipso, sicut de Tito dicit infra cap. 12., *eodem Spiritu et iisdem vestigiis* ambulabant. Nam ideo scribit haec omnia numero plurali. In quibusdam codicibus loco vocis *administrationem,* legitur: *hanc administrationem;* in pluribus autem antiquis et probatis: *hanc ministrationem,* quod Graeco textui consonat: τὴν διακονίαν ταύτην. Et ita legit Tertullianus lib. de pudicitia, cap. 15.: *propterea*

---

[1]) Cap. 3, 5. 6. [2]) Cap. 5, 1. [3]) 1 Cor. 2, 4. 5. [4]) Cap. 1, 5. 8. Phil. 8. 10. Act. 14, 19. seq. 16, 22. seq. 19, 23. seq. [5]) Cap. 1, 10. 11, 23. Rom. 8, 36. [6]) Vers. 14. [7]) Cap. 1, 6. 7. [8]) Psalm. 115, 11. [9]) 1 Cor. 6, 14. [10]) Vers. 1. [11]) Cap. 7, 10. Rom. 5, 3. 4. [12]) Rom. 8, 18. 1 Petr. 1, 6. seq. [13]) Rom. 8, 24. seq. Phil. 3, 20.

habentes ministrationem istam. Juxta quod, Graece καθὼς, *sicut,* Ambrosius *prout.* Cum igitur, inquit, hoc tam excellenti ministerio fungamur, non nostris meritis, sed gratuita Dei benignitate et electione ad illud vocati, *non deficimus,* id est, *non segnescimus, defatigamur, degeneramus, negligentes sumus.* His enim modis Graecum verbum ἐκκακοῦμεν interpretes Latini reddunt. Sane videtur interpres noster optime vertisse: *non deficimus,* quemadmodum et Tertullianus legit; ut sensus sit: Non succumbimus malis et adversitatibus, quae nobis accidunt hujus ministerii causa; non concidimus animo. Nam et infra versu 16. repetitur idem verbum hac significatione, qua et accipitur in eo, quod dicit Ephes. 3.: *Peto, ne deficiatis in tribulationibus.*

2. *Sed abdicamus occulta dedecoris. Abdicamus,* Graece ἀπειπάμεθα. Quod etsi flexione sit praeteritum, ideoque Erasmus verterit: *rejecimus,* alii: *abdicavimus,* usurpatur tamen apud autores ut praesens. Unde et Tertullianus cum interprete nostro consentiens legit: *abdicamus,* et Ambrosiaster: *renuntiamus.* Quamquam et praeteriti significatio nihilominus quadrat. *Occulta dedecoris,* Hebraismus, id est, occulta dedecorosa, quae solent a peccantibus occultari, ne per ea in probrum et infamiam incidant. Hoc igitur est, quod dicit: longe sumus ab omni, etiam occulta, vitae turpitudine. Perstringit autem tacite pseudapostolos, qui philosophorum more, de quibus Rom. 1., foris quidem omnem honestatem et sanctitatem ostendebant, occulte vero turpes et obscoenas sectabantur voluptates. Quod genus hominum *sepulchris dealbatis* aptissime Dominus in Evangelio comparat, Matth. 23.

Quidam *occulta dedecoris* generalius interpretantur omne vitium occultatum, quia probrosum, uti praeterea sunt avaritia, fraus et dolus, quod hujusmodi significentur verbis sequentibus: *Non ambulantes in astutia,* etc. Nam et generaliter a Domino dictum est: *Omnis, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus,* Joann. 3. Verum nihil vetat, Apostolum hac parte voluisse diversum aliquid a sequentibus significare, quodque in hoc genere praecipuum sit.

Utrovis autem modo pars haec intelligatur, sentit Apostolus ac dicere vult, actiones suas ministerio sibi credito respondere; ut, quomodo ministerium est claritatis ac veritatis revelatae, sic et actiones sint ejusmodi, quae claram lucem ament, non quae latebras quaerant; quemadmodum ipse statim explicat, dicens: *Sed in manifestatione veritatis* etc. Nam, ut ait Dominus proxime post verba paulo ante citata, *qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus.*

Non ambulantes in astutia. Graece, ἐν πανουργίᾳ, *in versutia.* Sensus: Non versute et simulate conversantes cum hominibus, aliud loquentes, aliud cogitantes. Hic quoque notatur oblique pseudapostolorum hypocrisis, qui sese transfigurabant in Apostolos Christi et ministros justitiae, et hac specie dominationem exercebant in suos discipulos, et cupiditates suas explebant; ut infra declaratur cap. 11.

Neque adulterantes verbum Dei. Adulterantes, Graece δολοῦντες, vocabulum diversum ab eo, pro quo supra cap. 2. legebatur: *adulterantes,* sive *cauponantes,* καπηλεύοντες. Nam quod hic legitur, a dolo deductum est, unde alii vertunt: *dolo tradentes,* seu *dolo tractantes verbum Dei.* Res tamen eadem utrobique significata est. Nam dolum hoc loco, quemadmodum illic cauponationem, opponit Apostolus integritati ac sinceritati, quae requiritur in eo, qui verbum Dei ministret. Igitur adulterant, id est, dolose tractant Dei verbum, qui non dispensant illud, quale traditum est, integrum, purum ac sincerum; sed permixtione sapientiae saecularis aut Judaicae doctrinae corrumpunt et vitiant; aut certe in eo ministrando non Dei gloriam quaerunt, sed suis commodis obsequuntur; quae dum captant ab hominibus, placere iis volunt, et ut placeant, Dei

verbum ad eorum affectus accommodant. Talia pseudapostoli faciebant, quos idcirco subdolos operarios Apostolus appellat infra cap. 11. Ad istum fere modum Graeci commentatores hunc locum exponunt.

Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. In praepositio Graecis abest, et sine ea sensus constat. Nam quod Latini quidam partem illam: *sed in manifestatione veritatis,* a sequentibus sejunctam ad superiora referunt, repetito priore participio: *sed ambulantes in manifestatione veritatis,* ut illa media: *neque adulterantes verbum Dei,* parenthetica sint; nulla necessitate id faciunt, quum juxta Graecorum omnium, ac veterum Latinorum expositionem aptissime cohaereat ea pars cum iis, quae sequuntur.

Porro manifestationem veritatis intelligunt plerique manifestam et conspicuam rei veritatem, quod ad vitae conversationem attinet; ac si dicat Apostolus: Pseudapostoli per hypocrisin se commendant, volentes videri, quod non sunt; nos vero nihil in actionibus nostris simulantes, nuda veritate ac rebus ipsis nosmet ipsos commendamus omnium hominum conscientiae, sive credentium, sive non credentium. Quem sensum pulchre prosequitur Chrysostomus.

Alii referunt ad doctrinam hoc modo: Sed aperta sinceraque praedicatione veritatis evangelicae, probamus nos omnium conscientiis veros et idoneos Evangelii ministros ita, ut, si dicere velint homines quod sentiunt, negare non possint, nos Evangelii negotium agere sincere et ex animo, velut coram Deo judice, quem nemo fallere potest. Hic intellectus probe respondet ei, quod proxime praecedit: *non adulterantes verbum Dei;* quod utique de doctrina praecipue dictum videtur.

Verum quia secundum explicationem a nobis allatam complectitur etiam, quod ad mores pertineat, quemadmodum illud prius: *non ambulantes in astutia;* propterea plenius, ac, ni fallor, rectius hanc partem de veritate vitae simul et doctrinae exponemus, ut opponatur utrique membro praecedenti, sitque sensus: Tam vitae nostrae, quam doctrinae sinceritas omnibus est manifesta, ac se ipsam apud omnes commendat et probat adeo, ut nec ipsum Deum, qui cordium intuetur occulta, judicem refugiat. Colligitur hic sensus e Graecorum commentariis, et aperte traditur a Cajetano.

3. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum. In iis,* id est, apud eos; nisi malis (quod quidam annotant), *in* παρέλκον esse more Hebraeo. Quoniam dicens: *in manifestatione veritatis,* significavit, se palam ac manifeste Evangelium omnibus praedicare, ejusque claritatem, de qua superiori capite, omnium oculis offerre conspiciendam: quaerere poterat aliquis, cur igitur ipsum Evangelium non omnibus, quibus illud praedicabat, esset manifestum, sed multis adhuc opertum atque velatum. Quod enim interpres dixit: *opertum,* Graece est κεκαλυμμένον, *velatum,* a quo verbale nomen κάλυμμα, quod supra *velamen* transtulit. Respondet Apostolus, non a parte ministrorum novae legis id provenire, quasi lumen Evangelii sua praedicatione non satis ostendant hominibus; quomodo veteris legis minister Moyses sui vultus claritatem velo obtegebat, ne videretur a populo: sed id accidere vitio ipsorum hominum, qui, mente excaecati, manifestam Evangelii lucem non percipiant. Unde quod dixit capite praecedenti de Judaeis Evangelio non credentibus, velamen esse positum super cor eorum, id nunc universe de reprobis significat.

Nec vero sentit Apostolus, Scripturam sacram solis infidelibus ac reprobis obscuram esse, fidelibus autem et electis omnibus manifestam, id est, ad intelligendum facilem ac perviam; quod ex hoc loco sectarii quidam docere conati sunt. Neque enim de Scripturis intelligendis aut interpretandis hic agitur, sed de

Evangelio palam praedicato, quod reprobi non recipiunt, sed electi; aut si recipiunt illud reprobi, non ita tamen, ut oportet; quia non ei acquiescunt faciendo, quae lex Evangelii praecipit; aut si sic aliquando recipiunt, non id faciunt perseveranter. Itaque sensus est: Quod si adhuc velatum et occultum est quibusdam Evangelium, quod praedicamus, duntaxat iis, qui pereunt, id est, reprobis, velatum est et occultum, ac si dicat: Non ideo frustratur aut ministerium nostrum, aut intentio nostra; non enim propter reprobos, sed propter electos praedicamus. *Omnia* namque *propter electos, ut ipsi salutem consequantur*, ait 2 Tim. 2.

4. *In quibus Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium. Mentes*, Graece *νοήματα*, quod capite superiori vers. 14. *sensus* transtulit, quemadmodum Ambrosiaster legit etiam hoc loco tametsi res eadem significatur. Nam sensus intelliguntur mentis, non corporis. Abusi sunt olim hoc loco Marcionitae et Manichaei ad statuendum duo rerum principia seu duos deos, quorum alterum bonum dicebant, alterum malum, sive, ut Marcion, justum, sed non bonum. Et hunc quidem hujus saeculi, alterum vero alterius ac melioris saeculi Deum seu principem faciebant; denique hunc esse veteris, illum novi testamenti Deum. Quam haeresim semper ut impiam merito detestata fuit Ecclesia.

Multi, quo praesentem locum ab hujusmodi sensu vindicent, ad hyperbaton confugiunt, ordinantes sententiam hoc modo: In quibus Deus excaecavit mentes infidelium hujus saeculi; ut Deus intelligatur verus ac bonus, qui excaecare dicatur infidelium mentes, non malitiam impertiendo, sed gratiam non largiendo, qua praedicato sibi Evangelio credant. Ita distinguit et exponit Chrysostomus, quem caeteri commentatores Graeci sequuntur. Exstat eadem distinctio apud Latinos, Ambrosiastrum, Primasium, Sedulium, et alios posteriores; imo et apud antiquissimos illos, quibus adversus Marcionem disputatio fuit, Irenaeum, inquam, lib. 3. contra Gnosticorum haereses, cap. 7., ac rursum lib. 4., cap. 48., et Tertullianum lib. 5. contra Marc. cap. 11. Sed et Augustinus libro 21. contra Faustum Manich. cap. 2. testatur, plerosque catholicorum uti memorata distinctione, quam et ipse recipit tam eo loco, quam altero, qui est contra advers. leg. et proph. lib. 2., cap. 7. et 8., ostendens ex aliis Scripturis, quomodo recte dicatur ac sane intelligatur, Deum excaecare mentes quorundam; id enim facere, *non malitia, sed justitia;* videlicet ob merita praecedentium peccatorum.

Veruntamen aliis affectata, nec parum violenta videtur haec constructio, cum praesertim ratio non esset, quare cum adjunctione diceret Apostolus: *infidelium hujus saeculi;* quandoquidem, ut ipse Chrysostomus fatetur, *futurum saeculum infideles minime habiturum est, sed hoc solum, quod nunc fluit.*

Alii proinde, sequentes ordinem verborum Apostoli, Deum hujus saeculi interpretantur Deum verum, utpote rerum omnium, tam visibilium, quam invisibilium conditorem, et utriusque saeculi, tam praesentis, quam futuri principem; quem hoc loco Deum hujus saeculi Paulus appellare voluerit, ut innueret, ex rebus saltem corporeis et visibilibus Deum ab omnibus cognosci debuisse. Referunt hanc expositionem, nec improbant Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius, quamvis eam non praeferunt superiori.

Sed quia Scriptura nusquam alibi Deum verum vocat Deum hujus saeculi, magis autem uti solet appellatione hujus saeculi in malam partem; sive ad significandam creaturam vanitati subjectam, Rom. 8.; sive ad hujus saeculi vel cupiditates, vel amatores designandos, velut Roman. 12.: *Nolite conformari huic saeculo*, et 2 Tim. 4.: *Demas me reliquit, diligens hoc saeculum*, et addito epitheto, Galat. 1.: *ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam;* propter hoc alii Deum quoque hujus saeculi in malum interpretantur, arbitrantes, non alium eo nomine significatum esse, quam

illum, quem Dominus apud Joann. cap. 12. 14. et 16. principem hujus mundi vocat, id est, diabolum. Quod mirum non est, quando et angeli ejus, id est, daemones, a Paulo 1 Cor. 2. *principes hujus saeculi,* et Eph. 6. *κοσμοκράτορες, mundi rectores,* seu principes appellantur. Quibus et deorum nomen in Psalmis passim adscribitur. Unde est illud Psalm. 95. secundum LXX.: *Omnes dii gentium daemonia.*

Vocatur autem diabolus a Paulo hujus saeculi Deus eadem prorsus ratione, qua Christus, apud Joann. locis jam citatis, eum vocat hujus mundi principem; quia nimirum (uti fere exponunt) iis principatur, qui terrena ac peritura bona coelestibus atque aeternis anteponunt; quales in hoc mundo plurimi sunt.

Hunc commentarium, qui diabolum interpretatur hujus saeculi Deum, adeo non rejicit Augustinus, ut eodem adversus Faustum libro, cap. 9., necnon lib. 2. contra legis advers. cap. 7., doceat, etiam aliis Scripturis esse consentaneum. Exponit autem Deum *hujus saeculi,* id est, *hominum impiorum, non nisi in hoc saeculo florere volentium.* Meminit quoque Tertullianus hujus interpretationis, utique tamquam simplicioris, loco prius citato. Videtur et Primasius hunc sensum probare; licet *propter calumniantes,* ut ait, *ita pronuntiandum sit, ut dicamus, Deum mentes infidelium hujus saeculi excaecasse.* Referunt autem hunc commentarium una cum prioribus etiam alii Latini, nominatim Lombardus et S. Thomas; imo hic et solum adfert tamquam germaniorem in Summa, p. 1. qu. 65. artic. 1. Quin et inter Graecos Cyrillus sub initium disputationis adversus Julianum apostatam, idemque ab Oecumenio citatus, Satanam hoc loco vult intelligi, quem idcirco Deum hujus saeculi vocatum ab Apostolo putat, quod tails a gentilibus existimatus et creditus fuerit. Quamquam nobis prior ratio ab aliis allata magis placet, quam et ipse Cyrillus adfert l. 8. super Joann. cap. 16., docens, ideo diabolum hujus mundi principem a Christo nuncupari, quia mundo sive saeculo dominatur, id est, pravis hominibus, *qui saecularia sectantur desideria.*

Potest autem et haec ratio videri, cur hujus mundi princeps et hujus saeculi Deus vocetur, quia mundum hunc inferiorem, in quo nos versamur, sibi quodammodo subjectum habet: quatenus scilicet in poenam peccati, quod in hunc mundum invexit, et per quod hominem sibi subegit, data est ei potestas (restricta tamen arbitrio voluntatis divinae) tam spiritualiter, quam corporaliter hominibus nocendi per elementa ac res caeteras humanis usibus subservientes. Propter quam causam et cibus, quem sumimus, *sanctificatur per verbum Dei et orationem,* 1 Tim. 4.; vide ejus loci commentarium nostrum, et quae diximus ad illud Rom. 8.: *Vanitati creatura subjecta est,* et ad illud 1 Corinth. 2.: *Quam nemo principum hujus saeculi cognovit;* item quae dicturi sumus ad illum locum Eph. 2., ubi diabolum Paulus appellat *principem potestatis aëris hujus,* ac praecipue ad illa verba cap. 6. ejusdem epistolae: *Adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus.*

Sensum quendam ab omnibus superioribus diversum huc adducit Cajetanus. Censet enim, *Deum hujus saeculi* ab Apostolo vocari, *dilectum quemque finem ab hominibus, qui affecti sunt his transitoriis; sive ille finis sit delectatio carnis, sive gloria, sive quodcumque aliud transitorium. Et talis finis,* inquit, *Deus hujus saeculi vocatur, sicut venter Deus deditorum gulae,* Philipp. 3. Cujus commentarii glossator quoque meminit, et post eum alii nonnulli. Sed cum varii sint fines hominum diligentium hoc saeculum, non diceret Apostolus Deum, sed Deos hujus saeculi excaecasse mentes eorum, si hunc sensum voluisset.

Porro quod ait: *In quibus,* et mox: *infidelium,* eodem referendum est, ut verborum ejus hic ordo sit et sensus: Obvelatum est Evangelium nostrum iis, qui

pereunt, hoc est, iis infidelibus, quorum mentes hujus saeculi deus, id est, diabolus excaecavit, dum pravis suggestionibus et suasionibus eos avertit a fide Evangelii ipsis annuntiati; quemadmodum id Augustinus exponit lib. 21. contra Faustum, cap. 9. Significatur autem his verbis velum oppositum mentibus infidelium; ipsa nimirum caecitas inducta a diabolo.

Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi. Codices, in quibus *illis* vel *eis* non additur, defectivi sunt. In Graeco et Syriaco legitur, ut et in Latinis vetustis ac probatis, quorum alia *eis* habent, alia *illis.* Atque hinc conjici potest occasio pronominis a scribis praetermissi, quod nempe duae continuae dictiones *illis* et *illuminatio* litteras easdem haberent initiales. *Ut* particula vel consecutive capitur, si videlicet in parte praecedenti Deum verum intelligas; vel potius id, cujus gratia denotat; est enim Graece: εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι, alii διαυγάσαι αὐτοῖς, id est, *ad hoc, ne fulgeat,* vel *transfulgeat eis,* et caetera.

Ex quo rursus argumentum sumitur, Deum hujus saeculi diabolum intelligi, cujus studium est impedire, ne lumen Evangelicum affulgeat infidelium mentibus. Textus Ambrosianus sensum magis, quam verba reddit: *Ut non pervideant lumen Evangelii majestatis Christi.* Caeterum persistit Apostolus in allegoria luminis, gloriae seu claritatis, et veli. Dicit itaque, diabolum velo quodam excaecationis obtegere mentes infidelium, reproborum, ut eas suis radiis non attingat lumen Evangelii, cujus praedicatione gloria Christi per Apostolos, ipsius ministros, ejusque lumine perfusos, ad aliorum illuminationem toto mundo diffunditur.

Qui est imago Dei. Quod in quibusdam Graecis additur τοῦ ἀοράτου, *invisibilis,* non est hujus loci, sed huc temere transscriptum ex simili loco, qui est Coloss. 1, 15. Nam hic quidem nullus illud interpretum agnoscit, et absque eo citat hanc Pauli sententiam Tertullianus lib. 5. adversus Marcion. cap. 11. Hic observa profunditatem sensus apostolici, quo tandem universum hoc lumen, de quo locutus est, ad Deum refert, ut fontem totius luminis. Nam mundus ab Apostolis illuminatur; Apostoli a claritate Christi lumen recipiunt, velut Moyses a claritate angeli sibi apparentis, qui procul dubio Christi personam gerebat. Christus autem, cum sit imago Dei, non qualiscumque, sicut homo, ad imaginem et similitudinem Dei factus, Genes. 1., sed omnibus, ut ita dicam, numeris absoluta atque perfecta, non quidem illuminatur a Deo, quia lumen non accipit participative; sed a Deo Patre emanat tamquam lumen de lumine. Loquitur enim Apostolus de Christo secundum naturam increatam, secundum quam imago Dei dicitur et hoc loco, et Coloss. 1., quia natus ex Deo, perfectissime Patrem Deum repraesentat, adeo ut, rogatus ostendere Patrem, responderit: *Qui videt me, videt et Patrem,* Joann. 14. Qua ratione etiam Hebr. 1. vocatur *splendor gloriae Dei, et figura substantiae ejus,* et Sapient. 7. *candor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.*

Ex quibus et illud intelligitur, Apostolum dicentem de Christo, quod sit imago Dei, non solum attendere in eo nomine relationem ad exemplar, id est, ad Patrem, cujus est imago; verum etiam ad eos, qui imaginem intueri possunt, id est, rationalem creaturam, quae in Christo tamquam imagine Patrem cognoscat; ac si dicat Paulus, Christum nobis esse imaginem Dei, primum quidem Apostolis, qui propius eum intuiti sunt, deinde et caeteris per Apostolos ad eandem imaginem intuendam adductis. Sic enim, qui vident Christum, vident et Patrem, ut, qualem quantumque ex operum et doctrinae consideratione cognoscunt Filium, talem ac tantum cognoscant et Patrem. Ita Pater, qui per se ipsum invisibilis est, visibilem quodammodo sese exhibet in imagine sua, id est, in Filio. Porro quaenam in universum ad imaginis perfectae rationem requirantur, et utrum etiam Spiritus sanctus imago Dei dici

possit aut debeat, explicatum est a nobis ad dist. 27. lib. 1. sent.

5. *Non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum.* Graece: *sed Christum Jesum Dominum,* absque pronomine *nostrum,* quod et omittunt vetusta quaedam latina, Primasii quoque textu suffragante. Significat Apostolus, cur addiderit: *gloriae Christi,* simulque verum officium ministri evangelici pergit declarare. *Non enim,* inquit, *nosmet ipsos praedicamus,* hoc est, in Evangelio praedicando non nostram spectamus gloriam, nec nostrae studemus utilitati, quemadmodum faciunt pseudapostoli; sed praedicamus *Jesum Christum Dominum,* id est, omnis praedicatio nostra ad eum refertur, ut Dominum nostrum, vel absolute; ut Dominum totius creaturae, etiam secundum humanam naturam. *Omnia* namque *subjecta sunt ei,* 1 Cor. 15., et ipsum Deus *constituit haeredem,* ac proinde Dominum *universorum,* Heb. 1.

Nos autem servos vestros per Jesum. Nos, Graece ἑαυτοὺς, *nos ipsos,* ut prius. Non dicit autem, servos Jesu, quod consequenter videbatur dicendum, quia Jesum dixerat Dominum; sed id dicit, quod est longe inferius atque humilius: *servos vestros.* Attamen, ne nimis abjecte de suo ministerio loqui aut sentire videatur, addit: *Per Jesum,* vel ut habent Graeca et Syriaca: *propter Jesum;* quemadmodum etiam legunt atque exponunt Ambrosiaster et Sedulius. Videtur autem in hac parte non repetendum verbum, quod praecessit: *praedicamus* (non enim in eo versabatur Apostolorum praedicatio, ut annuntiarent, se esse servos hominum); sed aliud quippiam supplendum, velut: exhibemus, fatemur aut profitemur, aut quid simile; ut sensus sit: Nosmet ipsos autem vobis exhibemus ut servos; palam fatemur, nos non aliud esse, quam servos vestros propter Jesum Dominum, a quo ministerium hoc nobis injunctum est; *servos,* inquam, *vestros,* quia more servorum nos totos impendimus utilitati et saluti vestrae procurandae. Quo item sensu de se ait 1 Cor. 9.: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* Si cui videatur in hoc membro repetendum verbum *praedicamus,* id fiet per syllepsin quandam; cum idem verbum, plura concipiens, minus proprie refertur ad id, quod est remotius; veluti verbum *laxat* in carmine Virgiliano 2. Aeneid.:

Inclusos utero Danaos, et pinea furtim
Laxat claustra Sinon.

Sic ergo praedicare, respectu hujus membri, erit profiteri.

6. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris. Ipse* multis in codicibus non legitur; ut nec in Graeco est, nec apud Tertullianum, nec apud commentatores Ambrosium et Primasium; sed ejus loco Graeca et Syra cum nonnullis Latinis mss., annuente etiam Primasio, repetunt relativum *qui.* Ne autem pendeat imperfecta oratio, verbum *est,* quod Hebraeo more tacetur, intelligi debet ad initium sententiae, supplendae ad hunc modum: *Quoniam Deus* est, *qui dixit, de tenebris lucem splendescere, qui illuxit in cordibus nostris.* Pro *splendescere* et *illuxit,* quae in Graeco sunt ejusdem thematis verba, λάμψαι et ἔλαμψεν, Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 8., et alibi legit: *splendescere* et *splenduit,* potius, quam ut Erasmus vertit: *illucescere* et *illuxit.*

Porro rationem hic reddit Apostolus, quare dixerit: *Non nosmet ipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum.* Et sensus est: Quia *Deus* est, *qui dixit,* id est, jussit, suae voluntatis imperio fecit *de tenebris,* vel, ut in Graeco, *e tenebris,* scilicet illis, quae prius *erant super faciem abyssi, lucem splendescere,* dicendo: *Fiat lux;* ut habetur Genes. 1. Et idem est, qui *resplenduit in cordibus nostris,* id est, lumen fidei et cognitionis mysteriorum Christi mentibus nostris, id est, Apostolorum, infudit ac superfudit. Nam quod apud Chrysostomum, eumque solum, pro

nostris, ἡμῶν, legitur: *vestris*, ὑμῶν, Apostoli scopo non est accommodum.

Patet ex sensu, quem dedimus, illud *e tenebris* non materiam subjectam, sed terminum, a quo procedat mutatio, denotare; nec eum, qui solo naturae seu rationis ordine lucem praecesserit, ut vult Cajetanus juxta suam illam opinionem, qua scribens super Genesim docuit, omnia simul in principio creata fuisse; sed qui praecesserit ordine temporis ac realis exsistentiae; quippe cum perspicue tradat Scriptura, tenebras exstitisse, priusquam lux fieret. Simul autem indicat Apostolus, allegoriam subesse memoratae historiae Genesis, qua nimirum doceamur, Deum, sicut verbo fecit e tenebris lucem splendescere, itidem verbo, hoc est imperio et efficacia suae voluntatis, ex infidelibus facere fideles. Nam infideles tenebrarum, et fideles lucis nomine significari, ipse docet alibi, ita fideles alloquens: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*, Eph. 5.

Ad illuminationem scientiae claritatis Dei. Sive ex Graeco: *Ad illuminationem cognitionis gloriae Dei*, quemadmodum et Tertullianus legit libro de resurr. carn. cap. 44. Potest autem istud duobus modis accipi; vel de Apostolis illuminatis, hoc sensu: Deus infulsit cordibus nostris, illuminans nos notitia gloriae suae, id est, notitia mysteriorum, in quibus ipse glorificatur; qui Graecorum commentarius est. Vel melius de Apostolis illuminantibus, ut sit sensus: Deus illuxit nobis, ut nos illuminaremus alios, refuso videlicet a nobis in illos eodem lumine cognitionis gloriae ejus. Qui sensus optime respondet superioribus, et ministerium evangelicum explicat. Estque locus similis Ephes. 3., ubi, de eodem suo ministerio agens, dicit, sibi datam esse gratiam hanc, *illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Sensum hunc posteriorem tradunt Latini, Ambrosius, Primasius, Hervaeus, S. Thomas ac caeteri; tametsi quidam, ut Lombardus et Carthusianus, adferant etiam priorem.

Non debet autem alienum videri, si dicantur Apostoli mundum illuminasse; quamvis id Christo proprium sit, de quo Joann. 1.: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem.* Qui et de se ipso testatur: *Ego sum lux mundi*, Joann. 8. Siquidem et Apostolis suis honorem illius nominis communicatum voluit, dicens eis: *Vos estis lux mundi*, Matth. 5. Quapropter et Ecclesia non immerito suis hymnis eos salutat *vera mundi lumina.* Verum aliter Christus, aliter illi lux mundi sunt. Christus enim lux est principaliter illuminans mundum, videlicet sua lege, suaque doctrina et gratia; Apostoli vero, Christi legem, doctrinam et gratiam praedicando, mundum illuminare dicuntur; utique tamquam illius ministri et vicarii, idque juxta veriorem intelligentiam ejus, quod sequitur:

In facie Christi Jesu. Graece ἐν προςώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in facie*, vel *persona Jesu Christi.* Nam πρόςωπον, ut faciem, ita et personam significat, quod ex facie soleat persona cognosci. Jacobus Faber transtulit: *in persona;* sicque etiam ex Syriaco reddidit Fabricius. Nec secus legit Tertullianus lib. 5. contra Marc. cap. 11. et de resurr. carn. cap. 44. Si faciem intelligas, poterit hic esse sensus: Claritatis seu gloriae Dei, quae refulget in facie Christi, id est, in Christo, qui est imago Dei; ut rursus allusio sit ad Moysem, cujus in vultu gloria Dei refulsit. Hoc enim fere modo partem hanc exponunt, qui *faciem* legunt. Si vero personam interpreteris, bifariam id exponi potest. Nam secundum Cajetanum (cui etiam placet haec lectio) significatur gloria Dei, id est, ipsa Deitas esse in persona Christi, quia Christus est verus Deus. Ad cujus mysterii notitiam aliis communicandam Apostoli divinitus erant illuminati.

Verum quia gloria seu claritas Dei nusquam in praecedentibus accipitur pro Deitate, sed generatim pro gloria mysteriorum Dei, seu pro mysteriis ipsis gloriosis; idcirco rectius et faciliori commentario sic exponitur hic locus de persona

intellectus: Quod officium illuminationis exsequimur et exercemus *in persona Jesu Christi,* id est, nomine, vice et autoritate Christi, cujus nos hac in parte legati sumus et ministri. Sic enim supra cap. 2. dixit, se donasse *in persona Christi.* Et hunc sensum aliis verbis exprimit infra, capite proximo, dicens: *Pro Christo legatione fungimur,* et iterum: *Observamus pro Christo.* Proinde eadem Paulo sunt *in persona Christi,* et *pro Christo.*

Congruit hic sensus cum eo, quod dixit: *Non nosmet ipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum; nos autem servos vestros propter Jesum,* cujus scilicet legati sumus. Imo convenit cum universo Apostoli scopo, qui est commendare ministerium evangelicum a dignitate Domini, cujus in eo ministerio persona geritur. Exstat hic sensus apud veteres Latinos, Pelagium, Primasium et Sedulium, quamvis usos textu, qui haberet: *in facie Jesu, hoc est vice Jesu, ut pro quo legatione fungimur.* Pelagius cum dixisset: *Quae claritas est in facie Christi major quam Moysi,* ita subjungit: *vel in persona Christi nos* (Apostoli) *homines scientia illuminamus.* Primasius quidem loco glossematis tantum scribit: *in persona Christi,* sed eodem sensu cum glossa Pelagii, ex quo solitus etiam verbatim multa decerpere.

Caeterum inter recentiores sensum hunc bene explicat Faber, tam in commentario, quam in examinatione litterae. Similiter Gaignaeus et Guilliaudus, tametsi nec priorem, qui a Graecis traditur, praetermittant. Valla quoque in suis annotationibus *personam* intelligi mavult, argumento similis loci, quem diximus cap. 2. Nam quod ajunt, qui *faciem* malunt, Apostolum alludere ad faciem Moysi, in qua refulsit claritas Dei; quasi dicat, eam in facie Christi refulsisse majorem, quod et Pelagii prior habebat expositio: falli in eo videntur. Non enim Paulus in superioribus Moysem contulit cum Christo, sed cum ejus Apostolis, Evangelii ministris. Cur autem Graeci de persona nihil meminerint, ea ratio est, quod illuminationem intellexerint passive de Apostolis illuminatis. Cui sensui non congruit πρόσωπον interpretari *personam.* Neque enim illuminati, sed illuminantes Christi personam gerunt. Jam quod ex neotericis quidam *in facie Christi* interpretantur in conspectu Christi, seu coram Christo, cur id textui Graeco non videatur accommodatum, satis ostendisse me puto ad illud cap. 2.: *In persona Christi.* Certe Graecorum nullus hunc locum sic interpretatus est.

7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* Graece: ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, *in testaceis vasis,* quomodo legit Tertullianus lib. de resurr. cap. 7. et 44. Prosequens Apostolus institutum suum, removet objectionem, quae moveri poterat ex supra dictis. Dixerat enim, ministerium novae legis multo magis esse in gloria, quam ministerium veteris. At id plane falsum apparebat; quandoquidem Apostoli, novae legis ministri, essent homines inglorii, mundo contemptibiles, et multis obnoxii pressuris, aerumnis ac periculis. Primum itaque docet, in eo ipso Deum glorificari, quod per tales homines Evangelium suum mundo publicet; dum eos inter tot mala, quibus Evangelii causa premuntur, incolumes conservat. Deinde vero ostendit, gloriam ministrorum Evangelii, de qua locutus est, non in hac vita manifestandam, sed in futura.

Porro *thesaurum,* tamquam rem valde pretiosam, vocat munus sibi creditum a Deo, hoc est, ipsum ministerium Evangelii. Hunc enim thesaurum intelligi, superiora declarant; illud maxime, quod hujus capitis initio dicitur: *Habentes hanc ministrationem.* Neque tamen aberrant, qui thesaurum intelligunt illuminationis, de qua versu praecedenti; vel ut B. Thomas et alii, idque suffragante Tertulliano, qui thesaurum interpretatur de lumine. Nam ministerium evangelicae praedicationis ministerium est illuminationis, ut sane videatur Apostolus, post illuminationis unam et alteram mentionem vasa fictilia nominans, alludere velle ad lumina, quae portantur in vasculis,

olim plerumque fictilibus. Simul autem per hoc significatur, istum thesaurum ab Apostolis non occultari, sed palam mundo exhiberi, more lucernae evangelicae, positae *super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt,* Matthaei 5.

Porro thesaurum hunc habere sive gestare dicuntur Apostoli in vasis fictilibus, non solum quia corpore mortales erant, quod omnibus est hominibus commune; sed etiam quia viles hominum aestimatione, ut qui rudes essent scientiarum saecularium, iidemque ignobiles et inopes, eoque propensius propter Evangelium, quod praedicabant, omnium injuriis expositi; quemadmodum de iis memorat Paulus in priore epist. cap. 4., necnon in consequentibus hujus loci. Igitur *in vasis fictilibus* seu testaceis utrumque Paulus considerat, et quod fragilia sint, et quod vilia, nimirum ex luto facta.

Per ea vero significat vel corpora, vel ipsos homines luteorum vasculorum instar fragiles, et contemptibiles propter ea, quae in corporibus patiuntur; ut sensus sit, Apostolos gestare pretiosum ac lucentem evangelici ministerii thesaurum in se ipsis tanquam vasis fictilibus. Sensum enim hunc sequentia videntur exigere, quae personis magis, quam corporibus attribuunt ea, quae ad contemptum pertinent; uti sunt: pressuras, anxietates et persecutiones pati.

Ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. Graece prior pars sic habet: *ut excessus* (ὑπερβολὴ) *virtutis sit Dei.* Hieronymus lib. 3. dialogi contra Pelagianos, cap. 3., citat hoc modo: *Ut abundantia fortitudinis nostrae sit ex Deo.* Sed rectius habet, quod alii veteres legunt: *Ut eminentia virtutis sit Dei.* Ita textus Ambrosianus, necnon Augustinus epist. 143., serm. 15. de verbis Apost. cap. 11. et alibi, et ante eos Tertullianus advers Marcion. lib. 5., cap. 11. Nisi quod in verbo *sit* collocando variant trifariam: *sit virtutis Dei, virtutis sit Dei, virtutis Dei sit.* Porro *virtutis,* Graece δυνάμεως, id est, potentiae; quam Hieronymus dixit fortitudinem.

Quod ad syntaxim et sensum hujus partis attinet, Theophylactus ordinem verborum, qui est in Graeco, secutus, virtutem, cum sublimitate construit, non cum Deo. *Ut,* inquit, *magnitudo et excellentia virtutis, quae in nobis appareț, Dei sit,* hoc est, tota Deo tribuatur, uti declarat sequentibus verbis. Id ipsum prorsus voluit Hieronymus, quando de suo addidit: *nostrae,* et pro *Dei* dixit: *ex Deo.* Sic enim et Syrus interpres transtulit: *ut magnitudo virtutis ex Deo sit.* Eandem constructionem sequitur Cajetanus, quae et Laurentio probatur, et Erasmo placuit usque adeo, ut ejus commonstrandae causa vocabulum *virtutis* longius a *Dei* removerit, vertens ad hunc modum: *ut virtutis eminentia sit Dei.*

At vero Latini plerique enarratores, cum quibus facit Tertullianus, ordinem verborum, qui est in vulgata versione, secuti, virtutem Deo jungunt; idque profecto melius, ac pro consuetudine Pauli, qui libenter meminit virtutis seu potentiae Dei, sicubi de fructu et profectu Evangelii loquitur. Unde Rom. 1. Evangelium vocat Dei virtutem, et 1 Cor. 2. sic ait: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei,* et hujus epistolae cap. 6.: *In verbo veritatis, in virtute Dei,* et 2 Tim. 1.: *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei.* Nec quidquam obstat ordo verborum in Graeco, cum nemo nesciat, ordinem grammaticae constructionis a verborum ordine saepenumero discrepare. Quocirca Chrysostomus quoque et, praeter Theophylactum, caeteri Graeci cum Latinis sentiunt, plane ac perspicue virtutem ad Deum referentes; atque eo Chrysostomum adducit illud, quod Dominus ad Paulum ait: *Virtus mea in infirmitate perficitur,* infra cap. 12.

Sensus igitur Paulinus est hujusmodi: Quod pretiosum hunc thesaurum evangelici ministerii portamus in vasis fictilibus, id propterea voluit Deus, ut omne bonum, ex illo thesauro proveniens, attribueretur

potentiae Dei, et non ex nobis esse crederetur; id est, ut tam incolumitas nostra inter tot adversitates et pericula, quam fructus evangelicae praedicationis, qui secuturus erat maximus et amplissimus, non hominum evangelizantium viribus, aut industriae, aut sapientiae adscriberetur, sed virtuti divinae. Quamvis enim omnia bona Deo sint autori tribuenda, etiam tunc, quando vel maxime humana adhibetur industria, sapientia et potentia; non tamen ita declaratur et apparet Dei virtus, illis adhibitis, sicut conspicitur et agnoscitur sine illis. Nam etsi fatendum sit, exempli gratia, victoriam omnem esse a Deo, sive quis vincat in multis, sive in paucis; magis tamen apparet, Deum dare victoriam, quando pauci multos superant.

8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Ostendit Dei virtutem in eo, quod vasa fictilia, quae thesaurum portant, inter tot cadendi et frangendi pericula conservet. *In omnibus,* Graece: ἐν παντὶ, *in omni,* quod fere vertunt: *in omnibus.* Quamquam hoc loco non incommode verti potuit: *varie, multifariam.* Nam eo facilius etiam ad sequentia membra referetur. Vide, quae diximus ad illud 1 Corinth. 1.: *In omnibus divites facti estis.* Pro verbis, quae hic in sequentibus habentur, in Graeco participia sunt passiva praesentis temporis; quae quia Latine cum eodem tempore reddi non possunt, consulto noster interpres ea mutavit in verba. Quod et Erasmus imitatus est, ita vertens: *Dum in omnibus premimur, at non anxii reddimur,* etc., ubi melius dixisset: *at non coarctamur,* ut habet alia quaedam versio. Textus Ambrosianus participia retinet: *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati,* etc. Similiter Hilarius super Psalm. 118.: *In omnibus tribulati, sed non angustiati.*

Sensus est; Quamvis undique premamur rebus adversis, non tamen ita redigimur in angustum, ut comprimamur et conteramur; sed Dei ope servamur in mediis pressuris. Hunc sensum exigunt Graeca: θλιβόμενοι, στενοχωρούμενοι. Quidam hic angustiam interpretantur animi anxietatem; quod expressit Erasmus verbis memoratis suae versionis. Atqui Pauli institutum hoc loco non est declarare virtutem Dei in eo, quod Apostoli in mediis malis, quae propter Evangelium patiebantur, animo non deficerent, quod erat fortitudinis et constantiae; sed quod inter tot moriendi pericula servarentur in vita; velut si vasa fictilia atque fragilia vehementer agitata non frangantur. Id Paulum velle, patebit amplius ex versibus 10. et 11. Quae res observata juvat etiam ad trium sequentium pericoparum veram intelligentiam. Et tamen haec non ita sunt accipienda, quasi Deus suos Apostolos perpetuo servet, ne tandem malis opprimantur et occumbant (sic enim martyrii gloriam numquam adipiscerentur); sed tamen eo usque, dum tempus advenerit ab ipso constitutum, quo, pro ministerio fideliter ac sufficienter expleto, velit eos evocatos ex hac vita coronare.

Aporiamur, sed non destituimur. In Graeco jucunda est allusio verborum simplicis et compositi, ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι; quasi dicas: *aporiati, sed non exaporiati;* quorum simplex Graecis significat in re difficili inopem consilii, ideoque haerentem ac nescientem, quid facto opus sit; compositum vero eum, qui, evadendi consilio ac spe destitutus, obruitur periculo, nec evadit. Itaque Latinum verbum *aporiamur* a Graeco fictitium est, ac Latine verti poterat: *haeremus, inopes consilii sumus.* Textus quidem Ambrosianus sic habet: *Inopiam passi, sed non destituti,* quod commentator ad inopiam rerum necessariarum retulit, dum sic exponit: *Id est, in inopia positis adfuit Pastor Deus.* Eadem significatione Graecum verbum accepit Theophylactus, item Faber et Erasmus, tam in versione, quam in paraphrasi; quos et Cajetanus sequitur. Imo Latinorum haec fere communis est interpretatio, quorum vetustissimus Tertullianus in Scorpiaco cap. 13. Graecarum vocum paronomasiam ita Latine reddidit: *indigemus, sed non perindigemus.*

Verum prior verbi significatio, quam dedimus, magis apud Graecos in usu est, eamque spectarunt in suis scholiis Theodoretus et Oecumenius. Nec secus accepisse videtur Basilius in reg. brev. resp. ad interrog. 270., si bene transtulit ejus interpres: *Aporiamur, id est, summis circumvenimur difficultatibus.* Eidem sensui congruit, quod habet Syra translatio: *Conquassamur.* Posterius verbum ἐξαπορεῖσθαι etiam supra legimus cap. 1., ubi nostra versio habet: *ita ut taederet nos etiam vivere,* et alii verterunt: *ita ut etiam de vita desperaremus.*

Neque tamen secum pugnat Apostolus, hoc loco de se suisque collegis id negans, quod illic affirmare videtur. Nam illic eo verbo significare voluit, non modo consilii inopem in periculo se fuisse; sed omnino putasse, quod non esset evasurus, tamquam mortis in semet ipso responsum habens, ut ibi loquitur. Hic vero sentit, Apostolos, etiam in tanta desperatione vitae positos, divina tamen ope non destitui. Cujus rei praeter alia fidem faciunt ea, quae Lucas narrat de Apostolis Petro, Paulo et aliis, vel e carcere mirabiliter eductis, vel aliter ab instanti periculo toties liberatis, ut Actorum 5. 12. 14. 16. 19. et 27. Quo pertinent et ea Pauli pericula multa et magna, quae in hac eadem epist. cap. 11. enumerat, e quibus omnibus suum Apostolum Dominus eripuit.

9. *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.* In persecutionibus, inquit, quas causa ministerii nostri patimur et quibus agitamur, non deserimur a Deo; non permittit nos Deus a persecutoribus occidi, quamvis permittat comprehendi et male mulctari; vult enim nos servare ad majorem Evangelii fructificationem. Sequitur hoc loco in multis libris: *Humiliamur, sed non confundimur.* Quod et Lombardus, et alii posteriores exponunt, glossam ordinariam secuti. Exponunt autem hoc modo: Affligimur et contemnimur, nec tamen erubescimus, quia causa non subest erubescendi; quippe qui inculpate versemur in sancto ministerio.

At sciendum, hanc partem nec in Graeco legi, nec in Syriaco, nec in Latinis mss. probatioribus; sed nec apud veteres scriptores, uno dempto Sedulio, vel expositam, vel citatam reperiri. Tertullianus in Scorpiaco et Augustinus in Speculo, totum hunc Pauli locum referentes, istam pericopem non agnoscunt. Hervaeus quoque, tametsi recentior, non attingit; ubi imperite quispiam ad marginem annotavit: *Hic videtur aliquid deesse.* Quapropter recte castigatores Romani partem hanc ut adscititiam e textu submoverunt. Nam et revera non convenit instituto praesentis loci. Non enim hic agitur, quomodo fuerint affecti in afflictionibus et contumeliis Apostoli, sed quod divinitus inter tot et tanta pericula conservati.

Dejicimur, sed non perimus. Dejectio significare videtur periculi magnitudinem, ut cum quis in pugna ab adversario dejicitur in terram, et prostratus tenetur, jamjam, nisi quis opem ferat, occidendus. Quamvis, inquit, in tam gravia pericula saepe incidamus, ut videamur illico perituri, tamen, Deo opitulante, custodimur, ne pereamus. Idem aliis verbis repetit infra cap. 6.: *Quasi morientes, et ecce vivimus.*

Jam ex hac quatuor pericoparum explicatione, quarum quaeque bimembris est, intelligitur, erga vasa fictilia, thesaurum evangelici ministerii portantia, quid agat hominum malitia, quid bonitas et virtus Dei. Nam priora membra declarant hominum conatum, ut frangantur et pereant; posteriora Dei protectionem, ne frangantur, sed ut salva maneant. Observanda denique hic est amplificatio rhetorica, qua res fere eadem, aliis et aliis verbis repetita, pulchro orationis schemate extenditur, ut ne quis exactum quaerat inter pericopas discrimen.

10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Graece: *Domini Jesu;* nec additur *nostro;* tametsi in utroque textus Syriacus nostrae consentiat lectioni. Mortificationem Domini Jesu vocat Apostolus, vel ipsam Christi passionem et mortem, quam pro

nobis sustinuit; quo respicit Ambrosiana versio, quae sic habet: *Semper mortem Domini Jesu in corpore circumferentes;* vel mortificationem, quam patiebantur ipsi Apostoli, tum exemplo Christi passi, tum pro nominis ejus confessione. Quae duae expositiones etsi tandem eodem recidant, priorem tamen esse germaniorem, sequentia probant, ubi vita Jesu, morti ejus opposita, non alia convenienter intelligi posse videtur, quam ea, qua Jesus ipse vivit. Igitur sensus est: Quotidianis periculis, et, ut ita dicam, mortibus expositi sumus; et per hoc passionem et mortem Domini Jesu nos, illius ministri atque vicarii, repraesentatione quadam gestamus et circumferimus in nostris corporibus.

Ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Graece et Syriace, et apud Ambrosiastrum: *in corpore nostro,* hoc est, uti statim exponit Apostolus, *in carne nostra mortali.* In qua quidem carne vita Jesu, qua vivit immortalis post resurrectionem, manifestatur, quia (quemadmodum bene mentem Apostoli Graecanica scholia declarant), dum corpora nostra mortalia inter tot pericula mortesque quotidianas occulta quadam virtute conservantur in vita, manifestum ex eo fit, Dominum Jesum, pro quo nos, resurrectionem et vitam ejus praedicantes, talia patimur, resurrexisse et vivere. Nam, ut ait Cajetanus, *afflictiones et tormenta evangelizantium, tam potenter non solum tolerata, sed superata, sunt testimonia Jesu Christi viventis, et servantis et vincentis; propter quod et martyria sunt appellata.*

Quamquam Apostolus, ut in superioribus admonui, non tam de toleratis patienter afflictionibus ac tormentis loquitur, quam de vita ministrorum Evangelii inter afflictiones et persecutiones paene continuas singulari ac mirabili Dei providentia ad fundandam et propagandam Ecclesiam diu conservata. Quod ut in multis aliis, ita specialiter ostendere voluit Deus in principibus Apostolis Petro et Paulo, qui senes mortem obierunt.

Ejusdem rei insigne est exemplum in B. Athanasio inter continuas Arianorum persecutiones usque custodito, ut Ecclesiae suae praefuerit annis ferme quinquaginta. Quapropter et hunc Apostoli locum in die ejus solemni ad sacrificium missae recitat Ecclesia Romana. Sensum memoratum exigunt et illustrant verba sequentia:

11. *Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum. Qui vivimus,* in Graeco participium est: οἱ ζῶντες, *viventes,* hoc est, in vita manentes, vita salva, sic ut vitam non amittamus. Sensus enim est: Quotidie propter Evangelium Jesu, pro nobis mortui, nos ejus ministri in mortis pericula tradimur, nec tamen morimur, sed, Dei virtute nos protegente, permanemus in vita.

Ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Id est, ut in corporibus nostris mortalibus, toties in mortem traditis, et tamen adhuc viventibus, manifesto appareat, etiam Jesum, quem praedicamus, vivere.

12. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Graece: ὥςτε ὁ μὲν θάνατος, *itaque mors quidem,* ut habet textus Ambrosianus. Pro verbo: *operatur,* Erasmus: *agit,* vertendum putavit, ut et alii nonnulli. Quod secuti commentatores quidam, hic subesse volunt prosopopoeiam in morte et vita; quemadmodum alibi interdum apud hunc Apostolum, ut Rom. 5. 6. 7. et 1 Cor. 15. Verum, ut alias annotavi, Graecum verbum ἐνεργεῖται, quamvis medium sit, passive tantum ab autoribus Graecis usurpatur. Lege, quae supra diximus ad caput 1, 6.: *Quae operatur in tolerantia,* et Rom. 7, 5: *Passiones peccatorum operabantur in membris nostris.* Proinde verbum Latinum *operatur* passive exponendum est; quomodo diserte exponunt *operatur,* id est *efficitur,* glossa ordinaria et Lombardus, licet etiam activam expositionem adferant priore loco.

Sensus autem germanus est: Igitur in nobis Apostolis, qui praedicamus vobis Evangelium salutis, mors agitur et exer-

cetur; nam (ut in superioribus dictum est) *persecutionem patimur, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes; semperque tradimur propter Jesum;* ut vicissim in vobis vita agitur et exercetur, id est, per nostra pericula nostramque quotidianam mortem vobis gignitur, augetur, perficitur vita spiritualis. Nam Apostolorum et martyrum mors vita est Ecclesiae. Vult enim significare Paulus, alterum esse causam alterius; ac si dicat: Ex Evangelio, per assidua moriendi pericula a nobis praedicato, provenit vobis fructus vitae et salutis aeternae.

Chrysostomus alium huc sensum adducit. Censet enim, ironicam esse exprobrationem in Corinthios; tamquam dicere velit Apostolus: Interim, dum nos quotidianis objicimur periculis, vos securi vitam agitis, et animos relaxatis periculorum expertes. Meminerunt hujus expositionis etiam Latini, sed quae tamen ex contextu vix ullam habeat probabilitatem. Unde nec caeteri Graeci hunc Chrysostomi commentarium sequuntur. Par ratio de eo, quod Primasius dicit, Apostolum increpative loqui et cum interrogatione; quasi sentiat, iniquum esse et indignum, quod mors operetur in Apostolis, et vita in Corinthiis. Caeterum nostrae expositioni, qua sine figura partem hanc interpretamur, optime congruit illud, quod paulo post sequitur: *Omnia propter vos.*

13. *Habentes autem eundem Spiritum fidei.* Adhuc dicere quis poterat: Quamvis novae legis ministri inter pericula diu conserventur in vita, multis tamen pressuris et persecutionibus per vitam obnoxii sunt; ac certe tandem eis moriendum est. Ubi ergo illorum gloria major, quam Moysi, de qua capite superiori? Plenius itaque nunc respondens Apostolus, docet, gloriam ministrorum Evangelii non hujus esse saeculi, sed per fidem exspectari in futuro. *Spiritum fidei* dicit autorem, donatorem; vel metonymice Spiritum fidei, id est, fidem a Spiritu donatam; quomodo legimus alibi Spiritum mansuetudinis, pietatis, fortitudinis, dilectionis, sobrietatis, pro ipsis hujusmodi donis Spiritus sancti.

Igitur *eundem Spiritum fidei* recte intelligimus eandem fidem ab eodem Spiritu profectam; quasi dicat Apostolus: Cum ad eadem credenda ab uno Spiritu sancto moveamur. Sed cum quibus *eadem?* Plerique *eadem* intelligunt cum iis, quae David credidit, cujus mox testimonium subjicitur; aut in genere cum iis, quae crediderunt Sancti Patres et Prophetae veteris testamenti, quorum unus fuit David. Juxta quem intellectum, ut ab interpretibus, tam Graecis, quam Latinis, annotatum est, ostendit hic locus contra Manichaeos, eundem esse Spiritum, et consequenter eundem Deum ac Dominum utrique testamenti; item ostendit, eandem fuisse fidem Patrum, qui Christi praecesserunt adventum, cum fide nostra. De qua re disputant ex professo Theologi ad dist. 23. lib. 3. sent. Alii vero putant, eadem intelligi cum iis, quae credebant Corinthii, ad quos scribit; ac si dicat: Quamvis mors in nobis operetur, et vita in vobis, quia tamen nos eandem vobiscum fidem habemus, idcirco ad eadem promissa tendimus, et eandem vobiscum in futuro saeculo vitam et immortalitatem exspectamus. Hoc enim est, quod postea sequitur: *Quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit et constituet vobiscum.* Ex quo certe sensus iste non parum accipit firmamenti.

Sicut scriptum est, Graece, *κατὰ τὸ γεγραμμένον, juxta illud, quod scriptum est.* Ambrosius: *Secundum quod scriptum est.* Potest autem hoc bifariam exponi; vel ut comparationem indicet cum eo, quod praecessit; vel ut cum eo, quod statim sequitur: *et nos credimus,* etc. Ad partem praecedentem referunt, qui in ea fidem intelligunt eandem cum patribus antiquis, ut sit sensus: Nos habentes eundem Spiritum fidei cum illis, quorum unus divini Spiritus afflatu dixit: *Credidi* etc. Qui vero fidem illic eandem intelligunt cum Corinthiis, iidem hanc comparationem ad sequentia referunt. Quod

sane probabilius est, si series orationis spectetur.

Credidi, propter quod locutus sum. Initium est Psalmi 115. juxta versionem LXX. Nam in Hebraeo continuus est psalmus cum praecedente. Siquidem in Hebraeo legitur: *Credidi, quia loquar;* sed LXX. sensum bene reddiderunt. Nam frequenter apud Hebraeos tam praeteritum, quam futurum servit indefinito tempori significando; et Hebraeum כי *(chi),* id est, *quia,* causalis conjunctio, ponitur interdum pro rationali seu redditiva sua: *ideo, propterea, propter quod,* Graece διὸ; ut causa significetur non in eo, quod sequitur conjunctionem, sed in eo, quod praecedit. Exemplum promptum est in principio psalmi praecedentis: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* Sed ea de re jam diximus supra ad illud cap. 1.: *Fidelis Deus, quia sermo noster,* etc. Minus placet, quod Cajetanus, super hunc utrumque psalmum scribens, vult particulam *quia* construendam esse a fronte totius orationis, hoc modo: Quia dilexi, exaudiet Dominus; quia credidi, locutus sum. Haec enim constructio coactior est; nec ad omnes alios locos similes potest accommodari, quamquam alioqui res eadem dicitur.

Quod ad sensum attinet, his psalmi verbis ad litteram agit David de fide, qua firmiter credidit divinis promissis sibi per Samuelem de regno Israëlitico nuntiatis. Ex qua fide palam ac libere apud homines de divina erga se bonitate loqui se, eamque depraedicare, testatur. Caeterum de sensu mystico hujus versus ac totius psalmi, eoque duplici, consule Jansenium, breviter utrumque tradentem in argumento psalmi. Theodoretus exponit illud: *Credidi,* de fide resurrectionis. *Cum enim,* inquit, *David in praecedente psalmo dixisset: Placebo Domino in regione vivorum, non videbatur autem ipsa regio, incipiens psalmum, qui sequitur, dixit: Credidi, propter quod locutus sum.* Haec ille. Nobis, quod prius diximus, videtur esse magis litterale. Neque enim necesse est, Davidem dicentem: *Credidi,* et Paulum subjicientem: *Et nos credimus,* de eadem re credita interpretari. Quin potius, ut Cajetanus ad hunc locum annotat, *fiduciam posteris praebuit Paulus utendi sacra Scriptura transsumptive ad spirituales materias, ex hoc ipso, quod ipse utitur psalmo transsumptive.*

Et nos credimus, propter quod et loquimur. Respondet haec pars illi: *Sicut scriptum est: Credidi,* etc., unde quidam supplent adverbium similitudinis: Ita et nos credimus. Quod non est necesse, si illic legamus, ut habent Graeca: *Secundum quod scriptum est.* Nam contextus est: Secundum quod Propheta dicit, se credidisse, et propterea locutum esse, etiam nos credimus, propter quod et loquimur. Quamvis autem non de eadem re credita agat Apostolus, de qua cecinit Psalmographus, aptissime tamen illius verba citat; ac si dicat: Quemadmodum David inter persecutiones et pericula credidit, se perventurum ad regnum sibi a Deo promissum, et propterea de eo confidenter apud homines locutus est: ita nos quoque, ministri novae legis, licet persecutionibus pressi et periculis expositi, tandemque morituri, certissime tamen credimus, nos ad gloriam promissam perventuros; propter quod et confidenter vobis de ea loquimur. Accedit ad convenientiam testimonii citati, quod in Davide praecessit expressa quaedam figura Christi et membrorum ejus, praesertim Evangelii ministrorum, quicumque per labores et afflictiones Christi nomine toleratas tendunt ad consortium gloriae ejus.

14. *Scientes, quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit.* Graeca priore loco *Dominum Jesum* legunt; posteriore *per Jesum,* pro eo, quod nos habemus: *cum Jesu.* Graecis in utroque suffragatur textus Ambrosii. Sed et Syra priore loco legunt: *Dominum nostrum Jesum,* et posteriore: *per manum Jesu,* id est, *per Jesum.* At vero Tertullianus lib. de resurr. carnis, cap. 44., in utroque nostram vulgatam praeit versionem, nisi quod *cum ipso* legit, ubi nos: *cum Jesu.* Exponit autem

cum ipso, id est, *sicut ipsum.* Neque enim significatur idem tempus resurgendi, sed ipsa resurrectio capiti membrisque communis.

Itaque sensus est: Scientes, id est, certissima fide persuasi, quod Deus Pater, qui Dominum Jesum crucifixum et mortuum resuscitavit a morte ad vitam immortalem et gloriosam, nos quoque ministros ejus ad similem gloriam, per ipsius meritum, suscitaturus est. Unde Christus, de sua claritate loquens Joann. 12.: *Ubi ego sum,* inquit, *illic et minister meus erit,* et cap. 17.: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum.* Et de eadem re Paulus Rom. 8.: *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Unus codex Graecus apud Robertum Stephanum habet: σὺν Ἰησοῦ, cum Jesu, potuitque hujus praepositionis in διὰ mutandae occasio fuisse, quod non intelligeretur, quomodo Paulus se et alios fideles *cum Jesu* suscitandos dicat, qui jam olim suscitatus fuit. Propter quod et Tertullianus expositionem praepositionis statim adjecit.

Et constituet vobiscum. Constituet, παραστήσει, *exhibebit.* Non nos solos, inquit, qui ministri sumus Evangelii, provehet Deus ad consortium resurrectionis cum Christo; sed et vos, qui, nobis ministrantibus, Evangelio credidistis, a morte suscitatos nobis adjunget sibi exhibendos. Hoc sentit Apostolus; alioqui modestiae ejus est, quod non dixit: Et constituet vos nobiscum; sed e converso: *nos constituet vobiscum;* ne sibi plus aliquid in illa gloria resurrectionis praesumere videretur prae aliis fidelibus, quibus Evangelium ministrarat; sed ut magis appareat, ipsum alios sibi praeposuisse. Consideravit enim illos ut causam finalem sui ministerii. Id enim est, quod pro ratione subjicit:

15. *Omnia enim propter vos.* Bene dixi, inquit, quod Deus nos constituet vobiscum; nam omnia nostra sunt, aut fiunt, propter vos; id est, universum ministerium nostrum ordinatur ad utilitatem et salutem vestram; ideoque nos aequum est fieri consortes salutis et gloriae vestrae. Sic alibi generaliori sententia dicit, *omnia* se *sustinere propter electos.* 2 Tim. 2.

Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. In Graeco diversa sunt verba: πλεονάσασα et περισσεύσῃ, quae interpres eodem verbo Latino reddidit: *abundans,* et *abundet.* Graeca sic fere transferuntur: *Ut gratia abundans propter plurium gratiarum actionem exuberet in gloriam Dei.* Ambrosiaster ita legit: *Ut donum abundans per multorum gratiarum actionem abundet ad gloriam Dei.* Primasii textus cum nostro convenit, excepta praepositione *in,* quam omittit, ut et textus ordinariae glossae, et ipsa glossa, et exemplaria quaedam mss. Valla textum vulgatae versionis refert ad hunc modum: *Ut gratia abundans per multas gratiarum actiones abundet,* etc.

At sensus omnium fere idem est: Ex eo, inquit, quod Deus vos ejusdem nobiscum gloriae facturus est participes, consequitur hic fructus, ut gratia, seu beneficium illud in multos sparsum, iisdem multis pro eo gratias Deo agentibus, redundet atque exuberet ad gloriam Dei. Nullo enim opere nostro magis, quam gratiarum actione, glorificatur Deus. In eundem sensum convenit interpretatio Syriaca, quae sic habet: *Ut, abundante gratia per manum multorum* (id est, per multos), *augeatur gratiarum actio in gloriam Dei.*

Veruntamen notandum est (quod ab Erasmo non inepte suggeritur), Graecam vocem περισσεύσῃ, quam interpretes vertunt: *abundet, exuberet,* verbis absolutis, posse transitive sumi pro eo, quod est: *abundare, exuberare faciat,* adhaerente ei quarto casu εὐχαριστίαν, id est, *gratiarum actionem;* ac tum ex Graeco sic reddetur oratio: *Ut gratia abundans per plures gratiarum actionem abundare faciat in gloriam Dei.* Hoc est, ut in multos effusa gratia per multas itidem

personas gratiarum actionem pariat atque diffundat, qua Deus glorificetur.

Hanc Graeci verbi transitivam acceptionem, ne cui videatur insolens, habemus in hac eadem epist. cap. 9., ubi sic legitur, etiam secundum nostrum interpretem: *Potens est Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis;* habemus et alibi apud Paulum, ut Ephes. 1, 8. et 1 Thessal. 3, 12. Quae loca multum probabilitatis adferunt huic expositioni, quae non soli Erasmo placuit. Conferendus est etiam hic locus cum altero simili, qui est hujus epist. cap. 1.: *Ut ex multis personis ejus, quae in nobis est, donationis per multos gratiae agantur pro nobis.*

16. *Propter quod non deficimus.* Refertur haec illatio ad illud, quod dixit: *Scientes, quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit.* Propter spem, inquit, illius gloriae, quam ex resurrectione exspectamus, non succumbimus malis, quae nobis Evangelii ministris plurima superveniunt. Est enim idem in Graeco verbum, quod initio capitis, ἐκκακοῦμεν.

Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Is, qui foris est, ὁ ἔξω, *externus,* sive *exterior.* Item: *is, qui intus est,* ὁ ἔσωθεν, *internus, interior.* Exteriorem et interiorem legit Tertullianus in Scorp. cap. 13., de resurr. carnis, cap. 40. et 43., et contra Marcion. lib. 5., cap. 11. Item Augustinus lib. 2. de baptism. parv. cap. 7. et 13., commentator Ambrosii et Sedulius. Nec Graece est: *de die in diem,* sed ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *die et die,* quemadmodum et legit Tertullianus in Scorpiaco, et in lib. de resurr. carn., nisi quod posteriore loco additur praepositio: *de die et die,* sed quam suspicor additam a scribis ex vulgata lectione.

Est autem Hebraea phrasis: *die et die,* non dissimilis illi, quae est Psalm. 86.: *Homo et homo natus est in ea,* id est, multi homines, alii post alios. Legitur autem in Hebraeo sine conjunctione: *die, die,* Psalm. 60., ubi nos habemus: *Ut reddam vota mea de die in diem,* et Psalm. 67., ubi nos: *Benedictus Dominus die quotidie;* quemadmodum et Ezech. 14.: *Homo, homo,* seu *vir, vir de domo Israël,* id est, quilibet homo, seu vir. Dicit itaque Paulus: *die et die,* pro eo, quod Latine dicimus: *quotidie, in dies,* vel, ut Erasmus vertit: *in dies singulos;* nec male noster interpres: *de die in diem.* Voluit autem Apostolus significare quotidianum incrementum et profectum renovationis in homine interiore, sicut est in exteriore quotidianus ad corruptionem accessus.

Non est hoc loco dissimulandus insignis lapsus Cajetani, viri alioquin egregie docti, qui ex annotatione Erasmi male intellecta pro illa parte: *de die in diem,* credit, Apostolum scripsisse adverbium: *nove,* eandemque vocem exponit, ac subtiliter in ea philosophatur; quum Erasmus non aliud dicat, quam nove scriptum a Paulo ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *die et die,* pro καθ᾽ ἡμέραν, *in dies.* Id admonendum duxi, ne quis fallatur; tum ut intelligat lector, quam facile aberret in Scripturis interpretandis, qui linguae originalis ignarus, tantum ex aliis autoribus venatur, quid Graeca, quid Hebraea habebant.

Hominem *exteriorem* phrasi quadam sua ac peculiari vocat Apostolus hominis corpus, vel uti plenius explicat Aquinas, corpus hominis *cum natura sensitiva.* Hominem vero *interiorem* appellat spiritum, mentem, rationem, id est, animam rationalem cum potentiis ei propriis. Ad quem modum et alii, tam Graeci, quam Latini commentatores, utrumque hominem interpretantur, et ante eos Tertullianus libro de resurr. carn. At paulo aliter Cajetanus, qui interiorem et exteriorem hominem censet unum eundemque hominem esse *secundum diversas conditiones. Quilibet enim homo,* inquit, *secundum conditiones animi vocatur internus homo; secundum conditiones corporis externus.* Id ipsum ante Cajetanum docuit Hugo Victorinus quaest. 12. hujus epist. Verum S. Thomae et aliorum explicatio-

nem magis esse ex mente Pauli, satis arguit locus huic similis in epistola ad Rom. 8.: *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivit propter justificationem.* Vide etiam, quae de utroque homine diximus ad illud Rom. 7.: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.*

Est autem haec hominis in exteriorem et interiorem hominem distinctio (quemadmodum et Hugo observat in quaestione memorata) diversa ab ea, qua secundum eundem Apostolum homo distinguitur in veterem et novum, ut Rom. 6, 6. Eph. 4, 22. et 24. et Col. 3, 9. et 10. Nam prior distinctio locum habet in omni homine, etiam Christo Domino jam immortali; posterior autem non nisi in homine lapso, et quadantenus reparato. De qua posteriori distinctione suis locis agendum est. Has vero duas hominis differentias, ab Apostolo traditas, confudisse videtur S. Ambrosius, dum in epist. 77. locum hunc ita refert: *Qui foris est noster homo, corrumpitur secundum desideria erroris,* videlicet errante memoria conjungens id, quod de veteri homine dicitur Ephes. 4., cum homine exteriori, cujus hic fit mentio.

Sensus itaque loci praesentis est: Non deficimus animo, quin potius, etsi corpus hoc nostrum sensitivum ac vegetabile, quod est homo noster exterior, paulatim deficiat, et, sive per afflictiones et plagas frequentes, quas pro Christo patimur, sive etiam ex se ipso propter mortalitatem peccato contractam quotidie magis ad interitum vergat; animus tamen, seu spiritus, qui est homo noster interior per hanc ipsam corporis corruptionem patienter toleratam, in dies magis magisque renovatur.

Renovatur autem, ut bene S. Thomas exponit, a vetustate ignorantiae et peccati ad novitatem veritatis et justitiae. Quamquam in hac vita novitatem perfectam non assequitur, sed demum in futura. Caeterum imperite, quemadmodum idem Doctor annotat, ex horum verborum occasione, quibus in uno homine duplex homo distinguitur, interior et exterior, docuit Tertullianus, animam rationalem habere figuram, sive, ut loquitur, effigiem et membra corporea, videlicet ad modum sui corporis; ut interior homo respondeat exteriori. Locus apud Tertullianum est in lib. de anim. cap. 9., ubi inter alia sententiam hanc suam comprobat revelatione divina, quam sorori cuidam, id est, Christianae mulieri, per ecstasin inter Dominica solemnia factam fuisse, commemorat; addens, illi visam fuisse animam aërii lucidique coloris. Sed hunc tam stupidum errorem, recitatis etiam Tertulliani verbis, docte refellit Augustinus lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 25. et 26. Qua de re praeterea consule Jacobi Pamelii ad dictum Tertulliani librum annotationes, et quae scripsit ad paradoxum 7. ejusdem autoris, scilicet de anima corporea. Quibus locis recte eam revelationem, utique falsam, adscribit furoribus Montanisticae familiae.

17. *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae.* Graeca sic habent: τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν. Id est: *Quod enim in praesenti leve afflictionis nostrae.* Aut brevius et clarius: *Praesens enim levitas afflictionis nostrae.* Nam adjectivum neutrum loco substantivi posuit Apostolus, ut et alibi, more Graecis atque etiam Latinis usitato. Significat autem τὸ παραυτίκα, quod ita praesens est, ut cito transeat. Unde ἡ παραυτίκα ἡδονὴ apud Demosthenem, id est, praesens ac momentanea voluptas.

Itaque putant quidam, illa duo versionis nostrae: *in praesenti* et *momentaneum,* respondere uni voci παραυτίκα, sive ab eodem interprete scripta, sive a diversis. Aliis autem videtur, haec duo: *momentaneum et leve,* respondere eidem vocabulo ἐλαφρὸν, in quo dum alii significationem aestimant ex etymo (dicitur enim ἀπὸ τοῦ ἐλάφου, a cervo, notae celeritatis animali), verterunt: *momentaneum,* quod quasi momento transit.

Alii, magis usum ejus attendentes, ver-

terunt: *leve,* videlicet gravi oppositum. Sic enim Matth. 11. sumitur, ubi Latine: *Et onus meum leve,* et hujus epistolae cap. 1.: *Numquid levitate usus sum?* Nam et hic antithesis postulat, significari levitatem, ut cui pondus opponatur. Tertullianus tam in Scorp., quam in lib. de resurr. carnis, hanc partem ita legit: *Nam quod ad praesens est temporale et leve pressurae nostrae.* Augustinus in enarr. Psalm. 93. ad hunc modum: *Etenim quod est ad praesens temporale et leve tribulationis nostrae.* Porro textus Pelagii sine conjunctione legit: *momentaneum leve.*

Supra modum in sublimitate. Primasius legit: *in sublimitatem.* Quod vicinius est Graecae lectioni, quae sic habet: καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, id est, *secundum excessum in excessum,* vel quomodo vertit Theophylacti interpres: *per excessum ad excessum.* Augustinus legit ac repetit: *juxta incredibilem modum, et in incredibilem modum,* in expositione Psalmi 93. Tertullianus: *per supergressum insuper,* in Scorpiaco. Quidam vertit: *praeter modum, supra modum.* Est autem ejusdem vocis excessum significantis geminatio, qua utuntur interdum Hebraei ad significandam vel copiam, vel excellentiam quandam immensam, ut Gen. 17.: *Multiplicabo te plurimum plurimum,* ubi Hieronymus: *Multiplicabo te vehementer nimis;* et cap. 30.: *Crevit vir valde valde,* pro quo Hieronymus: *ditatus est homo ultra modum.* Tantum illud hic peculiare, quod praepositionem Paulus variat, nihil tamen diversum significans; quod et alias facit, ut capite praecedenti: *per gloriam,* et *in gloria.* Potest igitur hoc, quod dicit, ita reddi Latine: *excellenter supra modum,* vel, ut Erasmus: *mire supra modum.* Significare enim voluit Apostolus aliquid incomparabiliter majus et excellentius; quod declarat verbis sequentibus:

Aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Graece et Syriace: *operatur nobis,* sine praepositione, ut et veteres habent concordantiae, et exemplaria quaedam mss. Sic etiam citant Tertullianus utroque loco prius indicato, et Augustinus in enarratione Psalmi 93., ubi et diserte exponit: *operatur nobis.* Est autem *operatur,* Graece κατεργάζεται, verbum diversum ab eo, quod supra versu 12. passive exponebamus. Hoc enim activae significationis est, ac si dicatur: efficit, parit, procreat nobis. Tertullianus: *perficit nobis.*

Porro totus hic versus: *Id enim, quod in praesenti,* etc., rationem continet ejus, quod dixerat: *Non deficimus,* et contentionis rhetoricae speciem habet, antithetis hinc inde positis. Sumpta est enim ratio a praemio collato cum labore; et afflictio corporis, quam Evangelii causa patimur, adfert ac parit nobis in futurum gloriam sui comparatione inaestimabilem, utpote gloriae pondus aeternum. Igitur antitheta sunt momentaneum et aeternum, quae ad tempus referuntur, ac rursum levitas et pondus, quae ad magnitudinem.

Unde satis intelligitur, ponderis nomine significatam esse perfectionis ὑπερβολὴν, non autem extensionis seu durationis, uti vult Erasmus in annotationibus. Monstrat hic locus, opera bona patientiae, qua toleramus afflictiones, tametsi momentaneas ac leves, esse merita, quibus aeterna ac praecellens gloria futuri saeculi pro mercede retribuenda sit. Illud enim *operatur* causam efficientem denotat, ad quod genus reducitur causa meritoria; tamquam Apostolus dicat: Opus patientiae nostrae procreat ex se fructum aeternae et immensae gloriae; nimirum merendo, et meriti ratione tandem assequendo. Nam licet inter hoc opus et illam mercedem nulla sit comparatio, quantum ad diuturnitatem et magnitudinem attinet (propter quod alibi negat idem Apostolus, esse condignas hujus saeculi passiones *ad futuram gloriam,* Rom. 8.), est tamen in valore comparatio et aequalitas quaedam; non ex natura quidem hujusmodi passionum, sed ex Dei voluntate, qui tantam mercedem bonis justorum operibus constituit, ac redditurum se promisit; quem-

admodum ad memoratum locum epistolae ad Romanos id a nobis explicatum est.

18. *Non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur.* In Graeco genitivi sunt absoluti σκοπούντων ἡμῶν; ne quis ablativos Latinos existimet regi ab *in* praecedente, vel dativos esse putet, referendos ad verbum *operatur.* Est autem σκοπεῖν proprie, non contemplari, sed spectare ac velut in scopum intueri (Tertullianus *intuentibus* legit); quomodo, qui operatur, respicit ad praemium, ut sensus sit: Dum non spectamus ad haec praesentia bona, quae videmus, ut sunt opes, honores, dignitates, et omnis gloria hujus saeculi; sed ad bona, futura, quae non videmus, sed credimus. Hinc liquet, intuitu mercedis ac praemii coelestis operantem Christianum non modo non peccare, quod dicunt haeretici (quos Synodus Tridentina condemnat sess. 6. can. 11. et can. 31.); sed Apostolorum exemplo recte et laudabiliter agere. Loquitur enim adhuc Paulus ex persona ministrorum Evangelii.

Quae enim videntur, temporalia sunt. Potius *temporaria*, ad tempus durantia, hoc est, quae brevissimi sunt temporis. Id enim significat Graecum vocabulum πρόςκαιρα, quod idem legitur Matth. 13. et Marc. 4. de iis, quos comparat Dominus semini germinanti statimque exarescenti. Legimus et Heb. 11, 25.: πρόςκαιρον ἀπόλαυσιν, *temporariam jucunditatem.*

Quae autem non videntur, aeterna sunt. Quae, inquit, non videntur, sed creduntur a nobis, in aeternum duratura sunt; ideoque merito haec prae illis spectanda nobis sunt et speranda. Nam de praemiis sermo est, uti bene locum hunc explicat S. Thomas 1. qu. 65. art. 1. ad 1.

CAPUT QUINTUM.

Scimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis [1]). 2. Nam et in hoc ingemiscimus [2]), habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes; 3. si tamen vestiti, non nudi inveniamur. 4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita [3]). 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus [4]). 6. Audentes igitur semper, scientes, quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino [5]) 7. (per fidem enim ambulamus, et non per speciem) [6]); 8. audemus autem [7]), et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum [8]). 9. Et ideo contendimus, sive absentes, sive praesentes, placere Illi. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi [9]), ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus; Deo autem manifesti sumus. Spero autem, et in conscientiis vestris [10]) manifestos nos esse. 12. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde [11]).

---

1) Phil. 3, 21. 2) Rom. 8, 23. 3) 1 Cor. 15, 51. seq. 4) Cap. 1, 22. Rom. 8, 11. Ephes. 1, 14. 5) Phil. 1, 23. 6) Rom. 8, 24. 7) Cap. 4, 15. seq. 8) Phil. 1, 23. 9) Matth. 25, 32. Act. 17, 31. Rom. 2, 6. 10) Cap. 4, 2. 11) Cap. 3, 1.

13. Sive enim mente excedimus, Deo; sive, sobrii sumus, vobis. 14. Charitas enim Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt [1]), 15. et pro omnibus mortuus est Christus, ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem [2]). Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus. 17. Si qua ergo in Christo nova creatura [3]), vetera transierunt; ecce, facta sunt omnia nova. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis; 19. quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo [4])! 21. Eum, qui non noverat peccatum [5]), pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in Ipso [6]).

SUMMARIUM CAPITIS QUINTI.

Spe gloriae futurae volunt evangelici ministri (quando aliter id fieri non potest) a corpore peregrinari, ut Christo Domino praesentes sint. Cui interim, ut omnium judici, placere student, non sibi viventes, sed illi, qui pro omnibus mortuus est et resurrexit, ac legatione pro eo fungentes apud homines, ut per eum Deo reconcilientur.

1. *Scimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur.* Magnitudinem praemii ministris evangelicis in futurum reservati, de quo locutus fuerat in genere, nunc speciatim explicat, tam quod ad corpus attinet, quam quod ad animam. Graece sic est: *Novimus enim, quod si terrestris nostra domus* seu *domicilium* (οἰκία) *tabernaculi dissolutum fuerit.* Tertullianus quoque legit: *hujus tabernaculi,* libro de resurrectione carnis, cap. 41. Quidam in verbis Apostoli putant esse hypallagen, pro eo, quod diceret: *quod si terrestris domus nostrae tabernaculum fuerit dissolutum.* Simplicius obliquum *tabernaculi* per rectum exponemus, ut sensus sit appositivus: terrestris domus nostra, quae est tabernaculum. Quippe tabernaculum opponit aedificio, de quo parte sequenti.

Quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Quod redundat. Jam enim dictum erat *quoniam* seu *quod;* nec repetitur in Graeco. Pro aedificatione commodius erat *aedificium.* Non enim actum aedificandi significare voluit Apostolus, sed opus aedificatum et constructum, id est, habitaculum. Idque vox Graeca significat οἰκοδομή; sensus autem totius versus est: Certa fide persuasi sumus nos ministri novae legis, quod, posteaquam domus nostra terrestris hujus tabernaculi dissoluta seu destructa fuerit, id est, corpus hoc nostrum, in quo velut in tabernaculo moramur ad tempus super terram, morte fuerit dissolutum, habituri simus aedificium in coelis, a Deo nobis praeparatum, domicilium, inquam, non manufactum (Graece ἀχειροποίητον), id est, factum non opere humano, qualia sunt,

---

[1]) Rom. 6, 2. seq. [2]) Vers. 12. [3]) Col. 3, 1. 2. [4]) Act. 20, 24. [5]) Hebr. 4, 15. [6]) Rom. 3, 21. seq. 4, 6. seq.

quae sibi manibus suis ad exiguum tempus duratura construunt homines in terris; ut illis merito comparentur corpora nostra mortalia, tamquam et ipsa sint manufacta; sed opere divino, supra omnem naturae facultatem; corpus videlicet gloriosum, immortale, aeternum.

In Apostoli verbis primum observa, *si* positum loco adverbii *postquam,* nisi quis malit, Apostolum dubitanter locutum fuisse de corporis dissolutione propter eos, qui vivi in adventu Domini reperientur, quos absque dissolutione corporis et somno mortis ad immortalitatem immutandos esse, significare voluerit, secundum ea, quae tradit 1 Corinth. 15. et 1 Thess. 4. Quocirca Cajetanus ex hoc etiam loco confirmari putat opinionem, quae negat, eos morituros (saltem loquendo de electis), quos adventus Domini vivos inveniet. Vocatur autem corpus nostrum domus nostra, quia secundum animam nos in eo habitamus. Est enim corpus animae quodammodo domicilium.

Porro corpus hoc mortale vocatur domus terrestris, non tam idcirco, quod in terram resolvi possit aut debeat, quam quia super terram inhabitatur; sicut immortale corpus domus erit coelestis, quia in coelo possidebitur. Nam Graece non est: χοϊκή, id est, terrena, terrea, ex terra constans, ut 1 Corinth. 15.: *Primus homo de terra, terrenus,* item: *qualis terrenus, tales et terreni;* sed ἐπίγειος, *terrestris,* id est, quae in terra sive super terram est. Quamquam ex eo, quod sit super terram, simul ipsa corruptibilitas ejus intelligitur, quandoquidem omnia terrestria corruptibilia sunt.

Idem corpus hic et paulo posterius appellatur tabernaculum, quo significetur, haud diu duraturum, more tabernaculorum, quae in paucos dies parari solent. Quam tabernaculi metaphoram attendit et Petrus 2. epist. 1. dicens: *Certus sum, quod velox est depositio tabernaculi mei.* Jam vero posteriorem sententiae partem ad eum modum, quo nos exposuimus, id est, de corpore glorioso, multi ac fere omnes interpretes exponunt, tam Latini, quam Graeci, Cajetano etiam assentiente, qui in eo sensu declarando multus est. Eundem perspicue tradit Tertullianus loco prius citato, dicens, hic nobis *repromitti meliorem domum per resurrectionem.* Nec dissentit Augustinus, quum in enarratione Psalmi 68. *domum non manufactam, aeternam, in coelis,* de qua loquitur Apostolus, exponit *immortalitatem praeparatam nobis, qua induendi sumus in fine, cum resurrexerimus a mortuis.* Quem locum Beda quoque in sua collectanea retulit.

Sed nec ab horum sententia longe recedit Macarius Aegyptius, qui homil. 5. tractans hanc Scripturam, per domum non manufactam intelligit virtutem sancti Spiritus, per quam in die resurrectionis glorificabitur domus corporis nostri, quemadmodum ait Apostolus: *qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per Spiritum suum habitantem in vobis.* Rom. 8.

Sunt tamen nonnulli, ut inter Graecos Photius, cujus ab Oecumenio verba referuntur, et inter Latinos Hervaeus, aliam huc adferentes expositionem, qua domum aeternam et coelestem non corpus gloriosum, sed aeternam beatitudinem interpretantur, de qua Dominus ait Joannis 14.: *In domo patris mei mansiones multae sunt.* Movet eos inter alia, quod non dicat Apostolus: habebimus, sed *habemus,* scilicet continuo post hujus terreni domicilii dissolutionem. Nam de corpore immortali, quod post tam longum tempus exspectatur, non satis apte dictum videretur: *habemus,* verbo praesentis temporis.

Pro hac expositione, rejecta priore, quam habet utraque glossa, prae caeteris certat S. Thomas, cum in commentario, tum in opusculo, quod scripsit contra Graecos, Armenos et Saracenos, cap. 9., probare volens ex hoc loco sic intellecto, sanctorum animas ante corporum resurrectionem frui gloria ac beatitudine coelesti, quamquam id ex sequentibus versibus 6. 7. et 8. bene probatur, ut illic ostendemus. Praecipuum ejus argumentum est ex intentione Pauli, quam esse

dicit, ut ostendat, sanctos rationabiliter sustinere tribulationes, quibus vita praesens corrumpitur, quia per hoc statim perveniunt ad gloriam coelestem; quod de corpore glorioso constat non esse verum. Sanctum Thomam hac in re sequuntur Liranus et Carthusianus, etsi minori cum asseveratione. Siquidem et Hervaeus secundo loco profert expositionem de corpore glorioso, neque significat, utram censeat meliorem. Certe istorum argumenta, qui beatitudinem animarum significari putant, haud convincunt.

Quod enim ad scopum attinet Apostoli, satis ex praecedentibus liquet, eum de gloria futura ministrorum novae legis disserere in genere, sive ea ad corpus, sive ad animam pertineat, et sive statim a morte ad eam perveniatur, sive multo post. Nam et resurrectionis corporum paulo ante meminit, aperte dicens: *Scientes, quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit.* Nec movere debet verbum praesentis temporis: *habemus;* nam de eo, quod certo nos habituros novimus, non inepte dicimus, id nos habere; quomodo Joann. 3. Baptista dixit: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam,* et ipse Dominus de se, Joann. 5.: *Qui verbum meum audit, habet vitam aeternam,* et cap. 6.: *Qui credit in me, habet vitam aeternam,* et iterum: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.*

Ita pronuntiat idem Joannes in 1. sua epist. cap. 5., dicens: *Vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Nec insuetus est etiam vulgo hujusmodi sermo, praesertim si subintelligas: repositum, reservatum, aut quid simile, quod hoc loco commode potest intelligi propter illud, quod sequitur: *in coelis;* illuc enim verbum *habemus* referendum est. Ita Petrus 1. epist. 1. dixit *haereditatem incorruptibilem* nobis *conservatam in coelis,* loquens de resurrectione corporum in novissimo tempore futura, cujus spem adstruit ex resurrectione Christi.

Nec vero novum est, Apostolum Paulum, de resurrectione futura loquentem, uti praesentis temporis verbo; nam et in priore epistola cap. 15. de corpore; quod per mortem seminatur, secundum Graecam lectionem sic ait: *Resurgit in gloria; resurgit in virtute; resurgit corpus spirituale.* Ac sane praesens hic locus, diligenter expensus, valde congruit cum iis, quae in priore epistola de resurrectione corporum dicta sunt. Ut enim illic homini terreno opponitur homo coelestis, ita hic terrestri domui domus coelestis; et quemadmodum illic corruptio opponitur incorruptioni, ita hic dissolutio sive destructio aeternitati; rursum ut illic indumenti mentio fit, cum dicitur: *Oportet corruptibile hoc induere immortalitatem,* ita et hic statim post, cum dicitur: *Superindui cupientes,* et iterum: *Nolumus exspoliari, sed supervestiri;* denique sicut illic *mors* secundum prophetiam *absorbenda* dicitur *in victoria,* ita dicitur hoc loco: *ut absorbeatur, quod mortale est, a vita.*

Quibus omnibus accedit, quod Apostolus in epistola ad Hebr. cap. 9. Christi corpus, quod divina virtute formatum est in utero virginis, vocat tabernaculum non manufactum; de quo etiam ipse dixerit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud,* Joann. 2. Quare et hoc loco per domum non manufactam, quae nobis ad similitudinem Christi promittitur, nihil convenientius accipitur, quam corpus resurrectione glorificandum. Per haec igitur non solum refelli videtur eorum commentarius, qui domum non manufactam aeternam, quam in coelis habituri sumus, intelligi volunt beatitudinem coelestem; verum etiam majorem in modum stabiliri communis Patrum intellectus, exponentium haec Apostoli verba de corpore glorioso et immortali, quale futurum per resurrectionem exspectamus.

2. *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.* Probat ex gemitu et desiderio sanctorum, certo futurum, ut, terrestri domo hac dissoluta, domum

aeternam aliquando sint habituri in coelis. Valet probatio secundum S. Thomam, quia, si desiderium naturae non est inane, multo minus desiderium gratiae, quale est istud, de quo loquitur Apostolus, inane est et sine effectu. Quamquam non est necesse, per hujusmodi axioma connectere partem hanc cum superiori, quum non aliud Apostolus velle videatur, quam alterum esse causam alterius, ex quo velut effectu et signo probetur; uti statim a nobis explicabitur. In Graeco pro habitatione *domicilium* est, οἰκητήριον, non ut supra σκῆνος, tabernaculum. Ambrosianus legit: *habitaculo nostro, quod,* etc. Sed et illud: *in hoc,* Graece non est: εἰς τοῦτο, *ad hoc,* in eum finem; quomodo dicitur Rom. 14.: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur,* et 1 Joann. 3.: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli;* sed: ἐν τούτῳ, *in hoc,* auferendi casu, qui Graeco dativo respondeat. Quem nonnulli referunt ad tabernaculum; quasi dicat Apostolus, se in hoc tabernaculo, id est, in mortali corpore ingemiscere, sentiatque, causam sui gemitus esse corporis hujus miseriam.

At alii probabilius ita exponunt: *In hoc,* id est, propter hoc, quod dictum est; nempe ita demum nos habituros aedificium ex Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis, si prius domus nostra hujus tabernaculi dissoluta fuerit; ut sensus sit: Atque ea res, quam dixi, nobis est causa gemendi et suspirandi, ut qui habitaculo coelesti, id est, immortali corpore, cupiamus superindui, non deposito tabernaculo corporis hujus per mortem, sed absque mortis interventu immortalitate donando. Sic enim quodammodo superindui nos contingeret, veste immortalitatis accedente ad vestem corporis.

Hinc ergo jam patet ratio, cur illud superius sit sanctis causa gemitus ac suspirii; quia nimirum ardua res est ac dura, domum coelestem assequi non posse, nisi domo terrena prius per mortem dissoluta, repugnante videlicet desiderio nostro naturali, quo sine morte vellemus ad illud bonum pertingere. Quod desiderium significatur Graeca voce ἐπιποθοῦντες, *desiderantes.* Ita praeter alios intellexit hunc locum Augustinus lib. 1. de baptism. parvul. cap. 1., ubi etiam docet, desiderium illud in Adamo, si non peccasset, complendum fuisse sic, ut corpus animale, quod gestabat, et in quo creatus fuerat, absque morte media commutaretur in corpus spirituale et incorruptibile.

Porro corpus immortale vocat Apostolus habitaculum, quod de coelo est, eodem sensu, quo proxime vocavit aedificium, quod ex Deo habemus; eo nempe, quia sola divina virtute nobis construetur. Sunt, qui habitaculum, quod de coelo est, interpretentur gloriosum corpus ipsius Christi, de quo 1 Cor. 15.: *Secundus homo de coelo, coelestis.* Nam et Christum a nobis indui, phrasis est Apostolica, Rom. 13. et Gal. 3. Verum prior intellectus accommodatior est contextui loci praesentis.

3. *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Vestiti,* Graece ἐνδυσάμενοι, *induti,* ut legit Augustinus. Indicat in suo commentario Chrysostomus, et ex eo Oecumenius, codices hoc loco variare; quosdam enim legere ἐνδυσάμενοι, induti, alios unius litterulae discrimine: ἐκδυσάμενοι, exuti. Quo sane posteriore modo legisse Macarium, quem supra citavi, declarant haec ejus verba: *Contendamus hic per fidem et studiosam vitae conversationem comparare nobis indumentum illud, ne, corpore exuti, nudi reperiamur, nec sit, quod glorificet in die illa carnem nostram.* De Latinis quoque codibus admonet commentator Ambrosii, alios pro *induti* legere: *exspoliati.* Quae lectio apud Tertullianum est lib. 5. contra Marcion. cap. 12.: *siquidem despoliati, non inveniamur nudi,* et lib. de resurrect. carnis, cap. 41. et 42.: *Siquidem exuti, non nudi inveniamur.* Qua lectione S. Paulinum etiam usum fuisse, liquet ex his ejus verbis, epist. 5. ad Severum: *si dispoliatus a corpore, non inveniaris nudus ab opere.* Ex quo loco

scholion suum desumpsisse videtur Primasius, ejusdem lectionis consors: *Si tamen,* inquit, *exspoliati corpore, non nudi inveniamur ab opere.* In quem sensum Ambrosianus quoque eam lectionem pluribus exponit. Eandem sequitur Erasmus in sua paraphrasi, sensumque tradit consimilem, licet in versione scripserit: *induti.*

Quae quidem, ut est pervulgata lectio tam Graecorum codicum, quam Latinorum, suffragante etiam Syro interprete, sic et sincerior esse videtur. Nam illud: *si tamen exuti,* sive *exspoliati;* non respondet ei, quod dictum est: *superindui cupientes;* sed magis repugnat. Porro sensum hujus vulgatae lectionis glossa, quae dicitur interlinealis, suppeditat hujusmodi: Quod tamen non alia conditione sperare licet, scilicet habitaculo coelesti superindui, quam si virtutum ac bonorum operum ornamentis induti, non autem nudi in die adventus Domini reperiamur. De quo nimirum indumenti genere Paulus alibi praecipit, dicens: *Induite vos sicut electi Dei, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem,* etc. Col. 3. De quo et Joann. Apoc. 16.: *Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.* Hunc enim Scripturae locum multi codices annotatum habent ad marginem.

Verum commentarius iste, quamvis eum plures Latini sequantur, neque contextui inhaeret, neque servit intentioni Paulinae, quemadmodum recte censet S. Thomas. Est enim omnibus electis commune, tali modo vestitos et non nudos inveniri; superindui vero vel nullorum est, vel paucorum. Deinde, cum disserat haec Apostolus in persona bonorum et fidelium ministrorum novae legis, non admodum congruere videtur huic loco interposita conditio: *si tamen,* etc., quod illa jam dudum in superioribus supposita fuerit.

Aeque refellitur expositio Graecorum, quae talis est: Si modo, postquam induti fuerimus corpore per resurrectionem, non nudi inveniamur a gloria. Resurrectio namque communis erit omnibus; at gloria justis propria. Refellitur, inquam, iisdem rationibus, quas facile est applicare. Deinde principium petit Apostolus secundum hanc expositionem. Dicit enim, fore, ut superinduamur corpore glorioso, si in resurrectione non inveniamur nudi a gloria. Qui sermo battologus est. Ipse S. Thomas, et eum secutus Liranus, hunc faciunt sensum: *Superindui cupientes,* quod quidem nobis contingeret, si vestiti corpore et non nudi inveniremur in adventu Domini. Sed quoniam, inquiunt, hoc fieri non potest (oportet enim, animam prius exui tabernaculo terreno, quam induatur habitaculo coelesti), idcirco gemimus, desiderio naturae, quo nolumus mori, retardante desiderium gloriae. At Apostolus non dixit: *inveniremur*, sed *inveniamur,* vel, ut in Graeco est, εὑρεθησόμεθα, *inveniemur.* Quod non videtur dictum de re impossibili, sed de ea, quae fieri possit, et in quibusdam futura sit. Proinde Cajetanus, hunc commentarium corrigens, dicit, Apostolum idcirco loqui conditionate: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur,* quia revera quidam vestiti invenientur, alii vero nudi. Nam electi, qui superstites erunt in adventu Domini, reperientur vestiti corpore; qui vero ante illud tempus ex hac vita migraverint, invenientur corpore nudati. Quo fiet, ut hi quidem induantur corpore per resurrectionem, simul accedente indumento gloriae; illi vero tantum superinduantur gloria, utpote non nudi inventi, sed adhuc corpore vestiti, nec eo spoliandi. Igitur secundum Cajetanum contextus et sensus hujusmodi est: *Superindui cupientes;* idque adeo re ipsa nobis continget, si in die Domini vestiti corpore, non autem nudi reperti fuerimus, id est, si tunc residui futuri sumus, et nondum mortui.

Hic sensus simplex et perspicuus est, idemque probe consentiens cum aliis duobus locis, quibus de resurrectione mortuorum et adventu Domini disserit Apostolus, scilicet 1 Cor. 15. et 1 Thess. 4. Tertullianus lib. de rusurr. carnis, etsi

non legat: *induti,* sed *exuti,* tamen his verbis Apostoli verba prosequitur: *Id est, ante volumus superinduere virtutem coelestem aeternitatis, quam carne exuamur. Hujus enim gratiae privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, et propter duritias temporum Anti-Christi merebuntur, compendio mortis per demutationem expunctae, concurrere cum resurgentibus.* Sic ille, pro confirmatione subjungens duo Pauli loca, quae jam citavimus.

Sed tamen, utrum ex hoc commentario praesentis loci consequens sit, eos, qui residui erunt in adventu Domini, sine morte transituros ad gloriam, juxta Tertulliani et Graecorum opinionem, cui Cajetanus accedit; non plane constat. Posset enim responderi, ex Apostoli mente eos non censeri corporibus suis exuendos, nudosque futuros, quorum mors adeo brevis erit, ut neque somno mortis occupentur, neque corporum resolutionem patiantur, utpote continuo redituri ad vitam, secundum ea, quae diximus ad illum locum 1 Cor. 15.: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

4. *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Graece: καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει, etc. Ad verbum: *Etenim exsistentes in tabernaculo,* vel: *dum sumus in tabernaculo,* vel, ut Theophylacti interpres: *quum simus.* Priori modo participium reddit ipse noster interpres paulo post: *dum sumus in corpore. Tabernaculi nomine corpus hoc mortale denotat, in quo, velut in tabernaculo, ad tempus moramur, exspectantes domum non manufactum, aeternam, in coelis, uti supra dixit.*

Eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri. Eo quod, Graece ἐπειδὴ, *quandoquidem,* ut habent codices Graeci, qui nunc sunt in manibus. Nam veteres, quibus etiam vult editio Complutensis, legerunt: ἐφ᾽ ᾧ, *in quo.* Quod et Latine legitur apud Hilarium in enarr. Psalm. 64., et apud Augustinum lib. 1. de bapt. parv. cap. 2. Caeterum Oecumenius ἐφ᾽ ᾧ per ἐπειδὴ diserte exponit. Pro verbis *exspoliari, supervestiri,* aptiora sunt: *exui, superindui,* ut habet textus Ambrosii et legit Tertullianus. Repetit autem Apostolus eadem aliis verbis, simul adjiciens modum superindutionis a sanctis desideratae, cum ait:

Ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Quod mortale est, Graece τὸ θνητὸν, id est, *mortale;* quod et verti potest: *mortalitas,* ut respondeat vitae, quomodo vertit Erasmus. Haec pars apud Irenaeum sic legitur: *Ut absorbeatur mortale ab immortalitate,* lib. 4. cap. 70. et 75. Quamquam rursus idem lib. 5. cap. 13. legit: *a vita.* Porro totius periodi sensum hunc reddere possumus: Etenim nos Evangelicae legis ministri, quamdiu versamur ac degimus in hoc tabernaculo mortalis et caduci corporis, dolemus ac gemimus, hac corruptibili carne velut onere depressi, suspirantes ad incorruptionem; non quod velimus exui corpore et eo carere (id enim refugit naturalis voluntas); sed quia volumus superindui immortalitatem corpori; nec ita tamen, ut mortale corpus idem sit immortale, sed ut a vita incorruptibili mortalitas corporis absorbeatur, sicque corpus ex mortali reddatur immortale. Brevissime Tertullianus illud: *Nolentes exui, sed superindui,* sic exponit: *nolentes mortem experiri, sed vita praeveniri,* lib. 5. contra Marcion. cap. 12.

Adducit eundem Pauli locum Hieronymus in epist. ad Marcellam, quo doceat, futurum, *ut, qualia corpora mortuorum resurrectura sint, in talem substantiam etiam vivorum corpora transformentur.* Recitatis enim verbis Apostoli, quibus ait: *Nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale hoc a vita,* subjungit: *Ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed, anima habitante in corpore, fiat inclytum, quod ante inglorium fuit.* Caeterum absorptionis vocabulo in re proposita significare voluit Apostolus perfectam abolitionem mortalitatis et corruptionis; sicut et in priore epist. cap. 15., citans illud

Prophetae testimonium: *Absorpta est mors in victoriam.* Quo sane videtur etiam hoc loco allusisse.

Admonent Graeci, locum hunc facere contra veteres haereticos, qui negaverunt, idem numero corpus resurrecturum. Si enim sancti nolunt exui corporibus suis, sed eadem retinere volunt, ex mortalibus immortalia facta, consequens est, non aliorum, sed eorundem corporum exspectandam esse resurrectionem, quando nec resurrectio vere dici potest, ubi non resurgit idem, quod cecidit. Valet etiam hic locus adversus Origenistas, qui docuerunt, animas in haec corpora contra naturam detrudi, velut in carceres. Jam quomodo cum eo, quod dicit Apostolus: *nolumus exspoliari,* non pugnet illud ejusdem ad Phil. 1.: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo;* adeoque quod hic paulo post dicit: *Bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore,* etc., suis locis declarabitur.

5. *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus.* Subaudi: *est.* In Graeco participium est aoristum ὁ κατεργασάμενος, *qui effecit,* ut in nonnullis Latinis legitur. Bedae textus habet: *qui operatus est nos,* Sedulii: *qui perfecit,* licet apud Ambrosium, tam in textu, quam in commentario, legatur praesentis temporis verbum *perficit.* Significat autem vox Graeca perficere, parare, formare. Sed huic loco magis convenit parare et formare. Nam sensus est: Qui nos Evangelii ministros paravit atque formavit, et quotidie parat aptosque reddit ad hoc ipsum, id est, ad induendum vel superinduendum domicilium coeleste, Deus est. Hoc dicit, ne quid sibi tribuere videantur ii, quorum in persona loquitur; sed ut tales esse doceat, qui omne meritum sui ministerii, quo ad immortalitatem aptantur, adscribant virtuti gratiae Dei. Quod in nonnullis codicibus Graecis, quorum unum R. Stephanus annotavit, additur: καὶ χρίσας ἡμᾶς, *quique unxit nos,* huc ingestum est ex cap. 1. hujus epist. vers. 21. Sequitur ratio, cur illud ipsum, ad quod aptantur ac formantur, certe sperare debeant.

Qui dedit nobis pignus Spiritus. Graece: *Qui et dedit nobis arrham spiritus. Arrhabonem* legit Tertullianus. Textus Ambrosiani lectio est: *Qui etiam dedit nobis pignus spiritum.* Videtur et Primasius *spiritum,* non *spiritus,* legisse. Sed ea lectio quaedam expositio nostrae lectionis est. Exponit enim transitivum per intransitivum. Nam ipse Spiritus sanctus, cujus multa dona magna et manifesta jam accepimus, ait Apostolus, est pignus, id est, arrha futurae gloriae, nobis data a Deo, ut de gloria immortalitatis adipiscenda non dubitemus, imo certissimi simus, si arrham suo tempore repraesentemus. Eundem spiritum vocavit pignus datum in cordibus, supra cap. 1.

6. *Audentes igitur semper, scientes, quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Quia dicere quis poterat: Illa gloria corporis, de qua hactenus, non statim habetur a morte; sed fortassis erit in longum exspectanda, dum veniat Dominus; ideo subjungit de gloria animae, quam Evangelicos ministros continuo post mortem accepturos esse declarat. *Audentes,* Graece θαῤῥοῦντες, *confidentes,* Tertullianus: *confisi,* Ambrosius: *fidentes. Dum sumus,* Graece ἐνδημοῦντες, *domi agentes,* Ambrosius: *inhabitantes,* quod noster infra vertit: *praesentes.* Opponit enim Apostolus haec duo, ἐνδημεῖν, domi agere, et ἐκδημεῖν, peregrinari, foris agere; quae pari gratia paronomasiae Latine reddi non possunt. Erasmus participia pro verbis posita interpretatur hoc modo: *Itaque bono animo sumus semper; et scimus, quod, cum domi sumus in corpore, peregrinamur a Domino.*

Verum ex consuetudine sermonis Apostolici magis apparet, sententiam inabsolutam et suspensam esse, quam post paucolorum verborum parenthesim compleat, ibi: *audemus autem* etc. resumpto verbo, cujus participium praemiserat. Quamquam, ut lux accedat orationi, participia per verba commode explicantur, ad hunc

modum: Itaque certa spe futurae gloriae subnixi, semper bono ac fidenti animo sumus, non interim ignari, quod, quamdiu degimus, et quasi domi sumus in hoc mortalis corporis habitaculo, peregrinamur et absentes sumus a Christo Domino, cui cupimus esse praesentes. Dominum Christum interpretor hic et in eo, quod statim sequitur: *Et praesentes esse ad Dominum;* tum quia familiare est Apostolo, Christum dicere Dominum; tum vero, quia futuram beatitudinem alibi quoque denotat hujusmodi sermone: *esse cum Christo*, ut Phil. 1.: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo,* et 1 Thess. 4.: *Et sic semper cum Domino erimus.* Ubi Christum intelligi oportere, loci contextus palam exigit. Sed et ipse Dominus ad latronem, Luc. 23.: *Hodie,* inquit, *mecum eris in Paradiso.* Unde et Apoc. 14. omnes beati describuntur *sequentes agnum, quocumque ierit,* et cap. 20. *regnare* dicuntur *cum Christo.*

7. *(Per fidem enim ambulamus, et non per speciem).* Voculam *et* Graeca non habent, ut neque textus Ambrosii. Est autem imperfecta sententia. Non enim ambulatur per speciem; nam vita futura non via est, per quam ambuletur, sed terminus, in quo stetur. Supplendum igitur: non per speciem stamus, cognoscimus aut videmus, aut quid simile. Est quidem, ubi ambulandi metaphora etiam beatis attribuitur, ut Apoc. 3.: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Sed infrequens est hujusmodi locutio, nec ambulare dicuntur beati, nisi adjuncto aliquo, quod tropo gratiam addat, quale est: in albis vestibus. Alioquin usitatum est, ut ambulare tribuatur iis, quos Theologi viatores vocant.

Explicat autem Apostolus absentiam, de qua dixit: *peregrinamur a Domino.* Per fidem enim, inquit, ambulamus, dum in hoc corpore mortali sumus; hoc est, fide duce ac praevia, tendimus ad coelestem patriam; nec adhuc ad speciem pertigimus, sive necdum per speciem videmus, id est, *facie ad faciem,* sicut priore Epist. locutus est cap. 13. Quod enim videre per speciem, et videre facie ad faciem, eadem sint Apostolo, liquet ex eo, quod fidei, tamquam imperfectae et aenigmaticae visioni, utrumque opponat; hoc quidem loco id, quod est *per speciem,* in priore autem epistola, *videre facie ad faciem.*

Itaque per speciem videre Deum, est ipsam speciem, hoc est (ut bene Cajetanus exponit) ipsam *naturam et propriam pulchritudinem Dei intueri;* species enim veritatem, id est, rem ipsam seu rei naturam hic significat; quemadmodum et imago Hebr. 10. in illis verbis: *Non ipsam imaginem rerum.* Hinc apud Dialecticos species, Graece εἶδος, pro natura rei propria, quam specificam vocant, usurpatur. Et quidem hanc speciei significationem attendit, qui vertit: *In fide versamur, non in ipsa re.*

Porro si per fidem ambulantes peregrinamur a Domino, igitur Domino praesentes videmus per speciem sive per essentiam. Non quod, ut multi putant, Domino praesentem esse sit idem, quod Deum per essentiam videre; sed quia praesentiam illam hoc bonum comitatur. Non enim dicuntur esse cum Christo, nisi qui participes sunt bonorum Christi hominis, quorum praecipuum est Deum videre. Atque hoc nimirum est, quod ait Dominus, Joann. 17.: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum.* Sequitur enim: *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Quibus utique verbis precatur suis fidelibus gloriae ac felicitatis secum post hanc vitam consortium.

8. *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus.* Explet sententiam superiorem; dixerat enim: *audentes et scientes;* deinde subjunxit, quid sciant; nunc vero, illud *audentes* quo referendum sit, exponit, idque verbo ipso repetito, cum dicit: *Audemus autem,* sive *confidimus, et bonam voluntatem habemus.* Graece uno verbo εὐδοκοῦμεν, id est, *probamus, acquiescimus,* quod vulgo diceretur: *bene volumus.* Ambrosius legit: *consentimus,* Tertullianus: *boni ducimus,* alias *bonum*

ducimus. Juxta syntaxin verborum Apostoli, quam dixi, quamque genuinam puto, particula δὲ, *autem,* παρέλκει, redundat, ut loquitur Oecumenius et ex eo repetit Gaignaeus. Quamquam et sic non incommode reddi potest: *Audemus,* inquam, *et probamus,* etc.

Magis peregrinari a corpore, id est, absentes esse a corpore, velut domicilio nostro, magis seu potius, quam in corpore morari. Quod si, ut habet philosophia Platonis et theologia Origenis, corpus esset carcer animae, et non naturalis ejus sedes atque instrumentum, non diceret Apostolus, animam a corpore peregrinari.

Et praesentes esse ad Dominum. Graece: *et domi agere ad Dominum,* sive *apud Dominum;* id est, tamquam in patria praesentes apud Dominum morari. Tertullianus *immorari* dixit. Singula verba singulis membris in hac pericope reddenda videntur. Nam fiducia, significata verbo *audemus,* proprie respicit praesentiam cum Domino. Cujus fiduciae causa reddita fuit illis verbis: *Qui autem efficit nos,* etc. Animus vero acquiescens, quem significat illud: *bonam voluntatem habemus,* refertur ad hoc proximum: *peregrinari a corpore.* Quod etsi, per se ac nude consideratum, voluntati contrarium sit, secundum quod dixit: *Nolumus exspoliari,* consideratum tamen ut medium, sine quo non pervenitur ad rem per se bonam, summeque expetendam, quale est Domino praesentem esse, Deumque videre, merito placet, et ut bonum quoddam acceptatur a voluntate rationali. Simile est, quod dicit Phil. 1.: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius.*

Sensus et doctrina Apostoli est: Ex Dei promissione non modo fidenter exspectamus gloriam corporum nostrorum per resurrectionem futuram in fine saeculi; verum etiam interim secundum animas pari fiducia speramus beatam praesentiam cum Christo. Qua spe ac fiducia roborati, aequo animo ferimus, imo libenter ac prompta voluntate suscipimus, quod a corpore peregrinandum nobis sit. Evidenter ostendit hic locus adversus Graecos schismaticos et nostri temporis haereticos, sanctorum animas corporibus exutas sive a corpore peregrinantes (utroque enim modo loquitur Apostolus), esse Domino praesentes; et quidem eo modo, ut jam non per fidem ambulent, sed per speciem teneant ac videant, quod in corporibus agentes atque a Domino peregrinantes crediderunt ac speraverunt. Hoc autem est Deum clare et per essentiam intueri.

Ratiocinatur enim Apostolus ad hunc modum: Dum sumus in hoc corpore, peregrini sumus a Domino quia in hac vita per fidem ambulamus, non per speciem; ut ergo praesentes simus ad Dominum, utque non amplius per fidem ambulemus, sed per speciem Deum videamus, placitum et optabile nobis est a corpore peregrinari. Quae quidem ratiocinatio prorsus infirma esset, nec ullo pacto concluderet, optandum nobis esse peregrinari a corpore, ut Domino praesentes simus, Deum per speciem visuri, si ad speciem non perveniretur, nisi post resurrectionem corporum. Sic enim non in peregrinatione a corpore, sed in corporis resumptione consequeremur eximium illud bonum; neque ad illud consequendum quidquam compendii nobis adferret, quod a corpore peregrinamur. Hic Apostoli sensus, quem dedimus, magis etiam elucescet, si conferantur ista cum loco memorato Philipp. 1., quo dicit, se cupere dissolvi, et esse cum Christo. Nec vero solum Latini interpretes hunc locum sic intellexerunt, sed et Graeci, nominatim posteriores, Theophylactus et Oecumenius, qui id, quod hic dicitur: *per speciem,* diserte exponunt per illud, quod est: *facie ad faciem* videre, 1 Cor. 13., docentque ex mente Pauli, eam felicitatem contingere sanctis, dum a corpore peregrinantur.

9. *Et ideo contendimus, sive absentes, sive praesentes, placere illi.* Interpres mutat vocabula, quae in Graeco eadem perpetuo sunt, habentia jucundam, ut supra dictum est, allusionem. Caeterum Graeca lectio sic habet: *Idcirco et*

contendimus, sive domi agentes, sive peregrinantes, beneplaciti ei esse. Eodem ordine legit Ambrosius: *sive praesentes, sine peregrinantes.* Sensus est: Quoniam ergo tanta praemia nobis proposita sunt ac promissa, propterea contendimus (Graece φιλοτιμούμεθα), id est, certatim atque omni studio connitimur, fideliter ac sincere coram Deo ministerium nostrum exsequendo; ut, sive degentes in hoc domicilio corporis, sive ab eo per mortem peregrinantes, id est, seu vivi, seu mortui, Christo Domino placeamus, acceptique simus. Nam si, dum in corpore sumus, ei placuerimus, haud dubie post mortem non solum placebimus ei, sed et praesentes illi erimus, et cum eo regnabimus.

Minus recte Latini quidam absentiam et praesentiam ad Christum referunt, hoc sensu: sive absentes a Christo, sive illi praesentes. Nam praesentia cum Christo praemium est, propter quod assequendum contendimus ei, et in vita, et post mortem, placere. Et quidem Christo placere in hac vita meritum est; post mortem autem necessaria dispositio ad illud praemium.

10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Rationem reddit ejus, quod dixit: *Contendimus, sive praesentes, sive absentes placere illi;* quia nimirum idem *ipse est,* Petro teste Act. 10., *qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum,* quos hoc loco per praesentes et absentes diximus significari. Pro *manifestari* textus Ambrosianus habet: *assistere.* S. Ambrosius legit: *stare,* enarrans Psalm. 1. Caeterum Augustinus pro duabus vocibus: *manifestari oportet,* passim legit: *adstabimus,* ut Ench. 109., lib. de praedest. Sanct. cap. 12. et ad Dulcit. quaest. 2., sed, ut suspicor, usus codice, qui confunderet hanc sententiam cum altera simili Rom. 14., quae habet: *Omnes stabimus,* sive *adstabimus, sistemur, ante tribunal Christi.* Nam alioqui plus est *manifestari,* φανερωθῆναι, quod hic legitur, quam adstare sive sisti, παραστῆναι, quod in Epist. ad Rom. Multi namque judicibus sistuntur, qui non manifestantur; ideoque Theodoretus annotat, Apostolum non dixisse: *sisti,* sed *manifestari.* Bifariam autem hoc exponitur; vel ut *manifestari* referatur ad judicem, quia nimirum omnia omnium hominum facta perfectissime Christo judici nota erunt; vel ut referatur ad caeteros omnes homines, quia, ut ait Liranus, *judicium* illud *apparebit omnibus justum, singulis videntibus omnia bona et mala aliorum.* Est enim sermo de extremo et universali judicio.

Posterior hic sensus congruit cum eo, quod dixit in prima Epist. cap. 4. de judice Christo: *Qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium;* utique non sibi, qui omnia novit ab initio; sed cunctis angelis et hominibus. Hunc sensum praeter alios expresserunt Theodoretus et Theophylactus, quorum alter *omnibus,* alter *omnia* dicit in illo judicio manifestanda. Certe prior sensus admitti vix potest. Non enim tunc proprie manifestabimur judici, cui semper manifesti sumus; tametsi improprie posset intelligi, nos illi manifestatum iri, quatenus scilicet ipso actu et effectu judicii monstraturus est, omnia nostra sibi esse manifesta. Porro *tribunal Christi* non aliud est, quam potestas ejus judicaria; et ante tribunal Christi non aliud, quam coram Christo judice. Quod vero dicit: *omnes nos,* intellige omnes homines sine exceptione, et proinde etiam nos Apostolos omnesque novae legis ministros, videlicet rationem sui ministerii Christo Domino reddituros. Quo generali sensu locum similem, qui est Rom. 14., ostendimus accipiendum. Ubi et illud exposuimus, quomodo judici Christo sistenti sint etiam Apostoli, sicut hic dicitur, scilicet ab illo judicandi, cum eos simul cum Christo judices sessuros, atque duodecim tribus Israël judicaturos ipse Christus pronuntiet Matth. 19. et Luc. 22. Hoc enim propterea dictum est, quia, qui Christum propius secuti sunt, omnibus suis Evangelii causa relictis, quales imprimis fuerunt Apostoli, tam

erit eorum excellentia sanctitatis omnibus nota, ut, si de judiciis humano more loquendum sit, non solum non judicandi videantur operum ac meritorum discussione, verum etiam digni reputentur, quos judex honoris causa sibi jubeat assidere, velut judiciariae potestatis ex aliqua parte consortes; quemadmodum dicto loco pluribus id a nobis explicatum est.

Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Illa verba: *propria corporis, prout gessit,* in Graeco sic leguntur: τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν, id est, ea, quae per corpus, *ad ea* seu *juxta ea,* quae fecit; nisi quod exemplaria quaedam habeant: πρὸς ὃ, *juxta quod fecit,* sensu tamen eodem. Supplendum autem priori parte: *ea, quae per corpus* facta sunt, quod Ambrosianus breviter legit: *facta corporis.* Quod additur: *prout gessit,* sive *juxta ea, quae fecit,* declarat analogiam retributionis ad merita. Sensus enim Apostoli est, unumquemque in illo judicio reportaturum pro iis, quae in corpore gessit bona vel mala, praemium vel supplicium; idque juxta meritorum cujusque rationem; ut priori parte significetur justa retributio in genere, quae ad justitiam commutativam pertinet; posteriori justa retributionis proportio, scilicet ut, quae erit in utramque partem meritorum disparitas, eadem servetur, et in remuneratione bonorum, et in punitione malorum; quod est officium justitiae distributivae. Graecae lectioni favet Tertullianus, qui libro de resurrect. carn. capit. 43. locum hunc ita refert: *Ut unusquisque reportet per corpus, secundum quae gessit,* et cap. 59.: *Ut referat per corpus, prout gessit,* et lib. 5. contra Marcionem cap. 12.: *quae per corpus admisit.* Item Augustinus, qui legit: *secundum ea, quae per corpus gessit,* lib. 17. de civit. Dei, cap. 4., et aliis locis supra citatis. Meminit hujus lectionis etiam Lombardus in commentario. Suffragatur et Syra paraphrasis, quae sic habet: *Ut rependatur unicuique in corpore suo id, quod factum est in ipso.*

Caeterum noster interpres, qui scripsit: *propria corporis,* in Graeco pro διὰ legit ἴδια, quod et hodie legitur in Complutensibus ac Regiis. Eam Latinam lectionem habet Cyprianus ad Quirin. lib. 2. testim. 28., et lib. 3. testim. 56.; necnon Ambrosius in enarratione Psalmi primi, et Ruffinus exponens illa symboli verba: *judicare vivos et mortuos.* Dicuntur autem *propria corporis,* non diversa ab iis, quae propria sunt animae, sed ea, quae singuli fecerunt, quisque in suo corpore, dum hic viveret. Quem etiam Graecae lectionis sensum esse, diximus. Quamquam et anima, dum in corpore est, nihil agit sine corporis adminiculo; quemadmodum nec cogitare quidquam potest sine phantasmate corporeo. Quo tamen Apostolum respexisse, non putamus. Igitur quod ait: *prout gessit,* prorsus generale est, ut non modo complectatur actiones exteriores, verum etiam intimas animorum cogitationes, quas per *consilia cordium* significavit Apostolus 1 Cor. 4.

Solet hic moveri quaestio de infantibus, sive renatis in Christo, sive non renatis, qui in ea aetate mortui sunt; utrum etiam hujus sententiae generalitate comprehendantur. Non enim videntur quidquam gessisse, id est, fecisse in corpore, quod praemium aut poenam mereatur, ut qui rationis usum numquam habuerint. Respondet Augustinus, unumquemque censeri gessise in corpore non solum id, quod sua voluntate fecit, sed et, quod circa ipsum factum est, ut ei noceret aut prodesset, dum esset in corpore. Quod quidem in parvulis habere locum ostendit, quoniam iis vel damnationem adfert peccatum primi parentis, vel prodest ad salutem baptismus eis impensus. Ita docet lib. 6. contra Jul. cap. 10., et in Epist. 107., quae est ad Vital., et attingit lib. de praedest. Sanctor. cap. 12. Id ipsum repetivit ex Augustino Beda, Glossator, Lombardus, Hervaeus et alii.

Sed haec responsio difficultatem habet. Non enim, nisi valde improprio et violento sermone, dici potest, parvulos ea fecisse, quae circa illos nescientes aut non

consentientes facta sunt ab aliis; praesertim si facta, ipsis nondum natis, quale est peccatum primi parentis, quo totum infecit genus humanum.

Quare facilior et ad Apostoli mentem accommodatior erit responsio, si dicamus, ea, quae quisque fecit, sicut ad cogitationes cordium constat extendi, sic etiam extendi debere ad habitus bonos et malos, aut si quid habitibus simile voluntati dominans, ita nimirum, ut secundum illud operatura sit voluntas, si rationis usus accedat, et nihil aliud impediat. Tale est autem peccatum originale, quo infecta est uniuscujusque parvuli voluntas, donec renascatur. Est enim habitus quidam pravus atque corruptus, uti docet S. Thomas 1. 2. quaest. 82. art. 1. et alibi. Tales quoque sunt habitus infusi, fides, spes, charitas, quas etiam parvuli, dum baptizantur, accipiunt. Neque enim solum actus boni et mali subjicientur judicio Dei, verum etiam habitus virtutum et vitiorum, quatenus voluntarii sunt. Secundum hos enim, ut coram Deo laudabiles et vituperabiles sunt homines, sic et praemiis aut poenis digni; quemadmodum ostendimus ad distinct. 30. lib. 2. sentent.

Hunc Apostoli locum solent objicere sectarii contra preces et sacrificia, quae pro defunctis in Ecclesia Catholica frequentantur. Nam si in die judicii refert unusquisque, prout ipse gessit in corpore, dum viveret, seu bonum, seu malum; igitur, inquiunt, nil prodest mortuis, quod pro eis agunt viventes. Verum huic objectioni jam olim occurrit Augustinus variis locis, ut in lib. de cura pro mort. cap. 1., Enchir. cap. 110., quaest. 2. ad Dulc., et serm. 32. de verbis Apost. Summa responsionis est, mortuos, dum viventium suffragiis adjuvantur, recipere ea, quae ipsi gesserunt in corpore; quandoquidem, ut sic juvari possent, dum viverent, meruerunt. *Hoc* autem *meritum* (ait Augustinus in Enchirid.) *sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse, quae pro mortuis aguntur a vivis.*

Caeterum e diverso manifeste facit hic locus pro meritis operum, tam bonorum (quae negant haeretici), quam malorum. Nam de utrisque, quod ad generalem retributionis ac meriti rationem attinet, similiter loquitur Apostolus, dicens, unumquemque recepturum, prout gessit, sive bonum, sive malum; eo duntaxat discrimine, quod ad mala merita quisque sibi sufficit, bona vero merita Dei dona sunt, gratuito nobis per Christi meritum collata.

11. *Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus.* Timorem dixit pro re timenda, more Scripturae: Cum igitur (inquit) nos, Evangelicae legis ministri, certo futurum sciamus, et ante oculos habeamus severum illud, omnibusque merito timendum ac tremendum judicium Christi Domini; nitimur hominibus persuadere nostram integritatem, ne cui scandalo simus.

Deo autem manifesti sumus. Dico, inquit, *hominibus suademus;* nam quod ad Deum attinet, nihil opus est, ut illi nostram integritatem persuadeamus. Novit enim ille recessus intimos cordis nostri. Videtur huic loco ex diametro repugnare quod dicit Gal. cap. 1.: *Modo enim hominibus suadeo, an Deo?* quasi dicat: Non hominibus, sed Deo. Verum quomodo non repugnet, ex illius loci commentario planum fiet. Pro: *manifesti sumus,* Graece quidem verbum est praeteriti temporis πεφανερώμεθα, quod vertendum cuipiam videatur: *manifestati sumus,* uti reperio nonnullos vertisse. Sed revera significationem habet praesentis, etsi conjuncti cum praeterito; ut in aliis quibusdam Graecis verbis contingit. Significatur enim manifesta Dei de nobis notitia sic praesens, ut semper fuerit. Unde paene omnes cum nostro interprete verterunt: *manifesti sumus,* quod et e Syriaco textu nobis redditur. Interim observa, quod si Deo jam manifesti sumus, non ergo Christo nos manifestos esse demum in extremo judicio sed hominibus coram Christo; uti dictum est supra.

Spero autem, et in conscientiis vestris manifestos nos esse. In Graeco non ex-

primitur pronomen. Itaque verti posset numero singulari, *manifestum me esse,* nisi tam praecedentia, quam quae sequuntur, pluralem numerum exigerent; quae omnia communi nomine fidelium ministrorum verbi Dei dicuntur. Jam quod proxime dictum est de verbo Graeco, pro quo transtulit interpres: *manifesti sumus,* ad hunc quoque locum pertinet. Nec enim probo, quod apud Sedulium lego: *manifestatos esse,* licet ex verbo πεφανερῶσθαι. Sensus igitur est: Spero et confido, sinceritatem nostram, qua in Evangelico munere versamur, ita vobis jam diu manifestam et probatam esse, ut bene recteque de nobis sentiatis. Hoc dicit propter aliquos, qui, a pseudapostolis male persuasi, minus bonam habebant de Paulo ejusque collegis existimationem.

12. *Non iterum commendamus nos vobis.* Graece: *Non enim iterum nos ipsos commendamus vobis.* Tametsi particula *enim,* quae nec in Syro textu legitur, nec in Ambrosiano, nec in omnibus Graecis, haud videtur ad sensum conferre, nisi positam intelligamus pro illativa; ac si dicat Apostolus: Ideoque non haec scribo, quod magnopere studeam me meosque Evangelii socios iterum vobis commendare, ut quorum in conscientiis satis manifesti sumus. Vide nostram expositionem ejus, quod supra dixit initio capitis 3.: *Incipimus iterum nosmet ipsos commendare?* Ubi etiam ratio reddita, cur dicat: *iterum.*

Sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis. Damus. Graece διδόντες, *dantes,* et *gloriandi,* καυχήματος, *gloriationis.* Interpretes, ne oratio sit imperfecta, participium per verbum reddiderunt. Nam quasi interrogaretur: Si haec, quae ad laudem vestram pertinent, non scribis studio commendandi tui ac tuorum, quorsum igitur ea commemoras? Sed, inquit, haec scribimus, *occasionem dantes vobis,* id est, ad hoc, ut occasionem demus vobis Corinthiis nostro nomine gloriandi; vel clarius: Ut praebeamus vobis materiam gloriandi de nobis; idque adversus aemulos gloriae nostrae pseudapostolos, qui nobis obtrectant. Haec enim erat Paulo justissima causa sui commendandi, ne per ipsius vituperationem et contemptum fructus Evangelio deperiret. Sensum hunc explicat, quod sequitur:

Ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. Ad eos, Graece πρὸς τοὺς, etc. Quod verti potest: *adversus eos.* Quo sensu dixit Latinus interpres 1 Cor. 15.: *Si ad bestias pugnavi.* Nam et Graece dicitur: μάχεσθαι πρός τινα, quod Latine: pugnare cum aliquo, id est, contra. Porro verbum ἔχητε, *habeatis,* supplemento eget. Unde alii pleno sensu vertunt: *Ut aliquid habeatis adversus eos.* Quae et Ambrosiana lectio est. Idque suo commentario plane confirmat Oecumenius, nec dissentit Primasius, cujus scholion est: *Ut habeatis ad eos, quid respondeatis.* Atqui Gaignaeus supplet ex eo, quod praecedit: *Ut habeatis occasionem gloriandi adversus eos.* Erasmus annotat, *habeatis* positum pro: *possitis gloriari.* Nam ἔχειν, habere, pro posse, Graecae consuetudinis est. Et tamen idem autor in sua versione maluit scribere, quod primo loco dixi, sicut apud Ambrosium legerat. Quod et nobis maxime probatur.

Itaque sensus est: Ut habeatis in promptu, quod pro nobis dicatis adversus eos, qui gloriantur in facie, sive in exteriori specie, id est, de iis, quae exterius apparent, gloriam captant; nimirum ad hoc intenti, ut coram hominibus appareant gloriosi; sive ea de se praedicantes, quae nihil ad veram laudem faciunt, qualia sunt sapientia et eloquentia saecularis, nobilitas generis, et alia hujusmodi; sive more hypocritarum simulantes virtutes, quas non habent. *Non autem in corde,* id est, non ex cordis et conscientiae testimonio; quemadmodum ipse Paulus gloriabatur. Sic enim supra cap. 1.: *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Sciendum, hanc extremam partem in Graeco legi sine praepositione: *et non corde;* ut sensus esse possit: Et

non ita sentiunt corde, uti foris de se praedicant; non tales intus se vident, quales exterius videri volunt; conscientia non respondet externae speciei.

13. *Sive enim mente excedimus, Deo.* Nonnulli codices mss., necnon concordantiae veteres pro secunda vocali tertiam legunt: *excidimus* pro *excedimus.* Verum nostrae lectioni consonat textus Ambrosianus. Estque sane probabilius, interpretem nostrum vertisse: *excedimus*, ut qui etiam alias mentis excessum vocat, quam ἔκστασιν Graeci dicunt, ut Act. 10. et 11. Est autem hoc loco verbum respondens ἐξέστημεν, id est, *mente excedimus;* ac si dicat: Extra nos positi sumus, quod alii quidam vertunt: *insanimus;* quemadmodum et Syra transferuntur. Qua significatione legitur idem verbum Marc. 3., ubi nos habemus: *Quoniam in furorem versus est.* Caeterum Augustinus quidem passim legit in praeterito: *mente excessimus,* observato tempore verbi Graeci, ut tract. in Joann. lib. 12., contra Faustum cap. 26., et in enarrat. Psalm. 30. conc. 1., et Psalm. 103. conc. 3. Verum id accidit interpretis imperitia, qui non advertit, hoc verbum ex iis esse, in quibus soleat usurpari tempus praeteritum pro praesenti. Simile verbum habuimus supra vers. 11.

Dicere coeperat Apostolus, quae ad laudem suam et gloriam spectarent, idque adeo in consequentibus hujus epistolae prolixius et copiosius facturus est, improbitate suorum adversariorum ad eam rem impulsus. De eo nunc se excusat, et hac sententia Corinthios praemonet, ut intelligant, id cum ratione et ob justam utilitatem a se fieri. Quod autem hujusmodi gloriationem suique laudationem significare voluerit nomine insaniae atque insipientiae, patet ex iis, quae scribit infra cap. 11. et 12. Ratio appellationis est, vel quia vulgus eos aestimat parum sanos, qui laudes suas praedicant; vel potius quoniam id absque justa necessitate facere, revera stultum et insanum est; ut insanire dicatur hoc loco, qui facit, quod solent homines non sanae mentis.

Porro supplenda est oratio repetitione verbi in hunc sensum: Sive insani sumus, gloriose de nobis ipsis loquentes, Deo insani sumus; id est, hoc ipsum facimus ad gloriam Dei, ne, si nos ejus ministri vobis habeamur contemptui, simul ejus doctrina per nos praedicata contemnatur. Quae res utique cederet in ipsius Dei contemptum.

Sive sobrii sumus, vobis. Mentis sobrietas intelligitur. Nam Graece est: εἴτε σωφρονοῦμεν, id est, *sanae mentis sumus,* pro quo legit Ambrosianus: *sanum sapimus,* Augustinus vero: *temperantes sumus.* Quorum omnium sensus idem est iste: Sive de nobis humiliter ac modeste loquamur, quod solent homines sanae mentis, vobis tales sumus, hoc est, id totum vestri causa facimus, imbecillitati vestrae nos accommodantes, et humilitatis exempla praebentes. Ad hanc bimembrem Apostoli sententiam (quam totam Valla breviter et complete sic reddit: *Sive desipimus, Deo desipimus; sive sapimus, vobis sapimus*) Graeci, Theophylactus et Oecumenius, plures adferunt sensus. Ac Latini plerique, ex Augustini locis supra citatis, mentis excessum interpretantur contemplationem sublimium mysteriorum, quae capacitatem infirmorum excedunt; sobrietatem vero doctrinam captui vulgari accommodatam. Verum sensus, quem dedimus, quem eundem nec Graeci, nec Latini praeterierunt, nobis videtur omnino germanus. Caeterum notanda Pauli modestia vel in eo ipso, quod, cum haec, quae scribit, in ipsius personam potissime competerent, tamen, ut communi nomine multorum scribens, utatur numero plurali.

14. *Charitas enim Christi urget nos.* Graece συνέχει, *constringit, compellit nos.* Id vero est urgere. Charitatem Christi intelligit vel eam, qua nos Christum diligimus, vel qua Christus nos diligit. Nam uterque sensus exstat apud interpretes, tam Graecos, quam Latinos. Prior sic explicatur: Ad id, quod dixi, faciendum urget nos Apostolos et Evangelii ministros illa charitas, qua Christum

ut Dominum nostrum, qui nos redemit, diligimus, volentes omnia facere ad ejus nutum et honorem, ut servos redemptitios decet, qui non sunt sui, sed Domini. Cui intellectui possunt etiam, quae sequuntur, aptari. Quae tamen diligentius expensa magis postulare nobis videntur alterum sensum, ut tale sit, quod dicit Apostolus: Neque gloriae cupiditas cogit nos insanire; neque rursus abjectio et pusillitas animi sobrios nos reddit; sed ad utrumque nos urget et impellit exemplum charitatis Christi pro omnibus mortui.

Si enim Christus pro omnibus mortuus est, quid non facere nos debemus, ut eos, pro quibus ille mortuus est, adducamus ad salutem? Unde ait in priore epistola cap. 9.: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Exemplum vero Christi ad procurandam proximorum salutem alibi quoque Paulus allegat, ut Rom. 15.: *Unusquisque vestrum,* inquit, *proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit.* Et iterum: *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos, in honorem Dei.* Similiter allegat Joannes 1. epist. 3. dicens: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Confirmat hunc commentarium quod Paulus ista scribit de se suisque collegis, ut vicariis et legatis Christi; quemadmodum in sequentibus aperte declarat. Itaque dicere vult, exemplo Christi, qui sic dilexit nos, ut pro nobis omnibus mortem subiret, urgeri se, tamquam ejus legatum, ad impendendum se totum iis, quos Christus ita dilexisset.

Aestimantes hoc, quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Aestimantes: Graece κρίνοντας, *judicantes*, ut habet textus Ambrosii, sicut et legit Augustinus lib. 11. contra Faust. cap. 8., et sensus est: Animo reputantes. Particula εἰ, *si*, in quibusdam Graecis codicibus abest; nec eam legerunt Theophylactus et Oecumenius. Verisimile tamen est, a Paulo scriptam fuisse, quod et sermonis connexioni serviat, et in plurimis adhuc legatur Graecis codicibus, qui hodie exstant. Ansam praetermittendi incauto scriptori Graeco dedisse potuit similitudo dictionum εἰ et εἷς; ut in ejusmodi contingit. Quod dicit Apostolus: *unum pro omnibus*, scilicet hominibus redimendis *mortuum esse*, nempe Christum Dominum, id recte Prosper in responsione prima ad objectiones Vincentianas, de magnitudine et potentia pretii, per Christum in morte oblati, exponit. Fuit enim pretium illud sufficiens et superabundans ad omnes redimendos atque salvandos. Verum non omnibus, sed solis electis, ex Dei praedestinantis voluntate applicatur.

Atque hoc est, quod Theologi tradunt, Christum sua passione sufficienter omnes redemisse, sed non omnes efficienter. Quam efficientiam attendentes alii quidam, priore sensu non repudiato, Paulum de praedestinatis interpretantur, ut quibus omnibus et solis efficaciter ad salutem prodest mors Christi. Hic commentarius est apud Haimonem et Hervaeum; necnon apud Hugonem Victorinum in quaestionibus loci praesentis, ubi sensum hunc Hieronymo adscribit. Eundem tradit S. Thomas, exponens illud Heb. 2.: *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem;* quamvis et alterum sensum adjungat.

Uter vero sensus huic loco magis conveniat, pendet ex intellectu ejus, quod infert Apostolus: *ergo omnes mortui sunt.* Quod quidem B. Thomas trifariam intelligi posse docet. Primum, ut sensus sit, omnes esse mortuos morte peccati in Adam. Quae expositio fere est omnium commentatorum, adeoque legentibus obvia, ut Cajetanus affirmet, *procul dubio* sermonem hic esse *de omnium hominum morte*, quae est, *peccati originalis.* Ac certe bona est sequela: Si pro omnibus mortuus est Christus, omnes mortuos esse morte peccati. Siquidem Christus ad hoc mortuus est, ut homines a morte peccati redimeret. Quare si nullus est hominum,

pro quo Christus non sit mortuus, utique consequens est, nullum esse, qui sit a peccato, saltem originali, immunis. Hic commentarius supponit sensum antecedentis generalem; scilicet pro omnibus in universum hominibus mortuum esse Christum, et non solum praedestinatis. Non enim aliter ex hoc loco colligi posset, omnes in universum homines morte peccati mortuos esse, quod ex eo colligunt dictae expositionis autores.

Unde et Augustinus adversus Pelagianos, originale peccatum negantes, utitur inter alia hujus Scripturae testimonio, quo doceat, ne quidem infantes recenter natos a peccato liberos esse, quoniam et pro eis mortuus sit Christus; ut lib. 1. de baptism. parvulorum, cap. 27., et lib. 6. contra Julianum, cap. 4. Qui et ejusdem doctrinae generalitatem expressit lib. 20. de civitate Dei, cap. 6., ubi, recitatis ex hoc loco verbis Apostoli, sic infert: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis.* Quae eadem verba V. Beda retulit in sua collectanea, deinde et Hervaeus intexuit suo commentario. Nam exceptio, quae apud hunc autorem, sub Anselmi nomine citari solitum, apposita legitur: *dempta matre Dei,* contra mentem autoris, ac repugnante contextu, inserta est ab aliquo, zelum (ut arbitror) habente matris Dei, non secundum scientiam. Veruntamen hic commentarius, quem primo loco diximus adferri a S. Thoma, etsi veram sententiam contineat, non admodum quadrat Apostoli instituto, nec connecti facile potest cum iis, quae sequuntur.

Est igitur secundus apud eundem sensus, ut omnes mortui dicantur veteri vitae, nec significetur, quid sit, sed quid esse debeat. Nam quia Christus mortuus est ad delenda peccata, si pro omnibus mortuus est, igitur omnes mori debent veteri vitae, scilicet peccati, et vivere vita justitiae. Quod et typice per Christi mortem ac resurrectionem significatum fuit, quemadmodum docet idem Apostolus Rom. 6.

Tertius apud Aquinatem sensus est: *Ergo mortui sunt omnes,* id est, *ita se debet quisque reputare,* et, ut ait Apostolus, judicare, *ac si mortuus esset sibi ipsi.* Qui proinde non debeat deinceps sibi vivere, sectando ea, quae sibi commoda sunt; sed vivere Christo, gloriam ejus quaerendo, et voluntatem ejus implendo. Sensum hunc ex glossa ordinaria desumptum S. Thomas amplectitur tamquam magis litteralem, atque eum solum adfert Liranus, Thomae sententiam secutus.

Ac revera sensus iste contextui sermonis Apostoli maxime congruit. Nam verbis superioribus, quibus dixit: *sive enim mente excedimus, Deo,* etc., professus est, se nihil sui gratia facere, sed omnia sua referre ad Dei gloriam et communem hominum salutem. Quae vero sequuntur, hunc intellectum plane explicant, ut statim videbimus. Est autem locus huic simillimus Rom. 14., ubi sic ait: *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum, et vivorum dominetur.* Ex quo etiam loco declaratur vis argumentationis Apostolicae, consistens in eo, quod Christus sua morte nos redemit. Qua ratione et ipse factus est omnium nostrum Dominus, et nos ejus servi. Servus autem non suus est, sed domini sui; ideoque non sibi operatur, sed domino. Quare si pro omnibus mortuus est Christus, omnes ergo, quod ad suas ipsorum actiones attinet, sibi mortui sunt, et Christo Domino vivere debent.

Denique jam ex his satis apparet, id, quod dicit Apostolus, Christum pro omnibus mortuum esse, de praedestinatis sive electis convenienter intelligi, tamquam ratiocinetur hoc modo: Si Christus pro omnibus, quos ad vitam elegit, mortuus est, igitur omnes redemptionis ejus facti participes, qui proinde ex electorum numero se esse merito confidunt, (juxta

secundum sensum) mori debent in dies veteri vitae, et vivere vitam novam; aut (juxta tertium sensum) mortui esse debent sibi ipsis, ut jam non suis commodis studeant, sed gloriae Domini redemptoris sui, et saluti electorum, pro quibus redimendis ille mortuus est, sicut idem Apostolus alibi dicit: *Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur,* 2 Tim. 2. Porro consequentiam argumentationis, quam juxta postremum sensum facit Apostolus, amplius declarant ea, quae sequntur:

15. *Et pro omnibus mortuus est Christus.* In Graeco non additur *Christus;* sed subauditur *unus* ex parte praecedenti. Particulam *et* alii pro causali scriptam volunt: *Nam pro omnibus mortuus est,* quod Hebraeis non est infrequens; alii per *autem* exponunt, ut haec sit antecedentis conditionaliter positi resumptio, quasi dicat: Atqui pro omnibus mortuus est unus; nempe propter id, quod sequitur:

Ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Graece: *Ut, qui vivunt, non amplius sibi ipsis vivant, sed* etc. Augustinus quoque sine conjunctione legit: *ut, qui vivunt,* lib. 20. de civit. Dei, cap. 6., et alibi. Sensus periodi est: Ad hoc unus ille, scilicet Christus, pro omnibus mortuus est, ut iidem illi, pro quibus mortuus est, quamvis vivant vita naturali, deinceps tamen non sibi vivant, quasi liberi facientes, quidquid suggesserit propria voluntas; sed sibi mortui, vivant ei, qui pro ipsis mortuus est, id est, omnes suae vitae actiones instituant ad nutum et voluntatem et honorem sui Domini, qui ipsos sua morte redemit, eoque redemptionis jure servos suos effecit. Addit autem: *et resurrexit,* sive ad insinuandum beneficium immortalitatis per Christi resurrectionem, velut exemplarem causam omnibus nobis propositum; seu potius, ut significet, nobis vivendum esse Christo ea vita, cujus typus est resurrectio Christi, id est, vita nova; sicut mori debemus nobis ipsis, ac vitae veteri, quam mortem typice denotat mors Christi, ut habetur Rom. 6. Pro quo sensu facit, quod paulo post dicitur: *Si quis ergo in Christo, nova creatura; vetera transierunt* etc. Jam ex hac declaratione liquet, quam locus iste persimilis sit ei, quem paulo ante protulimus ex epist. ad Rom. cap. 14.

16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Ex hoc,* scilicet tempore. Nam Graece est ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex nunc,* id est, deinceps, de caetero. Obscuritatem habet hic versus, adeo ut ingenue fateatur Hofmeisterus, commentator haud ineptus, haec Apostoli verba suum intellectum longe superare. Inde nata varietas expositionum, quas permultas videre est apud S. Thomam in commentario, ubi docet, illud: *secundum carnem,* posse construi vel cum vocabulo *neminem,* vel cum verbo *novimus;* id est, posse referri vel ad cognitum, vel ad cognoscentem. Utriusque vero constructionis plures adfert sensus, ex quibus satis nobis erit adduxisse magis probabiles. Inter quos sane vix numerari potest, quod Theophylactus et Oecumenius, autore Chrysostomo, *neminem secundum carnem,* id est, nullum viventem secundum veterem et carnalem vitam deinceps a Paulo cognosci, interpretantur. Neque enim Christum secundum carnem (quod affirmat verbis sequentibus) hoc modo Paulus aliquando cognoverat. Unde et in ea parte variare coguntur suam expositionem.

Alii multo probabilius hoc sensu nectunt ista verba cum superioribus: Quoniam Christus pro nobis resurrexit, ut nos immortales redderet, idcirco nos, hac spe immortalitatis erecti, et in eam totis animis intenti, de caetero neminem secundum carnem hanc mortalem magni facimus, nec magnopere curamus ea, quae sunt praesentis ac mortalis vitae, tam in nobis, quam in aliis; quandoquidem nec Christum ipsum (juxta id, quod sequitur) jam cogitamus ut mortalem, sed ut immortalem; et proinde ejus praesentiam in carne mortali, quae caeteris Apostolis

contigit, quam et ego aliquando magni feci, nunc parvi pendo. Et quid mirum? quando illa Christi praesentia secundum carnis infirmitatem impedimento fuit Apostolis, quo minus spiritualem Christi doctrinam caperent. Unde dicit ad eos, Joannis 16.: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.*

Ita fere locum hunc intellexerunt Augustinus lib. 11. contra Faustum, cap. 7. et 8., et Leo sermone 1. de resurrect. Domini. Sensum Augustini paene verbatim referunt in suis commentariis Lombardus et Hervaeus. Sed et Thomas hunc intellectum caeteris anteponere videtur. Nec vero repugnat, quod Dominus Matth. 13. et Luc. 10. beatos pronuntiat suos discipulos, quod ipsum coram etiam in carne mortali viderent et audirent; quae res antiquis Prophetis et justis exoptata non contigisset. Nam beatos dicit ex comparatione duntaxat, id est, si ipsi conferantur cum illis, qui Christi venturi tantum obscuram habuerant notitiam. Sunt enim (quod ad rem praesentem attinet) tres gradus notitiae Christi considerandi, in quorum infimo consistit obscura notitia, quam habuerunt de Christo Prophetae, ac caeteri priorum temporum justi. Secundum gradum tenet evidens per sensum notitia, qualis fuit Apostolorum et omnium eorum, qui, Christum in carne mortali videntes, in eum crediderunt. Tertius gradus est ejus notitiae, qua Christus cognoscitur per praesentiam in vita immortali. De qua superius, versu 8.: *Confidimus,* inquit, *praesentes esse ad Dominum.* Medius ergo gradus respectu primi magnum quiddam erat ac vehementer optabile; non magnum autem, sed imperfectum, respectu tertii.

Caeterum hic commentarius, etsi probus et ab Augustino diligenter explicatus, infirmari tamen videtur hac ratione, quia Paulus illo modo Christum secundum carnem numquam noverat, hoc est, in carne mortali numquam eum viderat, ut dicere posset id, quod sequitur: *Et si cognovimus secundum carnem Christum.* Nec satis est, si dicas (ut quidam respondent), in persona aliorum Apostolorum hoc a Paulo scribi. Nam tota hac disputatione, qua de ministris agit novae legis, quaecumque scribit, ea vel maxime in sua ipsius persona scribit. Eadem ratione refellitur Cajetanus, qui locum hunc exponit de Messia carnali, qualem exspectant Judaei. Sensum enim facit hujusmodi: Itaque nos ex eo tempore, quo Christus resurrexit, didicimus et novimus, neminem renovatorem saeculi secundum carnem, hoc est, secundum carnis officia viventem, nobis exspectandum esse. Et quamvis Apostoli Christum susceperunt secundum carnis officia viventem, quando cum eo conversati sunt in terra, id tantum ad tempus fuit, donec compleret Christus mysterium nostrae redemptionis. Nam de caetero usque in aeternum nec illi, nec nos Christum ut talem novimus; sed solummodo novimus eum viventem secundum spiritum in carne immortali. Hic sensus, quem et alii quidam, etsi diversis verbis, tradunt, refellitur, ut dixi, perinde uti superior, quia de Paulo falsum est, quod eo modo Christum secundum carnem aliquando noverit. Adde, quod non de solo Messia loquitur Paulus, sed generaliter inquit: *Ex hoc neminem novimus secundum carnem;* quod deinde speciatim etiam de Christo pronuntiat.

Est igitur alia quaedam expositio, quam insinuant magis, quam aperiunt Gaignaeus et alii nonnulli, quam et sequitur Erasmus in paraphrasi. Cum enim pseudapostoli, qui utique Judaei erant, inter alia gloriarentur de nobilitate generis, quod Hebraei, quod Israëlitae, quod semen Abrahae essent; ut infra cap. 11, versu 22., quod totum Apostolus ibidem versu 18. vocat gloriari secundum carnem; docet hic, usque adeo se sibi ipsi ac veteri vitae mortuum esse, et in alium hominem transmutatum, ut jam nihil illorum magni faciat. Docet autem id ipsum plenius in epistola ad Philipp. 3., ubi, adversus eosdem agens pseudapostolos *in carne fiduciam habentes,* scribit, se quidem etiam habere, unde confidere possit in carne, sed uni-

versam illam in carne gloriandi materiam aestimasse propter Christum ut detrimenta et stercora. Qui locus est pro commentario loci praesentis.

Cujus proinde sensus quam maxime probabilis est iste: Cum itaque nos novae legis ministri per Christum mortui simus vitae veteri ac nobis ipsis, et in novam cum Christo vitam transformati, sane ex eo jam tempore, quo fungimur hoc ministerio, neminem novimus secundum carnem, notitia videlicet amoris et propensioris affectus; id est, in nemine gloriamur carnalis propinquitatis causa, ne quidem in ipso Abraham, patre nostro *secundum carnem,* ut appellatur Rom. 4.

Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus. Graece: *Si vero etiam cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc non amplius cognoscimus.* Ubi *sed* pro *tamen* positum est, quomodo reddidit interpres capite superiori, versu 16.: *tamen is, qui intus est, renovatur* etc. Auget orationem Apostolus hac parte, quasi in immensum. Poterat enim dicere: Nec ipsum Abraham novimus secundum carnem; sed nominare voluit quendam incomparabiliter majorem. Quin etsi, inquit, aliquando magnum et gloriosum putavimus, gentilem et consanguineum esse Christi secundum carnem; at nunc ita penitus mortui sumus affectibus vitae veteris, ut non amplius in hujusmodi re gloriandum nobis censeamus. Etenim pseudapostolos in eo vel imprimis gloriatos fuisse, quod Christo essent carne et sanguine conjuncti, non est dubitandum; quandoquidem Apostolus Rom. 9. inter praerogativas Judaeorum hoc etiam enumerat, quod ex iis esset *Christus secundum carnem.* Veruntamen id non esse magni faciendum, ipse etiam Christus docuit, quando, quibusdam sibi nuntiantibus adventum suae matris et fratrum, respondit: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt,* Lucae 8.

Porro sciendum est, hujus loci testimonio Faustum Manichaeum quondam abusum fuisse, quo doceret, Christum Dominum non habuisse veram carnem. Dicebat enim, Paulum, quamvis aliter fortassis aliquando sensisset, ut in epistola, quam ad Romanos scripserat, cap. 1., ubi Christus legitur *factus ex semine David secundum carnem,* in hoc loco sententiam correxisse, quando dixit: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, nunc tamen non novimus.* Ita refert Augustinus ipsius Fausti verbis lib. 11. adversus eum scripto, cap. 1. Refellit autem cap. 7., idque duplici ratione. Primum quia, si Christus numquam fuit secundum carnem, mentitus est Paulus, cum ait: *Cognovimus eum secundum carnem.* Siquidem nemo cognoscit, quod non est. Neque enim Paulus dixit: Putavimus, quod est opinantis vere aut falso; sed: *cognovimus.* Deinde, et quidem efficacius, hoc argumento: Quod si Christus ideo non habuit carnem, quia dicit Apostolus, *se nunc* eum non novisse secundum carnem; igitur nec illi carnem habuerunt, de quibus dicit: *Ex hoc neminem novimus secundum carnem;* quod nec ipse Faustus sensit.

Addo tertiam rationem. Non enim dici potest, Apostolum correxisse sententiam, quam postea scripsit. Atqui praeter hoc, quod in secunda ad Timotheum epistola multo post scripta cap. 2., dicit: *Memor esto, Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum;* etiam hoc ipsum, quod ad Romanos scripsit, postea ab eo scriptum est. Nam ordine temporis epistolam ad Romanos utraque ad Corinthios scripta praecedit, uti suo loco monstravimus.

Postremo liquet, quam futiliter ex hoc loco probare nitantur sacramentarii quidam absentiam carnis Christi in Eucharistiae sacramento; quasi sensus sit, Christum, ex quo coelos petivit, non amplius ut carne praesentem a nobis cognosci. Quem sensum hujus loci nullus scriptor orthodoxus tradidit. Refellitur autem pari ratione, qua Fausti sensum refellit Augustinus, quia, si Christum Paulus ideo non

amplius noverat secundum carnem, quod eum non nosset carne praesentem, igitur nec quemquam alium hominem cognoscebat carne praesentem; quia generaliter dixit: *Ex hoc neminem novimus secundum carnem.*

17. *Si qua ergo in Christo nova creatura.* Graece: *Itaque si quis in Christo,* etc. Quamvis enim Graecum τὶς commune sit ad *quis* et *qua,* Graeci tamen enarratores masculinum genus, utroque sexu comprehenso, sese intellexisse declarant. In quem sensum et Origenis interpres, ex mente sui autoris, hoc modo vertit in Homilia 12. super Leviticum: *Omnis ergo, secundum Apostolum, qui in Christo est, nova creatura est.* Ex Latinis quoque S. Ambrosius, epist. 8. ad Faust. scripta, locum hunc ita recitat: *Si quis in Christo, nova creatura;* et exponit: *Si quis in Christo est, nova creatura est, non naturae novitate formatus, sed gratiae.* Eandem lectionem volunt Pelagius et Sedulius, quorum hoc est scholion: *Si quis credit in Christo, nova est creatura.* Denique ex Syriaco sic interpretantur: *Quisquis igitur in Christo est, creatura est nova.*

Patet ex his, sensum hujus partis non pendere ex eo, quod sequitur: *vetera transierunt,* quomodo multi Latinorum acceperunt; sed in se ipso perfectum esse, verbo *est* bis intellecto, ad hunc modum: Quare si quis est in Christo, nova creatura est; licet Hentenius, Oecumenii commentario suam versionem accommodans, priorem partem alio verbo suppleat: *Si quis vivit in Christo.* Sed res eodem redit. Nam quod sentit Apostolus, tale est: Cum Christus mortuus fuerit ac resurrexit pro omnibus, ut jam non sibi vivant, sed Christo; quod est vetustate deposita novum esse hominem; consequens est, non modo nos Evangelicae legis ministros, sed et omnem eum, qui Christo per fidem insitus est, et Christo jam vivit, per ipsius gratiam novum esse hominem, ac novam creaturam; qui proinde ea omnia, quae veteris sunt hominis, quale est novisse aliquem secundum carnem, abjicere debeat. Unde sequitur:

Vetera transierunt. Graece παρῆλθεν, *praeterierunt. Vetera* dicit, quaecumque ad veterem hominem pertinent, ut peccatum erroresque gentilium, et omnis carnalis affectus; item vetus testamentum cum suis legalibus, ipsaque praecipue veteris testamenti servitus; denique corruptio mortalitatis. Haec autem praeterierunt et abolita sunt per Christum in iis, qui Christi sunt; nondum quidem simpliciter et perfecte, sed partim re, partim spe, partim secundum inchoationem huic vitae convenientem.

Ecce, facta sunt omnia nova. Scilicet ex veteribus. Hoc est: Omnis vetustas in novitatem commutata est. Quod similiter intellige partim in re, partim autem in spe futuri saeculi, de quo proprie dictum est illud a sedente in throno: *Ecce nova facio omnia,* Apoc. 21. Nova igitur sunt illis veteribus opposita, fides, justitia, sanctitas; novum testamentum cum suis institutis; ac praecipue novi testamenti libertas, et in futuro saeculo totus homo novus et beatus secundum animam et corpus; denique coelum novum et terra nova, et Hierusalem, id est, Ecclesia nova; sicut in Apocalypsi legimus. Videtur autem D. Thomae et Cajetano Paulus hoc loco alludere, secundum mysticam intelligentiam, ad verba Moysi, Lev. 26., quibus ait: *Vetera, novis supervenientibus, projicietis.* Atqui locus expressior est apud Jesaiam cap. 43., ubi *haec dicit Dominus: Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce, ego facio nova, et nunc orientur; utique cognoscetis ea.* Ad hunc locum allusisse Paulum, multo verisimilius est.

18. *Omnia autem ex Deo.* Hoc ad proximam sententiam referendum est, qua dixerat, omnia nova facta esse; per Christum videlicet. Id enim innuit superiori parte: *Si quis in Christo, nova creatura.* Hic igitur more suo, quae dixit esse per Christum, tandem revocat ac resolvit in Deum ut primum autorem; ac si dicat: Universum hoc beneficium renovationis,

quod Christus nobis promeruit, quodque jam partim habemus, partim exspectamus, ex Deo est, ut fonte et autore omnis boni. Non ergo, quod dicit: *omnia*, complectitur utrumque genus praecedens, vetera et nova, sed sola nova. Quamquam et vetera quaedam, ut vetus testamentum cum suis praeceptis ac caerimoniis, ab uno et eodem esse Deo, secundum fidem catholicam fatendum est.

Qui nos reconciliavit sibi per Christum. Graece: *per Jesum Christum,* adstipulante textu Ambrosiano. Qui Deus, inquit, nos peccatores, aeternae morti obnoxios, in gratiam et amicitiam recepit, hoc est, peccata condonavit, justificavit, in filios adoptavit (totum enim hoc continetur in nomine reconciliationis); idque per Jesum Christum, mediatorem et pacificatorem nostrum, qui passione sua ac morte pro peccatis nostris Deo Patri satisfecit, ejusque gratiam nobis promeruit. Pelagius illud: *per Christum,* exponit hoc modo: *per Christi doctrinam pariter et exemplum.*

Haec nimirum Christi gratia est, quam tradidit Pelagius, constituens eam in doctrina Christi, quam sequamur, et exemplo vitae ejus, quod imitemur; quasi nobis ad reconciliationem ista duo sufficiant, doctrina et exemplum Christi, nec opus habeamus pretio sanguinis ejus ad redemptionem, nec merito passionis ejus ad justitiam. Quod plane Pelagianum est et haereticum. Quocirca Primasius hunc Pelagii commentarium volens corrigere, reposuit hoc glossema: *per sanguinem et exemplum Christi, quia et redemit, et docuit.* Quae tamen haud plena correctio est; nam Paulus, dicens, Deum nos sibi reconciliasse per Christum, non ad exemplum, neque ad doctrinam Christi respexit, sed ad pretium et meritum, quo utroque reconciliationem cum Deo nobis procuravit.

Et dedit nobis ministerium reconciliationis. Hoc est, injunxit ac delegavit nobis Apostolis ministerium reconciliationis hominibus annuntiandae; voluit, nos humanae reconciliationis, quam Christus sua passione paravit, esse velut executores et administros, utique per Evangelii Christi praedicationem. Sub qua tamen comprehende sacramentorum ejus administrationem. Christus enim suis Apostolis, quos ad ministerium reconciliationis misit, non solum praedicandi Evangelii, sed et baptizandi credentes, et peccata remittendi potestatem commisit. Matth. 28. et Joann. 20. Quamquam Paulus tantum priorem explicat in sequentibus, qui et in priore epist. cap. 1. dixerat: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Hic jam tacite et opportune redit Apostolus ad commendandam dignitatem ministerii novae legis, per quod nimirum ipsa reconciliatio, et renovatio, de qua dixit: *Ecce, facta sunt omnia nova,* perducitur ad effectum; Deo videlicet Apostolis ut ministris ad eam rem utente.

19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quoniam quidem,* Graece ὡς ὅτι, pro quo Erasmus *quandoquidem;* at melius Faber: *ut quod.* Declarat enim Apostolus reconciliationem suo ministerio annuntiandam, de qua dixerat: *Qui nos reconciliavit sibi per Christum.*

Potest autem sententia duobus modis ordinari. Vel sic, ut illud *in Christo* jungatur praecedentibus, sitque sensus: Deus, mundum sibi reconcilians, erat in Christo per unitatem essentiae; Pater, inquam, in Filio, juxta dictum Filii, Joannis 14.: *Ego in Patre et Pater in me est.* Vel hoc modo: Deus erat reconcilians sibi genus humanum per Christum. Quem sensum expressit Hentenii versio: *Deus per Christum reconciliabat mundum sibi.* Addit Cajetanus et tertiam constructionem: *in Christo mundum; ut,* inquit, *limitetur reconciliatio ad mundum in Christo,* id est, ad eam partem hominum, quae *jungitur* sive *incorporatur Christo.* Verum haec constructio, quamvis Cajetano prae reliquis placeat, dura et coacta est; quam nec facile Graeca admittunt.

Caeterum prima constructio Latinorum

est, Ambrosiastri, Primasii, et passim aliorum, tam veterum, quam recentiorum; qui inde probant unitatem Christi cum Deo, id est, Filii cum Patre; licet eorum nonnulli sic exponant: *Deus erat in Christo* homine, quatenus scilicet in humana Christi natura divinitas salutem nostram operabatur. At vero secundam constructionem et sensum uno consensu tradunt omnes interpretes Graeci. Refert et S. Thomas posteriore loco. Nec dubium, quin hic commentarius et phrasi Paulinae congruat: *in Christo,* id est, per Christum; et apte respondeat tam praecedentibus, ubi dixit: *Qui nos reconciliavit sibi per Christum;* quam iis, quae deinceps sequuntur. Mundus hoc loco genus humanum significat, ut frequenter alibi; sed utrum generaliter, an restricte, paulo post expendemus.

Non reputans illis delicta ipsorum. Non reputans ab interprete dictum pro: *non imputans.* Graece: μὴ λογιζόμενος. Explicatur autem reconciliatio mundi cum Deo, non ex toto genere, sed ex ea parte, quae continet abolitionem offensae; cum alioquin in plena significatione reconciliationis etiam gratia et amicitia contineatur; licet disputent Theologi, num remitti possit offensa, si non et gratia, per offensam perdita, restituatur. Verum Apostolus in parte totum voluit intelligi: *Deus,* inquit, *erat in Christo non imputans,* hoc est, per Christum remittens, *illis,* id est, mundo sive hominibus, *peccata ipsorum,* adeoque eos sibi gratificans (ut ait Ephes. 1.) in dilecto Filio suo. Nam remissionem peccatorum ac reconciliationem non fieri sine interna mentis sanctificatione, passim idem Apostolus nos docet, ut Coloss. 1.: *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.*

Mundi nomine quidam volunt universum genus humanum intelligi, id est, omnes et singulos homines; tamquam sentiat Apostolus, in Christi passione fuisse meritum ac pretium poenamque sufficientem ad reconcilandum Deo totum mundum, et ad omnia mundi peccata tollenda; licet hujus reconciliationis ac remissionis effectus non in omnibus exsistat, sed in iis tantum, qui verbum reconciliationis sibi praedicatum recipiunt. Sensus hic verus est, non tamen huic loco conveniens. Nusquam enim ita Scriptura loquitur, ut dicat, Deum infideles et numquam credituros sibi reconciliare, iisdemque non imputare sua delicta. Rectius itaque sentiunt, qui mundum interpretantur homines ex toto mundo electos seu praedestinatos ad salutem. Ita diserte Glossator, Haimo, Lombardus, Hervaeus et Carthusianus, et ante hos omnes Augustinus tractatu 110. super Joannem. Qui locus etiam a Beda refertur in collectaneis. Sed et tractatu 87. ejusdem operis idem Augustinus, citans hunc locum Apostoli, dicit, per mundum Ecclesiam significari, videlicet toto orbe diffusam ac de mundo collectam; atque eam mundi acceptionem in Scripturis usitatam aliis etiam exemplis declarat. Accedunt Liranus et Cajetanus, quorum ille mundum ad Christianos restringit, iste (quemadmodum supra retulimus) ad eam partem mundi, quae incorporatur Christo; sicut angelus dixit ad Joseph: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* Matth. 1, 21.

Non refert autem, utrum mundum, id est, genus humanum, intelligas in electis, an in omnibus vocatis atque vocandis efficaciter ad fidem Christi; dummodo constet, electos principaliter ab Apostolo significari. Nam *omnia propter electos,* 2 Timoth. 2. Hos igitur ex omnibus gentibus per Apostolorum ministerium ad fidem vocat Deus. De quo ministerio sequitur:

Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Quidam *verbum* interpretantur negotium juxta phrasim Hebraeam, ut sit sensus: Deus negotium reconciliationis nobis commisit. Sed probabilius est, Apostolico more loquendi verbum Evangelicae praedicationis significari; tamquam Paulus dicat: Ut reconciliatio mundi, quam Deus in Christo paravit, effectui

demandetur nobis Apostolis injunxit munus evangelizandi mundo gratiam hanc reconciliationis; nos elegit ac fecit ministros annuntiandi tanti beneficii.

20. *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Usum ministerii Apostolis commissi his et sequentibus verbis declarat. Officium nostrum, inquit, sedulo exsequimur, legationem obeuntes *pro Christo,* id est, vice et loco Christi, et, ut alibi loquitur, *in persona Christi,* cujus Apostoli sumus. Dum meminit legationis, innuit nobis principatum Christi. Quippe magnorum principum est, legatos mittere, nempe quales significantur Graeca voce πρεσβεύομεν, *legatione fungimur;* pro quo dici potest, ait Faber: *oratores et legati constituimur.* Ita simul et sui, id est Apostolici, ministerii dignitatem Paulus amplificat.

Tamquam Deo exhortante per nos. Pro *exhortante* aliis placet *obsecrante,* aliis *consolante.* Haec enim omnia significat Graecum παρακαλοῦντος. Sed consolandi significatum huic loco non quadrat. Sensus autem est: Cum nos, legatione nostra fungentes, exhortamur aut obsecramus homines, ut per fidem et poenitentiam Deo reconcilientur, sic accipere debent, ac si Deus exhortetur aut obsecret. Ille enim per nos haec agit, tamquam per suos ministros, qui haec egit aliquando per Christum in terra degentem. Sed postquam sublatus est Christus in coelum, nos illius vices nunc gerimus in terra. Deus igitur primus autor; Christus minister principalis; nos ministri secundarii atque vicarii, a Deo et Christo missi. Sermo est autem de Christo homine. Nonnulli partem hanc connectunt cum ea, quae sequitur, sensu nequaquam improbando; sicque magis convenit, obsecrationem Graeco vocabulo significari.

Obsecramus pro Christo. Id est, rogamus homines vice Christi, tamquam Deo per nos obsecrante. Non dicit: praecipimus, admonemus, sed: δεόμεθα, *rogamus, precamur.* Imo Deum quoque facit obsecrantem, non quidem simpliciter, sed per ministros, ut per haec ostendat, Evangelii praeconem non solum praecipiendo, increpando, admonendo, verum etiam rogando et obsecrando agere debere, ut homines accedant ad Christum. Unde scribit Timotheo 2 epist. 4.: *Argue, increpa, obsecra, in omni patientia et doctrina.* Idque adeo praestitit ipse Paulus in suis epistolis, ut Roman. 12.: *Obsecro vos,* inquit, *fratres, per misericordiam Dei,* et Ephes. 4.: *Obsecro vos ego vinctus in Domino.* Quid autem rogent et obsecrent homines legati Christi, subjungit:

Reconciliamini Deo! Modus est imperativus in Graeco: καταλλάγητε, *reconciliamini,* sed qui serviat obsecrationi. Igitur: Obsecramus, inquit pro Christo, dicentes hominibus: *Reconciliamini Deo;* quasi dicat: Hoc est, quod homines ex Christi persona rogamus; hoc est, quod Deus ipse per nos obsecrat, ut cum ipso redeant in gratiam. Mira Dei bonitas; ipse est, quem homines peccando offenderunt; et tamen legatos cum precibus ad eos mittit pro reconciliatione. Nec minus stupenda malitia mentis humanae, quae precum blanditiis ad ea, quae suae salutis sunt, invitari debeat.

Jam quo modo mundum adhuc invitent Apostoli ad reconciliationem cum Deo, qui, sicut ante dictum est, mundum in Christo sibi reconciliavit, ex superioribus intelligi potest. Reconciliavit enim sibi mundum in Christo quatenus in Christi passione causam dedit efficacem omnes eos sibi reconciliandi, quos ex humano genere elegit ad salutem. Quamquam, ut effectum habeat in singulis reconciliatio, causam illam necesse est iis applicari per fidem, poenitentiam, divini nominis invocationem, ipsaque sacramenta divinitus ad exsequendam reconciliationem ordinata; quae tamen omnia ab eodem fonte meritorum passionis Christi promanant.

Notandum est cum Cajetano, hoc, quod Apostolus ait: *Tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo,* signative ab eo scribi, verbis scilicet actum signatum, ut dialectici loquuntur,

indicantibus, non actum exercitum. Non enim hic obsecrat Paulus; sed docet, officium legatorum Christi esse, ut omnes homines, etiam obsecrando, studeant ad Christum adducere. Cujus rei argumentum est, quod non dicat: Deo vos exhortante, obsecramus; quasi speciatim ad Corinthios haec verba spectarent; sed absolute ac nullo addito pronomine; videlicet ad significandum officium ministrorum novae legis in genere erga omnes, ad quos mittuntur. Illud vero: *Reconciliamini Deo*, mimeticum est, juxta datam a nobis expositionem. Sed et sequentia materialiter accipienda, censet idem Cajetanus.

21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Scilicet Deus. Nam quod in quibusdam codicibus Augustini tempore legebatur: *Is, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* tamquam pro nobis Christus ipse peccaverit; eam lectionem ut mendosam merito reprehendit idem Augustinus in Enchir. cap. 41., et lib. 2. contra Maxim. cap. 2. Hanc pericopen in Graeco causalis conjunctio nectit cum praecedenti: Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, *eum enim, qui non cognovit peccatum* etc. Ratio namque redditur sperandae et quaerendae reconciliationis cum Deo. Ea ratio est magna Dei benignitas et misericordia, qua Filium suum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit. Ac fortassis ob similitudinem characterum, *eum* et *enim*, hoc posterius excidit.

Dicitur Christus non novisse peccatum phrasi Scripturae, quia peccatum nullum fecit, id est, adeo fuit a peccato alienus, ac si prorsus peccatum ignoraret. Nec mirum, quando nec peccare potuit ille homo, qui idem Deus erat. Ita loquitur in Psalm. 34.: *Quae ignorabam, interrogabant me.* Quod autem sequitur: *pro nobis peccatum fecit,* tribus modis intelligi potest, uti diligenter a Lombardo et S. Thoma annotatum est.

Primum hoc sensu: Fecit eum hostiam seu sacrificium pro peccatis nostris. Nam more veteri sacrificia pro peccatis peccata vocabantur. Unde dicitur Oseae 4. de sacerdotibus: *peccata populi mei comedent,* id est, oblata pro peccatis. Hoc modo post Ambrosianum exponunt Pelagius, Primasius, Sedulius et Haimo locum adducentes ex lege Levitici 4. juxta versionem interpretum LXX.: *Et imponet manum suam super caput peccati,* quemadmodum et in Hebraeo legitur; pro quo Hieronymus: *super caput hostiae, quae pro peccato est.* Tale et illud est in Hebraeo Levitici 10.: *Cur non comedistis peccatum?* Ubi LXX.: *quod pro peccato,* Hieronymus: *hostiam pro peccato.* Item Num. 6., ubi similes occurrunt locutiones, observatae ab Augustino quaest. 12. super Num. Placet hic sensus multis aliis, ac nominatim ipsi Augustino, qui passim eum tradit, ut duobus locis jam ante cit., ac praeterea lib. de pecc. orig. cap. 32., lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 6., serm. 48. de verbis Dom. cap. 4., et serm. 6. de verbis Apostoli, cap. 8., et epist. 120. ad Honoratum, cap. 30.

Alter sensus est: Fecit eum peccatum, id est, hominem morti, miseriis ac passionibus subjectum, et per haec peccatoribus similem; ut in peccato similitudo peccati, vel poena peccati intelligatur. Hujus quoque sensus meminit Augustinus locis prius notatis in Ench. et contra Maximum, et alibi. Meminit etiam Oecumenius, et probat Paulus Burgensis.

Tertius sensus: Fecit eum reputari peccatorem ab hominibus, sicut scriptum est Jesaiae 53.: *Cum sceleratis reputatus est;* ut hoc dictum sit ea forma loquendi, qua aliquid dici solet tale, non quia sit, sed quoniam opinantur homines, esse tale. Quo sensu dixit Bethsabe ad Davidem 3 Reg. 1.: *Erimus ego et filius meus Salomon peccatores;* id est, reputabimur ut sontes, ac de vita periclitabimur. Sed quia secundum hanc expositionem videri potest Deus autor falsae reputationis, id est, erroris hominum ita male judicantium, idcirco tertium hunc intellectum censeo sive explicandum esse per commentarium Graecorum, Chrysostomi ac caeterorum, qui peccatum ἐμφατικῶς

interpretantur magnum peccatorem; ac si dicat Apostolus: Nostri causa tractavit eum tamquam ipsum peccatum, ipsum scelus, id est, tamquam hominem insigniter sceleratum, ut *in quo posuerit iniquitatem omnium nostrum*, Jesaiae 53. Idque more capri emissarii, qui portabat omnes iniqitates filiorum Israël, quas ejus capiti pontifex fuerat imprecatus. Lev. 16.

Fecit igitur Christum Deus peccatum, quando tradidit eum in mortem crucis; quo genere supplicii solent affici famosi latrones, qualis Barabbas, quales et illi duo nequam cum Domino crucibus affixi, Luc. 23. Sic alibi Christus dicitur factus pro nobis maledictum: *quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, Galat. 3. et Deut. 21. Nam et illam Scripturam huc adducunt Chrysostomus et alii.

Hinc porro jam sequitur (quod habebat tertia expositio), Christum reputatum fuisse magnum peccatorem, scilicet ab iis, qui solent ex poenis aestimare peccata. In hoc sensu Graecorum magis, quam in duobus prioribus, elucet antithesis inter peccatum et justitiam, ab Apostolo intenta, quam complet verbis subjunctis, simul explicans particulam: *pro nobis.*

Ut nos efficeremur justitia Dei in Ipso. In Ipso, Hebraismus, id est, *per Ipsum*, ut habet, textus Ambrosianus, et exponit Oecumenius. Per ipsum, inquam, Christum, hoc est, per Christi meritum. Sed quomodo per Christum nos efficiamur justitia Dei, quaerendum est. Abutuntur enim hoc loco sectarii, quo doceant, omnem nostram justitiam, qua justi vocamur, externam esse, scilicet ipsam Dei vel Christi justitiam, quae nostra fiat, dum nobis illam gratuito Deus imputat; eodem (ut aiunt) modo, quo Christus peccatum sive peccator factus est, non injustitia sibi inhaerente, sed imputatione nostrorum peccatorum, *quae ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1 Petri 2., Deo videlicet juxta prophetiam *in eo ponente iniquitatem omnium nostrum.*

Verum hujusmodi intellectus a mente sanctorum Patrum et orthodoxorum interpretum prorsus est alienus. Etenim Dei justitiam nobis attributam B. Augustinus passim exponit eam, quae in nobis est non a nobis, sed a Deo, id est, quam nobis internam et inhaerentem ex Dei gratia habemus. Loca sunt lib. de spiritu et littera, cap. 9. et 18., tractatu 26. super Joannem, sermone 15. de verbis Apostoli, cap. 1., in enarr. Psalm. 98. ad versiculum: *Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti*, et lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 7. Quibus locis diserte explicat, quemadmodum eadem vocetur justitia Dei et nostra: Dei, quia a Deo est, nostra vero, quia in nobis; Dei, quia Deus eam donat, nostra, quia nos eam recipimus. Quem eundem sensum pluribus prosequitur in epistola seu lib. de gratia novi testamenti ad Honoratum, cap. 30., ubi inter caetera rem declarat ex Scriptura simili: *Sicut enim*, inquit, *quod legitur Psalmo* 3.: Domini est salus, *non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est, sed qua salvi sunt, quos ipse salvos facit; sic, cum legitur Dei justitia* (citat autem locum Rom. 10.: *Ignorantes Dei justitiam*, etc.), *non est illa intelligenda, qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines, quos gratia sua justificat.* Haec ille.

Nec aliter fere Graeci et Latini commentatores, nisi quod justitiam Dei nonnulli interpretantur eam, quae coram Deo justitia est; ut nimirum haec sit notatio verae justitiae. Quem sensum hujus apud Paulum locutionis admodum esse probabilem, ostendimus in expositione epistolae ad Romanos cap. 1, 17. et cap. 3, 21. et cap. 10, 3. Quamquam hic sensus a priore non dissidet. Nam ea demum coram Deo, id est, vera justitia nostra est, quam in nobis Deus ipse facit, cui nihil placere potest, nisi quod suum est. Itaque sentit Apostolus, Christum pro nobis factum esse peccatum, ut nos per eum vere justi efficeremur, ea nempe justitia, quae Deo probata sit; ut hinc vel maxime refellatur imputativae justitiae commentum.

Neque vero, quia Christus sola reputatione peccator fuit, ideo consequens est, etiam nos sola reputatione justos fieri. Nam nec decuit, nec fieri potuit, ut Christus veram injustitiam in se reciperet; et si recepisset, haudquaquam fuisset idoneus ad satisfaciendum Deo pro nostris peccatis. Injustitia namque satisfactioni contraria est, et alia rursus satisfactione indigeret. Christus igitur cum iniquis reputatus, et pro nobis factus maledictum in cruce, dum vere sustinuit poenam nostris peccatis debitam (*Vere enim languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit,* Jesaiae 53.), veram quoque justitiam nobis promeruit; qua nimirum vere et proprie secundum internam animi rectitudinem justi essemus. Nec tamen dixit Apostolus, ut nos efficeremur justi a Deo sive coram Deo, sed: *justitia Dei;* vel propter antithesim expressiorem inter peccatum et justitiam; vel secundum Chrysostomum et Theophylactum, *ut excellentiam gratiae ostenderet,* qua scilicet ita perfecte quis justificatur, ut nullus in eo naevus, nullave macula peccati jam inveniatur. Quae expositio respondet acceptioni peccati in priori membro. Verum illa justitiae perfectio, quae omnem peccati malum excludat, non hujus est saeculi, sed futuri.

Si quis contendat, utroque membro reputationem significari, non valde refragamur, dummodo meminerit, in priori parte reputationem hominum intelligi, qui sua opinione saepissime falluntur, reputantes id, quod non est; in posteriori, reputationem Dei, qui falli non potest, et cujus judicium semper est secundum veritatem. Sic igitur Christus peccator coram hominibus, qui falluntur; nos autem justi coram Deo, qui non fallitur. Unde ex hac reputatione, qua nos Deus justos aestimat, rursus id sequitur, quod dixi, nos vere et non tantum imputative justos esse; quemadmodum plenius a nobis declaratum est ad illud Rom. 4.: *Credidit Abraham Deo; et reputatum est illi ad justitiam.*

CAPUT SEXTUM.

Adjuvantes[1]) autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis[2]). 2. Ait enim[3]): Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce, nunc tempus acceptabile; ecce, nunc dies salutis; 3. nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum[4]); 4. sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, 5. in plagis[5]), in carceribus, in seditionibus, in laboribus[6]), in vigiliis, in jejuniis, 6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae a dextris et a sinistris, 8. per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti; 9. quasi morientes, et ecce, vivimus; ut castigati et non mortificati; 10. quasi tristes, semper autem gaudentes[7]); sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes[8]). 11. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor

---

[1]) 1 Cor. 3, 9. [2]) 2 Petr. 1. 10. [3]) Jes. 49. 8. [4]) Cap. 4, 2. [5]) Cap. 11, 23. Act. 16, 23. [6]) Cap. 11, 27. 1 Cor. 4, 12. 1 Thess. 2, 9. [7]) Cap. 4, 8. seq. [8]) Cap. 4, 15.—17.

nostrum dilatatum est. 12. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris; 13. eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico[1]): Dilatamini et vos! 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus! Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? 15. Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli[2])? 16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi[3]), sicut dicit Deus[4]): Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod[5]) exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; 18. et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem[6]), et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.

SUMMARIUM CAPITIS SEXTI.

Hortatur, ne tempus gratiae et salutis negligant. Ostendit, se suum ministerium commendasse tam multorum malorum tolerantia, quam vitae integritate. Excitat ad cordis dilatationem, et revocat a jugo cum infidelibus ducendo, quum ipsi sint templum, et populus et filii Dei.

1. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Haec quoque verba pertinent ad declarandum officium legatorum Christi, sicut illa praecedentis capitis: *Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo!* Prosequitur enim adhuc Apostolus idem argumentum. *Adjuvantes,* Graece συνεργοῦντες, id est, *cooperantes,* quomodo legit Augustinus lib. 1. de baptismo parvulorum, cap. 27. Graeca sic habent ad verbum: *Cooperantes autem et exhortamur* (Augustinus: *et rogamus,* Sedulius: *et obsecramus), non in vacuum gratiam Dei recepisse vos,* id est, ne in vacuum gratiam Dei receperitis. Conjunctionem *et* habent etiam multi Latini codices mss., necnon veteres concordantiae. Ambrosius ita legit: *Quin et adjuvantes obsecramus.* Idque secutus est Erasmus.

Porro vocabulum *adjuvantes,* seu *cooperantes,* alii ad homines referunt, id est, ad Corinthios, ut Latini veteres; in quam sententiam etiam Chrysostomus est propensior. Alii ad homines et Deum, ut Theophylactus, et inter Latinos Lombardus, Hervaeus, Aquinas et Carthusianus. Alii (quod magis placet) ad Deum solummodo, ut Oecumenius, et Liranus et Cajetanus. Nam simili prorsus sermone dixit in priore epistola cap. 3.: *Dei adjutores* seu *cooperatores sumus.*

Itaque sensus Apostoli est: Cum Deus in Christo mundum sibi reconciliaverit, causam exhibendo sufficientem reconciliationis ejus ac justificationis in merito passionis Christi, nos Apostoli, quibus a Deo datum est ministerium reconciliationis annuntiandae et exsequendae, Deo cooperantes tamquam ejus ministri, cum obsecratione vos exhortamur, ut ne tantum Dei beneficium, quod per nos vobis Corinthiis non modo praedicatum, verum etiam impensum est (quippe qui illud recepistis), in vacuum et sine fructu receperitis; hoc est, ne reddatis illud vobis inutile. Quod certe futurum est, si in fide suscepta non perseveretis, aut fidem sine bonis operibus arbitremini vobis sufficere. Ita fere exhortationem hanc de gratia Dei, ne sit in vacuum recepta, veteres exponunt.

Unde liquet, hic non intelligi gratiam sive habitualem, sive actualem animae

---

[1]) I Cor. 4. 14. [2]) I Cor. 10, 20. [3]) I Cor. 3, 16. Eph. 2, 21. [4]) 3 Mos. 26, 11. [5]) Jes. 52, 11 seq. [6]) Jer. 31, 9.

inhaerentem; uti recte monet etiam Cajetanus; sed generale illud beneficium reconciliationis mundi, de quo jam ante locutus fuerat Apostolus, et de quo scribit ad Tit. 2.: *Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus* etc. Quod tamen beneficium, priusquam applicetur, magis in Deo intelligitur, quam in hominibus; ut haec gratia sit benigna Dei voluntas, qua Filium suum nobis dedit propitiatorem, sicut exponimus locum memoratum epist. ad Titum. Quamquam et inhaerens gratia in vacuum recepta recte dicitur, quando quis in ea non perseverat, sed peccando eam abjicit.

2. *Ait enim.* Subaudi: Scriptura, vel potius: Deus. Hoc enim proxime praecessit. Et utique Dei loquentis verba sunt, quae citantur. Ad quem vero loquatur, mox videbimus.

Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Habetur hoc testimonium apud Jesaiam cap. 49., verbatim respondens tam versioni LXX. interpretum (quorum ipsa verba ponuntur), quam Hebraicae veritati. Sunt autem apud Prophetam verba Dei Patris ad Christum, quibus testatur, se eum exaudisse orantem pro electorum salute, eorum, qui ex gentibus erant colligendi; proque eadem causa laboranti (sicut dicitur ejusdem Prophetae cap. 53., quod laboravit anima ejus) auxiliatum fuisse; idque in tempore accepto seu placito, hoc est, merito omnibus acceptabili, et in quo gentes ad salutem vocare constituit. Apostolus autem, juxta multorum expositionem, accommodat eum locum Deo promittenti exauditionem et auxilium hominibus, si opportunitatem temporis a se concessi, quo salus ipsis paratur, non negligant, et gratiam Dei non in vacuum recipiant. Verum nulla necessitas est sensum propheticum mutandi. Siquidem potest et Apostolus ad hunc modum exponi: *Dicit enim*, scilicet Deus Pater ad Filium incarnatum: *Tempore accepto exaudivi te* etc., quomodo nunc exposita sunt. Quorsum vero hunc Patris sermonem ad Filium adducat ex Propheta, declarat verbis subjunctis:

Ecce, nunc tempus acceptabile; ecce, nunc dies salutis. En, inquit Apostolus, tempus illud acceptabile et salutiferum, de quo Deus Pater verbis Prophetae memoratis locutus est ad Filium, nunc est, nunc advenit, jamque vobis annuntiatum est; et propterea vos exhortamur, ne committatis, ut gratiam hanc in vacuum receperitis. Porro satis apparet, acceptum et acceptabile, non ad Deum, ut quidam volunt, sed ad homines referendum esse, et explicari per diem salutis. Sic enim tempus illud vocatur hominibus acceptum, id est, dignum, quod cum plausu et exsultatione ab omnibus acceptetur ac suscipiatur, utpote mundo salutem adferens (id quod expressius significatur per vocem *acceptabile*), quomodo Christus ipse vocatur *exspectatio gentium*, Gen. 49., et *desideratus cunctis gentibus*, Aggaei 2.; non quod gentes eum aut exspectarint aut desideraverint (neque enim promissus aut praenuntiatus fuerat gentibus); sed quia gentium futurus erat Salvator, ideoque ab illis merito cum ingenti desiderio exspectandus.

Notandum quoque, pro accepto et acceptabili diversa esse in Graeco vocabula: δεκτὸς, εὐπρόςδεκτος, quorum posterius auget significatum prioris, quasi dicat Apostolus: Ecce, nunc tempus, non dico acceptum, sed acceptissimum, et (ut alibi loquitur, de eodem mysterio salutis agens) *omni acceptione dignum*, 1 Timoth. 1. Praesentem locum ab his verbis: *Ecce, nunc tempus acceptabile,* usque ad versum 12. transscripsit Augustinus in lib. 4. de doct. Christ. cap. 20., ut hoc exemplo doceat, Apostolo Paulo non defuisse facultatem magna granditer et ornate eloquendi. Quod in oratore suo Tullius requirit. Certe res ipsa clamat, totam hanc orationem, seu genus dicendi, seu sermonis ornatum spectes, cum materia proposita pulchre convenire.

3. *Nemini dantes ullam offensionem.* Graece: *Nullam in quoquam dantes offensionem.* Et hoc modo legit Augu-

stinus loco proxime cit., necnon lib. 8. de Trin. cap. 9., tametsi cum nostro interprete, qui praepositionem ἐν non videtur legisse, consonat textus Ambrosianus. Pendet haec pars ab illa: *Adjuvantes autem exhortamur, ne* etc. Quare totum hoc intermedium: *Ait enim* etc., notis parentheticis secludunt multi codices. Participium *dantes* sunt, qui construant cum verbo *recipiatis;* at minus recte. Non enim haec, quae sequuntur, ad Corinthios aut quoslibet fideles referenda sunt, tamquam exhortationes et praecepta vitae; sed ad ipsum Paulum ac caeteros, quos habeat Evangelii praedicandi collegas. Postquam enim satis exposuit in superioribus excellentiam sui ministerii, nunc de se suisque Evangelii sociis sermonem prosequens, ostendit, qua integritate et patientia in eo ministerio versentur; simul in ea re describens formam boni et fidelis Evangelistae. Dicit ergo: Officium nostrae legationis exercemus, sedulo caventes, ne cuiquam in ulla re simus offendiculo, ne quem verbo aut facto scandalizemus. Id quomodo praestiterit Apostolus Paulus, a multis etiam licitis abstinendo, *ne quod offendiculum daret Evangelio Christi,* probant ea, quae scribit in priore epist. ad Corinth. cap. 9.

Ut non vituperetur ministerium nostrum, ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, *ut non reprehendatur ministerium;* absque pronomine. Sensus enim est: Ut ministerium Evangelicae praedicationis, cujus excellentiam supra demonstravi, non reprehendatur, non infametur, non male audiat apud homines. Quod futurum esset, si nos, qui illo ministerio fungimur, non caveremus ab offendiculis.

4. *Sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros.* Graece: *Sed in omnibus commendantes nos ipsos, ut Dei ministri.* Consentit Ambrosianus, nisi quod pro *commendantes,* habet *commendemus,* si non est mutatum errore scribae. Nam Augustinus locis ante citatis et alibi *commendantes* legit; quemadmodum et Cyprianus, seu quisquis autor, libro de singularitate clericorum. Nam et verisimile est, in nostra versione participium mutatum in verbum, *exhibentes* in *exhibeamus,* occasione ejus, quod in officio ecclesiastico Dominicae 1. Quadragesimae (ubi locum hunc totum ad omnes fideles Ecclesia accommodat) exhortandi modo recitatur.

Alioquin apud Apostolum non exhortatio est, sed narratio, sensum habens hujusmodi: Quin contra potius in omni re (quod Graece est: ἐν παντὶ, id est, varie, multipliciter) nos ipsos exhibentes et commendantes hominibus, tamquam Dei ministri; id est, uti facere convenit Dei ministros, quorum est, non suam, sed Dei gloriam, cujus ministri sunt, et cujus in conspectu versantur, in omnibus spectare. Quod dixit: *in omnibus,* jam deinceps in partes distribuit.

In multa patientia. Graece: ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, *in sustinentia* seu *patientia multa,* sive latinius: *per patientiam multam.* Significatur autem vel magna patientia, vel potius patientia multorum malorum, quae passim Evangelii ministris inferebantur; ad quae toleranda nihilominus opus erat magna patientia. Ponit autem a capite patientiam, quod haec virtus Evangelii ministris sit imprimis necessaria, quodque per eam veri ministri probentur, ipso testante Rom. 5., quod *patientia probationem operatur.* Subtexit autem consequenter ea mala sive adversa, numero novem, quibus exerceri dicit suam suorumque patientiam.

In tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis. Subaudi: tolerandis. Differunt haec tria ceu gradibus quibusdam inter se sic, quod tribulationes seu pressurae, θλίψεις, sint qualescumque afflictiones, etiam vulgares et quotidianae; necessitates, ἀνάγκαι, graviores, angustiae, στενοχωρίαι, gravissimae, qualem descripsit hujus epistolae cap. 1. Colligitur hoc discrimen partim ex Theophylacto, partim ex Oecumenio, licet alii aliter distinguant. Indigentias significari per necessitates, ut quidam volunt, non

est verisimile. Vix enim Graeca vox eum usum habet.

5. *In plagis.* Id est, in verberibus, quibus corpus laeditur, ferendis. Quas plagas tulerit Paulus, commemorat ipse plenius infra cap. 11.

In carceribus. Et hoc infra de se repetit cum exaggeratione, dicens cap. 11.: *In carceribus abundantius.*

In seditionibus. Id est, in sustinendis tumultibus populi passim adversum nos seditiose concitatis, potissimum a Judaeis. Exempla sunt in Actis Apostolorum, cap. 13. 14. 16. 17. 18. 19. Ambrosiaster legit: *in perturbationibus,* eandemque vocem exponit. Porro Theophylactus et Oecumenius, Chrysostomum secuti, non seditiones significari putant, sed instabilitates, ut quando quis, persecutionibus exagitatus, non sinitur uno loco consistere, sed identidem locum mutat. Unde ait in prima epistola, cap. 4.: *Instabiles sumus.* Verum illic Graece est ἀστατοῦμεν, hic autem verbale nomen ab illo diversum ἀκαταστασία; quod etsi in numero singulari significet inconstantiam seu instabilitatem, haud scio tamen, an in plurali reperiatur ea significatione. Seditiones autem plurali numero significari, vel ex Scriptura clarum est, ut Luc. 21.: *Cum audieritis proelia et seditiones;* et hujus epistolae cap. 12.: *Ne forte seditiones sint inter vos.* Quin et in priore epistola, cap. 14, 33. et Jacobi 3, 16. (quibus locis in singulari legitur ἀκαταστασία, quam interpres modo dissensionem, modo inconstantiam vertit), non instabilitas loci significatur, sed hominum contentiosorum inter se tumultuatio. Quare multo probabilius est, etiam hoc loco seditiones seu tumultus populares intelligi debere.

In laboribus, in vigiliis, in jejuniis. Scilicet Evangelii causa toleratis, aut etiam sponte susceptis, ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus et alii. Num vero respiciat ad laborem manuum, de quo dixit cap. 4. prioris epist.: *laboramus operantes manibus nostris* (quod iidem existimant), incertum est. Constat autem, eum alios graviores labores propter Evangelium sustinuisse; de quibus ait infra cap. 11.: *In laboribus plurimis.* Hactenus ea recensuit Apostolus, quibus exercetur patientia, quam primam nominaverat. Nunc caetera prosequitur, per quae se suosque Evangelii collegas exhibere dicit semet ipsos, ut Dei ministros.

6. *In castitate.* Graece ἐν ἁγνότητι, *in puritate.* Hentenius: *In sinceritate.* Vox Graeca communis est ad castitatem, et eam virtutem, qua quis a cupiditate munerum alienus est. Quod quidem Paulus adeo praestitit, ut apud Corinthios citra sumptum eorum praedicarit Evangelium. De utraque virtute Graeci interpretantur, admonentes tamen, generaliter intelligi posse puritatem in omnibus servatam; quod et nobis probatur. Caeterum *in puritate,* id est, per puritatem; et ita in consequentibus.

In scientia. Chrysostomus ejusque sequaces sapientiam divinam significari putant, oppositam humanae philosophiae ac sapientiae saeculari, qua inflati erant pseudapostoli. Theodoretus doctrinam intelligit, hoc est, docendi studium. Rursus alii prudentiam; alii denique scientiam, cujus fit mentio Rom. 10., cum dicit de quibusdam, *quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Qui utique erant Judaei et Judaizantes. Verum illic non est γνῶσις, ut hoc loco, sed ἐπίγνωσις. Verisimile est, Apostolum de scientia loqui, quam in priore epist. cap. 12. et 13. numeravit inter charismata Spiritus sancti. Nam illius scientiae maximus erat usus ad docendum imperitos et imperfectos. Sapientiam vero hic tacuit, quia non passim apud quoslibet, sed tantum inter perfectos sapientiam loquebatur, ut ait 1 Cor. 2.

In longanimitate. Id est, *animi lenitate.* Virtus est, qua illatae ab aliis injuriae aequo animo feruntur. Quo pertinet illud 1 Cor. 4.: *maledicimur, et benedicimus.*

In suavitate. Ἐν χρηστότητι, in benignitate, ut fere vertunt neoterici; quemadmodum et habet textus Ambrosianus, et translatio, qua usus est Augustinus,

libr. 4. de doct. Christ., quamvis idem in 8. de Trinit. legat: *in bonitate.* Significatur autem comitas et facilitas, qua quis aliorum moribus, quantum licet, sese accommodat, asperitati morum opposita. Hanc in se virtutem pluribus verbis Apostolus commendat prioris epist. cap. 9., ubi demum ita concludit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

In spiritu sancto. Graeci referunt hoc ad superiora; quasi dicat Apostolus: Ad ea praestanda, quae commemoravi, Spiritus sanctus nobis auxiliator fuit. Addit Theophylactus, intelligi posse dona spiritualia, per quae documentum dabant Apostoli, se veros esse Dei ministros. Qui sensus non est improbabilis; ut haec pars per se sit posita, sicut et aliae, et hunc sensum habeat: Fervorem Spiritus sancti, quo agimus, opere manifestamus etiam per varia charismata, quae nobis largitus est; uti sunt donum linguarum prophetiae, sanitatum, etc.

In charitate non ficta. Graece ἀνυποκρίτῳ, *non simulata,* ut legit Ambrosius. Eadem nostro interpreti vocatur *dilectio sine simulatione,* Rom. 12. Sensus est: Non solis verbis charitatem ostendimus, quod faciunt, qui ficte amant, suis commodis intenti; sed ipsis factis eam praestamus, salutem hominum unice quaerentes, etiam cum nostro detrimento et periculo. Hac enim re dilectionem suam erga Corinthios multipliciter probat infra cap. 11. et 12., ubi illud demum adjungit: *Non enim quaero, quae vestra sunt, sed vos.* Loquitur autem de actu charitatis, non de habitu, notatque pseudapostolos *in astutia ambulantes,* uti superius dixit cap. 4.

7. *In verbo veritatis.* Id est, veritatem Evangelicam aperte et sincere praedicantes. Hoc quoque ponit ad discrimen pseudapostolorum, *adulterantium verbum Dei,* quo nomine eos notavit supra cap. 2. et 4. Quae duo loca pro commentario sunt hujus partis.

In virtute Dei. Graece: ἐν δυνάμει θεοῦ, *in potentia Dei,* Graeci referunt etiam hoc ad praecedentia; tamquam dicat Apostolus (ait Theophylactus): *Nihil horum, quae dixi, meum est; sed haec omnia in virtute et potentia Dei facta sunt.* Addit idem autor, intelligi posse virtutem Dei, quae ostenditur per miracula. Sic enim Rom. 15., cum de fructu Evangelii a se praedicati loqueretur Apostolus, adjecit: *In virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Et 1 Cor. 2. sermonem suum fuisse dicit, *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis.* Graecorum sententia videtur probabilior. Confer supra cap. 4. ad illud: *Ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* Unde videtur referendum ad praecedens, scilicet: *In verbo veritatis;* nec videtur exponendum de virtute miraculorum; nam solet eam significare per operationem Spiritus sancti, ut Rom. 15.

Significat ergo, quod verbum veritatis, in quo laborat, sit efficax et fructuosum per virtutem Dei. Pelagius *virtutem Dei* virtutem legis interpretatur, juxta suam haeresim, constituens gratiam Dei in lege et doctrina. Inhaereamus igitur sensui illi Graecorum communi. Pro expositione autem Theophylacti propria quae Scripturae sunt allatae, magis faciunt pro secunda expositione paulo ante data illius particulae: *In Spiritu sancto.* Confer, quae diximus ad illud Rom. 1.: *Secundum spiritum sanctificationis.*

Per arma justitiae a dextris et a sinistris. Graece: *dextra et sinistra;* construuntur enim cum substantivo *arma.* Sicque legit Augustinus in expositione psalmi 92. et 93. Quidam *arma justitiae* interpretantur opera virtutum, propterea quod Ephes. 6. armaturam militis Christiani per virtutes describat Apostolus; a dextris autem et sinistris, idem valere putant, quod undique et omni ex parte; ut sensus sit: Commendamus nosmet ipsos undequaque per opera virtutum omnis generis. At sciendum, per arma generaliter instrumenta posse intelligi, secundum quod Apostolus ad Rom. 6. scribit: *Ne exhibeatis membra vestra arma*

iniquitatis peccato, sed arma justitiae Deo. Dextera vero et sinistra convenienter intelliguntur prospera et adversa. Id quod sua versione exprimere voluit Stapulensis, ita vertens: per arma justitiae secundorum et adversorum. Unde et in extremo judicio oves a dextris, hoedi autem a sinistris collocandi dicuntur Matth. 25.

Recte igitur plerique, tam Graeci, quam Latini, partem hanc ita exponunt: Declaramus nos Dei ministros in prosperis et adversis, dum utrisque utimur velut instrumentis virtutum. In prosperis exhibentes nos temperantes et humiles, in adversis patientes et fortes, in utroque genere immobiles a rectitudine justitiae. Justitiam vero generalem intelligit, ut alibi. Confirmant et explicant hunc intellectum membra sequentia, quibus alia dextra, alia sinistra nominantur.

8. *Per gloriam, et ignobilitatem.* Graece: *ignominiam,* id est, contemptum, qui gloriae opponitur.

Per infamiam, et bonam famam. Quasi diceret: per maledicta et laudes. Sensus est: Sive honore, sive ignominia nos afficiant homines; sive bene de nobis loquantur, sive male: semper tenemus rectum justitiae cursum; ab integritate et sinceritate ministerii nostri praestanda non discedimus. Bene S. Thomas admonet, nemini licere dare causam infamiae suae; sed unumquemque debere bonam famam sibi procurare, juxta illud Ecclesiastici 41.: *Curam habe de bono nomine.* Caeterum si quem contingat infamari, aequo et forti animo id ferendum, ut alia adversa.

Ut seductores, et veraces. Duo sinistra posuerat, ignobilitatem et infamiam; ea deinceps explicat enumeratione quadam malorum apparentium, quae ignominiam adducebant; quibus tamen e diverso vera bona singulis opponit, ut hac etiam ratione ministrorum Evangelii tum integritatem, tum dignitatem commendet. Notandum itaque, comparationis adverbium *ut* vel *sicut,* per omnes partes sequentes similitudinem et apparentiam duntaxat, non veritatem significare; nam veritas significatur posteriori membro cujusque partis. Quod et S. Thomas in fine harum sententiarum observavit, dicens, Apostolum ideo similitudinis adverbiis uti, quia in rei veritate non sic erat, sed in opinione hominum. Quod olim monuerat S. Augustinus in psalm. 48. conc. 2.

Porro ad infamiam pertinet, quod primo loco dicit: *Ut seductores,* sive *impostores,* id est, errorum magistri; tales enim habebantur Paulus et socii ejus a multis, maxime a Judaeis, qui et Christum Dominum ut seductorem infamarunt, Matth. 27. Quod autem sequitur: *Et veraces,* adversative dicitur. Unde Ambrosius loco conjunctionis *et,* in hoc membro et tribus sequentibus *sed* legit; quod imitatus est in sua versione Hentenius. Erasmus adversitatem ita reddidit: *Et tamen veraces;* eodemque modo in sequentibus. Sensus est: At falso tales reputati, ut qui revera veraces simus, veritatem praedicantes divinitus acceptam, id est, ipsum Dei verbum.

Sicut qui ignoti, et cogniti. Ad ignobilitatem pertinet hoc cum sequentibus. In Graeco participia sunt praesentis temporis. Augustinus per verba legit, utroque loco dudum citato: *Ut qui ignoramur, et cognoscimur.* Sensus: Multis videmur incogniti, et contemptibiles ac nullius pretii homines; at revera cognoscimur, et in pretio habemur apud omnes probos ac pios, qui ministerii nostri excellentiam agnoscunt.

9. *Quasi morientes, et ecce, vivimus.* Id est, propter quotidiana pericula, in quibus Evangelii causa versamur, videmur assidue mori; semper sumus tamquam morti proximi et jamjam morituri; at revera non morimur, sed (quod est admiratione dignum) Dei providentia huc usque servamur in vita. Tale est, quod cap. 4. dixit: *Dejicimur, sed non perimus.* Et iterum: *Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum.* Qui locus hunc illustrat.

Ut castigati, et non mortificati. Rursus

in Graeco praesentis temporis participia sunt: ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. Quod ita recte vertas: *ut qui castigamur, sed non occidimur.* Mirum vero, pro *castigati* Ambrosianum legere et exponere *tentati*, praeter autoritatem Graecae lectionis. Rectius Augustinus *coerciti* legit. Plerique partem hanc non de apparentia, sed de rei veritate exponunt, hoc sensu: Corripimur a Deo, sed non occidimur; juxta illud psalm. 117.: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Nam et Apostolus generaliter pronuntiat Hebr. 12.: *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Et iterum: *Quis filius, quem non corripit pater?*

Verum nihil est necesse, partem hanc dissimiliter a prioribus interpretari. Potest enim convenienter accipi de castigatione, quae fit ab hominibus; quemadmodum Cajetanus exponit sane probabiliter, ut sit sensus: Videmur castigari, quando flagris caedimur a magistratibus velut malefactores, et publicae pacis perturbatores; sed ad declarationem innocentiae nostrae factum est divinitus, ut inter tot persecutiones et supplicia nondum simus occisi. Dico: Videmur, quia revera non castigatur aut coercetur, qui flagellatur immerito; sed tantum ibi similitudo castigationis est, quemadmodum fuit in Christo, de quo Pilatus, eum flagellaturus, dicebat ad Judaeos: *Emendatum,* id est, *castigatum, illum dimittam,* Luc. 23. Nam ibi Graece idem est verbum, quod hoc loco.

Videndum, an possit sic intelligi: Ut a Deo per malos homines, persecutores nostros, castigati, non tamen mortificati; quia Deus nondum permisit iis, in nos usque ad mortem saevire, ut sit allusio ad versum allegatum ex Psalm. 117. Quod satis probabile est. Nam cur alioqui uteretur Apostolus verbo castigandi? At Hebr. cap. 12. castigationem divinam intelligit, quae tamen fiat per homines malos et fidei persecutores; unde dicit eis eodem cap.: *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Et ita pars haec non exponetur dissimiliter communi fere omnium expositioni, quia castigatio haec fit per homines, nescientes tamen, quid Deus per ipsos agat. Ita Deus populum suum quondam castigavit per varios hostes, ut Philistaeos, Syros, Assyrios, Chaldaeos.

10. *Quasi tristes, semper autem gaudentes. Tristes,* Graece: *dolentes.* Sensus est: Propter mala, quae patimur, sumus quasi dolentes, et moerore affecti; sed revera semper in Domino gaudemus. Hinc de Apostolis dicitur Actor. 5., quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et generale praeceptum est Jacobi 1.: *Omne gaudium existimate, cum in tentationes,* id est, tribulationes, *varias incideritis.* Et ipsius Pauli: *Gaudete in Domino semper,* Philipp. 4. Itaque gaudium illud internum sanctorum facile praevalebat dolori, quem ex pressuris et contumeliis percipiebant; ut simpliciter non dolentes, sed gaudentes dici debuerint.

Sicut egentes, multos autem locupletantes. Ambrosianus: *Ut pauperes, multos autem ditantes.* Nam in Graeco non est *egentes,* participium, sed nomen *pauperes,* sive, quomodo legit Augustinus, *egeni.* Sumus, inquit, similes egenis; putamur esse pauperes, sed falso, quia multos ditamus, vel bonis spiritualibus per ministerium verbi, velut ipsos Corinthios, quibus scribit 1. epist. cap. 1.: *In omnibus divites facti estis, in omni verbo et in omni scientia;* vel bonis temporalibus, quia, dum hortamur ad largitatem eleemosynarum, ut in hac ipsa epistola cap. 8. et 9., bona divitum facimus pauperum esse communia, juxta illud 1 Timoth. 6.: *Divitibus hujus saeculi praecipe facile tribuere, communicare.* Ita Paulus ditavit pauperes sanctos, qui erant Hierosolymae, quando per Ecclesias Achaiae et Macedoniae collectas indixit ad subveniendum eis, quas et ipse Hierosolymam pertulit.

Utriusque sensus meminerunt tam Graeci, quam Latini interpretes; tametsi

posterior magis videtur esse litteralis. Idemque judicium esse de parte sequenti; nam alioqui non constaret antithesis inter membra. Quamvis autem Apostoli revera pauperes fuerint, omnibus propter Christum relictis, et interdum quoque inediam et penuriam paterentur; unde ait infra cap. 11.: *In fame et siti, in frigore et nuditate;* non tamen eo modo pauperes erant, quo putabantur, quia neque inviti patiebantur pauperiem, neque deerant fratres, quorum liberalitate ad omnem necessitatem suam uterentur, quando vellent. Quod patet infra eodem cap. 11., ubi dicit: *Cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia.* Unde adhuc sequitur:

Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. In Graeco jucunda paronomasia est in vocabulis *habentes* et *possidentes,* ἔχοντες, κατέχοντες, quam Latina interpretatio reddere nequit. Erant Apostoli et Evangelici ministri tamquam nihil habentes, quia, postquam reliquerant omnia propter Evangelium, similes erant iis, qui ita nihil habent, ut et re, et ope destituti sint; atque ut tales reputabantur; et tamen revera possidebant omnia, quia omnium piorum aedes eis patebant, omniumque possessiones ad usum eis cedebant. Unde Paulus confidenter scribit Philemoni: *Para mihi hospitium.* Simile est, quod scribit ad Philipp. 4.: *Habeo autem omnia, et abundo.* Nimirum hoc erat, quod Christus promiserat omnia propter se relinquentibus, Marci 10. et Luc. 18.; nempe eos multo plura, et quidem centies tantum, recepturos in hoc tempore, domos, et fratres et sorores, et matres. Eam quippe Domini promissionem per hunc Apostoli locum exponit Augustinus epist. 89. ad Hilarium. Vide hoc loco commentarium Bedae ex Augustino sumptum. Huc quoque pertinet illud proverb. 17. secundum LXX., Hieronymo citante sub finem epist. 103. ad Paulinum: *Credenti totus mundus divitiarum est.* Quod et apud Augustinum legitur in psalm. 48. et Tract. 117. in Joann. Idem ex hoc loco secundum sententiam docet, Apostolos votum paupertatis fecisse, in psalm. 10. conc. 3. ad illud: *Illic passeres nidificabunt.* Eadem nimirum tradit, quae ex illo postea Gregorius hom. 5. in Evang., Apostolos etiam desideria habendi reliquisse.

Obiter annotandum, in septem membris jam explicatis Graece semper idem esse similitudinis adverbium ὡς, quod interpreti nostro libuit quatuor diversis vocabulis reddere: *ut, sicut, quasi, tamquam.* Sed bene annotat Valla, festivitatem hanc interpretis in variandis dictionibus non habere tantum decoris, quantum habet Graeca simplicitas, id est, Paulina oratio sublimis, et ejusdem dictionis in principio sententiarum repetitione urgens; quam figuram rhetores epanaphoram vocant. De ornamentis dicendi, ac de ardore orationis, qui est paene toto hoc capite, videatur S. Augustinus de doctr. Christ. lib. 4. cap. 20.

11. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii.* Post generalem sermonem, quo demonstravit integritatem et patientiam ministrorum novae legis, nunc speciatim Corinthios alloquitur, contestans suum erga eos affectum, ut hac quasi praefatione molliat asperitatem admonitionis et correptionis subsequentis. *Os nostrum,* inquit, *o Corinthii,* apertum est ad vos, vel erga vos; scilicet ad loquendum libere vobiscum, et plene vos instituendos; quasi dicat: Non possum silere, et pro salute vestra vos non commonefacere; et quia ex abundantia cordis os loquitur, ideo subdit:

Cor nostrum dilatatum est, per charitatem; ut multi interpretantur. Ita repetendum erit illud: *ad vos,* ut sensus sit: Cor nostrum ingenti quodam affectu charitatis erga vos expassum est; sinus cordis nostri latissime patet ad vos, quos diligo, complectendos.

Potest etiam intelligi dilatatio cordis per affectum gaudii, sicut apud Jesaiam 60.: *Tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Quo etiam sensu recte accipitur illud psalm. 118.: *Viam mandatorum*

tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, id est, postquam a pressura tribulationis cor meum gaudio recreasti; quamvis et hoc alii de charitate cor dilatante accipiant; simile et illud psalmi 4.; *In tribulatione dilatasti me,* ut habet psalterium Romanum ex Graeca versione LXX. interpretum. Sane de gaudio jam antea dixerat Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes,* et repetit sequenti capite: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Vult enim suo gaudio lenire tristitiam Corinthiorum; unde statim post dicit: *Dilatamini et vos.* Quare dilatationem gaudii potius, quam charitatis, hic significatam puto; praesertim quod ea phrasis in Scriptura magis ad gaudium soleat pertinere. Verum juxta hunc intellectum non erit ex priori parte repetendum: *ad vos.* Utrique porro sensui potest accommodari, quod sequitur:

12. *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Indicativus sermo est, non praeceptivus, ut ex Graeco bene probat Erasmus. Verbum Graecum hic refert Apostolus ad angustiam animi, quod supra cap. 4. ad corporales Apostolorum pressuras retulerat. Est autem sumpta metaphora ab iis, quorum praecordia constringuntur, ut aegre respirare queant, sibique videantur praefocari. Sensus est: Quod angustiam patimini, quod tristes estis et compresso corde, non ex nobis id provenit, qui vobis ex charitate quam optime volumus, et in quibus exemplum habetis gaudii spiritualis; sed ejus angustiae causa est *in visceribus vestris,* id est, *in vobis;* ut refert hunc locum Hilarius in enarratione psalm. 118. Nam intra vos sunt, qui vos conturbant et moerore cor vestrum constringunt. Videtur enim respicere Apostolus tum ad fornicarium, quem Satanae tradiderat, cujus causa valde fuerant contristati Corinthii, postquam erant ab Apostolo admoniti, quemadmodum liquet ex praecedentibus hujus epist., et rursum ex capite subsequenti; tum ad alios multos, qui nondum egerant poenitentiam super gravibus quibusdam peccatis; quos notat in fine cap. 12.

Graeci vero sensum reddunt hujusmodi: Cum cor meum amplissime ad vos pateat per dilectionem, non utique habetis locum angustum in nobis, sive in corde nostro, quamvis tot tantique sitis; at in cordibus vestris angustiam multam patimini, ut me, qui unicus sum, vix capiatis, quasi dicat: Ego quidem valde vos diligo; vos autem non perinde multum me diligitis: sed angusto loco cordis vestri me habetis. Cum quo sensu convenit, quod infra dicit cap. 12.: *Licet, plus vos diligens, minus diligar.* Verum prior expositio magis inhaeret contextui. Nam angustiae seu moeroris causam ex ipsis Corinthiorum visceribus natam mox aperit, ubi de jugo non ducendo cum infidelibus eos sincere admonet. Et juxta hunc Graecorum sensum dicere debuisset: Ego angustior (id est, anguste habito), in visceribus vestris, vel in cordibus vestris.

13. *Eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico: Dilatamini et vos! Remunerationem,* Graece ἀντιμισθίαν, id est, *mercedis retributionem,* ut habet Ambrosianus textus. Participium *habentes* in Graecis abest; videtur autem supplendae sententiae gratia additum ab interprete, tam nostro, quam eo, cujus versione usus est Ambrosius. Graeci quidam supplent verbum: *adferte,* ut sit sensus: Eandem remunerationem, id est, compensationem et aequalitatem amoris vos quoque adferte; praebete vicissitudinem charitatis; sicut cor meum ad vos dilatatum est, ita vicissim cor vestrum dilatate erga me. Id autem vobis dico, tamquam filiis, quos oportet non segniter patrem redamare.

Alii, inter quos Chrysostomus, sine hujusmodi supplemento sic exponunt: Eandem amoris retributionem vobis, tamquam filiis, dico, id est, injungo, eamque a vobis, ut pater a filiis, exigo, dicens: *Dilatamini et vos,* mutua scilicet erga me charitate.

Porro juxta priorem expositionem sententiae praecedentis, quam nobis proba-

biliorem diximus, hic erit sensus: Eandem remunerationem, quam ex laboribus Evangelii causa susceptis ac fideli ministerio nos percipimus, dum in perpetuo gaudio sumus, licet tristes hominibus videamur, vobis quoque, tamquam filiis, annuntio ac dico: *Dilatamini et vos,* interno gaudio Spiritus sancti; sicut alibi: *Gaudete in Domino semper.* Volo enim, vos filios meos participes esse mercedis et gaudii nostri. Quod ut fiat, amputate causas malorum, quae vobis tristitiam pepererunt. Hinc ergo sequitur:

14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus!* Potest ex Graeco significantius hoc modo reddi: Ne sitis jugo copulati cum infidelibus. Significat autem verbum Graecum jugi imparitatem et inclinationem in alteram partem. Quod diligenter expendit Theophylactus, unde et vocantur imparia connubia, quibus contingit, alterum conjugem ob potentiam, nobilitatem, opesve alterius gravari. Tale autem jugum est hominis fidelis cum infideli, propter imparitatem ac distantiam personarum quoad religionem, quam cultus disparitatem vocant.

At quaeres, quid sit jugum ducere seu jugo copulari cum infidelibus. Neque enim Corinthii vetabantur habitare cum infidelibus, neque negotiari, neque cibum sumere; dicit enim Apostolus 1 Cor. 10.: *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire,* etc. Et ejusdem epist. cap. 5., cum dixisset: *Ne commisceamini fornicariis,* addidit: *Non utique fornicariis hujus mundi* (id est, infidelibus); *alioqui debueratis de hoc mundo exisse.* Denique nec prohibebantur habere conjuges infideles, atque cum iis manere, juxta illud cap. 7.: *Si quis frater uxorem habet infidelem.*

Respondemus, eos jugum cum infidelibus ducere, qui cum eis arctam ineunt societatem seu necessitudinem, ex qua nimirum oriatur periculosa quaedam necessitas communicandi in moribus et religione; vel, ut habet Graecorum expositio, jugum ducunt cum infidelibus, qui talem cum illis ineunt societatem, qua fiat, ut in partem illorum declinent, mores eorum et vitia sequentes, juxta illud psalmi 105.: *Commixti sunt inter gentes; et didicerunt opera eorum.* Hujusmodi vero societas maxime est conjugium. Unde loco jamjam citato prioris epistolae, quamvis non prohibeat Apostolus fidelibus permanere in conjugio cum infidelibus antea contracto, quando infidelis absque religionis et pietatis injuria consentit cohabitare cum fideli, prohibet tamen nova iniri conjugia cum infidelibus, ubi dicit: *Cui vult, nubat, tantum in Domino,* quemadmodum in ejus loci expositione monstravimus.

Est autem manifesta ratio diversitatis inter eum, qui conjugem habet infidelem, et eum, qui ducit; quemadmodum et inter servum, qui habet dominum infidelem, et eum, qui dat se ejusmodi domino in servitutem. Nam qui conjugatus est, jam non habet in potestate jugum illud abjicere; uti nec servus dominum habens infidelem. Caeterum in hac Scriptura contineri prohibitionem, ne fideles cum infidelibus contrahant matrimonia, quamvis a commentatoribus id non ita sit expressum, sed tantum generali sententia comprehensum, aperte tradit Hieronymus lib. 1. contra Jovin. cap. 5., et in epist. ad Ageruchiam, de monogamia, cap. 2. Nec immerito sane; quandoquidem omnium societatum humanarum ea sit intima et arctissima, qua per conjugium sibi invicem adhaerent vir et mulier. Jam si propter periculum illicita sunt fidelium conjugia cum infidelibus, id est, qui fidem numquam susceperunt (hos enim infidelium nomine intelligit Apostolus), quanto magis cum haereticis, quorum et periculosior est cohabitatio, et difficilior conversio? Quod autem irrita nullaque sint ecclesiastico jure matrimonia, quae fideles cum infidelibus contrahere tentant, non item, quae cum haereticis, id aliam rationem habet, explicatam a nobis in 4. dist. 39.

Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Rationibus ostendit, quam sit absurdum, fideles jugum ducere cum

infidelibus. Etenim sicut fieri nullo modo potest, ut justitia consortium habeat cum injustitia (pugnant enim haec inter se quam maxime), ita recte fieri non potest, ut fidelis, qui in Christo factus est justitia Dei, quemadmodum dictum est in fine capitis superioris, in unum jugum coëat cum infideli, cujus vita injustitia est paene perpetua seu continua.

Aut quae societas luci ad tenebras? Pro *societate* Graece est *communio.* Porro sive lucem et tenebras proprie intelligas, sive metaphorice, valet ratio Apostoli. Neutro enim modo lux cum tenebris communionem habere potest; ac bonum ducitur argumentum ex analogia spiritualium cum corporalibus. Quamquam de luce et tenebris spiritualibus, quae translative tales dicuntur, magis apparebit Apostolum loqui, si hanc partem conferas cum ea, quae praecedit, et cum sequentibus. Lucem ergo vocat fideles, tenebras vero infideles; sicut alibi dicit: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Ephes. 5.

15. *Quae autem conventio Christi ad Belial? Conventio,* Graece συμφώνησις, id est, consonantia, consensus, concordia. Ac sane videri potest, interpretem vertisse *consensionem,* non *conventionem.* Nam et apud Ambrosianum *consensio* legitur. *Belial* Hebraicum vocabulum est, quo significatur, qui est absque jugo; sic enim ipse Hieronymus exponit Judicum 19. Pagninus ubique pro *filiis Belial* vertit: *impios;* alii ex Hebraeo interpretantur: *filios absque profectu,* ut qui non ad utilitatem reipublicae, sed magis ad nocumentum et perniciem vivant. De isto vocabulo Belial, dignus lectu Jansenius in Proverb. cap. 6. ad illud: *Homo apostata.* Apostolus hoc loco nomine *Belial* diabolum procul dubio significare voluit. Sed et Hieronymus 3 Reg. 21. *filios Belial* ex Hebraeo interpretatur *filios diaboli,* et *viros diabolicos.* Sicut ergo nullus esse potest consensus Christo cum Belial, id est, cum diabolo (venit enim Christus, ut destruat opera diaboli, 1 Joann. 3.), ita nec esse debet inter membra Christi et membra diaboli.

Aut quae pars fideli cum infideli? Pars, id est, participatio seu communio. Chrysostomus praemium seu mercedem putat significari; id enim *pars* Hebraea phrasi significat interdum. Quod tamen huic loco minus congruit. Urget hac parte Apostolus ipsa nomina *fidelis* et *infidelis,* quae manifestam sonant contrarietatem. Quare nonnisi absurde, et cum periculo fidei, participabit ac necessitudinem contrahet fidelis cum infideli.

16. *Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Pro *consensu* conventionem hoc loco legit Ambrosianus. Graeca dictio diversa est a superiori, et proprie significat eum assensum, qui fit dato suffragio; tametsi et generaliter usurpatur pro consensu. Pro *idolis* quidam legunt: *idoliis,* id est, templis idolorum, annuente versione Syriaca, quae singulariter habet: *templo daemoniorum,* ut suspicio sit, in Graecis quibusdam codicibus olim pro εἰδώλων scriptum fuisse εἰδωλείων. Atque eo modo magis exprimitur oppositio duorum, qualis in caeteris membris.

Secundum nostram lectionem sensus est: Sicut absurda res est in templo Dei idola, id est, falsorum Deorum simulacra, collocare et venerari; per hunc enim perversum usum quodammodo desinet esse templum Dei, fietque templum idolorum; ita rem vobis indignam facitis, ac vos ipsos profanatis, dum ad societatem recipitis infideles, idolorum cultores.

Juxta alteram lectionem planior erit hic sensus: Quae consensio seu confoederatio vobis, qui estis templum Dei, cum infidelibus, qui sunt templa idolorum, id est, diaboli, qui in idolis colendum se ingerit? quasi dicat: Nulla potest esse hujusmodi consensio, nisi cum gravissima Dei et vestra ipsorum injuria. Ad hunc intellectum etiam priorem lectionem accommodant Graeci, Theophylactus et Oecumenius. Videtur autem Apostolus hac praecipue parte notare eum Corinthiorum cum infidelibus communicationem, qua, propter amicitiam, miscebant se

sacrificiis eorum, et mensis, in quibus idolothyta parata erant; ac per hoc participatione quadam idololatrae efficiebantur, atque socios se reddebant daemoniorum; uti plenius ostendit in priori epist. cap. 10.

Vos enim estis templum Dei vivi. Graece: *viventis.* Explicat postremam rationem assumptione, qua dicit, ipsos fideles Dei veri ac vivi templum esse. Nec ait templa, sed templum, ut significet, ita singulos esse Dei templa, ut tamen omnes unum Dei templum constituant, sicut constituunt unum corpus et unam Ecclesiam. Qua ratione autem fideles dicantur templum Dei, et quomodo scire debeant, se esse templum Dei, declaratum a nobis est ad illud 1 Corinth. 3.: *Nescitis, quia templum Dei estis?* Sed et hic sequitur ejus rei per Scripturam probatio.

Sicut dicit Deus. Graece: *dixit.* Ipsius, inquit, Dei testimonio probamus, vos esse Dei templum.

Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Inambulabo, Graece: ἐμπεριπατήσω. Cujus significationem clarius expressit Ambrosianus textus: *Inter eos ambulabo.* Nam Latinis ambulare non est aliud, quam spatiari. Locus est Levit. 26., ubi Dominus sic populum Israël alloquitur: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri,* id est, quod hic dicit: *Inhabitabo in illis.* Deinde mox sequitur: *Ambulabo inter vos; et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Similis est sententia, novi testamenti promissoria, apud Ezechielem 37.: *Erit tabernaculum meum in eis; et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Quae quidem promissio principali sensu non completur, nisi in vero Israële, id est, in populo Novi Testamenti, in quem proinde rectissime eam interpretatur Apostolus. Sensus autem Apostoli est: *Inhabitabo in eis,* per gratiam, qua faciam, ut me colant; *et ambulabo in eis,* varias virtutum actiones, quibus me colant, in eis excitando atque operando.

Quod autem sequitur: *et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus,* varie potest intelligi. Uno modo, ut priori membro significetur, quid Deus facturus sit, posteriori, quid populus; sitque sensus: Ego me eis Deum exhibebo, gubernans et protegens eos, ac benefaciens; et ipsi vicissim se mihi populum praestabunt, obedientem atque ex animo subditum. Altero modo, ut priori membro, quid populus, posteriori, quid Deus sit facturus, significetur; hoc nimirum sensu: Illi me habebunt pro Deo suo, ac spem salutis in me ponent; et ego vicissim habebo eos pro meo populo, protecturus eos et beneficiis affecturus.

Tertius sensus utrumque membrum refert ad id, quod Deus facturus sit: Ego me Deum illis praestabo, et ut populum meum eos diligam, protegam, beneficiisque fovebo.

Est et quartus sensus, quo utrumque referatur ad id, quod populus sit facturus: Illi me pro Deo suo habebunt, et tamquam populus meus vero cultu se mihi subjicient. Porro quamvis horum sensuum nullus a regula fidei deflectat (neque enim populus quidquam boni facturus praedicatur, quod non Deus per suam gratiam in eo sit operaturus), eum tamen sensum, quem tertio loco posui, germanum esse puto, et proinde caeteris praeferendum. Cujus ratio est, quia tota sententia continet promissionem beneficentiae Dei erga populum; ea vero non exprimitur in membris expositis de eo, quod populus facturus sit. Unde et quartus sensus ab eo, quem intendit Scriptura, longuis recedit, quam primus aut secundus. Habentur haec eadem verba apud Jeremiam cap. 31., quae citat Apostolus ad Heb. 8. Quo loco rursus de vero eorum sensu aliquid dicemus.

17. *Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus.* Collectio Apostoli manifesta est: Vos templum Dei estis, nam Deus habitat et ambulat in vobis; atqui templo Dei nullus esse debet consensus cum templis idolorum; ergo recedendum vobis est ab iis,

qui templa sunt idolorum. Hanc vero conclusionem, perinde ut superiora, verbis Scripturae enuntiat, simul cum eo, quod sequitur:

Et immundum ne tetigeritis. Verba sunt apud Jesaiam cap. 52., quae sic habent ex Hieronymi versione: *Recedite, recedite; exite inde; pollutum nolite tangere; exite de medio ejus*, scilicet Babylonis. Tum sequitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Ubi pro *mundamini LXX.* verterunt: *separamini*, eodem Graeco vocabulo, quod hic ab Apostolo positum est. Ex quo intelligendum est, Apostolum hortari fideles, non ut corporali conversatione et habitatione separentur ab infidelibus; sic enim (ut in priori epistola jam dixerat) debuissent de hoc mundo exire; sed ut animo separentur, malis non consentientes, et, sicut statim initio sequentis capitis explicat, sese mundantes ab omni inquinamento carnis et spiritus, denique id facientes, quod praecipit Ephes. 5., dicens: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite.*

Hoc igitur est exire de medio infidelium et separari, et immundum non tangere: ab omni inquinamento carnis et spiritus, quo infideles coinquinati sunt, sese mundum ac purum praestare, et malis eorum operibus non communicare, etiamsi, aliqua necessitate exigente, in medio eorum versandum ac vivendum sit. Quam doctrinam perspicue tradit Augustinus lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 3. et seqq. Caeterum quatenus cuique periculum est suae salutis ex corporali cohabitatione seu conversatione cum infidelibus, eatenus etiam corporaliter ab iis se debet abstinere; videlicet ex ea naturae lege, qua quisque tenetur periculum suum vitare. Quod autem interponit Apostolus: *dicit Dominus,* a Propheta non est additum. Loquitur enim ille in sua, non Domini persona; sed quia sententia praecedens, ex Levitico desumpta, Dei loquentis verba continebat, ideo et haec posteriora ex Dei persona commemorat Apostolus addendo: *dicit Dominus.*

18. *Et ego recipiam vos.* Graece: *suscipiam vos,* scilicet de medio infidelium exeuntes, quasi dicat: Non eritis desolati, si malam infidelium societatem reliqueritis; nam ego vos, ut dilectos et amicos meos, beneficiis fovebo; relicta saeculi consolatione, transibitis in amicitiam meam, et bonorum meorum participationem. Haec particula loco Jesaiae memorato non legitur expresse, facile tamen assentior Anselmo, qui putat, Apostolum respicere ad illud, quod eodem Prophetae loco sequitur: *Et congregabit vos Deus Israël,* recedentes scilicet de medio Babylonis.

Et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias. Promissio est adoptionis filiorum novi Testamenti, qua Deus sic aliquos in suam recipit amicitiam et gratiam, ut per eam efficiantur, quemadmodum loquitur Petrus 2. epist. cap. 1., *divinae consortes naturae,* et per hoc coelestium bonorum haeredes ac participes. Id enim est esse Dei filium per adoptionem. Utrumque vero sexum nominat, dicendo: *filios et filias,* quia de conjugiis, in quibus uterque sexus copulatur, admonuerat, jugum non esse ducendum cum infidelibus. Porro nota Scripturae phrasis est: *in patrem, in filios et filias,* pro eo, quod plane diceretur: Ero vobis pater, et vos eritis mihi filii et filiae.

Sed unde desumpserit haec verba Apostolus, non liquet; adeo ut suspicetur Cajetanus, esse verba cujuspiam Prophetae ex eorum numero, quibus caremus, et quorum meminerunt libri Regum seu Paralipomenon. S. Thomas vero refert ad locum 2 Regum. 7., ubi de Salomone Dominus ait: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Aliis plerisque magis placet, Apostolum verbis paulum mutatis respicere ad locum Jeremiae 31., ex Dei persona sic loquentis: *Quia factus sum Israëli pater, et Ephraim primogenitus meus est.* Atque hunc locum ad marginem annotatum habent codices vulgati. Praeter quem, huc etiam adducit Anselmus illud Jesaiae 43.: *Adfer filios meos*

de longinquo, et filias meas ab extremis terrae.

Dicit Dominus omnipotens. Addit Domino epitheton omnipotentiae, ne de promissione ejus adimplenda quis dubitet.

CAPUT SEPTIMUM.

Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus[1]), perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem laesimus, neminem corrupimus[2]), neminem circumvenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico; praediximus enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum[3]). 4. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis; repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra[4]), sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnae, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles[5]), consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me, ita ut magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet, etsi poeniteret, videns, quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit; 9. nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quae enim secundum Deum tristitia est. poenitentiam in salutem stabilem operatur[6]); saeculi autem tristitia mortem operatur[7]). 11. Ecce enim. hoc ipsum: secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam; in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio[8]). 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est[9]); sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis 13. coram Deo; ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis; 14. et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus; sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quae fuit ad Titum, veritas facta

---

[1]) 1 Joann. 3, 3. [2]) Cap. 11, 20. 12, 17. seq. Act. 20, 33. seq. [3]) Cap. 6, 11. seq. [4]) Cap. 2, 12. seq. [5]) Cap. 1, 3. seq. [6]) Matth. 26, 75. [7]) Matth. 27, 3. seq. [8]) 1 Cor. 5, [9]) 1 Cor. 5, 1.

est, 15. et viscera ejus abundantius in vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum. 16. Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis.

SUMMARIUM CAPITIS SEPTIMI.

Declarat suam erga Corinthios dilectionem, et vicissim consolationem, quam ex illis accipit. Gaudet, illos per suam epistolam fuisse contristatos secundum Deum, et gloriatur de ipsorum obedientia.

Has ergo habentes promissiones, charissimi. Graece: *dilecti.* Post verba Prophetica nunc suis verbis exhortationem concludit: Cum igitur, inquit, tam praeclaras a Deo promissiones acceperimus, scriptas in Prophetis, etc. Promissiones illae sunt, quod Deus in nobis tamquam in templo suo sit habitaturus et ambulaturus, quod ille nobis futurus sit Deus et pater, quodque nos ejus populus, et filii et filiae.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Graece: *nos ipsos.* Ideo scilicet, quia templum Dei sanctum esse debet et purum ab omni immunditia, et quia populum Dei et filios ejus ac filias decet esse sanctos, omnisque foeditatis et contaminationis expertes. Carnis inquinamentum est omne peccatum, quod carnali voluptate consummatur; ut sunt impudicitiae, commessationes, ebrietates. Spiritus inquinamentum est imprimis idololatria et omnis ejus participatio; ac praeterea sectae, dissensiones, aemulationes et alia hujusmodi, quorum consummatio sine sensuum voluptate consistit. Hinc statuitur divisio peccatorum in carnalia et spiritualia. Nam licet omnibus peccatis commune sit, quod spiritum seu mentem hominis coinquinent, attamen peculiari ratione carnalia vocantur ea, quae per carnis ac sensuum delectationem id faciunt.

Porro ex his verbis, velut epilogo superioris exhortationis, colligere licet, quam late pateat periculum peccandi, a quo revocare conatur Apostolus Corinthios illo praecepto: *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Jam quod in prima persona loquitur: *Mundemus nos,* etc., tamquam semet ipsum includens in eorum numero, qui mundandi sunt, ostendit, ne perfectos quidem, quales erant Apostoli, ita prorsus mundos esse, ut amplius mundatione non egeant, attestante Salomone, Prov. 20.: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Simul hac ratione magis suasibilem reddit exhortationem.

Perficientes sanctificationem in timore Dei. Graecum verbale potius sanctimoniam significat, quam sanctificationem. *Sanctitatem* legit Ambrosianus. Est autem apud eum peculiaris lectio hujusmodi: *Mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis, ut perficiamus sanctitatem Spiritus in timore Dei.* Sed hanc metathesin vocabuli *spiritus* in nullis aliis codicibus reperio; licet alioqui sensum habeat ea lectio percommodum. Videtur illius versionis autor genitivum *spiritus* in Graeco sic accepisse, ut jungatur sequentibus, et regatur a nomine *sanctitatem.* Quod tamen Graecus textus haud patitur, nisi participium *perficientes* commutemus in verbum *perficiamus,* uti factum est ab illo interprete.

Nostrae versionis hic sensus est: Perficientes quotidiano profectu sanctitatem in baptismo inchoatam; quia nimirum sanctitas consistit in munditia carnis et spiritus, inquinamento utriusque jam dicto contraria. *Perficientes,* inquam, in timore, id est, per timorem Dei, cujus scilicet templum sumus; qui proinde vereri debemus, ne per aliquam immunditiam carnis aut spiritus templum Dei profanemus, et profanando violemus. Nam ut in priori

epist. cap. 3. scriptum est: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Hinc disce contra novos haereticos, timorem poenae a Deo comminatae conducere ad justitiam et sanctitatem.

2. *Capite nos.* Ambrosianus legit: *Capaces estote nostri.* Quod et Erasmus atque Hentenius imitati sunt. Sic enim clarius explicatur Graeci verbi significatum, quod est capere eo modo, quo vas aut locus capere aliquid dicitur. Quidam exponunt hoc modo: Vos corde per charitatem dilatato nos capite, id est, affectu charitatis complectimini; ut sit repetitio ejus, quod superius dixit: *Dilatamini et vos!* Alii sic intelligunt: Recipite intra vos exhortationem meam; verba mea descendant in animum vestrum et locum inveniant. Cui sensui favet illa Domini sententia, Matth. 19.: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Et iterum: *Qui potest capere, capiat.* Est enim idem verbum Graecum, quod hoc loco. Utrumque sensum adferunt Graecorum commentarii. S. Thomas exponit: *Capite nos* per imitationem. Cui sensui bene quadrant sequentia.

Neminem laesimus. Graece: *injuria affecimus,* Ambrosianus: *nemini nocuimus.* Merito, inquit, a vobis exigimus vel charitatem, vel obedientiam, qui sincere et inoxie vobis Evangelium ministravimus.

Neminem corrupimus. Hoc plerique ad corruptelam doctrinae referunt, quasi hoc velit Apostolus, quod dixit cap. 2.: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.* At Thomas corruptionem intelligit, quae fit per mala vitae exempla; de qua in priori epistola: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Neminem circumvenimus. Graeca vox significat avare quippiam ab alio extorquerè, quocumque modo vel arte id fiat. A quo vitio rursus et se ipsum, et Titum infra cap. 12. immunem fecit, eodem usus verbo Graeco, quod hic posuit. De cujus significato plura diximus ad illud capitis 2.: *Ne circumveniamur a Satana.* Caeterum Apostolus, dum a se removet hujusmodi vitia, laedere, corrumpere, circumvenire alios, ex obliquo pseudapostolos, ut talia facientes, perstringit, palam eorum detecturus improbitatem et hypocrisin infra cap. 11.

3. *Non ad condemnationem dico.* Quidam codices, Syris suffragantibus, addunt pronomen: *Non ad condemnationem vestram dico.* Quibus annuit Ambrosiana versio: *Non ad condemnationem vestri hoc dico.* Nostra lectio Graecis consonat, tametsi sensus postulat pronominis supplementum. Tribus autem modis haec pars exponi potest.

Primo sic: Non ego me excusando vos accuso, quasi tales sitis, qualem, me esse nego. Non ad accusationem vestri, sed pseudapostolorum, qui in vobis sunt, haec dico. Ita plerique exponunt, tam Graeci, quam Latini.

Secunda expositio: Non haec dico velut tacite vos accusans, quod talia de nobis suspicemini. Jam enim supra dixerat cap. 3., se non egere commendatione apud Corinthios, et cap. 5.: *Spero,* inquit, *et in conscientiis vestris manifestos nos esse.* Sensum hunc sane probabilem tradunt Cajetanus, Catharinus et alii nonnulli.

Tertio potest, quod hic dicit Apostolus, referri ad superiorem exhortationem, qua dixerat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus,* ac deinde monuerat, ut se mundarent *ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Haec, inquit, non dixi ad condemnationem vestram; non vos traduco; sed corrigere volo. Hunc sensum innuit magis, quam expressit S. Thomas. Porro tam huic intellectui, quam duobus reliquis bene potest aptari sequens probatio.

Praediximus enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum. Id est: Jam antea dixi vobis in hac epistola, quod sitis in cordibus nostris velut inscripti per continuam memoriam vestri, quam gerimus ex intimo erga vos amore, adeo ut et mori, et vivere vobiscum cupiamus. Quod utique vehementissimi amoris indicium est, nolle nec

in vita, nec in morte, ab eo, quem ames, separari. Respicit Apostolus ad illud, quod dixit cap. 3.: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* Quod enim hic addit: *ad commoriendum et ad convivendum,* explicatio est affectus significati illis verbis: *In cordibus nostris estis.*

4. *Multa mihi fiducia est apud vos.* Ab hoc loco transitus est latens et artificiosus ad aliud argumentum, quo acturus est de eo, quod accidit Corinthiis accepta priori epistola, siquidem ea graviter illos contristaverat. Quare ne contristandi studio, tamquam severus objurgator, eam scripsisse videatur, praemittit quaedam ad ipsorum laudem, suumque erga eos optimum affectum declarandum pertinentia. Multa mihi est, inquit, fiducia apud vos vel erga vos; id est, ita bene de vobis sentio, ut cum magna fiducia et sermonis libertate (quod significat vox Graeca παῤῥησία) vobiscum agam, vosque etiam admoneam, confidens, vos benigne ac placide meas admonitiones et increpationes accepturos. Vide extrema verba hujus capitis.

Multa mihi gloriatio pro vobis. Graece et apud Ambrosianum: *de vobis,* id est, multum ac saepe apud alios de vobis ac vestri nomine glorior, praedicans obedientiam vestram erga me, Apostolum et patrem vestrum. Etenim, ut ait Scriptura Proverb. 10., *gloria patris est filius sapiens.*

Repletus sum consolatione. Id est, maximum solatium super malis, quae passus sum, attulit mihi vestra correctio, per Titum annuntiata. Sensum hunc aperiunt ea, quae statim sequuntur:

Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Id est, in omnibus afflictionibus et pressuris, quae mihi tristitiam adferunt, tam exuberanti gaudio a vobis profecto perfusus sum, ut omnem tristitiam exstinxerit. Nam verti etiam potest: *super omni afflictione nostra,* quum Graece non sit ἐν, sed ἐπὶ.

5. *Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Graece: *nullam habuit remissionem, seu relaxationem, caro nostra.* Quoniam tribulationis suae fecerat mentionem, exponit, qualis et quanta fuerit, ut inde cognoscatur magnitudo consolationis et gaudii, quae tristitiam illam potuerit abolere. Nam, inquit, post tribulationem, quae facta nobis est in Asia, de qua cap. 1., etiam postquam venissemus in Macedoniam, tanta mala repente nobis excitata sunt ab adversariis, ut carni, id est, corpori nostro, quod sine fomentis et quiete diu subsistere nequit, nulla daretur relaxatio, nulla requies: Vel: *Caro nostra,* id est, nos nullam habuimus requiem.

Profectiones Pauli ex Asia in Macedoniam, atque inde in Graeciam narrat Lucas initio cap. 20. Act., sed ita breviter, ut afflictionis, quae Paulo contigit in Macedonia, prorsus non meminerit, Ex quo, sicut ex aliis locis epistolarum Pauli, colligitur, multa gestorum ejus a Luca in Actis fuisse praetermissa. Falluntur autem, qui locum praesentem referunt ad historiam Act. 16., quam utique constat multo ante contigisse, quemadmodum monstravimus ad eum locum cap. 2.: *Profectus sum in Macedoniam.*

Sed omnem tribulationem passi sumus. Graece: *Sed in omnibus afflicti,* supple: fuimus; uti legit et supplet Ambrosianus textus. Estque sensus: Undique tribulationes irruebant in nos. Vel: Omne genus tribulationum passi sumus. Hoc enim explicari videtur per id, quod sequitur:

Foris pugnae, intus timores. Scilicet erant. Tribus modis hanc partem S. Thomas exponit. Primo sic: Exterius erat nobis repugnandum cum hostibus Evangelii; interius vero, id est, in animo, patiebamur timores novarum persecutionum. Secundo: Foris, id est, ab infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam (et alibi vocantur ii, *qui foris sunt,* ut 1 Cor. 5.), inferebantur nobis pugnae persecutionum; intus autem, id est, pro fidelibus, qui sunt in Ecclesia (et eodem Apostoli loco vocantur: *qui intus sunt*), angebamur timore, ne vi

persecutionum dimoverentur a fide. Haec Graecorum est expositio. Tertio: Non solum ab hostibus manifestis palam oppugnati sumus; verum etiam timores passi ab hostibus occultis et domesticis (quos alibi vocat falsos fratres), idque juxta illud Matth. 10.: *Inimici hominis domestici ejus.*

Quartam expositionem adfert Cajetanus: Foris, inquit, id est, in publico, multae pugnae; intus vero, id est, in domibus nobis exsistentibus timores incutiuntur; et sic nullibi quiescimus.

Harum expositionum prima maxime nobis germana videtur. Nam simili sermone sensuque dictum est, Deut. 22.: *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor.* Nec mirum, si Paulus timores suos confiteatur, quando et Christus Dominus timorem passionis et mortis in se suscipere dignatus est, Marc. 14. Sic autem pugnam sibi cum adversariis adscribit Apostolus, quomodo dixit in priori epist. cap. 15.: *Si ad bestias pugnavi Ephesi.* Pugnat enim etiam, qui defendit. Pro hujus partis expositione confer ea, quae dicuntur infra, ad illud cap. 11.: *Praeter illa, quae extrinsecus sunt.*

6. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.* Id est, Deus, afflictorum et humilium consolator, in tantis afflictionibus consolatus est nos, per adventum et praesentiam Titi a vobis reversi. Hunc enim, diu exspectatum, Paulus non invenerat, priusquam ipse ex Asia in Macedoniam venisset, ut habetur cap. 2. Dicit autem: *qui consolatur humiles,* ad discrimen superborum, quibus Deus resistit. Porro consolatum se dicit Apostolus *per adventum Titi,* vel quia praesentia Titi gratissima ipsi erat, tamquam fidelis adjutoris et socii laborum, ut multi exponunt, vel quia Titus, Corintho reversus, bona de statu Corinthiorum annuntiabat; quod posterius magis est probabile. Nam institutum Apostoli est, consolationem suam et gaudium, de quibus supra dixit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* Corinthiis accepta referre. Vide infra commentarium vers. 13.

7. *Non solum autem in adventu ejus,* vestram correctionem annuntiantis, *sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis,* id est, per consolationem, quam ille de vobis accepit; quasi dicat: Duplici nomine consolatus est nos Deus ex parte vestra; tum quia Titus adveniens annuntiavit nobis, quam recte vobiscum ageretur, tum quia etiam ipse Titus, qui prius contristatus fuerat ob dissensiones et alia peccata, quae de vobis audierat, correctos vos inveniens, consolationem accepit. Itaque Titi consolatio a vobis profecta mihi quoque consolationem attulit.

Referens nobis vestrum desiderium. Graece: *annuntians,* id est, cum annuntiaret ac referret nobis, quanto mei desiderio teneremini, quantopere desideraretis adventum nostrum; quod est signum amoris.

Vestrum fletum. Graece ὀδυρμὸν, quod alii *luctum* vertunt. Sed et Graecorum scholia declarant, non simpliciter lacrymas, sed amarum luctum significari, quem habebant Corinthii de eo, quod Paulus ipsorum causa et culpa contristatus fuisset. Sic Theophylactus et Oecumenius.

Vestram aemulationem pro me. Id est, vestrum pro me studium. Graece ζῆλον, quo scilicet accensi fuistis adversus eos, qui mihi detrahebant. Ita fere interpretes. At vero Cajetanus illud *pro me* interpretatur: *nomine meo,* ut sensus sit, Titum retulisse zelum Ecclesiae Corinthiorum, quo nomine ac vice Pauli absentis processerant ad puniendum fornicarium, exsequentes id, quod in priori epist. cap. 5. Paulus eis mandaverat, dicens: *Congregatis vobis et meo spiritu, tradere hujusmodi hominem Satanae in interitum carnis.* Atque hic profecto sensus magis inhaeret contextui. Interim observa sermonis Apostolici venustatem, simul et vehementiam in eo, quod dicit: *vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem.* Concurrentibus

videlicet duabus aut tribus figuris, epanaphora, asyndeto, et incremento.

Ita ut magis gauderem. Duarum mediarum dictionum ordo commutatus legitur in quibusdam codicibus: *ita magis ut gauderem;* sed vitiose, et sensu turbato. Nam vera lectio est: *ut magis,* quam plurimi codices exhibent, tam vetusti, quam recentiores, ac nominatim Clementinae castigationis; idque Graecis convenienter, in quibus legitur: *ita ut magis gavisus fuerim.* Et sensus est: Apostolum, auditis iis, quae Titus referebat, majus gaudium ex eis cepisse, quam fuerat afflictio, de qua paulo ante locutus est; vel potius, quam fuerat dolor, quem perceperat ex eo, quod Corinthios sua epistola contristasset. Hunc enim posteriorem sensum magis congruere cum sequentibus, affirmat Photius apud Oecumenium.

Potest etiam intelligi comparatio gaudii posterioris cum priore, quasi dicat Apostolus, Tito apud ipsum referente ea, quae jam dicta sunt, gaudium suum magis ac magis crevisse. Vel potius, quod consolatio Titi auxerit gaudium, quod ex ejus adventu ceperat. Conferatur vers. 13., ubi est horum repetitio.

8. *Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet.* Deinceps ostendit utilitatem tristitiae, quam acceperant Corinthii ex priori epistola ad se missa, qua graviter fuerant increpati, quod fornicarium illum incestum apud se tolerarent. Respicit enim potissimum ad ea, quae scripserat ab illo cap. 4.: *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam,* usque ad finem capitis quinti; qui totus locus multum continet severae objurgationis. Hoc autem est, quod dicit: *Nam etsi per epistolam priorem vos contristavi,* nunc non me poenitet; non doleo, me ea scripsisse, quae vos contristarent; postquam Titus a vobis reversus annuntiavit, quem fructum pepererit in vobis illa nostra severior objurgatio.

Etsi poeniteret. Graece: *etsi me poenitebat.* Quod alii vertunt: *etsi poenituerit,* vel *poenituisset,* uti legit Ambrosianus, id est, etiamsi ante adventum Titi, nondum certior factus de fructu tristitiae, doluerim, me vos contristasse. Doluerat enim, vel quia tristitia per se malum quoddam est, ideoque ab iis, quos diligimus, advertendum; vel quia metuebat, ne forte Corinthii ex tristitia, qua eos affecerat, verterentur in odium sui Apostoli, et per hoc fructus Evangelii periret.

Est autem sciendum, non doluisse Apostolum de epistola a se conscripta, quam sciebat, se Spiritu divino scripsisse, sicut et istam, in cujus fine dicit: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Verum poenituisse se dicit, id est, doluisse, de quodam effectu epistolae, quod scilicet per eam Corinthios contristasset; ut proinde optaret, ea parte scriptam non fuisse. Quomodo si Propheta quispiam vel Apostolus, videns suam divini verbi praedicationem quibusdam perversis offendiculo fuisse ad gravius peccandum, atque de ea re dolens, diceret: Poenitet me praedicati illis hominibus Evangelii, quod eis factum est in ruinam. Ex quibus etiam liquet, hanc Apostoli poenitentiam non fuisse de peccato aliquo, sed de facto, ex quo praeter suam culpam et exspectationem aliquid mali ortum aut oriturum fuisse verebatur.

Videns, quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit. In Graeco nova periodus est: *Video enim, quod* etc. Juxta nostram versionem causa significatur ejus, quod proxime praecessit, ut sensus sit: Poenitebat me, cum viderem, vos per epistolam meam (tametsi res ea tantum ad tempus duraverit) contristatos fuisse. At secundum Graecam lectionem ratio redditur ejus, quod dixerat: *Non me poenitet,* quia nimirum video nunc, inquit, id est, plane cognosco ex relatione Titi, quod epistola mea vos quidem, tametsi ad breve tempus, contristavit, de qua re dolebam; verum

9. *Nunc gaudeo; non quia contristati estis.* Nam vestra tristitia, tametsi tantum ad horam fuerit, non est materia gaudii mei. Nota, quam sollicite Aposto-

lus, tamquam amantissimus pater, id agat, ne videatur contristare Corinthios, filios suos, voluisse. Ex quo paterno affectu jam superius scripserat, cap. 2.: *Si enim ego contristo vos, et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me?*

Sed quia contristati estis ad poenitentiam, quasi dicat: Non gaudeo de tristitia vestra, sed de fructu tristitiae, qui est poenitentia seu correctio vestra; quomodo medicus non gaudet de amaritudine potionis, vel dolore sectionis aegroti, sed de ejus effectu, id est, sanitate. Quamquam etiam ipsa tristitia, considerata cum fructu correctionis, potuit Apostolo esse causa gaudii; sic enim quoddam bonum erat contristari, inquam, ad poenitentiam, hoc est, ad emendationem. Nam ipsa alioqui poenitentia, cum sit dolor de peccatis, malum tristitiae in se includit.

Contristati enim estis secundum Deum. Gaudii sui rationem refert in Deum. Nam tristitia ad poenitentiam est tristitia secundum Deum, id est, procedens ex amore Dei et justitiae, quam Deus praecipit; non autem ex amore saeculi, quam statim post vocat saeculi tristitiam. Etenim qualis amor est, talis et tristitia: quemadmodum hoc loco annotat et bene explicat Doctor angelicus.

Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Pro: *detrimentum patiamini,* Graece unum verbum est praeteriti temporis: ζημιωθῆτε, *detrimentum passi sitis.* Sensus est: Adeo ut nulla ex parte detrimento sitis affecti per nos, qui vobis causa tristitiae fuimus; cum ea tristitia vobis fuerit admodum salutaris. Est enim in his verbis Litotes, qua minus dicitur et plus intelligitur. Qualis, in re contraria, est illa Sap. 1.: *Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest,* id est, multum nocet. Atque haec fere Latinorum est expositio.

Porro Graeci sic exponunt: Ideo vos objurgando contristavi, ne pateremini ex me detrimentum spirituale. Praeceptor enim discipulo damnum infert, et pater filio, quando delinquentem non objurgat. Sed hic sensus textui non videtur congruere. Non enim dicit Apostolus: Objurgavi vos, ut in nullo detrimentum patiamini; sed: *contristati estis secundum Deum, ut in nullo,* etc. Denique priorem sensum clare probat, quod sequitur:

10. *Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur,* Graece: *poenitentiam ad salutem haud poenitendam,* vel uno verbo (sicut Augustinus legit lib. 14. de civit. Dei cap. 8. et serm. 2. in feria quinta Paschae) *impoenitendam operatur.* Gaignaeus suspicionem facit, interpretem nostrum legisse: ἀμετακίνητον, id est, immobilem; repugnantibus licet vetustis Graecorum commentariis, qui omnes habent et exponunt: ἀμεταμέλητον, impoenitendam. Dubium est autem tam in Graeco textu, quam Latino, *stabilem* seu *impoenitendam* utro referendum sit, ad poenitentiam, an ad salutem. Certe, *stabilem* si legas, id ad salutem multo aptius refertur, quemadmodum referunt omnes Latini. *Impoenitendam* vero Graeci ad poenitentiam referunt, eleganti schemate conjunctis contrariis, nisi quod Theophylactus, si non fallit ejus interpres, salutem non poenitendam intellexit, manente nihilominus allusione; quemadmodum et Augustinus. Qui sane intellectus neutiquam rejiciendus est.

Dicit ergo Apostolus: Tristitia namque, quae secundum Deum est, parit poenitentiam salutiferam, ideoque minime poenitendam. Nam boni ac fructuosi operis neminem recte poenitet. Vel secundum Theophylactum et Latinos: parit poenitentiam, quae causa est salutis semper mansurae et numquam poenitendae. Quare consentaneum est, de ipsa quoque tristitia, a qua salus hujusmodi manat, non dolere, sed gaudere potius.

Quaerit hoc loco S. Thomas, quomodo tristitia jam dicta poenitentiam operetur, cum poenitentia sit ipsa tristitia, qua de peccato secundum Deum quis dolet. Adfert autem duas ad hanc quaestionem solutiones, quas apud ipsum videre est, ut et tertiam subtiliorem allatam a Cajetano.

Neque enim videtur ulla earum satisfacere difficultati.

Vera responsio potest accipi ex interpretatione partis illius antegressae: *Quia contristati estis ad poenitentiam.* Ubi significatum est, tristitiae fructum esse poenitentiam, hoc est, correctionem; idque etiam secundum expressam ipsius S. Thomae explanationem. Itaque tristitia, quae secundum Deum est, operatur poenitentiam, quia parit et secum adducit correctionem hominis contristati, tamquam effectum et fructum suum.

Aliter responderi potest, Apostolum non dicere, quod tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam operatur, sed quod operatur poenitentiam in salutem, id est, efficit poenitentiam esse salutarem; velut si dicam: Homo studiosus efficit hominem doctum, et sobrius sanum; ut perspicuus sensus sit, tristitiam, quae est secundum Deum, causam esse salutis. Quem sensum probabilem facit antithesis. Sequitur enim:

Saeculi autem tristitia mortem operatur. Pro *saeculo, mundus* est in Graeco, necnon apud Ambrosianum. Tristitia saeculi seu mundi tristitia est secundum saeculum, id est, exponente S. Thoma, quae nascitur ex amore saeculi, de quo Joannes 1 Epist. 2.: *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt.* Hujusmodi tristitia est, quam patiuntur homines ex amissione, vel impedita perceptione eorum, quae carnaliter diliguntur, ut voluptatum atque aliorum bonorum temporalium, vel etiam parentum, propinquorum, amicorum inordinate dilectorum. Parit autem ea tristitia mortem, vel aeternam, quatenus Deus plerumque graviter per eam offenditur; vel temporalem, eo quod homines, immodica tristitia pressi, saepe in morbos incidant periculosos et mortiferos, juxta illud Ecclesiastici 30.: *Multos occidit tristitia,* et Proverb. 17.: *Spiritus tristis exsiccat ossa.*

Quamvis et tristitia, quae secundum Deum est, ex redundantia doloris in partem inferiorem animae corpus laedere et mortem adferre potest. Unde est, quod ait Salvator: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quocirca probabilior est de morte aeterna expositio, maxime quod mortem Apostolus opponat saluti, non corporis, sed animae. Tale enim est, quod dicit: Justum est, me gaudere de hac tristitia vestra, quae secundum Deum est; quia longe alius est effectus illius tristitiae, quam tristitiae saeculi. Nam illa salutem et vitam gignit perpetuam; haec vero mortem aeternam conciliat.

11. *Ecce enim, hoc ipsum: secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem.* In Graeco verba sunt praeteriti temporis, contristatos esse, item *operatum est, effecit, genuit.* Probat Apostolus, quod dixit, tristitiam Corinthiis fuisse salutarem; idque per ipsius rei experientiam, qua constabat, eam in illis multa bona ad salutem ducentia peperisse, cujusmodi septem hic ordine enumerat. Ecce enim, inquit, *hoc ipsum, quod secundum Deum contristati fuistis, quantam in vobis genuit sollicitudinem,* vel, ut in Graeco est, *diligentiam et studium.* Cum enim antea negligenter ageretis circa punitionem illius incestuosi, haec secundum Deum tristitia vos ad tollendum e vobis malum valde diligentes ac sollicitos reddidit.

Sed defensionem. Graece ἀπολογίαν, quam alibi satisfactionem vertit interpres, ut 1 Petr. 3.; alibi rursus defensionem, ut 2 Tim. 4. Porro defensionem plerique intelligunt eam, qua Corinthii defendebant et laudabant factum Apostoli, tradentis fornicarium Satanae. Theodoretus vero et Oecumenius ἀπολογίαν interpretantur, qua Corinthii purgabant semet ipsos per hoc, quod, serio et secundum Deum contristati propter flagitium apud se commissum, ac severe illud punientes, ostendebant, se ejus non esse participes.

Verum quoniam apologia proprie dicitur ea defensio, quae verbis fit, maxime profecto probabile est, Apostolum loqui de eo, quod Corinthii sese apud Titum prolixe et sollicite excusarunt super negotio fornicarii, docentes, quid ad ejus punitionem et correctionem egissent. Nam

Apostolus haec, velut ex Titi relatione accepta, commemorat. Conjunctionem *sed* in hac parte et sequentibus pro *et* positam annotat Oecumenius. Atque ita reddidit Syrus interpres. Equidem crediderim, augendi vim ei inesse hoc loco, ut idem fere sit, quod *imo*, sicut Erasmus vertit, aut *quinetiam*, *insuper*, quae idem valent.

Clarior erit oratio, si per singula suppleas: *non solum*, hoc modo: Operatur sollicitudinem non solum, sed et defensionem; nec solum, sed et indignationem. Est enim mos Apostoli Pauli sic loqui, ut Rom. 5.: *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus*, et cap. 9.: *Non solum autem; sed et Rebecca*, etc., et hujus epistolae capite sequenti: *Non solum autem; sed et ordinatus est*, etc. Quidam hic observant figuram rhetoricam, quam polysyndeton vocant, in repetitione vocabuli *ἀλλὰ, sed;* conciliat enim orationi gravitatem et acrimoniam. Mirum vero, quid secutus Ambrosianus membrum hoc negative legat: *non excusationem,* addito hoc glossemate: Recte; quia poenitentia non habet excusationem, sed confessionem. At non hic agitur de excusatione, qua peccatum commissum negetur; sed de ea, qua rei veritas exponatur.

Sed indignationem, quam coram Tito ostendistis adversus hominem flagitiosum.

Sed timorem, ne simile quid iterum contingat. Hujusmodi enim timor verae poenitentiae comes est. Alii timorem divini judicii intelligunt; sed hic timor potius causa tristitiae est, quam ejus effectus.

Sed desiderium, nempe illud, quod superius dixit, Titum sibi retulisse. Nam ex Pauli increpatione contristati secundum Deum, flagrantius ejus praesentiam desiderabant.

Sed aemulationem. Hanc quoque superius nominavit inter ea, quae Titus retulerat. Neque aliter hoc loco exponenda est.

Sed vindictam. Hoc, inquit, egit in animis vestris illa secundum Deum tristitia, ut gravi ac severa castigatione, justaque satisfactionis poena peccatum illius fornicarii vindicandum putaveritis, in tantum, ut a me rursus ad lenitatem fueritis revocandi. Id enim fecit superius cap. 2. Recte Catholici doctores ex hoc loco sumunt argumentum pro satisfactione, quae poenitentiae pars est, qua quis in se ipso vindicat, quod male egit; quippe cum vindictam numeret Apostolus inter ea bona, quae salutarem Corinthiorum poenitentiam fuerant consecuta.

In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. Graece: *puerus esse in negotio.* Textus Ambrosianus sic habet: *In omnibus castos vos exhibuistis esse in eo negotio.* Quamquam, quod dicitur *exhibuistis,* verti etiam potuit: *commendastis;* sicut in illo loco capitis superioris: *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos* etc. Sensus est: Tot argumentis praestitistis ac declarastis vos a crimine immunes, atque vosmet ipsos ut tales in praesentia Titi commendastis, ut, qui in priori epistola a me accusati estis, quod videremini flagitiosis operibus communicare, nunc ita sitis apud me excusati et purgati, ut, quod amplius objiciam vobis, non habeam.

Negotii nomine tegit incesti crimen, nolens illud exprimere propter turpitudinem. Est, qui negotium interpretatur illud, de quo altera erat objurgatio 1 Cor. 6. illis verbis: *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicare apud iniquos?* Et eo trahit etiam verba proxime subjecta; quasi sensus Apostoli sit: Nihil praetermissum est a vobis, quo manifestum faceretis, vos ab illo negotio immunes esse, quod criminis loco vobis objiciebatur de causa adversus fratrem ad iniquos judices delata. Sed hic commentarius non modo coactus est, verum etiam longius Apostolum abducit ab instituto.

12. *Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est.* Supplendum: *scripsi*, vel *feci.* Quod igitur, inquit, per epistolam vos objurgavi, non

tantum, nec praecipue id feci propter eum, qui fecit injuriam, id est, propter filium incestuosum, ut ille puniretur aut etiam corrigeretur; nec item propter eum, qui passus est injuriam adulterii et incestus, id est, propter patrem, ut ille vindicaretur, aut ab injuria liberaretur.

Sed ad manifestandam sollicitudinem nostram. Graece: *Sed ut manifestaretur studium* seu *diligentia nostra.*

Quam habemus pro vobis coram Deo. Multa exemplaria mss. legunt: *pro vobis, ad vos coram Deo.* Porro Graeci codices, qui hodie sunt in manibus, variant pronomina. Quidam enim habent: *studium vestrum pro nobis;* alii contra: *studium nostrum pro vobis;* omnes autem addunt: *ad vos.* Sane posterior lectio sicut in praestantioribus est exemplaribus, ac nominatim in Complutensi et regio, necnon in commentariis veterum, annuente etiam Ambrosiano, sic et sensum habet obvium ac facilem hujusmodi: Sed etiam ac praecipue id *feci,* ut innotesceret studium ac sollicitudo nostra pro salute vestra; id est, me potissimum movit cura totius Ecclesiae seu corporis vestri, quae per epistolam erat apud vos declaranda.

Locus sic intellectus ostendit, praecipuam excommunicantis intentionem esse debere, ut, quemadmodum hoc loco Chrysostomus et Theophylactus significant, a peccati contagio totum corpus servetur incorruptum, etiamsi forte salus excommunicandi fuerit desperata. Unde et in priori epistola cap. 5. dixerat: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et iterum: *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Alteram Graecorum lectionem videat, qui volet, expositam a Cajetano in comm., et ab Erasmo in annotat., qui tamen in paraphrasi, mutata sententia, priorem lectionem ut meliorem sibi sumsit explicandam. Quod sequitur: *coram Deo,* vel jurantis est, sicut Gal. 1.: *Ecce coram Deo, quia non mentior,* quasi dicat: Testis est Deus, quod ad manifestandam meam pro vobis sollicitudinem id fecerim. Sic enim S. Thomas putat intelligi posse. Vel potius significat, sollicitudinem suam fuisse sinceram et ex charitate profectam, qualem velit probari coram Deo judice.

13. *Ideo consolati sumus.* Id est, consolationem accepimus, ut legit Ambrosianus. Sequitur:

In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi. Notanda est hujus loci varia lectio atque distinctio. Ambrosianus ac caeteri Latini cum nostra versione consentiunt. Graeci codices, qui nunc circumferuntur, ita habent: *Propter hoc consolati sumus super consolatione vestra; abundantius autem magis gavisi sumus super gaudio Titi.* Quae lectio etiam apud Oecumenium est. Porro Chrysostomus et Theophylactus similiter quidem, ut Latini, distinxisse videntur; sed cum hodiernis Graecis id habent commune, quod pro *nostra* legunt *vestra.*

Sensus Latinae lectionis potest esse talis: Quoniam inventi estis puri et incontaminati in negotio, idcirco consolationem accepimus. Atque in ea consolatione multo etiam magis gavisi sumus propter gaudium Titi, quasi dicat: Gaudium Titi vehementer auxit consolationem nostram, quam ex vobis accepimus. Eadem est sententia lectionis tertio loco allatae. Nam *consolationem vestram* Theophylactus interpretatur active, qua nimirum vos consolati estis me, ut hoc pacto eadem sit consolatio vestra et nostra.

At vero secundae lectionis, diversam adferentis distinctionem, hic videtur esse sensus: Cum haec omnia ita se habeant consolationem et gaudium cepimus ex vobis, utpote qui jam correcti nobis afflictis fueritis materia solatii; nam nostram consolationem et gaudium majorem in modum auxit gaudium Titi, quod cepit ex vobis. Distinctionem hanc et sensum probabilem facit tum praepositio Graeca ἐπὶ, quae eadem est in utroque membro; tum quod videatur hic esse quaedam repetitio ejus, quod supra dixerat, se consolatum a Deo non solum in adventu Titi, sed etiam in consolatione, quam ille receperat a Corinthiis. Adde, quod illud: *conso-*

lati sumus in consolatione vestra, dictum apparet Hebraea phrasi; quales sunt in Scripturis: timere timorem, concupiscere concupiscentiam, laudare laudem, videlicet actu posito pro re objecta. Verba sequentia explicant gaudium Titi.

Quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. Graece: *quia requievit*, ut et legit Ambrosiaster, id est, refocillatus est ac recreatus ab anxietate, quam propter vos patiebatur. Nam vos invenit correctos. Quod autem dicit: *ab omnibus vobis*, non singulos significat, sed Ecclesiam, seu corpus ipsum.

14. *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus.* Hoc quoque referendum est ad consolationem Pauli; quod nimirum ob ea, quae apud Titum praedicaverat de fide et profectu Corinthiorum, gloriatus in illis tamquam pater in filiis a se genitis et institutis, non esset pudefactus, tamquam inaniter et falso gloriatus. Dicit autem: *si quid*, quia parce gloriatus fuerat propter vitia, quae adhuc apud illos regnabant.

Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus. Id est: Sicut, quaecumque vobis tamquam Apostolus praedicavi, vera fuerunt; quia sermo noster, qui fuit apud vos, uti dixit 1. capite, *non est in illo: Est et Non; sed Est in illo fuit.*

Ita et gloriatio nostra, quae fuit ad Titum, veritas facta est. Hoc est: Ita et verba mea, quibus apud Titum de vobis fueram gloriatus, comperta sunt esse vera. Titus enim tales vos invenit, quales ego vos apud eum descripsi.

15. *Et viscera ejus abundantius in vobis sunt.* Graece: *in vos* vel *ad vos.* Viscera, phrasi consueta, vocat intimos affectus.

Reminiscentis omnium vestrum obedientiam. Male in quibusdam codicibus legitur: *reminiscentes.* Sensus autem sententiae est: Ipse etiam Titus, cum antehac vos diligeret, nunc multo magis ex intimis animi visceribus erga vos afficitur, dum recordatur et secum recolit, quanta cum obedientia susceperitis nostra monita, quae ad vos detulit.

Quomodo cum timore et tremore excepistis illum. Hoc est: Dum iterum recordatur et in memoriam revocat, quanta cum sollicitudine eum a nobis missum susceperitis, metuentes, ne quid in vobis esset, quod eum offenderet. Tale quid enim significat illa locutio: *cum timore et tremore*, ut Psalmo 2.: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore*, et Phil. 2.: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Vide commentarium nostrum ad 1 Cor. 2, 3.

16. *Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis. In omnibus*, id est, per omnia et usquequaque. Bifariam autem hanc partem Theophylactus et Oecumenius exponunt. Uno modo: *Gaudeo, quod tales inventi sitis, qui non pudefaciatis me, sed fiduciam praebeatis amplius in posterum gloriandi de vobis.* Aliter: *Gaudeo, me tantum fiduciae invenisse apud vos, ut absque periculo offensionis possim libere vobiscum agere, monendo, corripiendo, increpando, atque etiam petendo quippiam a vobis.* Annotat enim Oecumenius, hoc dicere Apostolum, ut viam praestruat orationi subsequenti de eleemosyna. Huic posteriori sensui favet illud, quod supra vers. 4. dixit, non dissimili sermone: *Multa mihi fiducia est apud vos.* Nam ibidem de gloriatione, velut diversum quid, subjunxit: *Multa mihi gloriatio pro vobis.* Favet et illud, quod legitur infra cap. 10. in principio.

CAPUT OCTAVUM.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae, 2. quod in multo experimento tribulationis[1])

[1]) 1 Thess. 1, 6. 2, 14. 2 Thess. 1, 4.

abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum[1]), 3. quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt, 4. cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii, quod fit in sanctos. 5. Et non sicut speravimus, sed semet ipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei, 6. ita ut rogaremus Titum, ut, quemadmodum coepit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam. 7. Sed sicut in omnibus abundatis fide et sermone, et scientia et omni sollicitudine, insuper et charitate vestra in nos; ut et in hac gratia abundetis. 8. Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem etiam vestrae charitatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est[2]), cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis[3]). 10. Et consilium in hoc do; hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore; 11. nunc vero et facto perficite, ut, quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. 12. Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet[4]), accepta est, non secundum id, quod non habet. 13. Non enim, ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex aequalitate[5]). 14. In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est[6]): 15. Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, 17. quoniam exhortationem quidem suscepit[7]); sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. 18. Misimus etiam cum illo fratrem[8]), cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; 19. non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostrae in hanc gratiam, quae ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram; 20. devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quae ministratur a nobis. 21. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus[9]). 22. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis saepe sollicitum esse; nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, 23. sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum[10]), gloria Christi, 24. Ostensionem ergo, quae est charitatis vestrae et nostrae gloriae pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

---

[1]) 1 Cor. 16. 1. seq. [2]) Matth. 8. 20. [3]) 1 Cor. 1, 5. [4]) Marc. 12, 43. [5]) Act. 4. 34. [6]) 2 Mos. 16. 18. [7]) Vers. 6. [8]) Vers. 22. [9]) Rom. 12, 17. [10]) 1 Cor. 16, 3.

SUMMARIUM CAPITIS OCTAVI.

Hortatur eos ad eleemosynam pauperibus, qui Hierosolymis agebant, prompto animo tribuendam, tum Macedonum commendatione, tum Christi exemplo: admonens, ut, quod jamdudum facere proposuerant, id nunc pro cujusque facultate praestent, et ministros collaudat, quos ad eam mittit colligendam.

Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae. Ab hoc capite facit Theodoretus initium tomi secundi hujus epistolae. Continet autem hoc caput cum eo, quod sequitur, exhortationem Corinthiorum ad largam eleemosynae collationem faciendam in pauperes fideles, qui erant Hierosolymis et in Judaea. Nam quia brevis ad eam rem admonitio, quam fecerat in extrema parte prioris epistolae, parum videbatur eos movisse, necessarium putavit, idem nunc prolixius atque efficacius agere. Estque totus hic locus moralis ad commendandum meritum eleemosynae. Incipit autem Apostolus a narratione, qua, quid jam a Macedonibus actum esset, exponit; idque non sine egregia eorum commendatione, ut horum exemplo Corinthios ad parem liberalitatem exstimulet. Dicit ergo: *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei* etc., id est: Reddimus vos certiores de beneficio divinitus collato in Ecclesias Macedoniae; scire vos volo, quantum boni Deus in illis operatus fuerit. Loquitur autem (uti sequentia verba declarant) de duplici bono, videlicet patientiae et beneficentiae. Quod utrumque nomine gratiae divinitus datae complectitur, quia, ut annotat S. Thomas, quidquid boni facimus, est ex gratia Dei.

Nonnulli sic exponunt: Certiores vos facio de eleemosyna, quam in Ecclesiis Macedoniae collegimus. Nam et ipsam eleemosynam interdum vocabulo gratiae significari, constat ex illis verbis 1. epistolae cap. 16.: *Quos probaveritis per epistolam, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem.* Quin et consequentibus hujus capitis modo beneficium sive eleemosyna data, modo ipsum opus beneficentiae, gratia vocatur ab Apostolo. Sed notandum est, eleemosynam tum hoc capite, tum alibi, simpliciter gratiam vocari, vel gratiam eorum, qui eam tribuunt; non autem gratiam Dei; sicut in hac parte loquitur Apostolus. Denique gratiam Dei sic intelligendam esse hoc loco, ut generatim ad bona opera referatur, satis probat, quod sequitur:

2. *Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit.* Interpres verbum *fuit* de suo addidit, ut orationem alioqui imperfectam absolveret. Oecumenius ex sequenti parte supplendum putat verbum *abundavit,* sive *exuberavit;* tamquam dicat Apostolus, abundantiam abundasse. Caeterum Ambrosianus nomen *abundantia* mutavit in verbum. Sic enim legit: *Quod in multa probatione pressurae abundavit gaudium ipsorum.* Sensus autem est: Primum quidem vobis notum facio de fratribus Macedonibus, quod, multas afflictiones passi et per eas probati, magnum ex ea re gaudium perceperunt, juxta id, quod ad Rom. 5. scribit idem Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus; scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia, probationem, probatio spem;* spes autem gaudium gignit, secundum illud ejusdem epist. cap. 12.: *Spe gaudentes.*

Dicuntur autem homines probari per tribulationes, quia per eas innotescit eorum virtus et constantia. Cajetanus et alii quidam exponunt hoc modo: Quod multas experti tribulationes, valde sunt gavisi. Sed hic commentarius refellitur ex vocabulo Graeco δοκιμῇ, quod in Scripturis probationem significat, qualem sumus interpretati.

Quaeritur autem, de qua tribulatione Macedonum hic loquatur Apostolus. Sunt, qui existiment, eum loqui de tribulatione, cujus mentio fit Act. 16., ubi Paulus et Silas Philippis, civitate Macedoniae, leguntur affecti plagis et missi fuisse in carcerem. At ea afflictio non tam Mace-

donum fidelium, quam Apostolorum fuit; eademque statim post unam noctem cessavit, ut ex historia Actorum liquet. Deinde sciendum, illam afflictionem multo tempore ante scriptam epistolam contigisse, scilicet in primo accessu Pauli ad Macedones, ut ex eadem historia manifestum est. Hic autem recentiorem aliquam Macedonum afflictionem Corinthiis vult indicare, quam ob rationem nec de ea videtur hic locus intelligi posse, cujus ad Thessalonicenses (qui et ipsi Macedones fuere) scribens meminit, 1. epist. cap. 2., dum ait, eos similia passos a contribulibus, qualia Judaei fideles a suis. Nam et hanc afflictionem multo ante contigisse, vel ex eo constat, quod prior ad Thessalonicenses epistola scripta fuerit ab Apostolo omnium prima.

Quocirca magis placet id, quod verisimilius putat Cajetanus, Apostolum loqui de tribulatione, cujus meminit capite superiori, dicens: *Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra; sed omnem tribulationem passi sumus,* etc. Hanc enim tribulationem credibile est caeteris quoque illius loci fidelibus cum Apostolo fuisse communem. Nisi magis placeat, loqui Apostolum in genere de tribulationibus antea illatis, sive olim, sive recenter, ex quibus inciderant in paupertatem; ac sensus sit, quod in tam multis tribulationibus fuerint gavisi, et gaudeant adhuc in sua paupertate.

Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Haec altera gratia est, commendationem accipiens ex priori. Valde enim laudabile est animi constantis argumentum, inter persecutiones a pio opere non desistere. Ambrosianus legit: *et profunda paupertas,* etc. Graeca sonant, quasi dicas: Et in profundum depressa vel ad fundum usque exhausta paupertas eorum; ut sit jucunda quaedam antithesis inter profundam paupertatem et sequens verbum *abundavit.* Itaque praeter mentem Apostoli est, quod glossa quaedam, quam S. Thomas ita citat, ut non probet, paupertatem altissimam interpretatur sublimem, propter elevationem spiritus, tamquam e sublimi despiciens res temporales.

Sensus autem Apostoli est: Hoc quoque vobis notum facimus, quod profunda et magna eorum paupertas exundavit in opulentam sinceri cordis largitatem. Quod explicatius ita dici potest: Macedones fratres, quamvis valde pauperes sint (nam direptionem bonorum passi fuerunt a civibus suis, ut indicat locus 1 Thessal. 2., quem hic citavit Theophylactus et Oecumenius), abundanter tamen, et quidem simplici corde, contulerunt in usum pauperum sanctorum, qui sunt in Judaea.

Videtur Apostolus ipsam largitatem seu collationem vocare simplicitatem, propterea quod Deo non sit accepta, nisi ex simplicitate, id est, sinceritate cordis procedat, qua nimirum non aliud spectetur, quam quod in dandis eleemosynis spectandum est, scilicet ut pauper subsidio juvetur, et Deus honoretur. Nam qui aliud opere ostendit, aliud animo cogitat, cor duplicat, uti loquitur Augustinus; velut si quis ob inanen gloriam, vel ut pauperem sibi devinciat, vel (uti sequenti capite dicitur) *ex tristitia aut necessitate* tribuat. Cujusmodi vitiosis et impuris affectibus saepe contingit divitum eleemosynas inquinari.

3. *Quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt.* Id est, non modo pro tenuitate suarum facultatum, sed etiam supra vires voluntarii ac sua sponte prompti fuerunt ad tribuendum; quasi dicat: Suis etiam necessitatibus detraxerunt, quod tribuerent; quod est supra vires tribuere. Sed hoc ipsum intelligendum est secundum dictamen rectae rationis, quae aliquando suadet, supra vires, modo jam explicato, dandum esse; ut si alius magis egeat, aut valde dignus sit beneficio. Nam praeter hujusmodi rationem, talis largitio non esset actus virtutis; quemadmodum bene Cajetanus admonet. Quod autem interponit Apostolus: *testimonium illis reddo,* Graece μαρτυρῶ, *testor* (nam pronomen *illis* addidit inter-

pres de suo), ad totam sententiam cum Ambrosiano referri potest, qua secundum vires et supra vires affirmantur voluntarii fuisse Macedones; quamvis, si quis referat ad solam partem posteriorem: *supra vires,* non videbitur aberrare. Pro *voluntariis* in Graeco vocabulum est αὐταίρετοι, spontaneae et propriae electionis significativum; quod manifeste pro libero facit arbitrio, contra nostrae aetatis haereticos. Porro se testem facit Apostolus liberalitatis Macedonum, eo quod, ipso praesente, gesta essent, quae scribit.

4. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos.* Melius, ni fallor, verti poterat: *cum multa obsecratione*, sive *obtestatione, rogantes nos.* Ambrosianus: *cum multis precibus orantes.*

Gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos. Graeci codices addunt: *suscipere nos;* tametsi Chrysostomi textus id non habet, uti nec quatuor exemplaria Roberti, nec Theophylacti, qui annotat, ejusmodi quid deesse ac supplendum esse. Legitur autem apud Ambrosianum; ejusdemque commentando meminerunt Primasius et Scholiastes Hieronymianus. Sane necessarium est ad sensum, ut legatur aut suppleatur; nam sensus est: Obsecrantes nos, ut de manibus ipsorum susciperemus eleemosynam (hanc enim gratiae nomine tamquam beneficium ac gratuitum munus appellat).

Et communicationem. Graece *communionem,* hoc est, pecuniam a se collectam et fratribus communicandam; ut scilicet ea nostro ministerio perferretur ad pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis. Nam Paulus, ut in Actis cap. 11. fin. et 12. fin. legitur, huic ministerio praefectus erat. Quid vocet communionem, intelligi potest ex illo Rom. 12.: *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

5. *Et non sicut speravimus.* Supplenda est sententia: Et non solum, sicut speravimus, egerunt. Sentit enim, Macedones spem ipsius et exspectationem superasse. Alii sic exponunt: Et non factum est, sicut putabamus futurum; quia propter bonorum direptionem, quam passi fuerunt, videbantur sese excusaturi.

Sed semet ipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. Deinde non est in Graeco, sic enim habet: *Primum Domino, et nobis.* Recte tamen ad sensus explicationem additum est ab interprete nostro et aliis. Sed, inquit, praeter spem nostram, non sua modo, verum et semet ipsos obtulerunt ac tradiderunt, *primum Domino* Christo, *deinde et nobis* ejus ministris; ut scilicet nos, tamquam vice Christi Domini, tantum ab eis acciperemus in subsidium pauperum sanctorum, quantum nobis placeret; declarantes, se totos esse Christi et ministrorum ejus, et proinde paratos, facere, quidquid injungeremus. Id autem fecerunt *per voluntatem Dei,* hoc est, secundum voluntatem Dei. Nam Deo gratum, quod homines se totos submittant Christo et ejus vicariis. Vel: *per voluntatem Dei,* id est, Deo tam pium affectum subjectionis et beneficentiae in eorum cordibus operante.

Porro digna est annotatu consideratio Photii apud Oecumenium, circa factum Macedonum hic a Paulo commendatum, in quo sex quaedam praeclara dicit observanda. Primum quod secundum vires contulerunt. Secundum, quod supra vires. Tertium, quod voluntarii. Quartum, quod multa cum obtestatione. Quintum, quod supra, quam ab eis sperabatur. Sextum, idemque caeteris majus, quod se ipsos dederunt Domino et ministris ejus.

6. *Ita ut rogaremus Titum, ut, quemadmodum coepit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Graeca sonant in hunc modum: *In hoc, ut rogaremus,* sive *adhortaremur nos Titum, ut, quemadmodum antea coepit, ita et perficeret in vos,* sive *erga vos, etiam gratiam istam.* Nonnulla etiam Latina habent: *in vos.* Cajetanus, volens illud: *in hoc,* jungere praecedentibus, multumque sese torquens, ut tollat contextus duritiem, uti loquitur, ostendit, se, Graece imperitum, non perspicere, quid Graecorum verborum contextus postulet. Nam certe vetus in-

terpres, adstipulante etiam Ambrosiano textu, sensum Apostoli expressit. Est enim sensus hujusmodi: Tam egregium et laudabile Macedonum exemplum me impulit ad hoc, ut exhortarer et rogarem Titum, ut, quemadmodum dudum, quum apud vos esset, incepit, ita et perficiat erga vos (aut in vobis) etiam gratiam istam, de qua nunc sermo est, id est, eleemosynae in Jerusalem mittendae collectionem.

Dicit: *etiam*, ut innuat, Titum alia quaedam apud ipsos jam perfecisse, atque ex eo spem esse, ut et hanc gratiam perficiat. Illud: *ad vos*, quod interpres vertit: *in vobis*, potest etiam in hunc sensum explicari: Suscepta denuo ad vos profectione. Ad hanc enim testatur Apostolus infra, se Titum exhortatum fuisse. Notandum obiter, interpretem, nunc rogandi, nunc exhortandi verbo, reddere idem vocabulum Graecum hoc capite et sequenti; quemadmodum facit et alibi. Solet enim exhortatio preces habere conjunctas.

7. *Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone et scientia.* Adversativa particula *sed* refertur ad gratiam adhuc imperfectam, verbis proxime antegressis significatam; tametsi alii vertere malunt: *Imo;* sicut capite superiori. Sensus est: Sed sicut per omnia et prorsus abundatis fide, et gratia sermonis, et scientia. Quo sensu dicat, his donis abundare Corinthios, qui multa adhuc egebant instructione, explicatum a nobis est ad illud 1. epistolae cap. 1.: *In omnibus divites facti estis, in omni verbo, et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Ex quo etiam loco petendum est, quid per *sermonem et scientiam* velit Apostolus significare.

Et omni sollicitudine. Graece: *diligentia.* Hanc superiori capite commendavit in Corinthiis. Unde apparet, significari sollicitudinem, quam habebant pro salute fratrum.

Insuper et charitate vestra in nos. Insuper in Graecis et Syris non est; mss. quoque latina quaedam non habent. Graece sic legitur: *Et ea, quae ex vobis in nobis est, charitate.* Quod interpres bene vertit: *et charitate vestra in nos,* id est, ea, quae procedit ex vobis diligentibus in nos dilectos.

Ut et in hac gratia abundetis. Ambrosianus textus ad complendum sensum addit: *facite;* quod Erasmus quoque et Hentenius imitati sunt. Alii supplent: *hortamur*, aut quid simile. Verum hujusmodi supplemento non est opus. Pendet enim adhuc oratio ab eo loco: *Ita ut rogaremus Titum, ut, quemadmodum coepit* etc. Dicit enim, se hortatum fuisse Titum, ut, quod de colligenda eleemosyna coeperat apud Corinthios, perficiat; et per hoc, Corinthii sicut aliis abundant charismatis, ut etiam in hac eleemosynaria gratia abundent, videlicet liberaliter ac prompte tribuendo. Dicens autem: *et in hac gratia,* significat etiam praecedentia, quae enumeravit, fidem, sermonem etc. gratias esse. Quare *gratia* hoc loco non idem est, quod beneficentia, quomodo eam transtulit Erasmus; sed in genere significat gratuitum Dei donum, sub quo, inter alia, continetur eleemosynae seu beneficentiae virtus.

8. *Non quasi imperans dico.* Graece: *Non secundum imperium dico*, quemadmodum et Ambrosianus legit. Atque ita alibi vertit ipse noster interpres, ut 1 Cor. 7.: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Sensus est: Nolo vos urgere praecepto, quamvis alioqui possem, ut vester Apostolus. Sic enim ad Philemonem ait: *Fiduciam habens imperandi tibi, magis obsecro, sive adhortor.* Quare non pugnant cum hoc loco ea, quae leguntur prioris epistolae cap. 16.: *Sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite.* Nam quod ibi dicitur, magis videtur pertinere ad modum eleemosynam paulatim colligendi per unumquemque separatim; et ut de contributione ipsa illic esset praeceptum Apostoli, tamen locum habere potest, quod hic ait, se non agere imperiose, se nunc non agere ut imperantem, sed ut consulentem, quod saluti sit perutile. Potest alia responsio dari ex commentario

hoc ad vers. 10. Hinc ergo ne colligas, eleemosynam non esse in praecepto, quum, etiamsi Paulus praecipere non posset, Dei tamen praeceptum sufficere deberet.

Sed per aliorum sollicitudinem etiam vestrae charitatis ingenium bonum comprobans. Sollicitudinem rursus pro studio ac diligentia posuit interpres; et *comprobans* dixit pro simplici: *probans.* Quod autem vertit ingenium bonum, in Graeco una dictio est γνήσιον, id est, ingenuum; atque ita vertisse interpretem nonnulli suspicantur. Ambrosianus legit: *animum bonum;* vel secundum alios codices, nude et substantive: *bonum.* Editio Syriaca *constantiam* habet. Porro *ingenuum,* pro ingenuitate, germanitate, sinceritate, dictum est ab Apostolo juxta consuetudinem Graecae linguae, qua neutrum pro abstracto frequenter usurpatur.

Sensus est: Sed proposito exemplo diligentiae aliorum, scilicet Macedonum, qui vos in hoc officii genere jam praevenerunt, etiam vestrae charitatis indolem ac sinceritatem probans, id est, hujusmodi opere beneficentiae exploratam ac probatam reddere volens. Nam, ut ait Gregorius homil. 30. super Evang., probatio dilectionis exhibitio est operis. Dicit autem: *vestrae charitatis,* quia de opere charitatis erga proximos loquitur.

9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi.* Hortatur exemplo beneficentiae Christi Salvatoris erga nos, quae fuit incomparabiliter major ea, quam exigebat a Corinthiis. Cognoscitis enim, inquit, a nobis edocti, quod et quantum beneficium in vos gratuito contulerit Dominus noster Jesus Christus.

Quoniam propter vos egenus factus est. Id est, quod vestri causa pauper factus sit et indigens rerum temporalium, videlicet in assumpta natura; adeo ut ipse dicat Matth. 8.: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Non solum enim nihil proprium possidere voluit in hac mortali vita; sed insuper etiam penuriam pati. Quod inter egenum et pauperem hic quidam distinguunt, rationem adferentes, cur Apostolus non dixerit: pauper, sed egenus, tamquam plus sit egenum esse, quam pauperem; pie quidem illi, sed extra textum contemplantur, cum verbum Graecum proprie significet pauperem fieri, paupertatem pati, subire.

Rectius alii, qui ex hoc loco et similibus eorum refellunt opinionem, qui Christo, ut homini, tribuunt regnum et dominationem temporalem totius mundi. Nam temporalis administratio regnorum parum convenienter attribuitur ei, qui bonorum temporalium inopiam elegerit. Imo vere et proprie secundum naturam humanam egenus non erat, si secundum eam, ut illa habet opinio, ita Dominus erat orbis terrarum, ut omnium bonorum temporalium haberet proprietatem. Sic autem dictum est: *Propter vos egenus factus est, cum dives esset,* ut si diceretur: Propter vos mortalis factus est, cum esset immortalis; scilicet utrumque vere ac proprie, alterum ut homo, alterum ut Deus.

Cum dives esset. Intellige: in natura divina, vel quia sibi sufficientissimus in bonis suae divinitatis, vel quia Dominus omnium rerum ac totius creaturae. Graece: *dives exsistens.* Neque enim dives esse desiit, quando pauper factus est, quia non desiit esse Deus, quando factus est homo.

Ut illius inopia vos divites essetis. Vel: ditesceretis; utroque enim modo verti potest verbum Graecum. Sensus: Ut illius paupertate in temporalibus vos efficeremini divites in spiritualibus. Docte vero sensum hunc explicat S. Thomas in comm., docens, Apostolum hoc dicere propter duo; nempe propter exemplum et sacramentum. Propter exemplum quidem, quia, si Christus amplexus est paupertatem, et nos illius exemplo eam diligere et amplecti debemus. Propter sacramentum autem, quia, quaecumque Christus egit aut sustinuit, pro nostra salute fecit. Unde quemadmodum per hoc, quod mortem sustinuit, liberati sumus a morte aeterna ac vitae restituti, sic per hoc, quod sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopia rerum spiritualium, et facti earum divites.

Utitur autem Apostolus secunda persona potius, quam prima; tum ut fortius premat Corinthios, tum quia respicit ad illas Corinthiorum divitias, de quibus priori epistola cap. 1.: *quod in omnibus,* inquit, *divites facti estis in illo.* Caeterum intelligendam relinquit Corinthiis applicationem istius sententiae hanc aut similem: Quod si Christus, cum dives esset, temporalem sustinuit inopiam, ut spiritualiter vos ditaret: utique debetis, ut eum quadantenus imitemini, temporalia vestra, saltem absque inopiae periculo, fratribus communicare.

10. *Et consilium in hoc do. In hoc,* casu ablativo, id est, in hac re, ut ex Graeco patet. Superius dixit, se nolle imperare tamquam Apostolum; nunc consilium dat tamquam amicus. Sic enim et Daniel regem iniquum alloquitur, dicens: *Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* At vero ex his Scripturis non sequitur, eleemosynam esse consilii tantum, non etiam praecepti, superfluum habentibus. Nam licet Paulus imperare nollet, sed tantum hortari Corinthios (saepe enim hortando et rogando plus obtinetur, quam imperando), tamen ex Dei praecepto, passim in Scripturis expresso, adeoque ex lege naturali tenebantur Corinthii tamquam divites ad hoc genus misericordiae praestandum; quemadmodum et sine dubio rex ille apud Danielem tenebatur.

Itaque praeceptum Dei erat, etsi consilium esset hominum, qui vel nollent, vel non possent praecipere; quomodo saepe aegrotis a medico consulitur, quod tamen ab eis exigit lex naturae. Adde, quod praeceptum Dei non erat, ut Corinthii darent ita abundanter pro ratione facultatum, sicut fecerant Macedones, quorum exemplo Apostolus illos provocabat. Denique non omnes Corinthii habebant superfluum; cum tamen omnium esset collecta. Quod autem in genere debitum fuerit a Corinthiis hoc subsidium, et qua ratione debitum illis, pro quibus petebatur, ostendit Apostolus Rom. 15. Ad quem locum, ejusque commentarium, lectorem remitto. Videat etiam, quae diximus 1 Cor. 16. in principio.

Hoc enim vobis utile est. Rationem dat consilii. Nam, inquit, hoc, quod consulo, id est, opus eleemosynae, vobis conducit et utile est, non ad bonum aliquod temporale, sicut utile est accipientibus; sed ad bonum spirituale, scilicet ad Deum promerendum: *Talibus enim hostiis promeretur Deus,* ait Heb. 13., de beneficentia et communione loquens.

Qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore. Laudem miscet exhortationi, ut in superioribus; tametsi et sub laude subsit occulta reprehensio tarditatis ad perficiendum, ut infra explicabitur. Habet autem obscuritatem et difficultatem haec sententia, cum potius contra dicendum videretur: *Non solum velle, sed et facere coepistis.* Siquidem pluris aestimatur facere, quam velle tantum; parum enim est velle, nisi efficaciter velis, faciasque, quod volueris. Opinantur quidam, verba transposita esse, et contrario ordine legenda; quomodo legitur in Syriaca versione. Verum id contra fidem est omnium Graecorum et Latinorum exemplarium. Gregorius lib. 20. moral. cap. 26., citans hunc Apostoli locum, docet, quomodo plus sit velle, quam facere. Facile quippe est, inquit, in bono opere obedire, etiam nolentem; sed haec magna in discipulis virtus exstiterat, eos bonum, quod illis praeceptum est, et ante voluisse. Sic ille.

Plerique vero sic exponunt: Qui non solum nunc facere, sed etiam ab anno superiore velle coepistis, id est, faciendi voluntatem habuistis, quasi dicat: Quod nunc facere coepistis, id non ex repentino motu animi, sed ex matura et bene deliberata prodiit voluntate, quae initium habet ab anno superiore. Quae quidem expositio valde probabilis est. Non enim Corinthii facere coeperant ab anno priore, quos Apostolus in prima epistola sic hortatur, tamquam nihil adhuc fecissent; velle tamen coeperant. Sed pro majori explicatione sciendum, Graeca sonare ad

hunc modum: *Qui non solum ipsum facere, sed et ipsum velle prius incepistis ab anno superiore.* Quod interpretes sic intelligunt: Priusquam ego vos hortarer, adeoque sponte vestra, velle coepistis, jam inde ab anno praeterito.

Potest autem et hoc modo intelligi: Qui non solum prius, quam Macedones, incepistis facere, sed etiam prius incepistis velle, id est, voluntatem vestram declarare, nimirum ab anno superiore. Nam, ut patet ex ult. cap. prioris epist., nondum Apostolus venerat in Macedoniam, de collecta facienda cum Macedonibus acturus, quando Corinthios ad collectas hortabatur. Indicat hunc sensum Cajetanus, dicens, Apostolum significare, quod Corinthii non inceperint exemplo Macedonum moti; idque propterea, ne moleste ferrent, Macedones sibi in exemplum proponi; quasi dicat: Alia parte vos illis estis potiores, quia prius, quam illi, et facere, et velle coepistis; quamvis illi jam vos praevenerint perficiendo. Sensum hunc confirmat illud, quod scribit capite sequenti: *De vobis glorior apud Macedones, quoniam et Achaia parata est ab anno praeterito, et vestra aemulatio provocavit plurimos.* Pro sensu Cajetani facit, quod Apostolus 1 Cor. 16. non dixit: Sicut ordinavi Ecclesiis Macedoniae, sed duntaxat: *Sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae;* quia tunc Ecclesiis Macedoniae nondum ordinaverat id, de quo ibi loquitur.

11. *Nunc vero et facto perficite.* Graece: *nunc autem et ipsum facere perficite;* ut verisimile sit, interpretem vertisse: *factum,* non *facto.* Non igitur sensus est: Quod voluistis, perficite facto; sed, sicut explicatius alii transtulerunt: Quod facere coepistis, perficite. Jam enim facere inceperant, Tito hortante, de quo paulo ante dixit, se eum rogasse, ut, quemadmodum coeperat, ita et perficeret in illis hanc gratiam. Tacite vero taxatur Corinthiorum tarditas prae Macedonibus in colligenda eleemosyna, ut qui rem ante annum inceptam nondum absolvissent.

Ut, quemadmodum promptus est animus voluntatis. In Graeco non exprimitur verbum. Nam potest etiam suppleri praeteritum: *fuit,* hoc modo: Ut, quemadmodum adfuit vobis animi promptitudo, qua velletis, scilicet ab anno superiore.

Ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. Graece: *Ita et perficere ex ipso habere.* Videtur autem interpres priori loco legisse τοῦ pro τό. Sensus est: Ita vobis adsit et perficere, id est, ita et perficiatis; idque ex eo, quod habetis et possidetis, hoc est, secundum facultates; quasi dicat: Sic hortor ad perficiendum, ut tamen nihil exigam a vobis supra vires. Potest etiam, retento eodem sensu, verbum *habere* referri ad *promptum animum,* vertendo: *ex eo, quod habet,* sive *possidet;* quomodo vertit Hentenius. Atque eo refertur verbis sequentibus juxta nostram versionem.

12. *Si enim voluntas prompta est.* Graece: *Si enim promptitudo animi praejacet.* Est enim idem vocabulum, quod modo verterat: *promptum animum. Praejacet* autem dictum pro eo, quod est: praecedit, prius adest; videlicet tamquam boni operis fundamentum.

Secundum id, quod habet, accepta est; non secundum id, quod non habet. Graeca plenius sic redduntur: *Juxta quodcumque illud est, quod habeat aliquis, acceptabilis est; non juxta, quod non habet.* Et quidem *acceptabilis* vel ad personam, quam designat istud *aliquis,* vel ad voluntatem promptam aeque referri potest; ac certe cum nostro interprete melius ad voluntatem. Usitatius enim de rebus, quam de personis, dicitur εὐπρόςδεκτος; velut supra cap. 6.: *Ecce, nunc tempus acceptabile,* significans id, quod merito est acceptandum. Sensus totius sententiae est: Quod si suppetit prompta animi voluntas ad dandum, ea merito acceptanda est, si quisque det juxta modum suarum facultatum, sive multum illud sit, sive parum; ita ut non exigatur a quoquam amplius, quam pro ratione ejus, quod habet ac possidet.

13. *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Significantius

apud Ambrosianum: *Non enim ut aliis relaxatio sit, vobis autem angustia.* Supplenda est autem oratio: Non enim sic moneo, largiendum esse, ut alii ex vestris eleemosynis abundent ac plus habeant, quam opus sit ad eorum inopiam levandam, vos autem angustiam patiamini.

14. *Sed ex aequalitate in praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* In multis Latinis codicibus post: *aequalitate*, punctum figitur, ut nova sententia sit: *In praesenti tempore,* etc. Graeci vero continuam faciunt orationem, conjunctione *ut* ex praecedenti parte supplendam, hoc modo: *Sed ut ex aequalitate in tempore praesenti,* etc. Quod et sequuntur Ambrosianus, S. Thomas, Liranus, aliique nonnulli; ut sit sensus: Sed hoc volo et exigo, ut vos, qui bonis temporalibus abundatis (erat enim Corinthus opulenta civitas), de vestra copia illorum (scilicet fratrum, qui in Judaea sunt) inopiae temporali succurratis; idque *ex aequalitate,* hoc est, per quandam aequalitatem; vobis enim abundantibus, et illis indigentibus, multa est inaequalitas; quae ad aequalitatem quandam reducetur, videlicet non mathematicam, sed civilem, dum praestabitur, ut sit sufficientia, ubi nunc est inopia. Sic enim aequalitas inter vos et illos erit in eo, quod est sufficienter habere, et non indigere.

Pronomen *illorum* quidam ad Macedones referunt; sed sane praeter Apostoli mentem. Quod vero addit: *In praesenti tempore,* vel hunc habet sensum, durante duntaxat illorum praesenti necessitate, quam speramus non diu duraturam; vel intellige: In hoc saeculo; nam in futuro saeculo non erit opus. Uter sensus potior, mox patebit.

Ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum. Sunt, qui etiam hanc partem de temporalibus intelligant, hoc sensu: Ut alio tempore, quando illos abundare et vos indigere continget, illi de sua copia vicissim vestram suppleant inopiam. Pro quo intellectu facere putant id, quod dixerat: *In praesenti tempore,* juxta priorem ejus particulae expositionem. Sed obstat illud evangelicum Lucae 14.: *Ne forte te et ipsi reinvitent et fiat tibi retributio. Beatus autem eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Quare nullo modo probabile fit, spe temporalis retributionis voluisse Apostolum hortari Corinthios ad eleemosynam; quae profecto jam non esset eleemosyna, saltem pura, sed mutui quandam speciem haberet, si temporalem retributionem respiceret. Adde, quod nec verisimiliter exspectandum erat, ut, qui in Judaea erant fratres, aliquando locupletiores facti Corinthiis egentibus subvenirent. Nam illi partim omnia reliquerant, partim bonorum suorum rapinam passi fuerant; Corinthii vero sua retinebant.

Itaque juxta communem, paene omnium, interpretationem de bonis spiritualibus haec pars accipienda est, quemadmodum prior de temporalibus; quasi dicat Apostolus: In hoc saeculo vestra temporalis abundantia suppleat illorum temporalem inopiam; ut vicissim aliquando, nimirum in futuro saeculo, spiritualis illorum abundantia vestrae spiritualis inopiae supplementum fiat, juxta illud Salvatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula,* Lucae 16., et illud ipsius Apostoli, 2 Timoth. 1.: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia saepe me refrigeravit; det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die.*

Sensum hunc confirmat, quod capite proxime sequenti dicit Apostolus, in eodem adhuc argumento persistens: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet,* utique in futuro saeculo; et quod ad Galat. 6.: *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.* Jam et alibi bona spiritualia sanctorum, qui Jerosolymis erant, ita commendat Apostolus, ut dicat: *Nam si spiritualium eorum*

participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis, Rom. 15.

Igitur illi sancti primique fideles et jam prorogaverant spiritualia iis, a quibus temporalia recipiebant, et rursum in futuro saeculo spiritualia sua iisdem communicaturi erant; videlicet ea communione, qua in Ecclesia Christi aliorum merita per charitatem ad alios derivantur. Unde locus hic Apostoli, contra nostrae aetatis haereticos, ostendit, posse Christianos minus sanctos meritis sanctorum adjuvari, etiam in futuro saeculo. Denique notanda virtus eleemosynae, quae facit hominem participem meritorum ejus, in quem confertur. Caeterum qua ratione bonorum spiritualium inopiam hic in Corinthiis taxet Apostolus, qui in prima epist. cap. 1. laudaverat eos, tamquam divites in omnibus bonis spiritualibus, ex illius loci commentario petatur.

Ut fiat aequalitas. Quidam repetitionem esse putant ejus, quod ante dixit: *ex aequalitate,* ut tantum de temporalibus sit sermo, juxta sensum ibi datum. Quod enim sequebatur: *Ut et illorum abundantia,* etc. per parenthesim interjectum esse, putat Gaignaeus. At sane probabilius est, praesentem particulam referendam esse ad utrumque membrum praecedens, ut aequalitatem Apostolus intelligat fieri quadantenus, etiam in spiritualibus, inter abundantes et inopes, dum, quod quibusdam fidelibus deest ad ingressum regni coelorum, per aliorum sanctorum merita, quibus in hoc saeculo benefecerunt, suppletur. Fiunt enim hoc pacto sanctis aequales in eo, quod est sufficientia bona habere ad ingrediendum in aeterna tabernacula.

15. *Sicut scriptum est,* Exodi 16. Quod enim ibi scriptum est de colligentibus manna, quaedam figura fuit aequalitatis hujus, tam temporalis, quam spiritualis, de qua loquitur Apostolus.

Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit, id est, defecit, minus habuit. Caeterum in multis codicibus legitur oratione completa: *Qui multum habuit, non abundavit,* etc., Syriaco textu adstipulante; tametsi probabilius est, verbum *habuit,* non ab interprete, sed postea ab alio quopiam ad supplendam sententiam additum esse. Nam in Graeco non additur, nec apud Paulum, nec apud LXX.; sed intelligendum relinquitur *habuit,* vel potius *collegit,* aut quid simile. S. Augustinus commodam in suo codice habuit hujus sententiae versionem, libro 2. contra advers. leg. et Proph. cap. 7., hanc: *Qui multum, non abundavit; qui modicum, non defuit illi.* Sensus enim est: Non plus habuit, qui plus collegit; neque minus habuit, qui minus collegit; sed omnes aeque multum.

Cum enim filiis Israël praeceptum esset, ut unusquisque colligeret ex manna, quantum in diem sibi ad edendum sufficeret, scilicet mensuram gomor per singula capita; et tamen, ut fit, alii plus, alii minus colligerent; postquam explorabant id, quod collegerant, ad mensuram gomor, inventum est, divino miraculo, neminem quidquam vel supra, vel infra mensuram habere, sed omnes tantum, quantum ea mensura capiebat; quae eadem erat unicuique panis diurni mensura sufficiens, nec redundans.

Fuit autem ea res figura quaedam utriusque aequalitatis supra dictae. Impletur autem illa figura perfecte, quando, qui bonis terrenis abundant, nihil volunt boni superflui retinere, sed totum indigentibus elargiri; et qui divites sunt spiritualium bonorum, quantum in ipsis est, communicatione meritorum alios sibi adaequant.

Potest autem haec ex Moyse deprompta sententia, referri ad communionem sacrae Eucharistiae, maxime quod manna fuerit insignis quaedam et expressa sacrae Eucharistiae figura. Quare sicut illic: *Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit,* ita et in perceptione sacrae Eucharistiae, qui duplum sumit, id est, utramque speciem, non plus habet; et qui simplum, id est, alteram tantum speciem, non minus habet; sed fructus utrinque est aequalis.

Porro circa superiorem Apostoli doctri-

nam, qua vult, eleemosynas dari usque ad quandam aequalitatem accipientis cum dante, et pro absurdo habet, ita eas dari, ut remissio sit accipientibus, dantibus autem angustia, dubitabit aliquis, quomodo contra hanc doctrinam non faciant, qui juxta consilium dominicum omnia, quae habent, dant pauperibus aut saeculo relinquunt, ipsi postea paupertate affligendi. Respondet Cajetanus, Dominum in Evangelio loqui de eleemosynis volentium mutare statum, id est, ex statu communi transire ad statum perfectionis; Paulum vero loqui de eleemosynis eorum, qui in statu suo perseverant. Horum enim, inquit, eleemosynae moderatae esse debent et commensuratae facultatibus, quas habent; illorum vero eleemosynae debent commensurari mutationi status.

Sed adversus hanc responsionem in promptu objectio est de vidua evangelica, a Domino laudata Marci 12. et Lucae 21., quae totum, quod habuit, misit in gazophylacium. Respondere quidem ad hoc nititur Cajetanus, dicens, id a vidua factum fuisse supra communem hominum regulam, aut forte eam sibi aliquid ad victum reservasse, cum necessarium hujusmodi non consistat in indivisibili. Verum neutra solutio firma est; non prior, quia, quaecumque alia vidua similiter faceret, similiter esset laudanda, tamquam sequens regulam rectae rationis; non item posterior, quia pugnat cum expressis Domini verbis, quibus apud utrumque Evangelistam dicit, viduam de penuria sua misisse omnia, quae habuit, ac totum victum suum, id est, totum illud, unde viveret. Adde, quod vidua illa obtulit Deo, non pauperibus. Adde et hic, quod dare pauperi minus indigenti, quam tu egeas, si tu fortior sis ad ferendam inopiam, non est inordinatum, sed magnae charitatis opus. Et hoc faciunt, qui dant omnia pauperibus, Christum nudi sequentes.

Proinde magis probanda videtur responsio S. Thomae, quam accepit ex glossa interlineali, nempe quod simpliciter melius sit totum dare pauperibus, et affligi pro Christo; intellige, modo id voluntarie fiat et forti animo, et ita quidem, ut ne quis semet ipsum in extremam necessitatem conjiciat, quod non est putandum, viduam illam fecisse, cum ex labore manuum vixisse eam existimandum sit.

Quod autem Apostolus hoc loco docet, id, inquit S. Thomas, condescendendo fecit; quia infirmi erant Corinthii, de quibus metuendum esset, ne forte deficerent a fide semel suscepta, si ejus occasione inopia premerentur. Fortiores erant Macedones, qui etiam supra vires dare erant parati. Cui tamen responsioni illud etiam addendum, non licere eis, qui familiam domi alendam habent, ita largiri pauperibus externis, ut domestici indigeant; esset enim talis eleemosyna contra rectum ordinem charitatis.

16. *Gratias autem Deo.* Graece: *Gratia,* id est, gratiarum actio; supple: reddenda est Deo. In nostra versione subaudiendum est verbum: ago seu agimus.

Qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi. Redit Apostolus ad narrationem de Tito, quem dixerat a se rogatum, ut, quod coeperat apud Corinthios de collecta, perficeret. Dicit itaque, Titum sponte etiam sua sollicitum fuisse, ut id faceret. Addit autem: *pro vobis,* vel quia opus eleemosynae plus prodest danti, quam accipienti; vel, secundum S. Thomam, hoc sensu: Pro vobis exhortandis ad collectam perficiendam. Porro locus hic dupliciter ostendit, opera bona esse Dei dona; tum in eo, quod Apostolus dicit, Deum dedisse piam illam curam et sollicitudinem in corde Titi; tum quia gratias agit Deo, quod id fecerit; nam gratiarum actio certissima est doni gratuiti testificatio. Sane Graeci commentatores diligenter annotant, hanc Titi sollicitudinem Dei opus fuisse.

17. *Quoniam exhortationem quidem suscepit.* Graece: *accepit,* id est, gratam habuit exhortationem nostram; de qua superius ait: *Ita ut rogaremus Titum.*

Sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Graece: *Diligentior autem cum esset, spontaneus*

exivit ad vos, id est, tanta fuit ejus sollicitudo pro vobis, ut etiam sponte sua (facturus id, etiamsi mea adhortatio non accessisset) ad vos iter susciperet, collectae perficiendae causa. Non significat Apostolus, Titum ante scriptam hanc epistolam fuisse jam praemissum ad Corinthios; cum satis ex sequentibus appareat, et communis interpretum sententia sit, per ipsum Titum ac duos ejus comites, de quibus infra, missam fuisse hanc epistolam; sed, quod dicit: *profectus est,* aut sic expone: Jam paratus est et accinctus ad profectionem; aut potius referendum est ad illud tempus, quo a Corinthiis erat legenda haec epistola; tunc enim verum erat, Titum ad eos profectum esse; sicut et ea, quae sequuntur de duobus fratribus una cum Tito missis, qui quidem nondum erant missi, Paulo haec scribente.

18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Quis fuerit hic frater ab Evangelii laude tantopere commendatus, diversae conjecturae sunt et opiniones. Hieronymus in Catal. script. ecclesiast. et in Praefat. comment. in Matth., necnon in comment. epist. ad Philem., de Luca dictum accepit, ut qui laudem meruerit per omnes Ecclesias ex Evangelio, quod scripsit. Quem et Paulinae peregrinationis comitem fuisse, ex Actis ab eo conscriptis palam est. De eodem Primasius, Cajetanus, Faber et multi alii locum hunc exponunt. Verisimile est autem, Hieronymum hausisse eam opinionem ex Ignatii martyris epistola ad Ephes., in qua, Lucam Evangelistam citans, ita scribit: *Ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio;* tametsi non ibi affirmat, Paulum hoc de Luca scripsisse, licet in ejus elogio Pauli verbis utatur.

Sane Graeci interpretes opinionem de Luca sic referunt, ut minus probare videantur; idque merito. Neque enim Paulus de Evangelio scripto loquitur, sed quomodo passim alibi, de Evangelio praedicato. Deinde nec satis constat, Evangelium Lucae jam tum editum fuisse, quando Paulus hanc epistolam scripsit. Nam Acta quidem Apostolica scripsisse videtur statim post Evangelium, tamquam ejusdem voluminis libros primum et secundum; scripsit autem Acta post biennium Pauli Romae commorantis, id est, multis annis post hanc epistolam. Quare circa idem tempus Evangelium ab eo scriptum fuisse, credibile est. Adde, quod, etsi Lucas Apostolo Paulo fuerit peregrinationis comes, nusquam tamen de eo legitur id, quod hic sequitur, nempe *quod ab Ecclesiis ordinatus fuerit comes peregrinationis Pauli in eam gratiam,* de qua hic sermo est. Imo Lucas coepit Paulo comes adhaerere post hujusmodi ordinationem; siquidem non ante caput 16. Actorum loquitur tamquam Pauli comes. Nam illic demum incipit loqui in prima persona: *quaesivimus, venimus,* etc.

Igitur Graeci potius de Barnaba Paulum loqui existimant, quod in eum competere videantur omnia, quae hic dicuntur. Nam Barnabas ex Evangelii praedicatione laudem apud omnes Ecclesias meruit, et Pauli socius fuit in ministerio sanctorum, id est, eleemosyna per Ecclesias colligenda, et ad fratres in Judaea habitantes deferenda; quemadmodum Lucas in fine capitis 11. Actorum testatur. Verum neque haec opinio bene fundata est; ut enim omittam, quod Barnabas magnae autoritatis Apostolus non debuit a Paulo mitti, et Tito socius adjungi; certe ministerium, cujus mentio fit Actor. 11., diversum fuisse constat ab eo, de quo nunc agitur; nam illud expletum fuit multo ante, quam Paulus Corinthum veniret, sic enim in fine capitis 12. Actor. scribitur: *Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis, expleto ministerio.* Denique discesserunt ab invicem Paulus et Barnabas Actor. 15., neque postea reperiuntur simul profecti; nec omnino deinceps ulla Barnarbae mentio; planum est autem, ea, quae hic de ministerio sanctorum scribuntur, esse longe posteriora, videlicet respondentia historiae Act. 20.

Tertia opinio est, Paulum hic loqui

de Apollo. Nam et de eo verum esse putant, laudem ejus in Evangelio fuisse per omnes Ecclesias; describitur enim Actor. 18. vir eloquens, et potens in Scripturis, quique fervens spiritu loqueretur et doceret diligenter ea, quae sunt *Jesu.* Accedit, quod sub finem prioris epistolae spem fecerit Corinthiis Apostolus, hunc virum ad eos mittendi. Verum et hic obstat, quod de Apollo nusquam legitur, fuisse eum ordinatum ab Ecclesiis comitem Paulinae peregrinationis.

Alii proinde Silam intelligere malunt; cujus sub nomine Silvani supra meminit cap. 1. Quae sententia nobis maxime probatur. Hujus enim fratris laus in Evangelio fuit per omnes Ecclesias, sive quod propter insignem operam, quam posuit in Evangelio praedicando, celebratus fuerit ubique apud fideles, sive, juxta veriorem sensum hujus loci, quod ex Evangelio, per omnes Ecclesias praedicato, magnam laudem adeptus fuerit. Nam, ut scribitur Actorum 15., Silas una cum Juda, quod primi essent in fratribus, iidemque prophetae, et potentes sermone, in legationem Apostolicam ad gentes a concilio Hierosolymitano delectus et missus est. Postea vero ex Evangelii praedicatione multo clarior factus, quando una cum Paulo digressus Antiochia per loca Syriae, Ciliciae, Asiaeque provinciae, tum Macedoniae et Achaiae, maximo cum fructu Evangelium praedicavit, partim confirmans Ecclesias pridem institutas, partim novas instituens; uti videre est Actorum cap. 15. et tribus sequ.: ut propter hoc etiam Apostoli nomen Silas meruerit, ipso etiam nomine suo eam dignitatem praeferens; nam Silas missum, legatum, Apostolum significat. Jam vero prorsus in eum convenit et illud, quod sequitur, ut mox videbimus.

19. *Non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostrae.* Graece: *Comperegrinus noster.* Nec id solum, inquit, verum etiam ab Ecclesiis delectus est ac suffragiis designatus (id enim significat Graecum vocabulum, quod interpres vertit: *ordinatus,* de quo plura diximus in 4. dist. 24. in fine: χειροτονηθεὶς), ut esset comes, imo socius et collega nostrae peregrinationis.

In hanc gratiam, quae ministratur a nobis. Graece: *cum hac gratia;* sensus enim est, hunc fratrem ita fuisse ab Ecclesiis ordinatum Paulinae peregrinationis socium ad praedicandum gentibus Evangelium, ut simul eis injunctum fuerit ministerium eleemosynae procurandae; quam Apostolus, ut 1 Cor. 16., ita hic gratiam vocat, id est, beneficentiam sive gratuitam erogationem. Quamquam Cajetanus haud incommode gratiam hanc interpretatur ipsum officium procurandi eleemosynas, administratum a Paulo, ejusque socio; quod officium recte gratia dicitur ratione rei objectae, hoc est, ipsius eleemosynae procurandae seu colligendae. Porro non alium, quam Silam his verbis ab Apostolo significatum esse, colligi potest ex loco Actor. 15., ubi post Barnabae discessum a Paulo sic legitur: *Paulus autem, electo Sila, profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus.*

Intelligendum est autem, id factum fuisse cum nova delegatione ministerii, quo Barnabas et Paulus ante fungebantur. Quod quidem duplex erat, Evangelii gentibus praedicandi et eleemosynae pro pauperibus Hierosolymitanis colligendae. Confirmatur ea res ex epist. Gal. 2., ubi cum dixisset Paulus de se et Barnaba: *tantum ut pauperum memores essemus;* statim, plurali numero in singularem mutato, de se solo subjungit: *Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere;* videlicet innuens, in exsecutione ministerii, pro pauperibus suscepti, se post id tempus non habuisse Barnabam socium, utpote a se digressum, sed aliquem alium; quem utique Silam fuisse, locus praedictus Actorum declarat. Unde etiam, si quaeritur, a quibus Ecclesiis fuerit Silas ordinatus comes Pauli, respondendum, ab Ecclesiis, quae erant in Judaea, nominatim vero ab Hierosolymitana et Antiochena; quemadmodum ex

eodem loco Actor. sagaci lectori colligere non est difficile.

Ad Domini gloriam. Graece: *ad ejusdem gloriam,* ut referatur ad Deum supra nominatum ibi: *Gratias autem Deo, qui dedit,* etc. Poterat alioqui de Christo intelligi, qui passim in Apostolicis litteris Dominus vocatur; et quidem Oecumenius de Christo diserte exponit. Notandum autem, quod Graeci particulam hanc construunt cum participio: *ordinatus est;* Latini vero cum eo, quod proxime praecedit; idque sane probabilius, quoniam et sub finem capitis sequentis glorificatio Dei numeratur inter effectus et fructus memorati ministerii. Proinde sensus est: Quae gratia, a nobis administrata, facit, ut Dominus laudetur et glorificetur in beneficentia eorum, a quibus eleemosynae per nostrum ministerium colliguntur.

Et destinatam voluntatem nostram. Graece: *et promptitudinem animi vestri.* Ambrosianus: *et promptitudinem vestram;* est enim in Graeco idem vocabulum, quod noster interpres modo promptum animum, modo voluntatem promptam superius vertit. Supplendum est autem aliquid, hoc modo: *et ad promptitudinem animi vestri excitandam,* provehendam seu manifestandam. Nam et hic erat illius ministerii fructus, qui tamen etiam ad Dei gloriam cadebat, juxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est,* Matth. 5.

20. *Devitantes hoc.* Construendum est στελλόμενοι, participium, cum verbo *misimus.* Quod tamen alii aliter ex Graeco verterunt; Hentenius: *contrahentes;* interpres Theophylacti: *veriti ac metuentes;* Erasmus: *declinantes,* id est, sollicite caventes. Sumptum est enim Graecum vocabulum a nautis sive contrahentibus vela, sive flexo cursu scopulum aut periculum declinantibus.

Ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quae ministratur a nobis. Pro *plenitudine* verti poterat: abundantia, exuberantia. Sensus est: Ideo misimus viros tam integros, et extra omnem suspicionem positos, Titum et alterum fratrem, cujus laus in Evangelio, ne quis male de nobis loquatur aut male suspicetur, quasi non satis fideliter et caste pecunia tam larga, nostro ministerio collecta, a nobis tractetur. Nam ut pecuniae cupido latissime grassatur, ita ejusdem tractatio summam fidem exigit, ac perfacile in eo genere vel peccatur, vel peccari existimatur.

21. *Providemus enim bona.* Graece: *providentes* seu procurantes *bona,* honesta.

Non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Deo, Graece: *Domino.* Similis est sententia Rom. 12., de qua ibi diximus. Respicit Apostolus ad illud Salomonis praeceptum, Proverb. 3. secundum LXX.: *Provide bona coram Domino et hominibus.* Ita sensus est: Neque enim solum nobis curae est ea facere, quae recta sint, Deo teste et judice; sed etiam quae probentur hominibus, ut ne quis infirmus ex iis, quae agimus, offendatur. Nam, ut ait Augustinus sermone priore de vita communi suorum clericorum, Beda et Primasio in hunc locum citantibus, *duae res sunt conscientia et fama; propter nos conscientia nostra sufficit nobis; propter alios fama necessaria est. Conscientia, tibi; fama, proximo tuo. Qui fidens conscientiae suae, negligit famam suam, crudelis est in proximum.* Sunt duo sermones de vita communi clericorum S. Augustini, Tomo 10. De diversis, numer. 49. et 50., inter additos a Lovaniensibus.

22. *Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis saepe sollicitum esse,* seu diligentem esse; id est, cujus sollicitudo ac diligentia multis argumentis nobis explorata est. Nam illud: *in multis saepe,* ad verbum *probavimus* referendum est, non ad *sollicitum esse.* Tertius hic frater quis fuerit, incertum est; tametsi S. Thomas et Liranus, glossam interlinealem secuti, putent Apollo fuisse. Nam quod Cajetanus Timotheum fuisse suspicatur, vanum esse convincitur ex eo, quod in exordio

hujus epistolae Timotheus una cum Paulo nominatur, ut a quibus mittatur epistola; at non ab eodem mittitur et perfertur. Probabilior est conjectura de Luca, quem circa idem tempus Paulo adfuisse, satis apparet ex Act. 20. Non improbabile est, fuisse Zenam legisperitum, de quo Tit. 3. Vide illic comment. Hieronymi. Eum illic simul cum Apollo jubet deduci Apostolus. Suspicari etiam quis posset de Sosthene, quem sibi in exordio prioris epistolae conjunxit.

Nunc autem multo sollicitiorem, sive diligentiorem.

Confidentia multa in vos. Hoc plerique jungunt cum eo, quod proxime praecedit. Exponunt autem bifariam: aut de fiducia Pauli erga Corinthios, ut qui fratris hujus diligentiam in negotio ad illos sibi demandato auxerit; aut de fiducia ipsius fratris, quam de Corinthiis ex relatione Titi conceperat. Unde alius vertit: Ob multam fiduciam, quam habeo erga vos. Alius: quam habet erga vos. At vero longe rectius fortasse partem hanc retuleris ad missionem trium fratrum praedictorum, quorum Titus primus erat. Hac enim ratione multum lucis accedet huic loco, alioqui vehementer obscuro; ut sit sensus: Misimus, inquam, fratres commemoratos, optime confisi de vobis, quod eos, tamquam viros integrae ac probatae fidei, pro dignitate ipsorum et nostra exspectatione suscipietis. Explicat hunc sensum, quod sequitur:

23. *Sive pro Tito,* id est, Titi nomine confisi.

Qui est socius meus, et in vos adjutor, Non *in vobis,* ut quidam habent codices. Nobiscum facit editio Clementina textusque Graecus. Porro duae voculae: *qui est,* ad supplendum sensum additae fuerunt ab interprete nostro; nam in Graeco non leguntur, ut proinde soloecismum in Apostoli sermone agnoscat hoc loco Gaignaeus. Commendat vero Paulus Titum, quod socius et collega suus sit in Evangelii negotio, quodque suus adjutor seu cooperator erga Corinthios, id est, ad promovendam eorum salutem.

Sive fratres nostri. Pro eo, quod dicendum erat: Sive pro fratribus nostris, sicut dixerat: *sive pro Tito;* sed quia casum proxime mutaverat, hic in eodem persistit. Est autem sensus: Sive confisi de vobis nomine fratrum nostrorum, nempe reliquorum duorum, quos mittimus. Quamquam et hoc modo potest exponi, quem suggerunt Graecorum commentaria, et expressit Hentenii versio: *Sive pro aliis duobus,* scilicet confisi, quippe qui fratres nostri sunt, id est, Judaei sunt, quos alibi vocat suos cognatos secundum carnem. Hoc peculiare dicit de istis duobus, nam Titus gentilis erat., Galat. 2.

Apostoli Ecclesiarum. Hoc est, ait Theophylactus, ab Ecclesiis missi et electi, videlicet ad hoc munus colligendae et perferendae pecuniae. Unde alii vertere maluerunt: *legati Ecclesiarum.* Itaque *Ecclesiarum Apostoli* dicuntur, ut annotat Cajetanus, ad differentiam Apostolorum Christi, id est, eorum, qui a Christo missi fuerunt. Ecclesias vero intellige, quae in Judaea erant, de quibus supra: *Sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes,* etc. Hoc quoque peculiare illis duobus; nam Titus, quia gentilis, non erat ab Ecclesiis Judaeae missus, sed tantum a Paulo.

Gloria Christi. Ita legendum ex castigatione Romana; non: *gloriae Christi,* quod erat in multis vulgatis codicibus. Nam in Graeco δόξα legitur, adstipulantibus etiam mss. quibusdam Latinis, et concordantiis biblicis. Vocantur autem fratres illi *gloria Christi,* quod tales essent vita et moribus, ut in iis Christus glorificaretur; quomodo filius sapiens dicitur gloria patris, quod in tali filio glorificetur pater.

24. *Ostensionem ergo, quae est charitatis vestrae et nostrae gloriae pro vobis, in illos ostendite.* De suo interpres addidit: *quae est,* quod nec apud Ambrosianum legitur; *gloriam* quoque pro gloriatione transtulit, quemadmodum et alibi, cum sint in Graeco vocabula plane diversa. Ambrosianus *exsultationem* legit. Quod vero dicit Apostolus:

Ostensionem ostendite charitatis etc., verterunt quidem Erasmus et Hentenius hoc modo: Demonstrate documentum charitatis etc., tamquam ostensio sit idem, quod documentum, argumentum, specimen.

At probabilius est, phrasim esse Hebraeam, qua saepenumero in Scripturis actio pro re objecta ponitur, quatenus circa eam actio versatur; ut Psalmo 105.: *Laudaverunt laudem ejus,* et 1 Petri 3.: *Timorem eorum ne timueritis;* quale et illud capitis 2. hujus epistolae: *Ut cognoscam experimentum vestrum.* Est igitur sensus: Proinde declarate charitatem vestram erga fratres, quos misimus; declarate etiam, quod gloriatio nostra, qua de vobis apud Titum ac reliquos fratres gloriati sumus, non sit inanis. Id totum autem ostendetis ac declarabitis, si memoratos fratres susceperitis pro eorum dignitate nostraque exspectatione; sic nimirum, ut spe liberalitatis vestrae, in pauperes sanctos exercendae, non frustrentur.

In faciem Ecclesiarum. Graece: *et in faciem*, vel: *in personam Ecclesiarum.* S. Thomas etiam et Liranus *in faciem* legunt. Graece est: εἰς πρόσωπον, quod recte vertitur: *in conspectu,* quomodo videtur intellexisse Chrysostomus. Potest autem et in alium sensum Graeca lectio accipi, ut quiddam tale sit, quod dicit Apostolus: Ostendite charitatem vestram in illos, atque adeo in ipsas Ecclesias, quarum personam illi gerunt, utpote earum legati, ut paulo ante dictum est; loquitur enim de Ecclesiis, quae erant in Judaea, juxta hunc intellectum, qui apud Theophylactum et Oecumenium reperitur.

CAPUT NONUM.

Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones [1]). Quoniam et Achaia parata est ab anno praeterito, et vestra aemulatio provocavit plurimos. 3. Misi autem fratres, ut ne, quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis, 4. ne, cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. 5. Necessarium ergo existimavi rògare fratres, ut praeveniant ad vos et praeparent, repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tamquam avaritiam. 6. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet [2]). 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus [3]). 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est [4]): Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in saeculum saeculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, 11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae

---

[1]) Cap. 8, 2. [2]) Gal. 6, 9. [3]) Rom. 12, 8. [4]) Psalm. 111, 9.

operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quae desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, 13. per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestrae, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes 14. et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus!

SUMMARIUM CAPITIS NONI.

Apostolus, suspicionem excludens, docet, eleemosynam esse dandam velociter, abundanter et hilariter.

1. *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.* Apud Primasium et Thomam legitur: *ex abundantia.* Graeca sic habent: *Nam quidem de ministratione in sanctos* (subaudi: instituta ac decreta) *abundans,* sive, ut bene legit Ambrosianus, *superfluum mihi est scribere vobis.* Male igitur illud: *ex abundanti,* quidam connectit praecedentibus hoc modo: *Quod fit in sanctos ex abundanti,* quasi sensus sit: De ministerio, quod abundanter et copiose fit in sanctos, mihi scribendum est ad vos. Neque enim hujusmodi distinctionem admittit contextus Graecus; neque convenit ea expositio cum sequentibus. Perspicuus igitur sensus est: Monui vos, ut ostendatis charitatem vestram erga legatos Ecclesiarum; neque quidquam dico de eleemosyna conferenda ac ministranda in subsidium sanctorum pauperum, qui sunt Hierosolymis; nam de ea vobis scribere, vosque hortari, supervacaneum censeo.

Sed quaeres, quomodo supervacaneum; quandoquidem Apostolus, et superiori capite, et hic rursum, studiose Corinthios adhortetur ad eleemosynam praedictam; imo et oblique taxet eorum tenacitatem, atque adeo se metuere significet, ne pudore propter eos afficiatur. Quidam supplent Apostoli sermonem: *superfluum est mihi* multa *scribere vobis.* At profecto, quae scribit in eam rem Apostolus hoc et praecedenti capite, non pauca sunt.

Melius ergo respondetur, quod supervacaneum erat Apostolo, Corinthios hortari ad eleemosynam, quam ab anno jam superiori facere constituerant; neque dubitabat, quin essent facturi; sed exstimulandi erant divites Corinthii ad faciendam largiorem aliquam collectam, pro ratione suae opulentiae et abundantiae. Id autem agit deinceps Apostolus. Et hanc responsionem, quam in sequentibus habet etiam Oecumenius, aperte comprobant ea, quae sequuntur:

2. *Scio enim promptum animum vestrum.* Novi enim, inquit, promptitudinem animi vestri ad contribuendam eleemosynam. De προθυμία, Graeco vocabulo, quod varie reddit interpres, supra dictum est. Ambrosianus hoc loco *promptam voluntatem* legit.

Pro quo de vobis glorior apud Macedones. Verti poterat: *de quo pro vobis glorior,* etc. Gloriatio haec erat non de liberalitate Corinthiorum, sed de promptitudine; siquidem Macedones, ut initio superioris capitis vidimus, largitate Corinthios superabant, quamvis tempore a Corinthiis praeventi; quemadmodum et ibi dictum est, et hic jam sequitur:

Quoniam et Achaia parata est ab anno praeterito. Et conjunctio Graecis abest, nec eam agnoscit Ambrosianus, nec mss. codex Laudensis. Est autem sensus: Hoc est, de quo vestri nomine glorior apud Macedones, quod Achaia, cujus caput est Corinthus, parata sit ad

collectam ab anno superiore. Non dicit, Achaiam dedisse, sed paratam esse a tanto tempore. Itaque haec pars explicat promptitudinem animi, de qua loquebatur.

Et vestra aemulatio provocavit plurimos. Graece: *Et quae ex vobis est aemulatio, provocavit plures* sive *complures.* Id est: Vestrum exemplum multos ad piam aemulationem, qua similiter facere vellent, concitavit. Exemplum intelligit promptitudinis, qua jam ante annum se paratos declaraverant Corinthii. Nullam enim adhuc miserant pecuniam.

3. *Misi autem fratres,* Titum et alios duos.

Ut ne, quod gloriamur de vobis. Graece: *ut ne gloriatio nostra de vobis.*

Evacuetur in hac parte. Sensus est: Hos fratres ideo praemisi ad vos, ne gloriatio nostra, qua de vobis apud Macedones gloriati sumus, inanis et falsa appareat, quantum attinet ad praesens negotium eleemosynae. De ista particula: *In hac parte,* vide supra ad cap. 3, 10.

Ut, quemadmodum dixi, Macedonibus, vos paratos fore; vel, *dixi,* id est, jussi, in priori scilicet epistola iis verbis: *De collectis, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite,* etc. cap. 16.

Parati sitis, in adventum meum. Non est autem sensus, ut sitis voluntarii et prompti ad collectam faciendam; jam enim dictum est, eos ad id paratos fuisse ab anno praeterito; sed, ut inveniatur apud vos pecunia jam collecta, et ad mittendum parata, *ne, cum venero, tunc collectae fiant;* ut in priori dixit epistola, cap. 16.

4. *Ne, cum venerint Macedones mecum.* Graece: *Ne quo modo,* vel: *Ne forte, si venerint mecum Macedones,* scilicet apud quos de vobis tam magnifice gloriatus sum.

Et invenerint vos imparatos, eo modo, quo jam dictum est.

Erubescamus nos (ut non dicamus: vos) in hac substantia. Graeca addunt: *gloriationis;* sicut et infra cap. 11, 17. *Substantiam,* Graece ὑπόστασιν, dixit pro argumento et materia, seu negotio; uti diligenter exponit Theophylactus. Ac fere idem est: *in hac substantia,* cum eo, quod modo dixerat: *in hac parte.* Unde et hoc loco legit Ambrosianus: *In hac parte.* Porro nonnulli istud: *In hac substantia gloriationis,* referendum putant ad solum illud superius *erubescamus,* eo, quod sequitur *(ut non dicamus: vos),* parentheticis notis intercluso, propterea quod Paulus gloriatus fuisset de Corinthiorum prompta voluntate, non ipsi Corinthii.

Verum alii non incommode ad utrumque referunt, ut hyperbato non sit opus; hoc nimirum sensu: Ne forte contingat, ut, si Macedones mecum venerint et vos offenderint imparatos, ego meique collegae, qui de vestra promptitudine apud Macedones gloriati sumus, coram eis pudefiamus, tamquam vani in hoc argumento gloriationis; imo et vos ipsi, quod dicere durum est, pudefiatis in eodem argumento gloriationis nostrae pro vobis, ut qui opere non respondeatis promptitudini, quam de vobis praedicavi.

Annotant Graeci, dicere Apostolum: *in hac substantia,* et superius: *in hac parte;* quasi diceret: Aliis in rebus, quibus de vobis gloriatus sum, non vereor, ne pudefiam; satis enim apparent in vobis ea, quae praedico; sed hic solum periclitatur et gloria mea, et honor vester, si non inveniamini parati. Sane quam efficax est haec Apostoli exhortatio ad maturandum negotium collectae.

5. *Necessarium ergo existimavi rogare fratres,* vel: *adhortari fratres,* nempe tres illos supra memoratos.

Ut praeveniant ad vos. Legendum: *praeveniant.* Sic enim habent codices emendatiores, textusque Primasii, S. Thomae et aliorum. Graece est: *ut praecederent ad vos;* quomodo et Ambrosianus legit. Praecederent, inquam, priusquam ego veniam cum Macedonibus.

Et praeparent repromissam benedictionem. Graece: *et praepararent ante promissam benedictionem vestram.* Ambrosianus quoque *vestram* addit. Sensus est: Et, priusquam nos veniamus, pro-

curent eleemosynam seu collectam vestram, quam dudum, id est, ab anno praeterito, facturos vos promisistis. Eleemosynam more Scripturae vocat *benedictionem*, id est, opus seu munus beneficentiae.

Hanc paratam esse sic, quasi benedictionem. Id est, ut ea in adventum nostrum parata sit sic, tamquam benedictio, sive quae mereatur nomen benedictionis. Nam benedictio largitatem significat in Scripturis, saltem quoad animum dantis, ut qui studeat satis dare ad tollendam inopiam.

Non tamquam avaritiam. Graece πλεονεξίαν, quod Erasmus *fraudationem* vertit, interpres Theophylacti: *circumventionem*, quod et apud Ambrosianum legitur. Verum simplicius est et rei propositae convenientius, ut *avaritia* intelligatur, quam haud dubie etiam in Scripturis passim Graeca dictio significat. Neque enim aliud vult Apostolus, quam ut eleemosyna Corinthiorum larga sit, non avara, non parca, non accisa ac tenuis, quae videatur ab avaro animo profecta. Hunc enim intellectum manifeste declarant sequentia verba:

6. *Hoc autem dico.* Interpres supplementi causa addidit: *dico*, cum Graece tantum sit: *Hoc autem;* quasi dicat Apostolus: Hoc est, quod volo dicere, aut quod volo vos scire:

Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Utrobique *in benedictionibus* habent Graeca; quemadmodum et legit Ambrosius. Est enim apud Paulum elegans anadiplosis, eaque gemina, quam non omnino servavit interpres. Sic enim est Graece: *Seminans parce, parce et metet; et seminans in benedictionibus, in benedictionibus et metet.* Ostendit hac sententia ab exemplo eorum, qui seminant, large tribuendum esse, ut larga sit retributio. Potest autem hoc, quod dicit, accipi de ea re, a qua sumitur similitudo. Nam agricola parce seminans parce metet; at qui large seminat, copiosam recipiet messem.

Ex quo intelligendum, rem ita quoque habere apud Deum, ut, qui in dandis eleemosynis parcius seminat, minorem percipiat retributionis fructum in futuro saeculo, qui vero largius seminat, fructum quoque percipiat copiosiorem. Arbitror tamen, hoc posterius Apostolum immediate dicere voluisse, cum respectu ejus, quod agricolis contingit. Nam similiter Gal. 6. scribit de spirituali seminatione: *Quae seminaverit homo, haec et metet,* et quae sequuntur. Loquitur autem et alibi Scriptura de bonis operibus, praesertim misericordiae, sub comparatione seminis; ut Ecclesiastae 11.: *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua.*

Liquet autem ex dicta explicatione, quid sibi velit illud: *in benedictionibus.* Est enim Hebraismus, significans idem, quod large et copiose; pro quo Hentenius vertit: *in magnificentia.* Quamvis autem haec Apostoli sententia possit intelligi de participandis meritis sanctorum, in quos quisque contulerit eleemosynas, de qua participatione locutus est superiori capite; ut sensus sit: Qui parum et parce tribuerit illis, parum juvabitur eorum meritis; qui multum, multum juvabitur; melius tamen, secundum omnes expositores, generaliter de retributione bonorum operum accipitur.

Valet autem hic locus contra duas haereses, veterem et novam. Contra veterem quidem Joviniani haeresim ostendit, praemia regni coelestis non omnibus aequalia reddi; sed aliis ampliora, aliis minora, prout quisque plus minusve seminaverit in hac vita. Contra novam vero, quae nostrae aetatis sectariis communis est, aperte significat, hominem per opera misericordiae (et idem judicium est de caeteris bonis operibus) mereri retributionem futuri saeculi. Comparat enim Apostolus opera bona semini respectu fructus, qui ex semine proventurus exspectatur. Igitur sicut semen naturaliter profert ex se fructum, qui proinde naturaliter ex eo exspectatur; ita bona opera divina ordinatione valent ad consequen-

dum praemia vitae aeternae, similiter ex illis exspectanda.

Sed quaeres, quomodo, qui parce seminat, parce metet, cum Deus det omnibus affluenter, Jacobi 1., et ipse Dominus in Evangelio dicat: *Mensuram bonam et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Lucae 6. Respondeo cum S. Thoma, dicere Apostolum: *parce metet,* non simpliciter, sed comparatione ejus, qui largius seminaverit. Nam etsi omnes electi satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini, et omnes replebuntur bonis domus Dei, Psalm. 16. et 64., non aequaliter tamen, sed quisque pro sua capacitate, quam habiturus est pro modo charitatis. Est enim et hoc notandum, parcitatem et largitatem eleemosynae hic non aestimari ex quantitate muneris, sed ex animo et charitate donantis. Plus enim dedit illa paupercula vidua, Marci 12., quae in gazophylacium templi misit aera minuta duo, quam multi divites jactantes multa. Denique ex eo, quod dicitur: *Qui parce seminat, parce et metet,* discimus, opera etiam imperfecte bona, modo procedant ex fonte charitatis, acceptura esse mercedem apud Deum.

7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo.* In Graeco verbum est praesentis temporis: *Unusquisque sicut proponit corde;* Ambrosianus legit: *Unusquisque secundum praeceptum cordis.* Id est, quisque tribuat, prout apud se et in animo suo libere constituerit ac praedeliberaverit, quasi dicat: Non eo tendit exhortatio mea, ut aliquem velim urgere invitum ad amplius aliquid dandum; sed volo donum vestrum, etiamsi exiguum sit, esse voluntarium, ne mercede privetur apud Deum. Unde sequitur:

Non ex tristitia aut ex necessitate. Ex tristitia dat, qui dat avaro et tristi animo; ideoque dat minus, quam oportet. *Ex necessitate dat,* qui vel majorum autoritate, vel aliorum exemplis impulsus, ac pudore inductus, dat, alioqui non tam multum daturus; atque hic etsi det, quantum oporteat, non tamen, quomodo dandum sit. Similis est locus in epistola ad Philemon. (cujus loci commentarius videatur), ubi quippiam ab eo petens, dicit, se nolle ei imperare, sed rem permittit ipsius consilio ac deliberationi; ut ne velut ex necessitate donum ejus esset, sed voluntarium. Nam et hic superius dixerat: *Non quasi imperans dico, sed vestrae charitatis ingenium bonum comprobans,* capite praecedenti.

Hilarem enim datorem diligit Deus. Hilarem datorem vocat eum, qui libenter et ex animo dat. *Hunc Deus diligere* dicitur, quia benefacere ei constituit, opus beneficentiae ejus magnifice remuneraturus. Nam Dei diligere est benefacere velle. Tristem vero datorem, id est, involuntarium, Deus non diligit, quia non approbat, non remunerat. Unde Augustinus in expositione Psalmi 42.: *Si panem dederis tristis, et panem, et meritum perdidisti.* Similes Scripturae sunt: Ecclesiastici 35.: *In omni dato hilarem fac vultum tuum;* Rom. 12.: *Qui miseretur, in hilaritate.*

Locum hunc Apostoli proferre solent haeretici contra vota, quae Deo fiunt a fidelibus. Nam vota, inquiunt, ex necessitate reddenda sunt, et per hoc faciunt tristem datorem, quem non diligit Deus. Respondeo, necessitatem, quam Apostolus a bono opere remotam esse vult, ut causam involuntarii, non esse necessitatem praecepti, sed coactionis, sive coactio haec contingat ex praecepto, sive aliunde. Nam qui cogitur, invitus facit, saltem involuntario mixto. Praecepti vero necessitas per se neque causat involuntarium, neque omnino minuit bonitatem operis, quod praecipitur; sed potius auget, propter adjunctum obedientiae meritum. Quod si haec necessitas obstaret operis bonitati, tollenda essent omnia praecepta, ac nominatim primum illud maximumque praeceptum de Deo super omnia diligendo. Caeterum vota, cum libere Deo fiant, non aliam, quam praecepti necessitatem inducunt, quia praeceptum est divinum ac naturale, quo quisque, quod vovit, reddere tenetur; si quis autem reddit

tristis et involuntarius, non id provenit ex obligatione voti aut ex necessitate praecepti, sed ex defectu bonae voluntatis; perinde ut si quis involuntarius reddat depositum, aut mutuum restituat, aut quodvis aliud faciat, ad quod ex praecepto tenetur.

8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Graece: εἰς ὑμᾶς, *in vos.* Occurrit tacitae cogitationi metuentium sibi inopiam, si copiosius tribuerent, docetque, quidquid dederint, ad ipsos cum foenore rediturum. *Gratiam* vocat beneficentiam sive eleemosynam, sicut aliquoties capite superiori. Deus, inquit, potens est efficere, ut totum hoc beneficium, ad quod vos exhortor, in vos ipsos exuberet, id est, cum affluentia redundet; atque adeo sperandum est, quod facturus sit. Hanc vim apud Apostolum habet illud: *Potens est Deus,* ut alias annotavi. Quidam *gratiam* interpretantur omne genus gratiae spiritualis; sed prior sensus, qui Graecorum est, propius videtur inhaerere contextui, et explicatur per id, quod sequitur:

Ut, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Multi Graeci codices *semper,* πάντοτε, non addunt; nec legisse videtur Chrysostomus et Theophylactus. Legit tamen Oecumenius Graecus, et omnes Latini, suffragante etiam Syro interprete. Codicibus Graecis, in quibus legitur, annumero biblia Complutensis editionis. Ac sane rem, de qua agitur, amplificat; simul etiam orationem exornat haec signorum universalium congeries, ἐν παντὶ, πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν. Dicitur autem Graecis αὐτάρκεια, *sufficientia,* cum quis eo, quod satis est, contentus, nihil ultra desideret. Qua dictione usus est etiam 1 Timoth. 6., ubi quaestum magnum vocat pietatem cum sufficientia. Sensus igitur est: Ut, undequaque plenam rerum temporalium, quibus contenti sitis, sufficientiam habentes, etiam largiter utamini iis ad varia pietatis et misericordiae opera. Loquitur enim de bonis operibus iis, quibus exercendis materiam praebent temporalia bona, quum ad abundantiam sufficiunt. Non tamen in iis nominat abundantiam, sed sufficientiam, quia desiderium suum ultra hanc extendere, affectus avaritiae est. Caeterum bonis operibus semper amplius abundare velle, ac numquam dicere: *Sufficit,* ad officium pertinet hominis Christiani. Ideo de iis loquens abundantiae meminit. Ubi et illud observandum, temporalium quidem bonorum sufficientiam Corinthiis Paulum quodammodo permittere, si liberaliter tribuant; sed hoc ipsum statim referre, sicut oportet, ad finem spiritualem.

9. *Sicut scriptum est,* in Psalmo 111., quo describitur laus et felicitas hominis justi.

Dispersit, dedit pauperibus. Id est, more seminantis spargit opes suas, ac distribuit eas in pauperes. Hic versus admonet beneficentiam extendendam in multos, quatenus opes ferunt, potius, quam (quod a quibusdam fieri videmus) in paucos multa conferenda.

Justitia ejus manet in aeternum; quasi dicat: Quamvis pecuniae sic dispersae videantur ei perire, *justitia tamen ejus in aeternum permanebit,* videlicet quod ad fructum justitiae attinet, qua perpetuam laudem apud homines, et gloriosam mercedem apud Deum consequetur. *Justitiam* more Scripturae dicit vel eam, quae generalis est virtus, complectens etiam gratuitam beneficentiam ac misericordiam, de qua hic sermo est; vel specialiter ipum opus eleemosynae, quod ita nobis in Scriptura commendatur, ut interdum justitiae nomine designetur, tamquam justitiae pars non postrema, ut Matth. 6.: *Attendite, ne justitium vestram faciatis coram hominibus.* Et hic paulo inferius: *Augebit incrementa frugum justitiae vestrae.* Commentator Amsiaster dicit, hanc misericordiam ideo justitiam appellari, quia justum est, non sibi soli retinere, quod in commune datum est omnibus a Deo.

Testimonium hoc ab Apostolo citatum ad quae superiora referendum sit, am-

bigunt nonnulli. Verum certe commodius alio referri non potest, quam ad partem proxime praecedentem, ut ei connectatur hoc aut simili modo: *Abundetis in omne opus bonum, sicut* ille, de quo *scriptum est;* aut *faciendo, quod scriptum est: Dispersit, dedit* etc. Non enim probare intendit Apostolus allegatione hujus Scripturae, sed exhortari; idque eo facit efficacius, quod non solum opus justi hominis commemoratur hoc versu, sed etiam praemium operis adjungitur, laus scilicet et merces in aeternum mansura. Porro quod nonnulli codices pro: *in aeternum,* habent: *in saeculum saeculi,* ex loco psalmi putamus huc esse translatum.

10. *Qui autem administrat semen seminanti.* Graece: ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν, *qui autem suppeditat.*

Et panem ad manducandum praestabit. Graece: *Et panem in cibum suppeditet.* Est enim optativi modi verbum χορηγήσαι, sicut et duo verba sequentia πληθύνοι et αὐξήσαι, non infinitivi, quod Erasmus errans putavit, et eum secutus hac in parte Cajetanus. Notandum etiam, in quibusdam codicibus Graecis diversam haberi distinctionem. Nam verbum: *suppeditet,* cum parte sequenti construunt, ut illud: *panem in cibum,* regatur a verbo *suppeditat,* quod praecessit. Quod et videre est in Syriaca versione.

Et multiplicabit semen vestrum. Graece (ut jam dixi): *Et multiplicet.*

Et augebit incrementa frugum justitiae vestrae. Graece: *Et augeat* seu crescere faciat *fructus,* proventus, germina *justitiae vestrae;* Graece γεννήματα. Porro juxta Latinam lectionem in verbis praedictis commendatio quaedam est providentiae divinae, retribuentis bona, tam corporalia, quam spiritualia, iis, qui eleemosynas largiuntur; ut hic sit sensus: Deus, qui per suam providentiam suppeditat seminanti semen, idem etiam panem (sub quo caetera ad victum necessaria comprehende) suppeditabit in alimoniam vestram; et, ne in posterum desit, unde sustentemini, multiplicabit etiam semen vestrum jactum in terram; et, quod praecipuum est ac primo loco quaerendum, augebit etiam atque ad perfectionem perducet proventus ac fructus justitiae vestrae, quam in erogandis eleemosynis ostenderitis; ut ea sic aucta atque perfecta, juxta memoratum psalmographi versiculum, maneat in aeternum.

Sententia sic explicata non affirmat perpetuum providentiae divinae modum erga largos eleemosynarios, sed ordinarium, quoad subministrationem sufficientiae temporalis. Nam interdum aliter contingit ad probationem electorum et gloriam majorem. Consonat his illud ejusdem Apostoli 1 Timoth. 4.: *Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitae praesentis et futurae.*

Caeterum Graecae lectionis idem sensus est, eo solum excepto, quod secundum eam optative seu deprecative ab Apostolo dicantur, quae textus Latinus reddit enuntiative. Nec illud tamen negligendum, quod de diversa quorundam codicum Graecorum distinctione diximus; convenit enim ea cum loco Jesaiae 55., qui sic habet: *Et dat semen serenti, et panem comedenti.* Quo quidem Apostolum respexisse, non temere existimat Theophylactus; sunt enim verba apud LXX. paene eadem. Hoc igitur pacto sensus erit: Deus, qui secundum Prophetae testimonium suppeditat semen ad serendum, et panem ad comedendum, idem etiam suppeditet ac multiplicet semen vestrum, etc.

11. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.* Interpres addidit de suo: *ut,* et: *abundetis,* cum in Graeco tantum legatur: *In omnibus ditati in omnem simplicitatem.* Qui tamen sermo hiulcus est, ac necessario supplendus, vel eo modo, quo supplevit noster interpres; vel ut Syrus, Erasmus et Hentenius, hujusmodi expositione: *Ut in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem;* vel secundum Cajetanum hoc modo: Qui in omnibus estis locupletati in omnem simplicitatem, ut sensus sit causalis; quasi dicat Apostolus: Deus ea, quae dixi, vobis praestabit (aut prae-

stet), utpote qui sitis per omnia divites perfectae simplicitatis, id est, virtute sincerae liberalitatis. Nam simplicitatem vocat liberalitatem, quae simplici et sincero corde exercetur, non ex inani gloria, aliove pravo affectu, quemadmodum a nobis explicatum est ad illud capitis praecedentis: *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis.*

Quae operatur per nos gratiarum actionem Deo. Id est: Quae vestra simplicitas efficit, ut per nos gratiae agantur Deo; materiam nobis praebet agendi gratias Deo, tamquam autori tanti boni. Vel potius: *Per nos,* id est, interveniente nostro ministerio, ut scilicet intelligantur gratiae, quae Deo agantur a pauperibus sanctis in Judaea, de quibus proxime loquetur Apostolus. Utrovis modo significatur egregius eleemsoynae fructus ad alios redundans, id est, gratiarum actio, quae Deo redditur. Quem fructum plenius exponit verbis sequentibus:

12. *Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quae desunt sanctis.* Pro *ministerio officii* Graece est: διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, id est, ministratio seu functio ministerii sacri hujus. Nam λειτουργία quamvis apud profanos autores ministerium in genere significet, in sacris tamen libris, et apud scriptores ecclesiasticos plerumque usurpatur pro ministerio sacro; cujusmodi imprimis est sacrificium. Unde Theophylacti interpres vertit: *ministerium sacri et oblationis hujus.* Itaque insinuat Apostolus, ministerium, sibi delegatum ad procurandam et perferendam eleemosynam, esse functionem cujusdam sacrificii Deo gratissimi; ea nimirum generali ratione, qua omne opus bonum ad honorem Dei factum, maxime si fiat cum exteriori quadam oblatione, quale est opus eleemosynae, sacrificium in Scripturis vocatur. Etenim, inquit, hujus sacri ministerii a me suscepti functio non hanc solum adfert utilitatem, quod subveniat necessitatibus pauperum sanctorum, qui in Judaea sunt;

Sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. Graeca ad verbum: *per multos gratias agere Deo.* Quod Ambrosianus textus sic expressit: *per multorum gratiarum actionem Deo.* Nisi forte Ambrosiaster in suo codice Graeco habuit εὐχαριστιῶν, ut multi libri; quum alii legant εὐχαριστεῖν, qua posteriore lectione posita, poterit illud, quod praecedit, περισσεύουσά ἐστι, exponi active: *abundare facit*, ut paulo ante vers. 8. Vide comment. ad cap. 4, 15. Sensus autem est: Verum etiam exuberat in hoc, id est, hunc fructum adfert, ut per multos, ac praesertim eos qui vestrae liberalitatis fiunt participes, gratiae Deo agantur.

13. *Per probationem ministerii hujus glorificantes Deum.* Obscuritatem parit mutatio casus apud Apostolum, nam *glorificantes* referendum ad genitivum *multorum* in Graeco, ut sensus sit: Dum per nostrum ministerium probata illis vestra liberalitate Deum glorificant.

In obedientia confessionis vestrae in Evangelium Christi. Pro *obedientia* Ambrosianus legit *subjectionem.* Sensus: Super fide vestra, qua cum humili subjectione animi, et externa oris confessione, suscepistis Evangelium Christi. Haec enim prima erat gratiarum actionis et glorificationis divinae materia. Qua ex re clare constat, totum hoc fuisse opus gratiae Dei; nam Deo gratias agere Deumque glorificare de opere non suo, stultum et impium est. Hinc quoque disce, ad fidei rationem pertinere voluntatis obedientiam, sicut et Rom. 1. dicitur: *ad obedientiam fidei.* Sed de ea re expressius in capite proxime sequenti loquitur.

Et simplicitate communicationis in illos et in omnes. Id est: Et super liberalitate vestra, qua simplici animo puraque intentione participes bonorum vestrorum temporalium feceritis ipsos ac caeteros Christi pauperes.

14. *Et in ipsorum obsecratione pro vobis.* Contextus postulare videtur, ut haec etiam pars pendeat ab eo, quod dixerit: *glorificantes Deum;* sed quia sensus est parum commodus, ut glorifi-

caturi Deum dicantur illi sancti de suis orationibus, quas pro Corinthiis funderent, idcirco ad mentem Apostoli accommodatius referetur ad illud praecedens: *Sed etiam abundat,* ut sit sensus: Redundabit praeterea beneficium hoc eleemosynae ad hunc fructum, ut pauperes illi sancti pro vobis orent Deum; quae est communis obligatio pauperum eleemosynas accipientium. Collige ex Apostoli dictis quatuor eleemosynae fructus: qui sunt refocillatio pauperum, gratiarum actio Deo facta, atque ejusdem glorificatio de bono opere, et oratio ad Deum pro salute operantis.

Desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Id est, qui magno vestri videndorum desiderio teneantur (nam *videre* additur in textu Ambrosiano; Graeci vero subintelligunt), idque propter eminentem Dei gratiam, quam vobis inesse cognoscent; gratiam, inquam, fidei ac beneficentiae ex fide profectae; haec enim duo paulo ante nominavit. Similia loca sunt, Rom. 1, 11., supra cap. 7, 7.

15. *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* Graece: *Gratia autem Deo,* etc. Conclusio est, ac velut epiphonema, quo Deo gratias agit super multiplici fructu, quem superioribus verbis ostendit ex eleemosyna tam ad dantes, quam ad accipientes promanare. Vocat autem *inenarrabile hoc donum,* quia pro dignitate verbis explicari non potest.

CAPUT DECIMUM.

Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis[1]). 2. Rogo autem vos, ne praesens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. 3. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. 4. Nam arma militiae nostrae[2]) non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, 5. et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. 7. Quae secundum faciem sunt, videte[3]). Si quis confidit sibi, Christi se esse[4]), hoc cogitet iterum apud se, quia, sicut ipse Christi est, ita et nos. 8. Nam, etsi amplius aliquid gloriatus fuero[5]) de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam. 9. Ut autem non existimer, tamquam terrere vos per epistolas, 10. quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes; praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis; 11. hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia, quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in facto. 12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibus-

---

[1]) Vers. 10. 1 Cor. 4. 18. seq. [2]) Ephes. 6. 13. [3]) Cap. 5. 16. [4]) 1 Cor. 1. 12. [5]) Vers. 12.



dam, qui se ipsos commendant[1]; sed ipsi in nobis nosmet ipsos metientes, et comparantes nosmet ipsos nobis. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos; usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi; 15. non in immensum gloriantes in alienis laboribus; spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare[2], non in aliena regula in iis, quae praeparata sunt gloriari. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur[3]. 18. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

SUMMARIUM CAPITIS DECIMI.

Adversus pseudapostolos, apud quos habebatur contemptibilis, dignitatem suam tuetur, addens, se non gloriari ultra modum laboris sui.

Hoc caput cum duobus sequentibus apologiam quandam continet Apostoli Pauli adversus obtrectatores suos pseudapostolos, qua illorum improbitatem ac vitia detegit ac palam traducit, et de sua potestate, praedicatione, laboribus et periculis Evangelii causa susceptis, adversus illos gloriatur, multa commemorans, quae ad suae personae dignitatem et excellentiam declarandam pertineant. Loquitur autem deinceps de se numero singulari, propterea quod hic jam non, ut in superioribus, causam agat communem ministrorum novi testamenti, sed suam solius, eo quod ipsum peculiariter odissent, et in contemptum atque odium apud novos quosque fideles adducere conarentur illi pseudapostoli.

Verum priusquam ad expositionem verborum Apostoli veniamus, operae pretium fuerit breviter ostendere, qui vel quales fuerint pseudapostoli, contra quos Paulus hanc suam defensionem instituit. Id vero colligendum ex ipsius Apostoli adversus eos disputatione. Ex qua primum liquet, Judaeos fuisse, atque de eo ipso gloriatos fuisse; dicit enim capite sequenti, describens eos velut secundum carnem gloriantes: *Hebraei sunt, Israëlitae sunt, semen Abrahae sunt.* Sed et ad Philippenses 3., de iisdem loquens, satis aperte significat, Hebraeos et circumcisos fuisse. Item Christianos se jactabant: *Si quis,* inquit, *confidit sibi, Christi se esse,* etc., infra hoc cap. Imo et fidem Christi praedicabant; unde ait cap. 11.: *Ministri Christi sunt,* et ad Philippenses 1.: *Quidam,* inquit, *ex contentione Christum annuntiant.*

Caeterum insectabantur Apostolum Paulum, et tam doctrinam ejus, quam vitam et actiones reprehendebant; quemadmodum patet ex toto hoc contextu. Propriam gloriam quaerebant; contra toti intenti erant in hoc, ut Pauli gloriam deprimerent atque exstinguerent; uti manifestum est non solum ex consequentibus hujus epistolae, verum etiam ex eodem loco Philipp. 1., quum dicit, quosdam ex contentione et non sincere Christum annuntiasse, existimantes, se pressuram suscitare vinculis ipsius. Praeter haec magno supercilio ostentabant saecularem doctrinam et eloquentiam suam; habebat

---

[1] Cap. 3, 1. [2] Rom. 15, 18. seq. [3] 1 Cor. 3, 5. seq.

enim per id tempus Judaica natio viros in externis disciplinis et arte oratoria exercitatos, ut Philonem, Josephum. Unde Paulum habebant despectui velut imperitum sermone. Notat hoc eorum supercilium Apostolus illis verbis hujus capitis: *Ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

Denique miscebant doctrinae Christianae legem Mosaicam et Pharisaicas traditiones; ut patet ex tota epistola ad Galatas, quorundam pseudapostolorum persuasione traductos in legem. Quod et colligi potest ex iis, quae scribit ad Philipp. 3., Col. 2. et Tit. 1. Unde et hic dicit capite 11., *se timere; ne* per illorum doctrinam *corrumpantur sensus Corinthiorum, et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* Quo capite et pseudapostolos eos vocat, et operarios subdolos, et ministros Satanae, transfigurantes se in Apostolos Christi ac ministros justitiae. Quo pertinet, quod superius dixit capite secundo et quarto, eos adulterare verbum Dei. Nam id non solom de perversitate intentionis, verum etiam de fermento pravae doctrinae, quam cum Evangelio Christi miscebant, intelligendum esse, suis locis ostendimus. Atque hanc rem luculenter declarat Theophylactus in commentariis hujus cap. et seq. Dicit enim, pseudapostolos, externa sapientia usos, pleraque stulta nugatos fuisse, et per hypocrisim nova dogmata et impias traditiones introducere conatos.

Ex his porro etiam liquet, cur prae caeteris Christi Apostolis Paulum exosum habuerint pseudapostoli, omnemque ei autoritatem apud Ecclesias detrahere studuerint. Ratio quippe manifesta est, quod Paulus, tamquam gentium Apostolus, ut jugum legis ab eis averteret, apertius ac studiosius quam alii, legis et ceremoniarum abrogationem per Christum factam, praedicaret. Unde et a Judaeis tanta passus est, quanta passim in Actis describuntur. Nam et Judaeos Christianos male de eo sensisse propter legis controversiam, docet idem liber Act. capite 15. et 21. Jam igitur ad Apostoli verba veniamus.

1. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi.* Pro *modestia* Graece est ἐπιεικεία, quod comitatem, clementiam, benignitatem significat, quae a mansuetudine non alio differat, ut nonnullis placet, quam quod mansuetudo magis ad animum, ἐπιεικεία vero magis ad exteriorem conversationem pertineat. Idcirco vero Paulus hujusmodi utitur exordio *obsecrationis per mansuetudinem et modestiam Christi,* quia cupiebat non provocari ad severitatem vindictae; quasi dicat: Oro vos per Christi mansuetudinem, ne me cogatis irasci. Quem sensum supplent sequentia, uti mox patebit.

Qui in facie quidem humilis sum inter vos. Graece: *secundum faciem,* ut infra vertit Ambrosianus: ad faciem, id est, coram et in conspectu; opponitur enim absenti, nam sequitur:

Absens autem confido in vobis. Graece: *confido,* vel *audeo in vos;* siquidem ipse interpres mox idem verbum vertit: *audere.* Sensus est: Ego Paulus, inquam, qui (quod mihi vitio vertitur ab adversariis), quum apud vos sum, humiliter et submisse me gero; quum absens sum, audaciam et confidentiam cum autoritate erga vos ostendo in epistolis, quas scribo. Haec enim ab Apostolo sic de se ipso dici, velut in vituperium ipsius ab aliis objecta, constat ex eo, quod infra, diversis verbis et eodem sensu, dicit: *Quoniam quidem, inquiunt, epistolae graves sunt et fortes; praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis.* Graeci quidam in his Apostoli verbis ironiam esse arbitrantur; sed potius videtur esse sermo concedentis. Vere enim sic erat, non sine ratione, quam Deus in hoc spectabat; licet inde adversarii caperent occasionem detrahendi Paulo. Certe ipse Apostolus clare de se ipso hoc profitetur 1 Cor. cap. 2.: *Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos.* Id ipsum satis apparet ex verbis hic subjunctis:

2. *Rogo autem vos, ne praesens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere, in quosdam.* Exprimit nunc, quod dixerat se obsecrare. Post *audere* comma subnotandum est; nam quod sequitur: *in quosdam,* non cum infinitivo *audere* construendum, sed cum verbo *audeam.* Est enim sensus: Rogo vos, inquam, ne vestra culpa contingat, ut, qui praesens apud vos humiliter hactenus me gessi, posthac cum ea fiducia, qua absens audere *existimor,* etiam praesens audeam, hoc est, audacter et intrepide potestatem meam exerceam in quosdam ex vobis.

Qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. Graece: *ambulantes. Ambulare secundum carnem,* idem est, quod Roman. 8.: *secundum carnem vivere.* Sensus: Qui male persuasi a pseudapostolis, existimant, nos secundum carnem ambulare seu vivere; hoc est, secundum carnales et humanos affectus vitam et actiones instituere, more hominum, qui cupiditate habendi vel metu amittendi ea, quae carnaliter amant, omnia faciunt. Putabant enim, Paulum, quando praesens erat, sive captandae gratiae causa, sive quod timeret offendere, vel simili affectu humano prohibitum fuisse, ne potestatem exerceret, quam absens per litteras venditabat. Id autem falso eos putasse, docet verbis sequentibus:

3. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus,* quasi dicat: quod falsum est. Nam etsi conversamur et vitam hanc agimus in carne, quoad naturam carnis, non tamen militamus secundum inclinationes et desideria carnis, non sequimur carnales affectus, non exercemus carnalem militiam.

4. *Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt.* Metaphoram *militiae,* quam verbo attigerat, partibus quibusdam explicat, ostendens ex ratione armorum, quibus utitur, se non secundum carnem militare. Dirigit autem intentionem contra pseudapostolos, qui, praesidiis humanae sapientiae nixi tamquam armis, oppugnabant humilitatem et sinceritatem doctrinae, quam Paulus tradebat. *Nam,* inquit, *arma militiae nostrae* Apostolicae, qua nimirum Christo imperatori nostro militamus ad Evangelium ejus propagandum, *non carnalia sunt,* id est, ut S. Thomas exponit, accommodata et subservientia militiae seu vitae carnali; ut sunt opes, honores, voluptates et potentia hujus saeculi. Vel potius *carnalia,* hoc est, humana, mundana, saecularia; cujusmodi sunt in militia corporali arma corporalia, in militia vero seu pugna disputationum, artes et scientiae humanae; haec enim erant arma, quibus instructi pseudapostoli doctrinae a Paulo praedicatae resistebant.

Sed potentia Deo. Ambrosianus legit: *fortia Deo;* est autem *Deo* Graecis dativus, Latine reddendus per ablativum efficientis causae, ut significetur, arma Apostolica esse potentia seu valida per Deum ac virtute divina, non viribus humanis. Ea arma sunt humilitas, patientia, mansuetudo, charitas ac caeterae virtutes; item sapientia, scientia, prophetia, cum caeteris charismatis Spiritus sancti; denique potestas verbi, regiminis et sacramentorum, a Christo accepta. Quibus omnibus armati Apostoli, militiam suam exercebant.

Ad destructionem munitionum. Cohaeret cum dictione: *potentia;* et sensus est, ea arma valere ad demoliendas et evertendas munitiones adversariorum, id est, omnia ea, per quae illi vel oppugnabant fidei veritatem, vel suos errores stabiliebant. Quo in genere erant imprimis scientiae saeculares, sive verae, sive falsae aut erroribus permixtae. Totum enim hoc genus, quatenus assumebatur ad expugnandam fidem Christianam et scientiam Dei, quam statim nominat, destruendum erat armis Apostolicis. Itaque pertinent huc Scripturae, quas in priori epistola citavit cap. 1.: *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus saeculi?*

Consilia destruentes, Graece: λογισ-

μοὺς, id est, cogitationes; quemadmodum et Ambrosianus legit. Quo vocabulo accipi potest omnis subtilitas ingenii et consilii humani. Theophylactus, simplex per compositum exponens, syllogismos intelligit, id est, ratiocinationes dialecticas Graecorum sapientum. Meminit autem horum Oecumenius in parte praecedenti. Caeterum ad hanc partem referendae sunt Scripturae capitis tertii prioris epistolae, a Paulo citatae: *Comprehendam sapientes in astutia eorum,* et: *Dominus novit cogitationes sapientum, quoniam vanae sunt.*

Quidam laborant, ut hanc partem cum superioribus construant; quod ut apte fiat et sine soloecismo, participium *destruentes* ordinant cum verbo *militamus*, ut, quae intercedunt, per parenthesim legantur. Verum haec constructio sensum Apostolici sermonis obscurat et confundit. Quare illud: *consilia destruentes,* ita accipe, quasi dictum sit, quibus armis consilia destruimus.

5. *Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Graece: *et omnem celsitudinem, quae extollitur adversus cognitionem Dei.* Nam altitudo alibi profunditatem significat interpreti nostro, ut Rom. 11.: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei;* hic vero per *altitudinem* sive *celsitudinem* Apostolus significare voluit, quidquid in sermone vel scientia saeculari grande et sublime est, et apud homines admirationem excitat. Quod totum *destruendum* dicit, quatenus extollitur adversus scientiam Dei, qua nimirum Deus cognoscitur. Quam scientiam S. Bernardus in serm. ad milites Templi cap. 3., et S. Thomas in comment. fidem Christianorum interpretantur, de qua Jesaias 11.: *Repleta est terra scientia Dei.*

Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Graece: *captivantes* (seu captivum ducentes) *omnem intellectum ad obedientiam Christi.* Nam *obedientiam* mox in eo, quod sequitur, reddit ipse interpres; Ambrosianus item *obedientiam* legit. Pro *intellectu* alii malunt *cogitationem;* Graecum νόημα utrumque significat; sed magis actum, quam potentiam, quasi dicas *intellectionem.* Verti etiam posset: *ingenium,* ut sensus hic esse videatur: Et captivum ducimus omne ingenium humanum, quantumcunque excellens et scientiis excultum, ab obediendum et humiliter submittendum se Christo per fidem; omne ingenium, inquam, id est, magnam etiam magnorum ingeniorum multitudinem. Cujus rei exempla sunt in Dionysio Areopagita, Aristide, Justino, Pantaeno, philosophis ad Christum adductis, et in iis, qui magicos libros Ephesi, autore Paulo, combusserunt, Act. 19. Hos enim Theophylactus pro exemplo captivitatis hujus allegat.

Ex his Apostoli verbis colligunt doctores discrimen fidei Christianae a quacumque alia persuasione hominum, atque a fide daemonum. Per fidem enim Christianam captivatur intellectus in obsequium Christi, sic ut, seposita omni humana ratione, simpliciter et indubitanter homo suscipiat ea omnia, quae, tamquam revelata divinitus, ab Ecclesia traduntur, et credenda proponuntur. In hac fide laudatur obsequium, id est, obedientia, qua voluntas, humiliter subjecta veritati divinae sibi per Ecclesiam annuntiatae, imperat intellectui, ut credat. Itaque vera et Christiana fides numquam est absque tali submissione sive obedientia voluntatis. Hujusmodi vero obedientia non est in assensu earum veritatum, quae per sensum vel demonstrationem, aut omnino per experientiam cognoscuntur. Unde et daemones, quos Jacobus Apostolus cap. 2. testatur credere et contremiscere, non credunt tamquam obedientes, sed naturali lumine ac rerum experientia convicti et coacti.

6. *Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* Id est, ad manum habentes potestatem ulciscendi omnem inobedientiam, animadvertendi in omnes inobedientes, scilicet eos, qui fidem Christi susceperunt et inter fideles numerantur: *Quid enim mihi de iis, qui foris*

sunt, judicare? ait 1 Cor. 5. Ulciscitur autem Paulus et quilibet Apostolorum successor omnem inobedientiam, non gladio corporeo, qui principi aut magistratui politico datus est ad vindictam malefactorum, Rom. 13., et cujus usus est in corporali militia; sed gladio spirituali, id est, censuris ecclesiasticis, quarum praecipua est excommunicandi potestas. Hunc enim gladium Apostolus jam ante exemerat adversus illum fornicarium, quando eum a corpore fidelium amputavit. Nunc vero rursus eodem usurum se comminatur in quosdam inobedientes atque impoenitentes. Nam *inobedientiam* vocat contumaciam, quae sola excommunicationem meretur. Hic igitur locus excommunicandi potestatem, qua adversus contumaces utuntur Ecclesiae praelati, confirmat. Et B. Augustinus epist. 50. ex hoc loco probat potestatem puniendi haereticos.

Cum impleta fuerit vestra obedientia. Referendum hoc non ad illud: *habentes in promptu*, semper enim in promptu erat illa Apostolis potestas; sed ad verbum *ulcisci;* quasi dicat: Tunc ea potestate utemur, cum vestra obedientia fuerit impleta, id est, cum vos plene ad obedientiam reductos videro. Hinc apparet, Apostolum minari pseudoapostolis ultionem, tamquam inobedientibus; sed eam differre propter Corinthios, quorum quidam adhuc inobedientes erant; ne videlicet hos eadem poena cum pseudapostolis involvere cogatur; atque hoc esse, quod dicit: *Cum impleta fuerit vestra obedientia.* Ita sentiunt plerique commentatores. At contra est, quod Apostolus adversus pseudapostolos non agit ut subditos, sed potius ut adversarios, pari loco adversus ipsum contendentes, tamquam forent Christi Apostoli et Evangelii ministri. Sane cum hi fuerint Judaei, non est verisimile, Paulum voluisse stringere in eos gladium excommunicationis, ne gentem suam satis adversum se concitatam irritaret.

Proinde rectius accipitur illa comminatio de iis, qui adhuc inter Corinthios magnis peccatis erant obnoxii; in quos, quia multi erant, non facile poterat exerceri disciplina per excommunicationem, quoniam, ut ait Augustinus lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 2.: *Quidquid sceleris et iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem.* Et iterum: *Si contagio peccati multitudinem invaserit, divinae disciplinae severa misericordia necessaria est.* Nam consilia separationis (hoc est, excommunicationis) et inania sunt, et perniciosa; videlicet ob periculum schismatis et manifestae rebellionis.

Igitur Apostolus hoc loco prius vult, multitudinem sanari (id enim est, quod dicit: *Cum impleta fuerit vestra obedientia,* id est, cum multo maxima pars vestrum, ac ferme omnes, ad obedientiam legis Christianae revocati fueritis), ac deinde in paucos permanentes in peccatis vindicare juxta severitatem ecclesiasticae disciplinae; sicut jam ante in unum incestuosum illum fecerat. Nam quod apud Corinthios adhuc gravia peccata regnabant, cum ex prima epist. satis intelligitur, tum manifestius id constat ex fine cap. 12. hujus epist., quo etiam loco ac deinceps pluribus verbis minatur, se, cum venerit, non parciturum iis, quos invenerit pristinis peccatis adhuc involutos. De his ergo videtur omnino accipienda praesens comminatio. Quamquam, quae sunt in isto vers. 6., possunt etiam sic accipi: Quum vos separaveritis a vobis fratres inordinate ambulantes, sicut praecepi in priore epistola, tunc ego vindicabo, mea autoritate vestrum factum approbans et confirmans. Quemadmodum e diverso dixit hujus epistolae cap. 2.: *Cui aliquid donatis, et ego.*

Porro si quis superiora bene consideret, inveniet quinque partes Apostolicae militiae, sumptas ex comparatione militiae corporalis. Prima est destruere munitiones fortes et validas; quod fieri dicit Paulus per arma Deo potentia. Secunda est, destruere consilia seu cogitationes, id est, quidquid ingeniose contra fidem Christianam excogitatur. Tertia, destruere ma-

chinas, quae sublimitate videntur inexpugnabiles. Quarta, hostes captivos ducere et suo principi subjugare. Quinta, eaque postrema, inobedientes ac rebelles per justam animadversionem ulcisci.

7. *Quae secundum faciem sunt, videte.* Graecum verbum ambiguum est ad: *videte,* et *videtis.* Et quidem hoc posterius eligunt interpretes Graeci, quos et Cajetanus sequitur. Secundum hos objurgatorius est sermo. Neque refert, utrum per interrogationem legatur, ut post Theodoretum vult idem Cajetanus, an enuntiative; nisi quod interrogatio reddit acriorem objurgationem. Quasi dicat: Itane vos, Corinthii, ea, quae in conspectu sunt, tantum videtis, atque ex iis tantum, quae foris apparent, judicatis? videlicet contra illud Salvatoris, Joannis 7.: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Caeterum nostra versio, textui Ambrosiano communis, sensum exigit hujusmodi: Moneo vos, ut saltem ea, quae conspicua sunt et omnibus nota, consideretis; ex iis enim facile vobis erit, de me et aemulis meis aestimare. Quasi dicat: Secundum faciem, ut ajunt, humilis sum; ergo quae secundum faciem sunt, videte, et ex iis de me et illis judicate. Nam et alibi Corinthios dictorum suorum, ut in re evidenti, facit judices, 1. epist. cap. 10.: *Vos ipsi judicate, quae dico.* Uterque sensus bonus est, et utrique possunt aptari verba sequentia:

Si quis confidit sibi, Christi se esse. Id est, si quis de se ipso confidit, vel sibi persuasum habet (sic enim etiam ex Graeco verti potest), se Christi fidelem esse, aut potius Christi ministrum; nam capite sequenti dicit: *Ministri Christi sunt; et ego;* et consequentia hujus loci declarant, Apostolum loqui de potestate et officio ministrorum. Potest et sic exponi: Si quis gloriatur, se esse Christi. Confer, quae dicta sunt ad cap. 3, 4. et ad Rom. 2, 19. Signat autem pseudapostolos, qui jactabant se Christi ministros.

Hoc cogitet iterum apud se. Id est: Hoc etiam atque etiam perpendat apud se, vel, ut in Graeco legitur, a se ipso; scilicet ut non opus habeat a nobis doceri; res enim per se manifesta est.

Quia, sicut ipse Christi est, ita et nos. Addunt Graeca: *Christi.* Hoc cogitet, inquit, quod perinde, atque ipse Christi minister est, sic et nos ministri Christi sumus; hac parte non sumus eo inferiores. Hoc autem dicit, gradum faciens ad sequentia, quibus ostendit, se illos etiam praecellere.

8. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra.* Hoc est: Si enim etiam amplius aliquid, sive prae illis, qui mihi detrahunt, sive prae eo, quod est quomodocumque Christi ministrum esse, sive amplius, quam soleam, gloriatus fuero de potestate nostra Apostolica, qua non tantum praedicare Evangelium, sed etiam corripere et punire delinquentes possum.

Quam dedit nobis Dominus, Christus ipse, non homo quispiam; sicut ait Galat. 1.: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Ne vero potestatis commemoratio molesta sit, addit:

In aedificationem, et non in destructionem vestram, aut, *vestri.* Ad hoc, inquit, potestatem mihi dedit, ut vos et alios homines aedificem spiritualiter, id est, ad salutem promoveam; non autem, ut destruam, id est, a salute aut profectu salutis impediam. Significatur finis et legitimus usus potestatis. Unde intelligitur, quemadmodum Cajetanus annotavit, ecclesiasticam potestatem nihil posse adversus bonos mores; imo nec adversus meliora bona, qualia sunt consilia Christi, quoniam hoc non esset posse in aedificationem, sed in destructionem spiritualem.

Quaeret aliquis, quomodo non sit huic loco contrarium, quod dicit Dominus ad Jeremiam 1.: *Constitui te super gentes et regna, ut evellas ac destruas, et disperdas, et dissipes.* Respondeo, locum illum, salvo literali sensu, qui est de regnorum terrenorum destructione prophetanda, mystice accipiendum de destructione veteris hominis, et evulsione cupiditatum ac vitiorum ejus, quibus eradicatis

crescat bona seges virtutum. Unde ad extremum sequitur: *et aedifices, et plantes,* prius enim exstirpanda sunt vitia; deinde inserendae virtutes. Hic vero sermo est de destructione aedificationi contraria, id est, ea, quae est contra charitatem; quomodo destruit ille, ad mentem Apostoli, qui indiscrete utitur gladio excommunicationis, non ad aedificationem et salutem fidelium. Quapropter monet Tridentina synodus sess. 25. can. 3. reform., gladium illum sobrie magnaque circumspectione exercendum esse, cum experientia doceat, si levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem.

Notandum etiam, quod destructio quandoque non est ad destructionem, sed ad aedificationem; nam excommunicatio destructio quaedam est, qua membrum a corpore praescinditur; quae tamen non est ad destructionem, sed ad aedificationem, quando praecisio illa fit, uti fieri debet, pro salute et praeservatione totius corporis, imo et (quatenus possibile est) pro sanatione et restitutione membri praecisi, dicente Apostolo: *Ut spiritus salvus sit in die Domini,* 1 Cor. 5.; *ut confundatur,* 2 Thessal. 3.; *ut discant non blasphemare* 1 Tim. 1.

Non erubescam. Hoc, inquit, si fecero, *non pudefiam* tamquam mendax, quia veritatem dicam; aut: *non pudefiam* tamquam arrogans, quia jure et cum honestate id facere possum; sunt enim quaedam justae et honestae causae gloriandi, praesertim ubi veritas hominibus utilis ac salutaris periclitatur. Qua de re plura sequenti capite.

9. *Ut autem non existimer, tamquam terrere vos per epistolas.* Graece: *ut ne videar,* etc., sine conjunctione *autem.* Unde et Graeci ea, quae sequuntur, sine parenthesi legunt; hanc vero partem jungunt praecedentibus; ac si diceret Apostolus: Memini potestatis meae, sed ad aedificationem datae, non ad destructionem vestri; idque ne videar, vos velle perterrefacere per epistolam. Aut hoc modo: Possem gloriari de potestate mea; non faciam tamen, ne videar, etc. Verum nostra lectio, cui consonat Ambrosiana, sensum habet absque dubio commodiorem, et pro ea sunt nonnulli codices Graeci, inter quos Complutensis. Tale est igitur, quod dicit: Ut autem non videar terrere vos velle et metum incutere per epistolas, quasi praesens nihil audeam; sequitur parenthesis:

10. *(Quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes.)* Graece: *inquit,* singulari numero, nam et superius singulariter dixerat: *Si quis confidit,* etc., et infra, velut uni respondens, dicit: *Hoc cogitet, qui ejusmodi est.* Quamquam de numero non admodum refert; neque enim unus tantum erat, a quo talia dicebantur. Epistolae quidem, inquiebant, minaces ac terribiles sunt, tonant ac fulminant, magnamque potestatem et autoritatem ostendunt. Enallage numeri est; nam de una tantum epistola loquebatur, quam ad Corinthios scripserat, in qua quaedam habentur minacia et autoritatis plena, maxime sub extremum capitis 4. et toto capite 5., ubi de incestuoso Satanae tradendo aliisque excommunicandis agitur.

Praesentia autem corporis infirma. Id est: Cum praesens est, humiliter, demisse ac timide se gerit, tamquam nullius sit autoritatis. Fere similiter in sequentibus de infirmitate loquitur Apostolus, cap. 11. et 12., ubi se *in infirmitatibus gloriari* dicit, et cap. 13.: *quando nos infirmi sumus.* Item 1. epist. cap. 2.: *Et ego in infirmitate,* etc. vers. 3. Porro praesentiam corporis infirmam opponebat adversarius epistolarum fortitudini, sicut earum gravitati id, quod sequitur:

Et sermo contemptibilis. Graece *contemptus,* participium, id est, dejectus, humilis, et per hoc contemptui expositus; utpote in quo nulla loquentis severitas appareret, sicut in epistolis. Non igitur hoc ab aemulis Pauli dicebatur tamquam nitorem et eloquentiam sermonis ei detrahentibus, ut quidam interpretati sunt; hac enim parte sermo ejus non differebat ab epistolis; sed quoad autoritatem et

potestatis significationem negabant, sermonem praesentis cum epistolis, quas absens scribebat, convenire. Huc autem usque parenthesis; nunc orationem, quam suspensam reliquerat, absolvit.

11. *Hoc cogitet, qui ejusmodi est.* Id est: Hoc reputet ac persuasum habeat, quisquis est, qui talia dicit.

Quia, quales sumus verbo per epistolas absentes; nominandi casus est *absentes.*

Tales et praesentes in facto. Graece: *tales et praesentes opere.* Sensus: Cogitet, quod, quales sumus absentes, sermone transmisso per epistolam, nempe potestatem nostram ac severitatem ostendentes, tales etiam sumus praesentes; nec solum sermone, sed et opere, scilicet cum opus est. Vel: tales erimus praesentes, postquam istuc advenerimus. Unde dicit cap. 12, se *metuere, ne inveniatur a Corinthiis, qualem non velint,* et cap. 13.: *Si,* inquit, *venero iterum, non parcam.*

12. *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant.* Arrogantiae et immodestiae crimen, superioribus verbis a se depulsum, hic jam Apostolus in adversarios regerit. *Neque vero,* inquit, *audemus,* id est, sustinemus, in animum inducimus connumerare aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos magni faciunt, seque passim apud omnes ambitiose et gloriose commendant, quum a rebus ipsis non commendentur. Videlicet aemulos suos intelligit pseudapostolos, quibus sese conferre velle, turpe et indignum judicat. Verbum Graecum *audere* pro *sustinere* posuit et alibi, ut Rom. 5.: *Nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Quamquam Oecumenius et alii nonnulli dictum putant ironice: *Non audemus,* quasi dicat: Illi tam magnos se faciunt, ut non audeamus nos censere cum talibus. Porro verba illa: *inserere* et *comparare,* in Graeco affinitatem inter se habent; ut si Latine dicamus: *inferre aut conferre.*

Sed ipsi in vobis nosmet ipsos metientes, et comparantes nosmet ipsos nobis. Ut juxta hanc nostram lectionem perfecta sit oratio, participia verbis interpretanda sunt: *metimur et comparamus;* idque hoc sensu: Sed metimur nos ea mensura, quae nobis convenit, et ad eam nosmet comparamus. Hoc est: Ea tantum de nobis dicimus, quae factis nostris et veritati respondent, quaeque, uti S. Thomas ait, proportionata sunt nobis. *Nam gloria nostra testimonium est conscientiae nostrae,* quemadmodum dixit capite 1. Quae expositio apud Oecumenium quoque legitur. Caeterum Ambrosianus textus orationem absolvit adjungendo, quod sequitur: *Non in immensum gloriabimur,* sublatis duabus voculis mediis: *nos autem.* Quod mirum est, cum in omnibus aliis sint exemplaribus, tam Latinis, quam Graecis. At vero in Graecis omnibus additur: οὐ συνιοῦσιν, *non intelligunt;* eaque additione perficitur oratio.

Sciendum est autem, pronomen Graecum ἑαυτοὺς indeterminatae esse personae, sic ut diversis accommodetur personis, prout exigit structura sermonis; quod noster interpres vertit: *nos,* et *nosmet ipsos.* Quare cum Graeci legant verbo tertiae personae: *non intelligunt,* eorum lectio versionem postulat hujusmodi: *Sed ipsi, in se ipsis se ipsos metientes, et comparantes se ipsos sibi ipsis, non intelligunt.* Quod Graeci sic exponunt: Sed ipsi adversarii nostri semet ipsos metientes atque aestimantes suo ipsorum animo ac judicio, et comparantes semet ipsos sibi, quales se suo judicio fingunt; aut certe commendantes sese mutuo, et gloriam ab invicem accipientes, non intelligunt, quam se ridiculos aliis exhibeant, ut supplet Theophylactus; aut: non intelligunt, quam sint arrogantes, seseque fallant, quemadmodum secundum quandam expositionem supplet Oecumenius; aut denique non intelligunt, *neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant;* ut ex alio loco Apostoli supplet Augustinus in enarr. Psalmi 34.; legit enim ille hunc locum eo modo, quo Graeci; non ibi tantum, verum et alibi, ut in Psalmum 118. et 141., et lib. 22. contra Faustum,

cap. 27., ubi et juxta Graecorum sententiam ea verba exponit.

Veruntamen satis apparet, coactum videri, ut hujusmodi supplementa sermoni Apostolico adhibeantur. Sane probabilius est, juxta consuetudinem Graecae linguae participia pro verbis infinitivis esse posita, ut sensus sit: Sed ipsi, arrogantia et ambitione excaecati, non intelligunt, se metiri et comparare semet ipsos magnosque facere ex suo ipsorum judicio; quod est hominum sibi immodice placentium. Porro Hentenius, Oecumenii interpres, Graecam lectionem diverso adhuc modo reddidit; idque congruenter cum scholio, quod primo loco ab Oecumenio adfertur, de quo ipsum locum consule; simul et annotationem marginalem interpretis, qua docet, unde nata apud Graecos sit expositionum diversitas.

13. *Nos autem non in immensum gloriabimur. In immensum,* Graece: εἰς τὰ ἄμετρα, id est, ultra modum; seu potius, ultra terminum ac metas laboris nostri in Evangelio. Videntur enim pseudapostoli, quemadmodum annotavit Theophyl. et Oecumenius, sese mendaciter jactitasse, quod, juxta Psalmi versiculum, usque ad fines orbis terrae propagassent Evangelium Christi; quod erat in immensum gloriari. Nos autem, inquit, non ita gloriari volumus.

Sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus. Graece: *qua* vel *quam partitus est nobis Deus.* Nec secus habet Ambrosianus textus. Videtur autem noster interpres legisse: ἐμέτρησεν pro ἐμέρισεν.

Mensuram pertingendi usque ad vos. Graece: *usque etiam ad vos.* Sensus verborum est: Sed gloriabimur secundum mensuram regulae a Deo nobis praescriptae, qua nimirum partitus est nobis portionem nostram in opera Evangelii. Quae quidem sic alias multas provincias, quibus praedicavimus, comprehendit, ut etiam ad vos usque pertigerit, vosque etiam includat. Metaphora est a fabris sumpta, qui ad amussim operantur, et regulam, a magistro operis praescriptam, non permittuntur excedere. Dicit autem, Deum sibi partitum esse hujusmodi mensuram, non quod praeceptum haberet a Deo illuc usque perferendi Evangelium, et non ultra, tamquam certis sibi terminis ad praedicandum praefixis, quos praeterire non liceret; quod velle videtur Cajetanus, contra illud Christi ad Apostolos, Matthaei ultimo: *Euntes docete omnes gentes;* sed quia totum illud, in quo secundum veritatem gloriari poterat, erat ei distributum a Deo; et proinde si gloriatus fuisset ultra modum ac terminos sui laboris, sicut pseudapostoli faciebant, fuisset ea gloriatio supra mensuram ipsi datam a Deo; et hoc modo rectius Apostolum intellexit Aquinas.

14. *Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos.* Immoratur in metaphora mensurae et regulae. Neque enim, inquit, objici nobis potest, quod, quum de vobis ut filiis gloriamur, extendamus nos ultra mensuram; quasi revera non pertingamus usque ad vos per regulam, quam partitus est nobis Deus;

Usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. Graece: *Nam et usque ad vos pervenimus in Evangelio Christi.* Id est: Nam utique manifestum est, etiam usque ad vos Corinthios pervenisse nos in Evangelio Christi propagando; ut proinde veraciter ac merito possim de vobis, ut filiis, et ut opere meo, gloriari ac dicere: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui,* et: *Opus meum estis in Domino* 1 Cor. 4. et 9.

15. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Sensus est: Et per hoc, dum de vobis gloriamur ut filiis nostris in Christo, dumque eo jure potestatem nobis in vos adscribimus, non gloriamur extra mensuram nostram, ac super alienis laboribus, uti faciunt aemuli nostri.

Spem autem habentes crescentis fidei vestrae. Genitivi sunt in Graeco absolute positi, quos reddere conveniebat per ablativos: *crescente fide vestra.*

In vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam. Sensus hujus partis est: Atque adeo speramus

futurum, ut, crescente et augescente per nostrum ministerium fide vestra, magnificemur in vobis, hoc est, majorem et auctiorem de vobis laudem acquiramus, ut etiam abundantius, id est, amplius, quam hactenus, gloriari possimus; et quidem secundum regulam nostram, id est, mensuram ac terminos laboris nostri. Particulam: *in abundantiam* construimus cum verbo *magnificari*, Graeca scholia secuti; tametsi possit alioqui cum eo, quod proxime praecedit, ordinari hoc sensu: *secundum regulam nostram* extensam et ampliatam; nam fides crescens, id est, in plures dilatata, argumentum erat etiam ampliatae regulae.

16. *Etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare. Etiam* in Graeco non est; supplenda tamen conjunctio, quae partem hanc superiori copulet. Ambrosianus textus sensum magis, quam verba reddidit, hoc pacto: *Et ut etiam in regionibus, quae ultra vos sunt, evangelizem.* Sentit enim Apostolus, se sperare, ut non modo suam ex Evangelio gloriam usque ad Corinthios protensam, fide eorum crescente, majorem faciat; verum etiam futurum, ut Evangelium importet in ulteriora Corinthiis loca, regula nimirum ipsius, jubente ac volente Deo, longius extensa atque porrecta. Unde sequitur:

Non in aliena regula in iis, quae praeparata sunt, gloriari. Graece: *in ea, quae parata sunt, gloriari.* Dubium est autem utrum intelligat parata a se, an ab aliis. Ex quo nascitur diversus sensus. Si enim parata a se, sensus erit: Ut non in aliena regula atque in alienis laboribus, sed in his, quae nostro labore parata fuerint, gloriemur. Sin autem parata ab aliis, erit hic intellectus: Ut non in aliena regula, videlicet in iis, quae jam ab aliis occupata sunt, et per Evangelii culturam praeparata, gloriemur: quemadmodum pseudapostoli faciunt, gloriantes de alienis. Est et tertius commentarius, qui *praeparata* exponit a Deo nobis commissa.

Verum secundus sensus, quem plerique tradunt interpretes, tam Graeci, quam Latini, prae caeteris videtur nobis Apostoli mentem explicare. Conferendus est autem hic locus cum eo, qui est Rom. 15., ubi, pseudapostolorum jactantiam tacite perstringens, sic ait: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium.* Et nonnullis interpositis: *Sic autem praedicavi Evangelium hoc; non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de Deo, videbunt,* etc.

17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* Quoniam frequentem gloriationis mentionem fecerat, denique nunc brevi sententia docet, in quibus rebus sit gloriandum; utpote non in falsis aut alienis bonis tamquam propriis, quomodo gloriabantur pseudapostoli; neque in malis, quae a Deo non sunt, quomodo ille, cui dicitur in Psalmo: *Quid gloriaris in malitia?* et de quibus Proverb. 1.: *Laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis;* sed in bonis, quae vere quis habeat, quaeque proinde sint illi a Deo per Christum. Quicumque, inquit, gloriatur, sive ego, sive alius quilibet, glorietur in Domino Christo; id est, de iis tantum glorietur, quae a Deo per Christum accepit, atque ab eo se accepisse agnoscat, et, ut ait S. Thomas in comment., totum, quod cedit ad gloriam suam, referat in Deum; juxta illud 1 Cor. 4.: *Quid habes, quod non accepisti?* et ad Galat. ult.: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Vide, quae dicta sunt ad 1 Corinth. 1. in fine.

18. *Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Gnomica sententia claudit superiora. *Deus,* Graece et Syriace: *Dominus,* adstipulante etiam Ambrosiano, cum nonnullis mss. Latinis. Sensus est: Non statim in veritate probatus est et gloria dignus, quisquis se ipsum commendat. Multi enim commendant se ipsos a bonis, non suis, sed falsis

aut alienis, sicut faciebant pseudapostoli; multi quoque se commendant a suis tamquam non aliunde acceptis, sicut Judaei et Pelagiani; *sed* ille demum probatus est, *quem Deus commendat,* id est, commendabilem ex iis, quae vere per eum operatur, ostendit. Nam Deus, ut annotat B. Thomas, est causa totius boni operis per homines facti. Vel: *Quem Deus commendat,* id est, cui Christus per meritum suum vere communicat ea, per quae commendetur. Ex dicta expositione facile intelligitur, Paulum adversus suam hanc doctrinam non peccasse commendando se ipsum hominibus, secundum illud, quod superius dixit, capite 4.: *Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo;* nam addendo: *in manifestatione veritatis,* et: *coram Deo,* satis significavit, ita se commendasse semet ipsum hominibus, ut a Domino Deo commendaretur, juxta sensum jam explicatum.

CAPUT UNDECIMUM.

Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me; 2. aemulor enim vos Dei aemulatione. Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo[1]). 3. Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua[2]), ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo. 4. Nam si is, qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Evangelium[3]), quod non recepistis: recte pateremini. 5. Existimo enim, nihil me minus fecisse a magnis Apostolis[4]). 6. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia; in omnibus autem manifestati sumus vobis. 7. Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilans, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis[5])? 8. Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. 9. Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui; nam, quod mihi deerat[6]), suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia; et in omnibus sine onere me vobis servavi[7]), et servabo. 10. Est veritas Christi in me, quoniam haec gloriatio non infringetur in me in regionibus Achajae[8]). 11. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. 12. Quod autem facio et faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut, in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. 13. Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 14. Et non mirum; ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis[9]). 15. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae, quorum finis erit secundum opera ipsorum. 16. Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid

---

1) Eph. 5, 24. seq. 2) 1 Mos. 3, 4. 3) Gal. 1, 7. seq. 4) Cap. 12, 11. 1 Cor. 15, 10. 5) Vers. 9. 1 Cor. 9, 18. 6) Phil. 4, 15. 7) Act. 18, 3. 8) 1 Cor. 9, 15. 9) Cap. 2, 2. Matth. 4, 6.

glorier), 17. quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae. 18. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor [1]). 19. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. 20. Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit. 21. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego: 22. Hebraei sunt, et ego [2]); Israëlitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego; 23. Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter [3]). 24. A Judaeis quinquies, quadragenas, una minus, accepi. 25. Ter virgis caesus sum; semel lapidatus sum [4]); ter naufragium feci [5]), nocte et die in profundo maris fui; 26. in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; 27. in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate [6]), 28. praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? 30. Si gloriari oportet: quae infirmitatis meae sunt, gloriabor [7]). 31. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit, quod non mentior. 32. Damasci praepositus Gentis Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet [8]); 33. et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

SUMMARIUM CAPITIS UNDECIMI.

Praefatur Apostolus, non esse gloriandum, nisi in Domino, nec eum, qui se ipsum commendat, probatum esse, si non a Domino commendetur; hic jam accingitur ad gloriandum et commendandum se ipsum; quod facit toto ferme hoc capite et sequenti. Verum id non nisi secundum veritatem et in Domino, atque ad hoc ipsum necessitate compulsus, quod videret Corinthiorum salutem non leviter offendi, si ipse apud eos contemptus haberetur, ac pseudapostoli essent in pretio; dicit ergo:

1. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae.* Pro quo Graece est: *Utinam sustineretis me paululum in insipientia*, sive *quoad insipientiam.* Interpres videtur eandem lectionem Graece habuisse, quam duo Graeci codices a Roberto signati: μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης. Nam quod Erasmus (quem imprudenter in ea re secutus est Cajetanus) vertendum potius putavit, *sustinuissetis*, seu *tolerassetis*, quod in Graeco sit verbum praeteriti imperfecti, non animadvertit, hujusmodi verbum apud Graecos aliquando vim habere praesentis optativi,

---

[1]) Vers. 22. Phil. 3, 4. seq. [2]) Act. 22, 3. Phil. 3, 5. Rom. 11, 1. [3]) Cap. 4. 11. 1 Cor. 15, 10. [4]) Act. 14, 18. 16, 22. [5]) Act. 27, 41. [6]) 1 Cor. 4, 11. [7]) Cap. 12, 5. [8]) Act. 9, 24. seq.

sicut et eo loco, Rom. 9.: *Optabam anathema esse.* Certe in paraphrasi sua a communi interpretum versione et sensu non recedit. Optat enim et petit Apostolus a Corinthiis, ut paulisper sustineant ipsius insipientiam, quam intelligit in gloriatione et commendatione sui ipsius. Loquitur autem ad hunc modum, non quod vera esset insipientia, sic gloriari quomodo ipse gloriari intendit, ut propterea sustinendus esset, tamquam rem stultam faciens; sed quia gloriari et laudare seipsum, vulgo judicatur esse opus hominis insipientis ac vani, estque revera tale, nisi justa aliqua necessitas excuset. Unde sapiens praecipit Proverb. 27.: *Laudet te alienus, et non os tuum.* Sed etsi justa ratio cogat aliquem, ut seipsum laudet, sicut hoc loco Paulum, non tamen evadet, quin apud eos, qui causam facti vel ignorant, vel non considerant, habeatur insipiens, et propter hoc Apostolus in consequentibus, ubi laudes suas explicat, modo insipientem, modo quasi insipientem se vocat.

Sed et supportate me. Vel: *sustinete me;* est enim in Graeco idem verbum cum superiori. Potest autem indicative verti: *sustinetis,* atque in eum sensum exponunt Graecorum scholia; quasi dicat Apostolus: Imo vero sustinetis me; facitis, quod opto; persuasum habeo, vos ita me diligere, ut facile me toleretis insipienter loquentem. Nostrae lectionis sensus est: Quod opto, ut meam insipientiam toleretis, id etiam peto, ut faciatis. Autor Ambrosiani textus pro Graeco verbo ambiguo Latinum aeque ambiguum reposuit, hoc pacto: *Sed et patimini me.* Sensui nostrae lectionis probe respondet ratio subjuncta, propter quam merito facere debeant Corinthii, quod Apostolus petit.

2. *Aemulor enim vos Dei aemulatione.* Vim Graecorum vocabulorum Latina non exprimunt; proinde textus Ambrosianus, retentis Graecis, ita legit: *Zelatus enim sum vos Dei zelo,* hoc est, ut alii vertunt: *zelotypus sum erga vos Dei zelo.* Sermo translatus ab iis, qui vel uxores suas, vel virgines suae custodiae commissas sic amant, ut non ferant, alienum quemquam cum iis miscere colloquium, aut ab iis amari; quem affectum Graeci zelotypiam nominant. Quo sensu Deus in Scripturis aliquando zelotes erga nos dicitur; quod sic amari et coli a nobis velit, ut non ferat in amore rivalem. Dicit autem Apostolus: *Dei zelo,* vel ut hunc zelum suum significet non esse vitiosum, qualis est humana zelotypia; sed secundum Deum, et ad Deum; vel ut ostendat, se non pro semet ipso zelotypum esse, sed pro Deo ac Domino suo, id est, Christo sponso, cujus ipse sit paranymphus, qui sponsam acceperit custodiendam, ut intactam eam sponso exhibeat. Itaque dicens: *Dei zelo,* tacite Christum innuit esse Deum; atque hic sensus optime convenit cum verbis sequentibus, quibus officium paranymphi declarat, et sponsum Christum aperte commonstrat.

Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Pro *despondi* Graece est: *aptavi,* quemadmodum et apud Augustinum legitur libr. 2. de Genesi contra Manich., lib. 15. contra Faust. cap. 13., et lib. de bono vid. cap. 10. Ambrosianus legit: *paravi;* nonnulli vertunt: *adjunxi.* Sensus autem est: Ego quippe, tamquam spiritualium nuptiarum pronubus et paranymphus, aptavi ac despondi vos uni viro, scilicet Christo: ut vos illi exhibeam, tradam, assignem, virginem castam et incorruptam. Significat, Corinthiorum Ecclesiam, quam alloquitur, licet ex multis collectam personis, unam esse sponsam, eamque virginem, uni viro Christo desponsatam; estque eadem ratio de unaquaque Ecclesia particulari, maxime vero de Ecclesia universali, cujus Ecclesiae particulares sunt membra, et ad quam proprie pertinent promissa dotalia. Dicitur autem virgo propter integritatem fidei charitate informatae; quae licet non sit in singulis membris, est tamen et permanet in corpore Ecclesiae. Porro desponsationis hujus, de qua Paulus loquitur, tempus est

praesens; fit enim ea per fidem et baptismum; tempus autem thalami nuptialis saeculum est futurum, in quo conjunctio erit indissolubilis Christi cum Ecclesia et omnibus ejus membris. Verba sequentia declarant necessitatem, quae Paulum urgebat ad tuendam suam adversus pseudapostolos autoritatem, ut proinde supportare eum Corinthii debuerint, laudes suas commemorantem.

3. *Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua.* Pro *ne* Graece: *ne quo modo,* quae particula non est otiosa; reddit enim sermonem Apostoli vehementiorem.

Ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo. Illud: *et excidant,* neque in Graecis exemplaribus habetur, neque apud Ambrosianum. Augustinus quoque lib. 15. contra Faust. cap. 3., et libro 22. cap. 4., citans hunc Apostoli locum, partem eam praetermisit, ut verisimile sit, ab interprete vel quopiam alio explicandae sententiae causa additam esse. Quod vero apud eundem Ambrosianum, necnon apud Augustinum duobus locis jam indicatis pro *simplicitate* legitur: *castitate,* videri potest ex eo accidisse, quod diversus interpres diversum vocabulum in Graeco legerit: ἁγνότητος pro ἁπλότητος. Sensus est: Metuo, ne quo pacto, sicut diabolus, serpens ille antiquus, per serpentem corporeum seduxit Hevam, matrem nostram, astutia seu versutia sua (nam dictio Graeca πανουργία *versutiam* proprie significat), ita per hos, pseudapostolos corrumpantur sensus mentis vestrae (Graece νοήματα dixit Apostolus) ac dimoveantur a virginali *simplicitate, quae est in Christo,* Graece *in Christum,* id est, a simplici, pura et incorrupta fide, quam habetis in Christum.

Merito hoc metuebat Apostolus, quia pseudapostoli serpentis illius erant ministri, et, ut infra dicit, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; iidemque per dulces sermones et benedictiones (sicut dicitur Rom. ultimo) seducebant corda innocentium. Faciebant autem hoc, partim humanam introducendo sapientiam, partim legem Mosaicam miscendo cum Evangelio Christi. Sed cur non dixit Apostolus: *Sicut serpens Adamum seduxit?* Respondet ipse Apostolus 1 Tim. 2.: *Quia Adam non est seductus; mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Id vero quo sensu dictum sit ab Apostolo, videndum suo loco. Seductionis autem Hevae per serpentem nota est historia, Gen. 3.

4. *Nam si is, qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus.* Removet hic Apostolus excusationem, qua dicere poterant Corinthii, se non esse prohibendos a novis magistris audiendis, utpote qui praestantiora traderent, quam Paulus tradidisset. Verbum *venit* praesentis temporis est, Graece participium ἐρχόμενος, *veniens;* neque significatur is, qui sponte venit, non missus, licet id urgeant hoc loco plerique; nam Christus ipse, qui missus est a Patre, saepe ἐρχόμενος vocatur. Rursus in Graeco non est: *Christum,* sed *Jesum.*

Aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis. Graece: *Aut spiritum alterum accipitis.*

Aut aliud Evangelium, quod non recepistis. Graece: *Aut Evangelium alterum, quod non suscepistis.* Videtur autem hic repetendum ex primo membro: *praedicat.*

Recte pateremini. Vel: *sustineretis;* est enim idem verbum Graecum cum superiori, quod interpres tribus reddidit Latinis: *sustinere, supportare,* et *pati;* quod admoneo, ne quis inaniter laboret, ut illa tria distinguat. Porro locum hunc quidam sic exponunt: Nam si is, qui post me supervenit et accedit ad vos tanquam novus magister salutis, Christum et Evangelium ejus praedicat excellentius, quam a me praedicatum est; aut si ejus ministerio potiora Spiritus sancti dona accipiatis, quam per me accepistis: recte magistrum ac praedicatorem hujusmodi sustineretis. Hic commentarius alium Christum et aliud Evangelium intelligit, non diversum, sed aliter, et quidem

melius atque excellentius annuntiatum; itemque alium spiritum propter excellentiora dona. Sic autem facile ostenditur, huic loco non esse contrarium illud Apostoli Gal. 1.: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.*

Verum quoniam haec expositio coactior est, magis placet, ut (quod ex Photio annotavit Oecumenius) intelligatur Apostolus uti deductione ad absurdum et impossibile, quod Corinthii nullo modo concesserint; nec ipsi pseudapostoli dicebant, se alium Christum praedicare. Nam si (inquit) novus magister superveniens alium Jesum praedicat a nobis non praedicatum, qui vere alius sit, idemque excellentior eo, quem nos praedicavimus; aut si illo praedicante alium spiritum accipitis, eumque praestantiora dona in vos effundentem, quem me praedicante non accepistis; denique si idem ille magister aliud Evangelium, idemque praestabilius, id est, meliora promissa complectens, quod me praedicante non suscepistis, vobis annuntiat: recte sustineretis talem magistrum, ejusque ferretis imperium et autoritatem. Jure enim sustinetur et in pretio habetur, qui tradit meliora. Sed quia nullo modo in animum inducitis alium agnoscere Jesum Christum, alium spiritum, aliud Evangelium, quam a nobis praedicatum; sicut revera non est aliud, Gal. 1., idcirco non potestis ad excusationem vestri quidquam tale praetendere.

Jam vero patet et hac expositione, Apostolum nihil hic dicere contrarium anathemati, de quo Gal. 1.; quin potius hoc ipsum, quod ad Gal. 1. anathemate damnat, hoc loco tamquam rem absurdissimam adfert, ad subvertendam pseudapostolorum autoritatem. Vide S. Thomam locum hunc in comment. bene explicantem.

5. *Existimo enim, nihil me minus fecisse a magnis Apostolis.* Graeca sic fere sonant: *Arbitror enim, nihil me minus fuisse iis, qui supra modum Apostoli sunt;* et ad eum modum vertit interpres capite sequenti: *Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli*, ex quo loco conjectura sumi potest, scripsisse interpretem hoc loco: *fuisse*, non: *fecisse.* Textus Ambrosianus sic habet: *Existimo enim, me in nullo inferiorem fuisse iis, qui valde sunt Apostoli.* Valde seu supra modum Apostolos vocat eos, qui inter Apostolos eximii erant et summi; quales Petrus, Jacobus, et Joannes. Nam hos nominatim exprimit Gal. 2. et columnas vocat.

Porro quod Apostolus hac parte dicere vult, tale est: Dicent forte adversarii, se missos a praecipuis Apostolis, et doctrinam ab illis acceptam, eamque nostra meliorem, vobis tradere. Quibus respondeo, me nulla re, quod ad doctrinam attinet, inferiorem esse magnis illis Apostolis. Nam communicato cum illis Evangelio, quemadmodum ad Galatas 2. scribitur, nihil mihi contulerunt; itaque nihil excellentius habet illorum doctrina, quam mea, sed eadem prorsus est. Quare nec isti magistri, si vere magnorum Apostolorum discipuli sunt, et ab eis missi (quod tamen eis non est credendum), quidquam adferre possunt excellentius iis, quae a me didicistis. Quod nonnulli putant, ipsos pseudapostolos hoc loco per ironiam a Paulo vocari magnos Apostolos, tanquam sensus sit: Nihilo sum inferior illis, qui seipsos venditant, magnis Apostolis, haud consonat cum locis jam citatis cap. seq. hujus epist. et ad Gal. 2.

6. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia.* Graece: *Sed etsi imperitus sermone. Imperitus,* Graece ἰδιώτης, indoctus. Haec sententia, quemadmodum bene annotat Ambrosianus, non est referenda ad superiorem, quasi Paulo fuerit objectum aut objici potuerit, quod saltem eloquentia et sermonis peritia minor esset magnis Apostolis, atque ad hoc respondeat: Etsi imperitus sum sermone, sed non scientia. Neque enim magni Apostoli, quos ex epist. ad Gal. supra nominavimus, Paulum hac parte superarunt; cum Petrus et Joannes. Act. 4., vocentur homines idiotae et sine literis; de quibus et Hieronymus testatur in epist. ad Paulinum,

cap. 4., quod uterque illorum dicere poterat: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia; cum denique omnium illorum trium exstent epistolae, non admodum, quod ad sermonis compositionem attinet, Paulinis anteponendae. Sed nova est objectio adversariorum, Paulo detrahentium eloquentiam, quam sibi ipsis attribuebant.

Ubi quaeritur, verene Paulus sermone fuerit imperitus? fuerunt enim, qui dicerent, Paulum hoc humiliter, non vere, de se ipso scripsisse; quos refellit Hieronymus in comm. epist. ad Titum cap. 1., ac rursus in epist. 151. ad Algas. quaest. 10. ita scribens: *Illud, quod saepe diximus:* Etsi imperitus sermone, non tamen scientia, *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiae veritate dixisse, etiam nunc approbamus; profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat; et cum ipse sentiat, quod loquitur, in alienas aures puro non potest transferre sermone. Quem cum in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebraeus ex Hebraeis, et eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens involvitur.* Idem cum alibi in commentariis, tum exponens 3. caput epist. ad Ephesios, vitia sermonis in Apostolo notat: veluti soloecismos, hyperbata, inabsoluta, et alia hujusmodi. *Quotiescumque vero*, inquit, *tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur; sed magis Apostoli assertores sumus, qui absque rhetorici nitore sermonis et verborum compositione et eloquii venustate, numquam ad fidem Christi totum mundum traducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei.* Haec Hieronymus, subjungens ad eam rem ipsius Apostoli testimonium, 1 Cor. 2.: *Non veni in sublimitate sermonis.* Et iterum: *Sermo meus non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*

At vero Augustinus libro 4. de doct. Christ. cap. 7. sermonis imperitiam prorsus a Paulo removet, eloquentissimum eum fuisse affirmans, idque adeo ex ipsius epistolis demonstrari et constare censet. Neque tamen existimat, illud Paulum humiliter ac non vere scripsisse de se ipso: *Etsi imperitus sermone.* Nota est enim Augustini doctrina, humilitatem in parte mendacii non consistere; nec ulla ratione fatendum, in sacris litteris aliquid falsi contineri; sed aliter quam Hieronymus verba Apostoli intellexit, quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus fuerit, non tamquam id verum agnosceret confitendo. Non dissentit ab Augustino Chrysostomus, qui Paulum edisserens frequentissimus est in explicando verborum et sententiarum ejus artificio.

Quin ipse Hieronymus in epist. ad Pammachium 50. artificiosum Pauli sermonem in epistolis ejus, maxime ad Rom., ad Gal., ad Ephes. admiratur, et ad eundem epist. 61. Paulum inter alia, quae ei tribuit encomia, vocat flumen eloquentiae Christianae. Nec vero putamus, Hieronymum, dum haec scribit, a se ipso dissentire; verum est enim utrumque, quod scribit. Etenim Paulum eloquentem et, ut Hieronymus ait, disertissimum fuisse, res ipsa testatur; adeo respersae sunt ejus epistolae paene omni genere troporum ac schematum, quae a rhetoribus tradi solent; uti bene probat Augustinus libro 4. de doct. Christ. cap. 6. et 7. et, si res pateretur, copiosius a nobis posset ostendi. Nec sane Paulum Lystrii Mercurium vocassent, quod dux esset verbi, quemadmodum refertur Actorum 14., si facundia (cujus principem poëtae Mercurium fingebant) illi defuisset. Erat autem Pauli facundia non ex scholis Rhetorum petita, sed quae linguam viri divino spiritu pleni, magnoque affectu de magnis rebus loquentis, sponte sequeretur. Unde Augustinus loco memorato: *Sicut*, inquit, *Apostolum praecepta eloquentiae secutum fuisse, non dicimus, ita, quod ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.* Sic ille.

Caeterum linguae Graecae nitorem, eloquentiam, facilitatem, qualis in scriptis Graecorum oratorum ac philosophorum

conspicitur, item sermonis perspicuitatem Paulo non adfuisse, ingenue fatendum. Res enim clarior est ex ipsius epistolis, quam ut opus sit probari, aut ut negari possit. Atque hac parte vere sensit Hieronymus, et cum eo plerique interpretes, Paulum sermone fuisse imperitum. Hoc igitur est, quod dicit: Etsi, quod ad sermonem attinet, quo vobiscum loquor aut scribo, sim imperitus ac velut idiota, non tamen quoad scientiam earum rerum, quas docere me profiteor, scilicet divinarum, et ad vestram salutem spectantium. Nam utique sine hujusmodi scientia verus Christi Apostolus ac doctor gentium esse non possem. Porro Cajetanus urget illud: *idiota*, id est, plebejus; et putat, Paulum loqui de quotidiano sermone suo, non de epistolis; sed falli eum puto.

In omnibus autem manifestati sumus vobis. Graece: *Sed per omnia manifestati in omnibus ad vos,* id est, nihil apud vos dissimulanter egi; totus et per omnia vobis manifestatus sum; utrumque, quod dixi, nostis per experientiam, et imperitum me esse sermone, et non imperitum scientia. Graeci annotant, ex obliquo taxari pseudapostolos, qui per hypocrisim sua vitia tegebant, volentes videri, quod non erant.

7. *Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini?* Respondet de humilitate suae praesentiae. Sensus est: An peccavi in eo, quod me ipsum apud vos humiliavi, gerens me, tamquam nullius essem autoritatis, ut vos exaltaremini apud Deum? quasi dicat: Humilitas illa et praesentia corporis infirma, quam mihi pro vitio objiciunt aemuli, vestra fuit exaltatio; *factus sum enim infirmis infirmus, ut infirmos salvos facerem,* 1 Cor. 9. Proinde nihil ibi a me peccatum est, nihil, quod offendere quemquam debeat. Minus autem dicit, plus volens intelligi: videlicet hoc factum suum dignum esse commendatione et laude.

Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? Ad humilitatem Pauli conversantis apud Corinthios pertinebat, quod ex Evangelio nihil acciperet stipendii, sed propriis se manibus transigeret. Ideo sub eadem interrogatione hoc addit: An peccavi, quod gratis et sine sumptu vobis Evangelium praedicavi? tametsi quidam absque interrogatione legunt, ut verba sint commemorantis merita sua erga Corinthios, quasi dicat: Usque adeo non peccavi in vos, ut et singulari beneficio vos affecerim, gratis Evangelium praedicans, quod apud alios non feci.

Quaeres: Quid ergo est, quod omnibus Apostolis et Evangelii ministris praecipitur a Domino: *Gratis accepistis; gratis date?* Matth. 10. Respondeo, bifariam intelligi posse, quod dicitur gratis. Nam uno modo gratis dat aut laborat, qui non vendit, id est, pretium nullum accipit pro re data aut labore impenso, licet interim sustentationem vitae requirat. Hoc modo Christus praecipit, gratis conferri curationes, Evangelium praedicari, dari Spiritum sanctum; quia noluit ad quaestum exponi, non prohibens tamen, quo minus, qui haec praebet, vitae necessaria recipiat aut etiam requirat; nam, ut ibidem subjicit: *Dignus est operarius cibo suo.* Caeterum alio et perfectiori modo gratis facit, qui nec sustentationem aut sumptum accipit; atque hoc est, de quo peculiariter apud Corinthios gloriatur Apostolus, gratis se Evangelium iis praedicasse; de hoc enim apud Macedones gloriari non poterat. Unde sequitur:

8. *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Metaphoris utitur a militia sumptis; sunt enim militaria vocabula: *spoliare* et *stipendium.* Nulla vero significatio est injuriae in eo, quod dicit: *exspoliavi,* aut simpliciter, ut in Graeco, *spoliavi,* sive *depraedatus sum;* sed, ut annotat Theophylactus, asperiorem orationem facere voluit, quo magis urgeret et culpabiles ostenderet Corinthios. Sensus autem est: Ab aliis Ecclesiis, quamvis essent vobis pauperiores, ut proinde spoliari ac denudari viderentur, accepi stipendium ac sumptum necessarium, ut

vobis Evangelium ministrarem. Designat autem praecipue Ecclesias Macedoniae.

Sed cur Apostolus non potius commemorat, quod alibi dicit, et a Luca refertur Actor. 18., scilicet Corinthii agentem labore manuum victum comparasse? Bene respondet Cajetanus, pseudapostolos in Paulo criminatos fuisse, quod manibus operaretur, tamquam non habens potestatem, more aliorum Apostolorum, accipiendi stipendia sui ministerii: propter hoc enim dixit in priori epistola cap. 9.: *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* quare, ut hujusmodi potestatem monstraret se habere, dicit, se ab aliis Ecclesiis accepisse, stipendia, non solum pro ministerio illarum, sed etiam (quod majoris fuit autoritatis) ad ministrandum Corinthiis. Simul autem aliarum Ecclesiarum exemplo Corinthios divites, sed avaros, provocare voluit ad aemulationem, ne, quia Paulus non accipiebat, putarent, se non debere nec ipsi, nec aliis Evangelii ministris.

9. *Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui. Nulli*, scilicet vestrum, etsi vobis Evangelium praedicarem. Negat autem, onerosum se fuisse, id est, quidquid accepisse ab eis; non quod revera onus sit alere suum Apostolum, sed vel ad significandum jus ac debitum; quasi dicat: Hoc jus meum a nullo vestrum exegi; vel quia carnales homines judicant, esse onus. Annotant hic Theophylactus et Oecumenius, id, quod in Graeco est, etiam sic intelligi posse: Quamvis egerem, cum apud vos essem, non tamen obtorpui aut elangui (tale quid enim proprie verbum Graecum significat), id est, non idcirco segnior ad praedicationem fui. Verum prior intellectus contextui magis quadrat, et quidem illa priori significatione repetit idem verbum Apostolus cap. sequenti, semel et iterum; ut dubium non sit, quin et hic eodem modo accipiatur. Vide de eo vocabulo Hieronymum in epistola ad Algasiam.

Nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia, Rectius: *qui venerant;* quomodo est in codice Laudensi. Ne hic quidem Apostolus meminit laboris manuum, sed solum ab aliis sibi, quod deerat, suppletum esse refert; idque ob causam paulo ante dictam. Subindicat tamen, se de suo aliquid impendisse, per hoc, quod alios non dedisse, sed supplevisse dicit; nam supplere non dicitur, qui totum suppeditat, sed qui partem. Porro *fratres Macedones* non alios hic intelligere debemus, quam Philippenses, ad quos ita scribit capite 4.: *Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli;* qua de re plenius in ejus loci commentario.

Et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. Sine onere Graece nomen est compositum ἀβαρῆ, quasi inonerosum, minime gravem. Non solum inquit, antehac vobis onerosus non fui ulla in re, sed nec in posterum oneri sum futurus, paratus iterum vobis idem ministerium salutis exhibere, quod hactenus. Id enim est, quod dicit: *me vobis servavi, et servabo.* Addit autem de futuro tempore, ne commemorando praeteritam abstinentiam, videatur admonere Corinthios, quid in posterum erga se facere debeant.

10. *Est veritas Christi in me.* Juramento confirmat, quod dixit: *et servabo.* Sensus est: Veritatem dico, teste Christo, et, ut exponit Ambrosianus, sub testimonio Christi; sic enim Rom. 9.: *Veritatem dico in Christo; non mentior.*

Quoniam haec gloriatio non infringetur in me, in regionibus Achaiae. Id est: Quod haec mea gloriatio Evangelii gratis praedicati non infringetur in me, sive (ut magis proprie reddatur ex Graeco) non obstruetur aut interrumpetur adversum me in regionibus Achaiae. Hoc est: Non patiar, hujus gloriae cursum mihi intercidi; sed volo eam habere perpetuam apud vos et per totam Achaiam.

11. *Quare? quia non diligo vos?* Excludit falsam rationem, quam suspicari poterant Corinthii, cur ab ipsis nihil vellet

accipere; nam quos non diligimus, eorum dona recusare solemus.

Deus scit. Hic quoque juramentum agnoscunt Ambrosianus et Theodoretus, quasi dicat: Testis est Deus, qui novit, illam non esse causam, vel, qui novit, quod impense vos diligam. Porro falsa ratione remota, veram nunc subjicit.

12. *Quod autem facio, et faciam.* Id est: Sed quod hactenus facio, gratis per Achaiam praedicans Evangelium, idem et facturus sum deinceps:

Ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem. Quam dicat occasionem, ex sequentibus intelligendum.

Ut, in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. Plerique, tam Graeci, quam Latini, locum hunc sic intelligunt: Persistam in praedicando gratis Evangelio, ut istis aemulis meis praecidam occasionem, quam quaerunt, gloriandi adversum me; nempe quod Evangelium gratis praedicent; ut, inquam, in ea re inveniantur nobis pares, nec habeant, quod prae nobis glorientur. Hic sensus satis obvius est. Addunt Graeci, pseudapostolos fuisse divites, eoque facilius potuisse ab accipiendo sumptu abstinere, quam Paulum, quem inopia premebat; neque tamen illos omnino abstinuisse, sed palam recusasse munera, clanculum vero accepisse.

Verum adversus hanc expositionem facit, quod pseudapostoli passim jactabant se discipulos primorum Apostolorum, de quibus 1 Cor. 9. testatur Paulus, quod usi fuerint potestate vivendi ex Evangelio; quo nimirum exemplo isti quoque similem potestatem sibi vendicabant, etiam apud Corinthios. Id enim est, quod eodem capite dicit: *Si alii potestatis vestrae participes sunt; quare non potius nos?* hoc ipsum manifeste significant, quae sequuntur hoc capite: *Sustinetis, si quis vos devorat, si quis accipit.*

Igitur Cajetanus, diversum sensum adferens, textum Apostoli ordinat et exponit hoc modo: *Ut amputem occasionem* pseudapostolorum, *quaerentium occasionem;* quam vero occasionem? *ut inveniantur sicut et nos*, in quo (scilicet in eo, quod est: *inveniri sicut et nos*) gloriantur. Cupiebant enim illi, Paulum accipere sumptus, quoniam et ipsi accipiebant; ut jactare possent, Paulum, aliis partibus, ut eloquentia et sapientia humana, se inferiorem, ne hac quidem parte praecellere; sed parem ipsis inveniri. At Paulus illis occasionem gloriandi subtrahere volens, noluit accipere sumptus; ut vel in hoc cogerentur agnoscere, se ab illo superari. Hic sensus est apud Augustinum lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 16. Indicatur a Gaignaeo, et elici potest ex commentariis Ambrosiani et Aquinatis; convenit autem procul dubio magis cum moribus pseudapostolorum, quales ab Apostolo depinguntur, quam prior expositio. Ut autem hic sensus legenti magis appareat, illa pars *(in quo gloriantur)* parenthesi claudenda erit.

13. *Nam ejusmodi pseudapostoli sunt operarii subdoli.* Hic jam propriis epithetis insectari incipit novos magistros. Verbum: *sunt,* additum est ab interprete aut a scribis; nam sunt boni veteres codices, qui non habent, in quibus Laudensis. Dupliciter autem construi potest sententia; vel ut sit una enuntiatio: *pseudapostoli sunt operarii subdoli;* vel potius distinguendo: *Nam ejusmodi* doctores *sunt pseudapostoli;* iidemque *sunt operarii subdoli* seu *dolosi.* Pseudapostoli quidem, id est, falso titulo Apostoli, tum quia vere non erant missi nec a Christo, nec ab ejus Apostolis ad praedicandum, sed ingerebant se ipsos, mentientes, se missos esse; juxta id, quod ipsimet Apostoli scribunt in epistola ad gentiles Act. 15.: *Quidam ex nobis exeuntes, quibus non mandavimus, turbaverunt vos verbis;* tum quia sub umbra nominis et doctrinae Christianae legalia tradebant; ut ex eodem loco Actor. patet; ac, ut ait Theophylactus, impias quasdam traditiones occulte servabant; utraque autem in re haereticorum duces et patriarchae. Nam haereticis commune est, hoc maxime saeculo, sine legitima vocatione praedicandi munus arripere, et sub Christi nomine sua dogmata venditare. Caeterum

operarii dolosi, vel quatenus operari quidem videbantur in vinea Domini, revera autem vineam dissipabant, ut Graeci exponunt; vel potius, quia non quaerebant utilitatem Domini, cujus se jactabant operarios, sed praetextu Evangelii privatum agebant negotium. *Hujusmodi enim,* ait ad Rom. ult., *Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* Eosdem Phil. 3. malos operarios vocat; supra vero cap. 4. testatus est, eos adulterare, et (ut in Graeco est) dolo tractare verbum Dei.

Transfigurantes se in Apostolos Christi. Graece: *transfigurati in Apostolos Christi,* scilicet a se ipsis; id est, assumentes personam Apostolorum Christi, dicentes, se esse Christi Apostolos; sed falso, ut jam explicatum est.

14. *Et non mirum,* quod audeant se transfigurare in Apostolos Christi.

Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Graece: *transfiguratur in angelum lucis.* Amplificatio est a comparatione. Nam, inquit, ipse Satanas, eorum magister, assumere solet personam boni angeli; saepissime quidem invisibiliter, suggerendo quaedam in se vel in speciem bona, ex quibus hominem perducit ad ruinam; interdum vero visibiliter, apparens et ostendens se tamquam angelum Dei. Nam et hoc pacto multos delusit diabolus, aut in assumpto corpore videndum sese exhibens, aut imaginaria visione eos ludificans. Non dicit autem, quod dicendum videbatur, Satanam se transfigurae in Christum, quemadmodum in quorundam sanctorum gestis legitur; quia, quo tempore Paulus haec scribebat, nondum tale quid facere permissus fuerat. Angeli boni vocantur angeli lucis, id est, veritatis et justitiae, quam hominibus a Deo ministrant; sicut contra angeli mali sunt angeli tenebrarum, quoniam errores et peccata suggerunt hominibus.

15. *Non est ergo magnum.* Id est, mirandum tamquam res magna.

Si ministri ejus. Graece: *Si et ministri ejus,* Ambrosiano consentiente.

Transfigurentur velut ministri justitiae. Id est, figuram ac personam assumant ministrorum justitiae, quo nomine vocat Apostolos Christi, propterea quod ministerium justitiae, de quo supra cap. 3., id est, ministerium novae legis, per quam justitia confertur, eis concreditum fuerit. Est autem argumentum Apostoli a minori; minus enim credibile est, Satanam transformari posse in angelum lucis, cum sit major distantia, quam ministros illius in ministros justitiae. Interim observa, pseudapostolos aperte hic ab Apostolo vocari Satanae ministros.

Quorum finis erit secundum opera ipsorum. Quasi dicat: Etsi fallant homines, Deum fallere non poterunt, a quo tandem recipient mercedem operibus suis debitam, hoc est, interitum et mortem aeternam; juxta illud ad Philippenses 3.: *Quorum finis interitus,* et Roman. 6.: *Stipendia peccati mors.*

16. *Iterum dico.* Resumit intermissam sui ipsius commendationem; quae vero sequuntur, parenthesi legenda:

(Ne quis me putet insipientem esse, scilicet ob id, quia meipsum praedico; nam justa causa est, cur id faciam. Est autem hic sermo prohibentis, non vero reddentis causam.

Alioquin velut insipientem accipite me. Plenius et clarius ex Graeco: *Sin aliter, saltem ut insipientem suscipite me,* id est: Sin minus persuadeo, me non insipienter agere, at interim tolerate me tamquam insipientem, hoc est, quod initio capitis dixit: *Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me.*

Ut et ego modicum quid glorier.) Id est, ut, cum illos aemulos nostros toleretis, tam multa de se jactitantes, mihi quoque concedatis vel paulum de me ipso gloriari. Huc usque parenthesis. Omnino autem legendus est de hoc loco B. Augustinus de doctr. Christ. lib. 4. cap. 7.

17. *Quod loquor, non loquor secundum Deum.* Graece et Syriace: *Quod dico, non dico secundum Dominum;* sed et Latina quaedam missalia *Dominum* legunt.

Sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae. Gloriae pro *gloriationis,* ut in Graeco est et apud Ambrosianum. Et hoc postremum: *in hac,* etc. videtur referendum ad illud superius: *quod dico;* ut hic sit totius orationis sensus: Iterum dico, id est, dicere aggredior, quae ad laudem meam spectant; tametsi, quae dicam, quantum attinet ad hoc negotium seu materiam gloriationis, non dicturus sim, quasi secundum Deum, hoc est, convenienter legi divinae; cum Deus neque praecipiat, neque consulat homini laudare se ipsum, sed alicubi prohibeat, sicut prohibet jurare; vel quasi secundum Dominum Christum, cujus ministros decet omnis humilitas et modestia, quique *non sibi ipsi placuit,* Rom. 15.; sed quasi per insipientiam. Supplemus sententiam, dicendo: quasi secundum Deum; sic enim Apostolus altera parte se ipsum exponit, dum modo sibi tribuit insipientiam, modo quasi insipientiam. Alioqui, sicut in capite sequenti absolute negat, se insipienter agere, cum dicit: *Et si voluero gloriari, non ero insipiens,* ita quoque absolute negandum est, Apostolum hic aliquid dicere non secundum Deum.

Cur autem quasi insipienter, et quasi non secundum Deum loqui se dicat, rationem supra dedimus; quia nimirum laudes suas praedicare, quod hic facit Apostolus, quantumvis justa necessitate coactus quis id faciat, similitudinem quandam habet cum eo quod stulti facere solent, quos gloria vexat inanis; ut est in versiculo Catonis. Hinc ait cap. sequenti: *Factus sum insipiens; vos me coëgistis.*

Porro cum iste sit hujus loci sensus, non potest ex eo, quod dicit Apostolus: *Non loquor secundum Deum,* colligi, quaedam in sacris litteris humano tantum ac privato spiritu, non ex inspiratione divina, scripta esse.

Alii: *secundum Deum,* interpretantur: secundum res divinas et spirituales; tamquam Apostolus sentiat, se non secundum hujusmodi gloriaturum, sed secundum res carnales, uti sunt genus et circumcisio, de quibus pseudapostoli gloriabantur. At certe non de his tantum, sed et de iis, quae veram laudem merentur, in consequentibus gloriatur Apostolus, ut quod minister sit Christi, quodque pro Christo multum passus fuerit; quae profecto non sunt dicenda carnalia.

18. *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* Cajetanus: *secundum carnem,* exponit: secundum carnalem affectum; quo quidem modo gloriari vitiosum est et reprehensibile. Unde dicit, Apostolum non addidisse: Et ego gloriabor *secundum carnem;* sed tantum dixisse: *et ego gloriabor,* quia, licet pseudapostoli glorientur secundum carnem, non tamen Apostolus. Verum intelligentia hujus partis petenda est ex simili loco ad Phil. 3., ubi dicit: *Quamquam et ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin.*

Rectius igitur S. Thomas et alii locum istum sic exponunt: Quandoquidem multi (pseudapostolos intelligit, qui Judaei erant) gloriantur secundum res carnales et externas; puta, de generis nobilitate, de lege, ac circumcisione; ego quoque gloriabor, non de illis modo, verum etiam de aliis, quae vere laudabilem me reddunt; gloriabor, inquam, non ut illos male gloriantes imiter, sed ut eorum jactantiam reprimam et meam apud vos autoritatem defendam; idque juxta praeceptum Sapientis Proverb. 26.: *Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.*

19. *Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Ironia quaedam est in eo, quod dicit: *cum sitis sapientes,* sive prudentes; utroque enim modo verti potest Graecum φρόνιμοι. Nam si vere tales fuissent Corinthii, non aurem praebuissent novis magistris, ipsos avertere conantibus ab Apostolo suo; certe prudentiam in iis desiderat Apostolus superius, ubi dixit: *Timeo, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua,* etc. Sensus est: Spero, me gloriando vos non offen-

surum, quia non gravate fertis alienam stultitiam, tamquam ipsi sapientes. Est quidem illud vere sapientis, insipientes sustinere; modo fiat, quemadmodum recta ratio postulat. Corinthii vero contra sui magistri honorem et cum suo periculo pseudapostolos tolerabant, non solum inepte et falso gloriantes, sed et graviora committentes in Corinthios, cujusmodi sequuntur:

20. *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit. Suffertis, sustinetis,* idem Graece ἀνέχεσθε. Cajetanus post Aquinatem hoc exponit de servitute legis Mosaicae, ad quam Corinthios pertrahere pseudapostoli nitebantur. Probabilius est, quod alii interpretes volunt, significari imperiosam pseudapostolorum in Corinthios fideles dominationem, qua eos propemodum ut servos premebant. Nam ad ejusmodi subjectionem pertinent, quae sequuntur:

Si quis devorat, subaudi: *vos,* ex membro praecedenti. Hyperbolice significat inexplebilem pseudapostolorum aviditatem, quantum ad sumptus vitae, quos identidem exigebant. In tales etiam illud dicit Rom. 16.: *Christo Domino non serviunt, sed suo ventri;* et ad Phil. 3.: *quorum Deus venter est;* item ad Tit. 1.: *Ventres pigri.*

Si quis accipit, scilicet: *a vobis;* quod videtur referendum ad res a sumptu vitae diversas, quas arte extorquebant specie munusculorum.

Si quis extollitur, id est, extollit se supra vos, potestatem sibi vendicat in vos. Haec omnia faciebant pseudapostoli tamquam Apostolico jure, quod sibi falso titulo arrogabant; de quo jure multa in 1 Cor. 9., et tamen ejusmodi juris limites multum etiam excedebant. Quamquam hoc postremum: *si quis extollitur,* melius, ni fallor, intelligi potest hoc sensu, quod se extollerent supra Corinthios dicendo, se esse populum Dei; illos, ex gentibus peccatores; juxta id, quod sequitur:

Si quis in faciem vos caedit. Sermonis improprietatem exponit per id, quod sequitur:

21. *Secundum ignobilitatem dico.* Graece: *Secundum ignominiam dico;* sensus est: Quod dico: *si quis in faciem vos caedit,* id, quoad ignominiam attinet, dico; non quod facies vestras percusserint; sed de contumeliis intelligi volo, quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes, quod fueritis idololatrae, peccatores, immundi; quod orti ex ignobili genere, quod sitis praeputium; de se ipsis vero omnia contraria praedicantes, quod sint populus a Deo electus, gens sancta, filii Patriarcharum, circumcisi, etc.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. Graeci et Syri codices non addunt: *In hac parte.* Augustinus quoque lib. 4. de doct. Christ. cap. 7., ubi totum hunc Apostoli locum percenset, ita legit: *Quasi nos infirmati simus,* nec addit: *in hac parte.* Suspicor, explicandi gratia textui insertum esse a quopiam. In Graeco sic est ad verbum: *Quasi quia nos infirmati sumus.* Sensus est: Haec, quae dixi, ita ab illis fiunt, ut me, qui vester sum Apostolus, prae se contemnant tamquam inferiorem, impotentiorem, qui non habeam, quemadmodum ipsi, de quibus gloriari queam, ut simili ratione mihi autoritatem apud vos comparem. Quod quam sit falsum, ostendit sermone consequenti. *Infirmari* pro eo, quod est inferiorem esse, et ab alio superari, Hebraismus est, in sacris litteris frequens, ut 1 Reg. 2.: *Quae multos habebat filios, infirmata est.* Psalm. 57.: *Intendit arcum suum, donec infirmentur.* Nec dissimili locutione Paulus Rom. 4. de Abraham: *Et non infirmatus est fide,* et cap. 8. de lege: *In quo infirmabatur per carnem.*

In quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego. Graece: *In quocumque vero quis audet,* id est, in quacumque re quisquam illorum audet gloriari, *audeo et ego,* utpote nulla re illis inferior; quamquam hoc iterum quasi per insipientiam dico, quia gloriari stultorum est. Ob quam etiam rationem utitur vocabulo audendi, quia nec facile, nec sine neces-

sitate eo veniendum, ut quis se ipsum laudet. Quamquam *audere* pro arrogare positum intelligi potest, sicut alibi interdum, ut Rom. 15.: *Non enim audeo aliquid loqui eorum.* Ita sensus est: Quaecumque illi sibi arrogant tamquam gloriosa, ego quoque mihi arrogabo.

22. *Hebraei sunt, et ego; Israëlitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego.* Nonnulli codices, tam Graeci, quam Latini, legunt interrogative omnia haec: *Hebraei sunt? Israëlitae sunt? Semen Abrahae sunt? Ministri Christi sunt?* Sed majoris fructus est, discutere, quid differant inter se Hebraei, Israëlitae, et semen Abrahae. Quidam enim ita tractant hunc locum, tamquam iidem prorsus significentur; etsi rationes appellationum diversae sint. At vero Chrysostomus ejusque sequaces ideo volunt addidisse Apostolum: *Israëlitae sunt,* quod non omnes Hebraei essent Israëlitae. Nam, inquiunt, etiam Ammonitae et Moabitae Hebraei erant. Addere possumus, etiam Idumaeos et Madianitas Hebraeos fuisse, et quotquot orti erant ex Abraham multarum gentium patre. Verum ut omnes illi quondam tempore Patriarcharum Hebraei dicti fuerint, non arbitror tamen, apud alios, quam Israëlitas, illius nominis possessionem sequentibus saeculis remansisse.

Sed nec placet, quod scribit Cajetanus, primo membro significari gloriationem ex antiquitate generis, eo quod Hebraei nomen trahunt ab Heber, cujus tempore divisae sunt linguae, quamvis et ipsius Augustini in lib. de civit. Dei, et Aquinatis in comment. et plurimorum aliorum haec de etymo vocabuli opinio sit. Multo enim probabilius est, Abraham, qui primus Hebraeus appellatus legitur Gen. 14., ita cognominatum fuisse ab Hebraea dictione עבר, id est, trans, ultra, tamquam dicas transitorem; quod ex regione, quae trans fluvium Euphratem erat, in terram Chanaan venisset. Nostri transfluvialem vocarent, sicut aliquos vocamus transmarinos, transmontanos, transtiberinos. Itaque nomen illud non est Abraham antiquius, ut nec ipsius nominis ratio.

Simul etiam redarguuntur, qui Hebraeos ab ipso Abraham dictos volunt, tamquam Abraeos, contracta voce; non enim Abraham a se ipso πατρονυμικῶς appellari potuit. Sed de ea re plura in argumento Epistolae ad Hebraeos.

Quod ad praesentem locum attinet, propior vero sententia est eorum, qui primo membro significari volunt gloriationem a lingua; ut Hebraei dicantur, qui lingua loquebantur Hebraica; sic interpretantur Lombardus, Hervaeus et Aquinas. Sciendum est enim, Judaeos, ex quo tempore in varias terrae plagas per captivitates et bella fuere dispersi, linguam cum regione mutasse; et quidem necessario, ut cum iis conversari possent ac negotiari, inter quos habitabant. Itaque paulatim desuevisse loqui Hebraice; posteros autem eorum avitae linguae mansisse prorsus imperitos. Qui vero in Judaea ac vicinis locis relicti fuerant, usum prioris linguae, id est, Hebraicae, retinuisse; qua peculiari ratione vocabantur Hebraei, caeteri vero Graeci, quod plerique eorum Graece loquerentur, cujus linguae per orbem usus erat eo saeculo maxime communis.

Discrimen hoc Hebraeorum a Graecis Act. Apost. perspicue declarant, ubi legimus, crescente numero discipulorum, factum fuisse murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum, Act. 6.; nam Graeci eo loco non gentiles intelliguntur (neque enim gentilium cuiquam adhuc praedicatum erat Evangelium; neque id statim fieri debuit, sed exspectato opportuno tempore, quod Deus designaret; sicuti factum a Petro Lucas docet Act. 10. et 11.). Verum significantur eo nomine ex Judaeis illi, qui, quod in exteris regionibus nati essent et educati, non Hebraicae linguae, sed Graecae vel Latinae vel alius cujusquam usum haberent. His enim occasio murmuris et querelae fuit adversus fratres Judaeos, qui supra dicta ratione Hebraei vocabantur, quod

ipsorum viduae negligerentur in ministerio victus quotidiani, videlicet Hebraeis (quibus, tamquam indigenis ac linguae privilegio potioribus, ministerium illud commissum fuerat) suos inopes magis quam alienos curantibus. Hoc modo rursum de Graecis loquitur Lucas cap. 9. Actor., ubi refert, Paulum disputasse cum Graecis; illos autem quaesivisse, ut eum occiderent; et capite 11. illis verbis: *Loquebantur ad Graecos, annuntiantes Dominum Jesum.* Ac ne quis dubitet, non eos Ἕλληνας iis locis appellat, quo nomine Graeci proprie dicuntur, ut Rom. 1. 2. et alibi; sed Ἑλληνιστάς, quasi dicas Graecistas, id est, Graeca lingua utentes. Haec pluribus, ut ostenderem, quos Hebraeos, et quo discrimine, vocet Apostolus, tam hoc loco, quam ad Phil. 3., ubi se dicit Hebraeum ex Hebraeis.

Igitur Hebraei, quos dixi, gloriosum ducebant, quod loquerentur lingua suae gentis primitiva, qua ipsorum Patriarchae et Prophetae usi fuerant, imo Deus ipse, quando legem patribus eorum, et responsa Prophetis dedit; atque hoc titulo sese ante alios efferebant. In horum numero erant pseudapostoli, contra quos Paulus agit; quorum jactantiae respondet, se quoque Hebraeum esse. Quamvis enim Paulus Tarsi Ciliciae natus esset, parentes ejus tamen, quod non ita dudum illuc ex Judaea commigrassent, nec inde procul abessent, linguam patriam adhuc retinebant, et ea studiose filium imbuerat pater Pharisaeus. Unde est, quod Hebraice concionatur ad populum Jerosolymitanum magno cum silentio audientem, Act. 22. Sed et Hieronymus in epist. ad Algasiam, quaest. 10., Paulum affirmat, in vernacula lingua disertissimum fuisse.

Neque nunc distinguo linguam Hebraicam a Syriaca. Constat enim, linguam, quae Judaeis tunc erat vernacula, quaque Christus et Apostoli fuerunt usi, non pure Hebraicam fuisse, sed mixtam, et dialecto non parum dissimilem, quae Syriaca postmodum vocata est. Addit vero: *Israëlitae sunt, et ego;* vel ne suspicio esset, ipsum lingua tantum, non etiam gente Hebraeum esse; vel potius ad significandam nobilitatem generis, qua negat se illis inferiorem. Ea maxime significatur nomine Israël, in Scripturis celeberrimo, quodque divinitus datum fuerat ipsorum Patriarchae Jacob.

Addit deinde: *semen Abrahae sunt, et ego;* nam id multo adhuc honorabilius censebant, propterea quod Abraham et primus eorum esset Patriarcha, et prae caeteris eximia in Deum pietate ac fide fuisset; eoque Dei amicus appellatus, et dignus habitus, cui tam praeclarae a Deo fierent promissiones, in semine ejus, id est, in posteris, implendae. Est igitur in hoc Pauli sermone figura, quam incrementum vocant. Etenim gloriosius erat Israëlitam dici, quam Hebraeum; et semen Abrahae dici, quam Israëlitam.

23. *Ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego.* Particulam *et ego* proxime subjunctam illis verbis: *ministri Christi sunt,* quae in permultis erat codicibus, eademque a non paucis tractatoribus exposita, jure expunxerunt Romani correctores. Nam Graeci et Syri codices non agnoscunt, ut nec Augustinus in loco superius citato; sed neque ex Ambrosiano commentario apparet, eam in textu fuisse. Denique Latini codices emendatiores, tum manuscripti, tum impressi, non habent; ut prorsus verisimile sit, librariorum praepostera diligentia huic quarto membro ex tribus superioribus adscriptam esse. Quod vero nostra vorsio habet: *ut minus sapiens dico,* Graece est: παραφρονῶν λαλῶ, id est, desipiens, sive stultescens ac delirans, loquor, tamquam dicat Apostolus: Ministri Christi sunt, (stulte loquor, stultitiae meae ignoscite) plus et excellentius ego sum. Nam excellentiam significat Graecum ὑπὲρ, id est, *super,* ut legit Augustinus.

Repetit autem Apostolus excusationem insipientiae hoc loco, non quia gloriatur se Christi ministrum, quod ubique inculcat; sed quia in re tanta se aliis anteponit, dicendo: *plus ego.*

Quaeres, quomodo nunc ministros Christi vocet, quos paulo ante vocavit pseud-

apostolos, operarios subdolos, et ministros Satanae? Respondeo: Quatuor ista, quae velut affirmanter ab Apostolo dici videntur: *Hebraei sunt, Israëlitae sunt, semen Abrahae sunt, ministri Christi sunt,* per rhetoricam concessionem dicta esse, quasi dicat: Demus, esse tales. Nam ut vere fuerint Hebraei, et Israëlitae, et semen Abrahae, tamen Christi ministri non erant, nisi quod ad Christum quoquo modo praedicandum sese ingerebant, quemadmodum ad Philipp. 1. dicit. Quidam respondent, illa quatuor esse legenda cum interrogatione, quae nihil affirmet, sed lectori judicium relinquat, an vere tales sint. Mihi prior responsio probatur. Quod autem dixit, *plus ego,* ne dictum arrogantius videatur, tum quia ad institutum commendandi sui ministerii pertinebat, deinceps late probat. Estque notandum cum Theodoreto, Paulum hic non adducere in medium miracula, quae fecit, ut mortuos suscitatos, claudos restitutos, daemones effugatos (licet horum obiter, et restricte, tantumque in genere meminerit capite sequenti, dicens, *signa sui Apostolatus facta fuisse super Corinthios in signis et prodigiis, et virtutibus),* sed ea tantum, quae pro Evangelio perpessus est.

In laboribus plurimis. Augustinus legit: *plurimum,* Graece est: *abundantius,* ut in parte sequenti. Sensus: In eo, quod graves ac multos labores Evangelii causa suscepi, intelligitur, me ministrum Christi declaratum aut probatum esse, aut quid tale. Similiter expone in sequentibus.

In carceribus abundantius, in plagis supra modum. Haec duo membra contrario ordine apud Graecos leguntur. Illud: *abundantius* aut comparationem innuit Pauli cum iis, qui se vocabant Christi ministros, ut sentit Ambrosius; eo quod parum admodum illi laborassent, ac vix aliquid passi essent; aut potius, secundum Oecumenium, sine comparatione personarum ipsius rei excessum sive frequentiam significat; sic enim et alibi accipitur. Neque verisimile est, pseudapostolos propter Evangelium fuisse passos incarcerationem. De Paulo autem incarcerato ante hanc epistolam in Actis Apostolorum non legimus quidem, nisi cap. 16., ubi a Philippensibus in carcerem missus legitur; sed permulta Paulus et fecit, et passus est, quae in Actis non scribuntur. Quod vero dicit: *in plagis supra modum,* id est, in verberibus insolenter, et, ut ita dicam, excessive mihi illatis, id mox quibusdam partibus explicat.

In mortibus frequenter. Mortes vocat mortis pericula; quemadmodum et 1. cap. hujus epist., ubi noster interpres vertit: *Qui de tantis periculis nos eripuit;* eas vero mortes paulo post multas enumerat.

24. *A Judaeis quinquies, quadragenas, una minus, accepi.* Plagas intellige. Legimus Deuter. 25., praeceptum Israëlitis fuisse, ut in flagellando fratre, id est, Hebraeo, quem dignum plagis comperissent, quadragenarium numerum plagarum non excederent. Judaei vero, sive caventes, ne forte in ipso verberandi impetu praefinitum numerum transsilirent, sive clementiae et humanitatis causa, memorato numero statuerunt unam plagam demendam esse, etiamsi quis integrum numerum plagarum commeruisset. Quod quidem arbitror referendum ad Judaicas traditiones in Dei legem injuriosas. Neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam mysterium continebatur, unitate dempta mutare; siquidem quadragenarius numerus afflictioni et poenitentiae consecratus est.

Porro quoniam Judaei Paulum vehementer oderant, nec tamen eum morti adjudicare permittebantur, a Romanis prohibiti, juxta illud Joann. 18.: *Nobis non licet interficere quemquam;* idcirco plagis eum onerabant, quam multis poterant secundum legem consuetudine restrictam et moderatam, hoc est, undequadraginta. Id autem factum quinque diversis temporibus. Sed cur Lucas in Actis ne unius quidem flagellationis ex quinque meminit? Ideo videlicet, quod de Paulo paene ea sola, quibus ipse praesens fuit, sigillatim recenseat; alia vero vel silentio pertrans-

eat, vel summatim ac breviter referat, ut interdum tribus verbis complurium mensium atque etiam annorum res gestas perstringat. Qua in re notanda humilitas Pauli, qui suas et tot tam graves pro Christo passiones Lucae comiti suo non aperuerit, ne hic quidem recitaturus, nisi coëgisset eum amor salutis Corinthiorum. Apparet autem, has flagellationes fuisse factas in synagogis, ad significandum, contra legem Mosis aut religionem peccatum fuisse. Dicit enim Dominus Matth. 10.: *In synagogis suis flagellabunt vos.*

25. *Ter virgis caesus sum,* a gentilibus; erat enim Romanis consuetudo virgis caedere nocentes. Cajetanus hinc apparenter colligit, Judaeos non virgis, sed alia instrumento flagellare solitos; quoniam ter duntaxat virgis caesum se dicat Apostolus. Porro Lucas tantum semel meminit hujus contumeliae Paulo illatae, scilicet Act. 16., ubi scribit, eum una cum Sila virgis caesum a Philippensibus.

Hic quaeri potest, cur passus sit Paulus, sese virgis caedi, cum dicendo, se Romanum esse, evadere potuerit flagellationem, ut fecit simile quiddam Act. 23. Responderi potest, quod id non putavit faciendum, nisi gloria Dei et salus Ecclesiae hoc videretur postulare. Nam utique Act. 16. virgis caedi se permisit; nec Romanum se declaravit, nisi postera die, quando magistratus jubebat eum dimitti. Quod si initio dixisset, se civem Romanum, non fuisset occasio convertendi ad fidem Christi custodem carceris cum tota domo.

Semel lapidatus sum. Id passus est Lystris Lycaoniae, potissimum a Judaeis, adeoque graviter, ut mortuus putaretur; quemadmodum refertur Act. 14. Et quidem eodem cap. legitur, etiam Iconii factum a Judaeis et gentilibus impetum, ut Paulum et Barnabam lapidarent; sed tunc fuga periculum evasisse Apostolos, Lucas significat. Caeterum ab hoc loco mortes suas incipit Apostolus recensere, de quibus dixit: *In mortibus frequenter.*

Ter naufragium feci. Nullum Pauli naufragium attingit Lucas in Actis, praeterquam quod passus est, Romam proficiscens, Act. 27.; sed illud apud Melitam, multo post scriptam hanc Epistolam, contigit. Itaque falluntur, qui hoc numerant inter haec tria.

Nocte et die in profundo maris fui. Ad verbum in Graeco est: *Noctidiuum in profundo feci.* Quod Erasmus vertit: *Noctem et diem in profundo egi;* tametsi non male noster interpres addidit: *maris.* Nam vox Graeca, licet nihil aliud addatur, saepe apud scriptores accipitur pro maris profunditate. Nec aliter commentatores plerique locum hunc accipiunt; idque convenienter textui. Cum enim dixisset, *se ter naufragium fecisse,* utique in mari, subjunxit aliud periculum marinum longe gravius, nempe quod demersus fuerit ex naufragio in profundum maris; ubi tamen divina ope fuerit servatus incolumis noctem et diem, atque inde postea liberatus.

Quamquam Syriaca versio, quae loco illius: *in profundo,* legit: *sine navigio in mari,* alium sensum indicat, scilicet, Paulum fuisse jactatum undis extra navim in vasto mari, quod a Poëtis altum vocatur. Simile quid sentit Ambrosianus, qui tamen in eo manifeste fallitur, quod partem hanc exponit de illa navigatione, qua Romam ibat Apostolus, postquam Caesarem appellasset. Constat enim, hanc epistolam ante scriptam esse. Porro Theophylactus scribit, asserere nonnullos, hic significari, quod in quodam puteo, cui nomen Bythos, id est, profundum, absconditus fuerit Paulus post periculum apud Lystrios. Refert quoque Beda ex Theodoro, Archiepiscopo gentis Anglorum, libro quaestionum, quaest. 3. titul. 8., fuisse apud Cyzicenos, quae una erat civitatum Asiae, carcerem quendam teterrimum, qui, quod altissimus esset, profundum maris vocaretur eadem ratione, qua carcer apud Athenienses famosissimus barathrum appellatus est; nam et in Scriptura profundi carceres passim lacus appellantur. De hoc carcere Cyziceno neotericus quidam scriptor (vide Baron. ad Martyrol. Rom. Septemb. 20. et Tom.

1. anno Christi 58. §. 43.) praesentem Apostoli locum intelligi posse putat. Verum ut taceam, a nullo autorum proditum esse, quod Paulus aliquando Cyzici praedicaverit Evangelium, certe si hic de carcere quopiam Apostolus loqueretur, non adderet: *noctem et diem;* non enim magnum est aut memorandum, uno die naturali fuisse in carcere, tametsi profundo; cum plerumque diutius soleant homines in carceribus detineri. Qua ratione Chrysostomus illud de carcere refellit. Quocirca communem expositionem probabiliorem existimo. Sic enim dixit Apostolus, noctem et diem se egisse in profundo maris, quomodo de Jona dicit Scriptura, quod tribus diebus ac noctibus fuerit in ventre ceti; qui etiam de se ipso ita loquitur ad Dominum: *Et projecisti me in profundum, in corde maris.* Jonae 2.

26. *In itineribus saepe,* non solum molestis, sed et periculosis, uti declarant sequentia.

Periculis fluminum, quae interdum non minus periculosa sunt navigantibus, quam mare.

Periculis latronum, in quos inciderat iter faciens. Horum meminit, non quod latrones ipsum invaserint propterea, quod Christum praedicaret; nam nec mare aut flumina ei naviganti infesta fuerunt propter Evangelium; sed idcirco haec commemorat, inquit post Chrysostomum Theophylactus, quia Evangelii causa molestas et periculosas profectiones susceperat; ut proinde merito gloriaretur, se haec omnia pro Christi ministerio pertulisse, seque per ea declarari verum et insignem Christi ministrum.

Periculis ex genere, id est, a Judaeis, qui cum ipso ejusdem erant generis, quosque alibi cognatos suos vocat; nam et hoc loco Syriacus textus habet: *ex cognatione mea.* Hos vero quam graves semper inimicos senserit, ex ipsius epistolis atque ex Actis a Luca conscriptis clarissimum est.

Periculis ex gentibus, id est, a gentilibus, sed iis plerumque a Judaeis in ipsum concitatis; ut ex Actis liquet.

Periculis in civitate, velut Damasci, Jerosolymis, Ephesi, atque alibi.

Periculis in solitudine, id est, in desertis locis, in quibus ei ab adversariis collocabantur insidiae.

Periculis in mari. Jam ante, quid in mari passus fuerit, exposuit. Verum hic peculiariter loquitur de periculis sibi mare naviganti paratis ex insidiis hostium, maxime Judaeorum, cujus exemplum habemus Act. 20., ubi scribitur, factas illi fuisse insidias a Judaeis navigaturo in Syriam; tametsi illud verisimiliter contigerit post scriptam hanc epistolam; atque similia potuerunt ante contigisse.

Periculis in falsis fratribus, id est, periculis, quae passus sum a simulatis et falso nomine Christianis, qui sunt hostes intestini ac domestici, eoque magis periculosi. Quorum typum gessit Judas proditor, de quo David in persona Christi canit Psalmo 54.: *Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis,* etc.

27. *In labore et aerumna.* Prosequitur alias afflictiones, in quibus Evangelii causa toleratis, aut sponte etiam susceptis, excellens Christi minister declaratus sit. Pro *aerumna* molestiam legit Ambrosianus; noster interpres alibi *fatigationem,* vertit, 2 Thess. 3. Significat autem vox Graeca laborem cum difficultate ac fatigatione conjunctum.

In vigiliis multis, Graece: *In vigiliis saepe.* Quales fuerint vigiliae Pauli, discere licet ex Actis Apostol.; nam Philippis in carcere media nocte Deum orat et laudat, Act. 16.; item Troade sermonem in die Dominica protrahit usque in mediam noctem. Denique Mileti, apud presbyteros Epheso evocatos, contestatur, se per triennium, nocte et die, non cessasse ab officio veri pastoris, Act. 20. His adde vigilias, quas exegit opere manuum, de quibus 2. ad Thessalonicenses 3.: *Neque gratis,* inquit, *panem manducavimus ab aliquo; sed in labore et in*

fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

In fame et siti. Inediam et penuriam passus est, gratis Evangelium praedicans. Unde ait 1 Cor. 4.: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus,* et ad Phil. 4.: *esurire et penuriam pati* inter ea numerat, in quibus institutum se dicit.

In jejuniis multis. Iterum *saepe,* pro *multis,* in Graeco et apud Ambrosianum. Ut autem pars haec a praecedenti diversa sit, intellige, cum S. Thoma, jejunia ad purificandam mentem et edomandam carnem sponte assumpta, quo fructuosius Evangelium praedicaret. Sic enim ait in priori epistola cap. 9.: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo; ne forte* etc.

In frigore et nuditate. Haec duo conjungit, ut significet, ob nuditatem et vestium inopiam frigora passum se fuisse. Quamquam possunt diversa mala intelligi; nam aestate quis patitur nuditatem, non frigus, si vestibus careat. Nuditatis etiam meminit 1 Cor. 4.

28. *Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana.* Chrysostomus ac caeteri Graeci expositores haec dividunt, priorem partem superioribus jungentes. Quod enim in Graeco est: παρεκτός, id est, *extrinsecus,* ut noster interpres vertit, illi accipiunt, ut idem sit, quod praeter; quomodo accipitur Matth. 5., ubi dicitur: *excepta fornicationis causa,* Graece: *praeter verbum fornicationis;* tamquam dicat Apostolus: *Absque iis, quae praetermitto,* quo significet, se nondum omnia, quae pro Evangelio passus sit, commemorasse; sed quaedam studio praetermittere. Quod autem noster vertit: *instantiam,* illi de tumultibus et commotionibus seu concursibus hominum adversus ipsum frequenter excitatis intelligunt. Sic enim et alibi vox Graeca ἐπισύστασις accipitur, ut Act. 24.: *Aut concursum facientem turbae.*

Porro Latini plerique totum hoc sejungunt a superioribus, et ad hunc fere modum exponunt: Jam vero praeter illa, quae foris et extrinsecus mihi accidunt, id est, corporis afflictiones et pericula, cujusmodi sunt, quae hactenus recensui, sunt et peculiares animi dolores atque afflictiones, quibus excrucior Evangelii causa. Nam quotidie ad me, tamquam Apostolum Ecclesiarum, concurritur undique a fidelibus, ob varias difficultates circa negotium Evangelicum emergentes; quae res animum meum inquietat majorem in modum. Sensus hic valde probabilis est. Similiter enim et supra cap. 7. utrumque genus afflictionis complexus est, dicens: *Omnem tribulationem passi sumus; foris pugnae, intus timores.*

Nec admodum quadrat Graecorum expositio, quia tumultus populorum adversus Paulum non erant quotidiani, sed rariores. Neque conveniebat, Apostolum, cum modestia de se gloriantem, uti hyperbolis. Graeca quoque lectio Latinorum commentarium facile admittit, si instantiam hominum ad Paulum concurrentium intelligamus, qualem jam diximus. Quomodo sane B. Augustinus intellexit, scribens in Psalm. 98., ubi hunc locum ita legit: *Incursus in me quotidianus;* nec secus in 4. de doctrina Christiana. Illud etiam: *extrinsecus,* bene se habet. Nam Graecum adverbium παρεκτὸς, ex *praeter* et *extra* compositum, utriusque significationem participat. Unde et locus Matthaei percommode verti potest: *extra causam fornicationis.* Denique sequentia nostrae expositioni applaudunt.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, etiam earum, quibus ipse Evangelium non praedicaverat, aut in quibus non fuerat, quod epistolae ejus declarant ad Romanos et ad Colossenses. Si enim pro invicem sollicita sunt membra ejusdem corporis, etiam minora; quantam oportuit esse pro reliquis omnibus sollicitudinem tanti tamque nobilis ac praecellentis membri? Nec ideo praefuit toti Ecclesiae Paulus, quasi parem cum Petro potestatem sortitus; nam etsi sollicitudo praefecturam consequatur, non tamen e converso praefectura sollicitudinem; quemadmodum patet in eo, quod jam dictum est de membris pro se invicem sollicitis.

Potest et sic intelligi: *omnium Ecclesiarum,* id est, plurimarum, scilicet earum, quas ipse fundaverat, aut quibus per se vel per discipulos suos Evangelium praedicaverat. Quamquam etiam ultra eas sollicitudinem suam extendisse liquet ex epist. ad Romanos scripta, quibus non praedicaverat. Porro sollicitudinem hanc et curam omnium Ecclesiarum Paulo incumbentem merito Chrysostomus, inter afflictiones hactenus enumeratas, onus omnium maximum fuisse censet.

29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Partem Apostolicae sollicitudinis explicat his verbis: Quis, inquit, fidelium infirmatur animo, propendet ad lapsum, pronus est ad peccandum levi occasione, quemodo qui corpore parum firmi sunt; et ego non infirmor per intimum affectum commiserationis, metuens ac sollicite cavens, ne frater infirmus cadat? Dixit hoc et in priori epist. cap. 9.: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem,* vide ejus loci commentarium.

Quis scandalizatur, et ego non uror? Plus est scandalizari, quam infirmari; in quantum deterius est cadere, quam pronum esse ad casum. Sed cur non dicit: Et ego non scandalizor? sicut dixerat: Et ego non infirmor? Quia scandalizari non sic in bonam partem intelligi potest, sicut infirmari. Dicitur enim mater et nutrix infirmari cum infante, et medicus cum aegroto, quia ad ejus infirmitatem se demittit, eique sese accommodat per commiserationem et tolerantiam infirmitatis. At scandalizari non dicitur, qui cadentibus condolet aut condescendit; sed qui similiter impingit et cadit. Uri vero dicitur, qui vehementi dolore animi afficitur, velut si igne ureretur; quod illi necesse est accidere, qui proximum, quem vera charitate diligit, videt ex alienis factis minus rectis in ruinam impelli, quod est scandalizari. Unde Augustinus in enarr. Psalm. memorati, locum hunc tractans, ait: Quanto major charitas, tanto majores plagae de peccatis alienis.

30. *Si gloriari oportet, quae infirmitatis meae sunt, gloriabor.* Quoniam dicens: *Et ego non infirmor?* in eo, quod infirmitatis est, gloriari videbatur; ideo nunc generaliter affirmat, se in his, quae infirmitatis suae sunt, gloriari. Quandoquidem, inquit, cogitis me ad gloriandum, de his gloriabor, quae sunt infirmitatis meae. Sic capite sequenti: *Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.* Infirmitas in sacris litteris varie sumitur, ut annotavimus ad illud Rom. 5.: *Cum adhuc infirmi essemus.* Hoc loco, et sequenti capite suas infirmitates Apostolus vocat ea, quae passus fuerat; utpote talia, propter quae quis apud homines carnales despectus et contemptibilis haberi soleat. Hujusmodi sunt, quae jam longo ordine enumeravit, ab eo loco: *In laboribus plurimis.* Nam laboribus atteri, carceribus includi, plagis affici, virgis caedi, periculis exponi, inediam ac nuditatem pati, et his similia, refugiuntur ab hominibus, partim ut dura et aspera, partim ut probrosa; quibus annumerat, quod mox subjicit de fuga sua, quando per fenestram in sporta dimissus fuit ex muro; cujusmodi fuga animo excelso videretur parum honesta. Sed quid in ea narratione spectet Apostolus, statim exponemus.

Gloriatur autem in his potius, quam in iis, quae erant potentiae, velut in signis et miraculis; quae plurima ediderat, quaeque hominem mundo spectabilem et gloriosum reddere solent; eo quod in iis, quae infirmitatis sunt, maxime declaretur virtus Christi, quemadmodum docet sequenti capite; tum quoniam hac parte multis modis ab ipso superabantur pseudapostoli; denique quod infirmitates non sic animum erigunt, uti miracula; quorum proinde nullam in superiori catalogo mentionem facere voluit, sed ea sequenti capite tantum obiter ac breviter attingit, tamquam signa sui Apostolatus.

Quod ad textum attinet, ubi dicit: *Quae infirmitatis meae sunt, gloriabor,* in Graeco subauditur κατὰ, secundum ea, id est, de iis, quae etc., sicut superius expositum est. Augustinus legit: *in iis, quae* etc., quod perinde valet. Porro

sciendum est, totum hunc locum Apostoli usque ab illis verbis: *Iterum dico, ne quis me putet insipientem*, etc., transscriptum esse ab Augustino lib. 4. de doct. Christ. cap. 7.; videlicet pro insigni exemplo, quo doceat, esse in sacris litteris eloquentiam, non illam studio quaesitam et arte compositam, qualis in libris saecularium scriptorum; sed nativam et castam, quae tamquam sapientiae famula, sponte, etiam non vocata, dominam suam comitetur. Observare est in his, quae transscripsit Augustinus, praeter cola et commata, et periodos cum decentissima varietate interposita, quae ille diligenter annotavit, cebras etiam ac varias metaphoras, quas vocant, aliaque locutionis schemata, quibus oratio non modo jucunda et venusta, verum etiam mirum in modum acris ac vehemens redditur.

31. *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit, quod non mentior.* Ad *Deum et Patrem* refertur illud: *qui est benedictus in saecula;* quemadmodum ex Graeco manifestum est, ubi hic est ordo: *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, is* (inquam), *qui est benedictus in saecula, quod non mentior;* atque ita etiam ab Augustino citatur. Tota vero sententia, quamvis ad subjunctam narrationem a multis referatur, quod et velle videtur Responsorium quoddam Ecclesiasticum de sancto Paulo (unde et nonnulli hic faciunt exordium novi capitis), attamen ratio magis exigit, ut, quod aliis placet, ad superiora respiciat, quae de se Apostolus commemoravit. Nam hoc, quod sequitur de fuga sua, tam forti asseveratione, qua hic utitur, non eget; sed quia, quae supra recensuit, tam multa et magna sunt, ut videri possint fidem excedere; propterea confirmat ea juramento, quod tacitum inest in his verbis. Qui enim pro confirmatione eorum, quae dixit, subjicit: Deus scit, aut simile quippiam; is Deum adducit dictorum suorum testem, tamquam omnia scientem. Certe formulam hanc esse juratoriam, docet S. Augustinus epist. 89. quaest. ult. S. Thomas quoque juramentum hic agnoscit. Quasi ergo sic dicit Apostolus: Deus horum omnium testis est, qui novit, me non mentiri, sed vera dicere. Emphasim habet quod addit: *qui est benedictus in saecula;* quasi dicat: Absit, ut abutar ejus testimonio, cui omnis laus et honor debetur in omnem aeternitatem. Sic enim hanc phrasim exponendam ostendimus in comment. Rom. 1.

32. *Damasci praepositus gentis Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum.* Res gesta, quam hic attingit, narratur a Luca Actor. 9. Subjicit autem et hanc narrationem, ut gloriandi materiam, non quod glorietur de fuga, dicens: *et sic effugi manus ejus;* ut enim fuga licita fuerit (de quo mox aliquid dicemus), non tamen erat illi materia gloriae adversus pseudapostolos. Fugere enim pericula, per se timoris est, non fortitudinis aut patientiae. Sed gloriatur de periculo (sicut in superioribus) eoque tanto, ut periturus esset, nisi fuga fuisset elapsus. Erat autem et hoc periculum a Judaeis, ut eadem Acta testantur. *Damasci* genitivus adverbialis est; Graece: *In Damasco.* Quod autem sequitur: *praepositus gentis,* compositum est nomen ἐθνάρχης, ad quod totum refertur genitivus sequens: *Aretae regis.* Nec *custodia* qualiscumque significatur, sed quae fit cum excubiis. Clarius itaque verti potuit hoc modo: Civitate Damasci is, qui gentis praefectus erat nomine Aretae regis, excubiis positis servabat Damascenorum civitatem. Fuit Aretas Herodis tetrarchae socer, Arabiae Petraeae atque Damasci regulus, ut autor est Josephus Antiq. Jud. lib. 18.

Ut me comprehenderet; Graece: *comprehendere me volens,* scilicet Judaeis adversariis meis tradendum; nam Judaeorum opera, qui Paulum interficere cupiebant, factum esse, quod hic scribit, Lucas in Actis Apost. diserte exposuit.

33. *Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum.* Id est, per moenia civitatis; idque nocte, et a discipulis, id est, Christianis, ut refert Actorum historia.

Et sic effugi manus ejus. Sic abest in Graecis et Syris codicibus, atque in nonnullis manuscriptis Latinis, quibus et Ambrosianus suffragatur.

Quaeret aliquis, cur Paulus inter ea, de quibus gloriatur, fugae suae mentionem inserens, non det maculam in gloria sua; cum sit mercenarii, non pastoris, persecutorem fugere; dicente Domino Joannis 10.: *Mercenarius, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.* Respondeo, Paulum non ita fugisse, ut oves, quoad curam illis debitam, dimitteret, fieretque, quod sequitur in verbis Domini: *et lupus rapit et dispergit oves.* Non enim omnes tunc illius loci fideles persecutionem patiebantur, sed solus Paulus, Judaeis peculiariter invisus; qui proinde juxta prudentiae regulam, praesertim fratribus id ipsum postulantibus, fugiendo vitare debuit imminens periculum, ut se in futurum tempus servaret utilitati Ecclesiae. Nam et Dominus hoc praecepit, Matthaei 10. dicens: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Neque vero deerant, qui in illius absentia fideli populo necessaria salutis subsidia subministrarent, Ananias et alii; quemadmodum nec defuerant, antequam ipse Damascum veniret.

Caeterum fuga, de qua Dominus in Evangelio loquitur, non tam corporis est, quam animi; qua nimirum quis ita relinquit oves, ut earum salutem suis commodis aut vitae etiam temporali postponat. Velut si tempore persecutionis, vel ob pestem, aut hostium incursum, sui praesentiam ovibus subducat, quando illa ad ea, quae salutis sunt ministranda, ovibus est necessaria. Qua de re disserens ex professo beatus Augustinus, epist. 180. ad Honoratum, ita tandem concludit: *Quicumque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiae necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit, quod Dominus praecepit, sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus.* Haec ille ibi.

CAPUT DUODECIMUM.

Si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. 2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium coelum [1]). 3. Et scio hujusmodi hominem; sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit; 4. quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui [2]). 5. Pro hujusmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis [3]). 6. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me [4]). Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae [5]), qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; 9. et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur [6]). Libenter igitur gloriabor

---

[1]) Act. 22, 17. [2]) 1 Cor. 2, 9. [3]) Cap. 11. 30. [4]) Cap. 3, 5. seq. 4, 6. [5]) Vers. 10. [6]) 1, 5.

in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmor, tunc potens sum[1]. 11. Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim a vobis debui commendari; nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum[2]; 12. signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus[3]. 13. Quid est enim, quod minus habuistis prae caeteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos[4]? Donate mihi hanc injuriam. 14. Ecce, tertio[5] hoc paratus sum venire ad vos; et non ero gravis vobis. Non enim quaero, quae vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris[6], licet plus vos diligens, minus diligar. 16. Sed esto! ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos[7], circumveni vos? 18. Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem[8]. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? 19. Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur; omnia autem, charissimi, propter aedificationem vestram. 20. Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo[9], inveniam vos; et ego inveniar a vobis, qualem non vultis[10]; ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos; 21. ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis[11], qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.

SUMMARIUM CAPITIS DUODECIMI.

Recommendat se Apostolus ex divinis revelationibus, et ponit ibi remedium contra periculum superbiae, et seipsum excusat, ponens beneficia Corinthiis impensa.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. Si non est in Graeco, potestque videri in nostris huc adscriptum ex loco superiori. Caeterum varietas quaedam est in Graecis codicibus, ob similitudinem trium dictionum: δεῖ, δὴ, δὲ, *oportet, sane, autem;* tametsi plurimorum codicum lectio est, eaque probatissima: *Gloriari sane non expedit mihi,* id est: Quamvis propter vos oporteat me gloriari, ut dignitatem ministerii mei tuear adversus obtrectatores, mihi tamen id non expedit; intellige simpliciter, et extra casum praesentem aut similem; tum quia speciem habet jactantiae, tum propter elationis periculum. Ambrosianus quo-

---

1) Cap. 4, 8. seq. Rom. 8, 37. 2) Cap. 11, 5. 3, 5. 3) Rom. 15. 18. seq. 4) Cap. 11, 9. 5) Cap. 1, 15. 13, 7. seq. 6) Rom. 9, 3. 7) Cap. 7, 2. 8) Cap. 8. 18. 9) Cap. 1, 23. 10) Cap. 10, 2. 11) Vers. 7.

que: *mihi*, non *quidem* legit. Ac videri potest interpres pro μοὶ legisse μέν. Utitur autem rursum Apostolus hujusmodi praefatione, quod nunc non ea, quae infirmitatis sunt, sed praeclarum ac sublime quiddam de se commemoraturus sit. Quapropter et ad declinandam jactantiae suspicionem, quasi de alio quodam homine rem narrat, additque, se nescire, quomodo res acciderit, in corpore, an extra corpus.

Veniam autem ad visiones, et revelationes Domini, scilicet commemorandas. Graece est: *Veniam enim;* velut causam reddat Apostolus, cur dixerit, sibi non expedire, quod super his rebus gloriaretur. Inter visionem et revelationem Liranus et Cajetanus post D. Thomam ita fere distinguunt, quod revelatio visionem includat aut supponat, non contra. Cum enim aliquid videtur, cujus intelligentia sive significatio videntem latet, visio solum est; quales fuere visiones Pharaonis et Nabuchodonosor, qui nesciebant, quid per eas significaretur. Quando autem aperitur intelligentia rei visae, revelatio est; qualem habuerunt Joseph et Daniel ac caeteri Prophetae. Meminit hujus distinctionis etiam Theophylactus. Conjungit ergo Apostolus visiones et revelationes, quia, quae vidit, etiam perfecte intellexit. Vocat autem eas *visiones et revelationes Domini,* id est, a Christo Domino sibi factas, unde et Gal. 1. profitetur, se Evangelium suum accepisse per revelationem Jesu Christi.

2. *Scio hominem in Christo.* Id est, novi hominem quendam Christianum, Christo per sacramentum fidei incorporatum. Hoc Paulum de se, et non de alio dicere, clamat totus contextus; illud maxime: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi* etc. Et alioqui nihil ad institutum faceret ista narratio.

Ante annos quatuordecim. Haec temporis designatio, quamquam videri cuiquam possit referenda ad particulam praecedentem: *in Christo,* rectius tamen, ex consensu omnium interpretum, refertur ad illud sequens: *raptum hujusmodi* etc. Propterea vero tempus rei gestae duxit annotandum, inquit Chrysostomus, ut significaret, se, qui tamdiu rem tacitam et occultam tenuerat, ne tunc quidem proditurum fuisse, nisi maxima necessitas ipsum compulisset; deinde, ut detur intelligi, quantis postea donis divinitus cumulatus fuerit, quem a tam multis annis tam insigni revelatione Christus fuisset dignatus. Ex hoc annorum numero collato cum annis imperatorum Romanorum, qui per id tempus regnarunt, colligit S. Thomas, raptum Pauli, quem hic commemorat, contigisse in ipso anno conversionis ejus ad Christum; ac probabile censet quod quidam dicunt, Apostolum has visiones habuisse in illo triduo, quo statim a conversione Damascum introductus (ut habetur Act. 9.), erat non videns, ac neque comedens, neque bibens. In eandem sententiam concedunt Liranus et alii.

Verum qui temporum rationem diligentius investigarunt, certioribus argumentis ostendunt, raptum hunc Pauli contigisse octennio post ipsius conversionem, scilicet anno Domini 44., Claudii vero imperatoris 2., cum ejus conversio in annum Domini 36. inciderit. Constat enim, scriptam fuisse hanc epistolam anno Domini 58., Neronis autem 2. Non igitur eo anno, quo conversus fuit, sed quo praedicandi in gentibus Evangelii munus una cum Barnaba accepit, secundum ea, quae Act. 13. scribuntur, hanc revelationem Paulo ostensam fuisse, existimandum est; qui quidem annus fuit a conversione ejus octavus. An autem sit eadem haec revelatio cum illa, de qua scribit Gal. 1., *se accepisse Evangelium per revelationem Jesu Christi;* ac rursum cap. 2., *se adscendisse Hierosolymam secundum revelationem, ut de Evangelio, quod praedicabat in gentibus, conferret,* vide nostrum eo loco commentarium.

Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio. Dubitationem hanc Pauli sic accipiunt nonnulli, tamquam ignorare se dicat, utrum simul cum corpore fuerit raptus in tertium coelum atque in paradisum; quomodo Habacuc Propheta raptus fuisse legitur, ut Danieli cibum adferret,

Daniel. ult.; quomodo et Philippum diaconum Spiritus Domini rapuit a conspectu Eunuchi, et in Azotum transtulit, Act. 8.; an vero sola anima Pauli, corpore in terris relicto, rapta fuerit; quomodo raptum se in visione Ezechiel describit cap. 8. In hunc sensum non solum Ambrosianus Apostoli verba diserte exponit, verum etiam Chrysostomus eo modo intellexisse videtur. Dicit enim, Apostolum non habuisse pro comperto, num anima rapta fuerit, corpore mortuo relicto; an vero corpus etiam raptum fuerit. Quin et patres Ancyrani concilii cap. ult. maleficarum muliercularum errorem, existimantium, se cum suis corporibus multa terrarum spatia nocturnis horis pertransire, cum id tantum in phantasia, per daemonum illusionem, patiantur, hoc argumento inter alia refellunt, quod nec ipse Paulus audeat dicere, se raptum in corpore.

Verum S. Augustinus libr. 12. de Gen. ad lit. cap. 3., et post eum S. Thomas in commentario, hunc intellectum dubitationis apostolicae vehementer improbant; nec abs ratione. Nam si una cum corpore fuisset raptus in coelum, utique sensibus corporis fuisset usus ad cognoscenda, quae illic erant; vidisset ergo Christum oculis corporeis, et loquentem auribus corporeis audivisset. Nec sane ignorare potuisset, se sensibus corporis ad hujusmodi actiones usum fuisse.

Sensus ergo dubitationis est, utrum ea, quae vidit in raptu, viderit anima in corpore manente, an a corpore separata. Nam etsi dicatur anima mansisse conjuncta corpori, recte tamen intelligi potest, eam fuisse raptam in tertium coelum et in paradisum, propter contemplationem sublimium et ineffabilium mysteriorum, sicut *angeli, hominum in terra custodes, semper in coelis vident faciem Patris,* Matth. 18. Tametsi hoc, quod de angelis dixi, non per raptum contingit; uti mox patebit ex declaratione ejus, quod est: *raptum esse.* Caeterum in eo, quod Apostolus bis dixit: *nescio,* nulla battologia est; significat enim, se neutrum affirmare posse, quod utrumque nesciat.

Jam cum Apostolus ipse ignorare se fateatur, utrum in corpore, an extra corpus anima existente,, raptus sit; haud immerito Augustinus lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 3., et lib. de peccato orig. cap. 23. censet, impudentem ac temerariam esse inquisitionem, utro modo raptus ille contigerit; sed hoc intellige de inquisitione, qua certa cognitio quaeritur, non qua probabilis duntaxat. Unde non est arguendus temeritatis aut impudentiae S. Thomas, qui 2. 2. qu. 175. art. 5. et 6., necnon in commentario hujus loci, probabile putat, in hoc raptu animam Pauli non fuisse a corpore separatam, sed conjunctam mansisse; sic tamen, ut mens ejus ad ea videnda vel audienda, quae in raptu vidit vel audivit, esset a sensibus corporeis alienata. Sane raptum illum contigisse, anima manente in corpore, magis etiam ex eo probabile fit, quod alioqui fatendum esset, Paulum tempore raptus mortuum fuisse; siquidem mors hominis non aliud est, quam animae separatio a corpore. Quare et post raptum, anima revertente ad corpus, fuisset idem Apostolus a morte resuscitatus, et quidem, secundum eos, qui duos raptus hic distinguunt, in tertium coelum et in paradisum, bis hoc Paulo contigisset. Quod non est verisimile, quia miracula non sunt multiplicanda sine necessitate. Sed neque Scriptura raptus ejusmodi, quo anima divelleretur a corpore, usquam meminit. Illud quoque inauditum, quod quis ad hanc mortalem vitam secundo resuscitaretur. Neque vero haec Apostolus ignoravit; sed tantum scire se negat, id est, certo cognoscere, utrum in corpore etc., sicut certo sciebat, hominem raptum. Unde et subjungit:

Deus scit. Quod hoc loco non est jurantis, ut paulo ante: *Deus scit, quod non mentior,* sed Deo tribuentis certam scientiam rei sibi non certo cognitae; quemadmodum solemus de rebus incognitis et occultis aut alioqui incertis, dicere: Deus novit, an ita sit.

Raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Pendet ab eo, quod dixit: *Scio hominem. Raptum* autem dicit hujusmodi hominem, id est, raptu quodam elevatum; est enim raptus, secundum S. Thomam, ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est supra naturam, ex vi superioris naturae elevatio. Ex qua definitione potest intelligi, nec angelos, nec homines animasve beatas raptas esse ad Deum videndum; quia, quamvis, eleventur a Deo ad id, quod est supra naturam, non tamen alienantur aut abstrahuntur ab eo, quod est secundum naturam; quemadmodum Paulo contigit hoc loco, et Petro, quando factus in ecstasi, Act. 10.

Quod vero *tertium coelum* dicat Apostolus, ex Scriptura discendum est, quae tres tantum coelos agnoscit: *Primum,* nobis proximum, id est, aëreum; unde dicuntur aves coeli, et nubes coeli. *Secundum* stellatum; sub quo non solum planetarum orbes, verum etiam totum illud, quod supra nubes extensum est, comprehenditur; quia Scriptura non distinguit. Hinc stellae coeli dicuntur. *Tertium* coelum est, quod Theologi empyreum vocant, sedes beatorum; de quo dicitur: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris,* et in oratione Dominica: *Pater noster, qui es in coelis,* et rursum: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.* Quod quidem coelum corporeum est, utpote ad quod Christus secundum corpus per ascensionem fuit elevatus; et ad quod omnes electi post resurrectionem corporaliter assumentur. Hoc igitur est tertium coelum, ad quod raptum se dicit Paulus. Tradit hanc triplicis coeli distinctionem Joannes Damascenus lib. 2. de fide orth. cap. 6., licet empyreum non nominet; est enim hoc nomen recentius.

At Cajetano non assentior, qui, empyreo coelo rejecto, tertium ac summum coelum, idemque beatorum habitaculum, coelum aqueum esse dicit, id est, aquas, quae super coelos sunt, quarum Scriptura frequenter meminit. Verum quid de aquis illis sentiendum, diximus in 2. dist. 14. Certe nec Scriptura significat, nec Patrum quisquam docet, nec ratio dici permittit, coelum aqueum esse beatorum sedem.

Vide, si placet, hoc loco Doctorem Angelicum mira subtilitate philosophantem de triplici intellectu trium coelorum: facit enim tres coelos infra animam, et tres in anima, et totidem supra animam; atque ad unumquodque istorum ponit raptum peculiarem. Quamquam satis est huic loco, Paulum idcirco dici raptum ad tertium coelum, praedicto modo intellectum, quod, animo a sensibus alienato, fuerit elevatus ad sublimia quaedam et supernaturalia perfecto quodam modo cognoscenda; quomodo ea cognoscunt angeli, qui in coelis sunt; ut ratione hujusmodi cognitionis, in tertio coelo secundum animam aut mentem fuisse dicatur.

3. *Et scio hujusmodi hominem.* Hic quoque se ipsum intelligit.

Sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit. Eadem verba rursus, parenthetice, interponit, humiliter scire se negans, quod nescit; ut fidem mereatur in eo, quod scire se affirmat.

Quoniam raptus est in paradisum. Id est: *quod raptus sit in paradisum.* Ex hac parte jam evidentius apparet, Apostoli dubitationem non esse, fueritne rapta anima simul cum corpore, an sine corpore, sed eam, quae superius explicata est. Sejungit enim *raptum esse* ab eo, quod dixit: *in corpore, vel extra corpus;* ita ut cum eo construi non possit. *Paradisum,* non terrestrem sed coelestem recte plerique omnes intelligunt, id est, supernae beatitudinis locum; tametsi dissentit Epiphanius in epist. ad Joannem episcopum Jerosol., quae exstat inter epistolas Hieronymi. Disputans enim contra Origenem contendit, paradisum, de quo Paulus loquitur, eundem esse cum paradiso, e quo pulsus fuit Adam. At communis interpretum sententia nobis multo magis probatur, de coelesti paradiso Paulum loqui, id est, de loco beatorum, ut proinde paradisus a tertio coelo non videatur esse diversus, licet aliqui diversum imaginentur.

Unde quaeritur, utrum Paulus duas diversas hoc loco revelationes commemoret, an vero unam eamdemque diversis verbis. Commentator Ambrosii, Primasius et Anselmus existimant, diversas fuisse. Quod et Gregorius indicat, se sentire, lib. 19. Moral. cap. 5., cum dicit, Paulum *ad tertium coelum raptum, rursumque raptum in paradisum.* Favet his ipsa repetitio verborum: *sive in corpore* etc., quae viderentur inaniter repeti, si de eadem visione sermo esset. Accedit, quod plurali numero dixerit Apostolus: *Veniam ad visiones et revelationes Domini.* Plures ergo narrare instituit. Eadem sententia Chrysostomi ac caeterorum Graecorum esse videtur; quamvis enim dicant, Apostolum multas visiones recensere potuisse, ideoque dixisse numero plurali: *Veniam ad visiones* etc., caeterum unius solummodo meminisse, modestiae causa; revera tamen duas faciunt; unam autem vocant ex duabus constantem et continuatam. Dicunt enim, Paulum primo raptum fuisse e terra in tertium coelum, et mox e tertio coelo in paradisum.

Quod autem una eademque sit visio, quadam repetitione significata, sentiunt S. Thomas, Liranus, Cajetanus, Catharinus, aliique neoterici. Disputat de eadem re B. Augustinus lib. 12. de Genesi ad lit., ac tandem capit 34. in eam partem inclinatur, ut paradisus, de quo Apostolus, non alibi, quam in tertio coelo intelligatur; quem et vocat paradisum paradisorum; unde nec visiones distinguit, sed unam facere videtur. Idque sane ex Apostolo probabilius apparet. Primum, quia secundo loco non aliud tempus adscripsit praeter illud, quod initio posuerat, quatuordecim annorum. Deinde, quia in priori parte non dicit, quid viderit, audiverit, vel egerit; sed utramque narrationem ex altera supplendam relinquit; quasi nihil diversum in una, quam in altera, contigerit. Si ergo ejusdem temporis utraque visio est, et, si non alia vidit vel audivit in una, quam in altera, consequenter et locus idem fuit, et eadem visio. Confirmat hoc et communis Ecclesiae sensus, quae post Christi in coelos ascensionem non alium agnoscit paradisum, ad quem fidelium vota suspirent, quam patriam coelestem. Certe Lucae 23., quum Dominus dicit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso,* paradisus pro loco beatitudinis ponitur, ut hic, quamvis tunc nondum tertium coelum esset ille locus hominibus. Non tamen negandum est, quandam rationis diversitatem in diversis vocabulis Apostolum significare voluisse, quam Thomas et Cajetanus ita explicant, ut dicere voluerit Apostolus, se raptum fuisse non solum secundum vim intellectivam ad cognoscendum quaedam sublimia mysteria, quae insinuantur per tertium coelum, verum etiam secundum voluntatem, ad percipiendum ex hujusmodi cognitione specialem quandam et ineffabilem suavitatem; quod intelligitur nomine paradisi. Nam paradisus hortum significat amoenitatis ac voluptatis. Argumentum sumptum ex plurali numero visionum ac revelationum facile solvitur, si dicamus, multa Paulo revelata fuisse eodem tempore, et propter hoc vocari pluraliter visiones et revelationes. Hoc sensu talis erit sermonis continuatio: Scio, inquam, hujusmodi hominem.

Et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Arcana, Graece, *ineffabilia,* vel *non dicenda,* ut posterior pars sit prioris expositio. Non refert autem, sive verba pro signis rerum accipias; sive, quomodo frequenter in Scripturis accipiuntur, pro rebus ipsis, quae verbis significari solent, nam sensus utroque modo constat; ita tamen, ut priori modo verba non sensibilia, sed intelligibilia significentur. Fuit enim haec visio pure intellectiva. Quod vero dicit: *quae non licet homini loqui,* multiplicem potest habere sensum pro diversa significatione verbi *licet,* et prout illud *homini* potest regi a diversis. Aut enim sensus est, non esse homini licitum ea verba loqui; aut, non esse licitum ea verba loqui cuiquam homini, aut, non esse homini possibile ea verba eloqui, aut denique, non esse possibile ea verba eloqui

cuiquam homini. Quae tota varietas intelligendi etiam in Graeco textu locum habet. Secundum sensum multi tradunt; aliis vero non paucis placet tertius sensus; hoc enim dici solet ineffabile, quod homini non est possibile eloqui seu verbis explicare. Sic idem Apostolus supra cap. 9.: *Donum Dei inenarrabile* vocat, et Rom. 8. *gemitus inenarrabiles* dixit, et Petrus 1. epistolae cap. 1. *laetitiam inenarrabilem.* Atque hic sensus etiam B. Thomae magis probatur.

Itaque sentit Apostolus, illa, quae audivit, talia et tanta esse, ut ea verbis humanis explicari nequeant; quippe cum rei magnitudo facultatem humani sermonis excedat. Ex hoc loco bene colligunt Augustinus tract. 98. in Joannem, Theophylactus et Oecumenius, Apocalypsin, Pauli nomine aliquando evulgatam, apocrypham esse et falso titulo inscriptam. Quomodo enim scribi potuerunt *arcana verba, quae non licet homini loqui?* Non male tamen in genere quidam speculantur de mysteriis Paulo ostensis, unde Gregorius hom. 4. super Ezechielem putat, Apostolum in hoc tertio coelo vidisse ordines agminum coelestium, quos postea descripsit Col. 1. et alibi, cujusmodi aliquid etiam Theodoretus annotavit. Alii plenius eum instructum arbitrantur de mysterio vocationis gentium, deque caeteris ad religionem Christianam pertinentibus.

Porro S. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam et epistola 112. ad Paulinam, atque eum secutus Beda, Anselmus et Thomas in suis commentariis, existimant, Paulum in hoc raptu divinam essentiam vidisse, quomodo videtur a beatis; eo solum discrimine, quod Paulo contigerit, duntaxat in transitu videre, quod beati vident permanenter. Eadem sententia legitur apud Hugonem Victor. q. 34. super hanc epistolam. Verum apud scriptores Graecos et Latinos vetustiores, qui in Paulum commentati sunt, nihil tale legitur. Et vero si totus hic locus diligenter expendatur, non multum probabilitatis in illa opinione reperietur. Quamvis enim in eo, quod dicit Apostolus, *se audivisse arcana verba, quae non licet homini loqui,* significare voluerit visionem aliquam, quia dixerat: *Veniam ad visiones* (non enim in intellectu videre et audire distinguuntur, sicut in sensu) verumtamen ad significandam perfectissimam visionem, quae est visio Dei per essentiam, non fuisset usus metaphora accepta a sensu inferiori, dicendo, se audivisse; multo quippe minus est audire, quam videre, magisque secundum Scripturas ad fidem pertinet auditus, quam ad visionis evidentiam, quia *fides ex auditu,* Rom. 10. Deinde de Deo sive essentia Dei non diceret pluraliter *verba;* praesertim cum in divinis non sit, nisi unum verbum. Quocirca phrasis illa: *audire verba,* nulla parte videtur accommoda, per quam significetur visio Dei per essentiam. His adde Patrum sententias, quorum quidam, ut Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. ultimo, et Gregorius lib. 18. Moral. cap. 38., et hom. 8. super Ezechiel., nominatim ac diserte a Paulo removent essentiae divinae visionem.

Caeterum plurimi ac paene omnes universe negant, quemquam hominem in hac mortali vita Deum vidisse aut videre posse ea visione, quae beatis servatur in futurum. De qua re tota accurate egimus in 2. sent. dist. 8. Neque vero diversum probat, quod *in tertium coelum et in paradisum* (quibus nominibus locum beatorum significari supra dictum est) *raptum* se fuisse, dicit Apostolus; non enim illuc raptus est quoad communicationem visionis Dei beatis propriae; sed quoad communicationem mysteriorum quorundam ineffabilium, similiter beatis propriam, quam esset perpetuo retenturus. Non meminit aut hic illius visionis, qua ipsum Dominum vidit, quia de illa jam semel iterumque locutus fuerat in priore epist. cap. 9. et 15.

5. *Pro hujusmodi gloriabor.* Id est, de illo tali homine, quem novi, gloriabor; non autem de me, ut statim sequitur. Nam illum hominem, tanta revelatione dignatum a Deo, quasi finxit alterum a se multis infirmitatibus subjecto, quia

qualitates et accidentia diversa sunt, licet in eundem hominem cadentia; sicque illam suam excellentiam, quasi sit alterius hominis, per humilitatem dissimulat. Itaque in ea re est fictio quaedam personae velut a sua persona diversae.

Pro me autem nihil gloriabor. Graece: *De me ipso autem non gloriabor;* scilicet ut de me, vel in mea persona.

Nisi in infirmitatibus meis. Juxta id, quod supra dixerat: *Si gloriari oportet, quae infirmitatis meae sunt, gloriabor;* quo loco satis explicatum, quas Apostolus vocet suas infirmitates.

6. *Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens.* Ambrosianus et Graeca conjunctionem *et* non legunt, tametsi addita lucem adfert orationi. Sensus est: Nam etsi de meipso voluero gloriari in his, quae gloriosa videntur hominibus, ut sunt visiones et revelationes; revera non ero insipiens, licet aliquo modo futurus similis insipientibus.

Veritatem enim dicam. Ex superioribus intelligendum est, Apostolo fuisse necessitatem gloriandi, ut gloriam pseudapostolorum falsam et Corinthiis noxiam reprimeret. Qua necessitate constituta, bene sequitur: *Veritatem dicam;* ergo si gloriatus fuero, non ero insipiens; alioqui, etiam in veris, gloriationem stultam esse, persaepe contingit.

Parco autem, ne quis me existimet. Graece et Syriace: *in me existimet,* quod sic videtur intelligendum: Ne quis imputet in rationes meas. Id enim sonat phrasis Graeca, quae habet pronomen accusativi casus. Et eum sensum insinuavit interpres Theophylacti, dum vertit: *Ne quis imputet mihi.*

Supra id, quod videt in me. Multa exemplaria legunt: *quod videt me;* quibus Graeca et Syriaca cum Ambrosiano patrocinantur.

Aut aliquid audit ex me. Quod dicit Apostolus, tale est: Ab hujusmodi magnis et gloriosis recensendis abstineo, vestri causa, ne quis propter illa plus mihi tribuat ac majorem existimet, quam mea facta, quae videt, et meus sermo, quem audit, me esse declarant. Nam, ut annotant Graeci, si victimas ei mactare, tamquam Deo, voluerunt Lystrenses propter claudum sanatum, Act. 14.; et si Melitenses Deum appellabant, quod viperam de manu illaesus excussisset, Act. ultimo; quid non tandem honoris ei impendissent homines, si praeterea magnificas illas revelationes eis manifestasset.

7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me.* Graece: *Et magnitudine,* sive *excellentia revelationum ut ne extollar.* Ferme consonat Ambrosianus textus, necnon Augustinus in quaestionibus super librum Judicum; quorum alter legit: *sublimitate;* alter: *in magnitudine.* Inter nostram lectionem et Graecam hoc interest, quod secundum Graecam posset esse sensus: Ne ob magnitudinem revelationum extollar ab hominibus; juxta id, quod dixerat: *Ne quis me existimet* etc.; sic enim intellexit Photius apud Oecumenium. Sed bene rejicit hoc Theophyl., eumque reddit sensum, quem et contextus exigit, et interpretatio Latina magis expressit: Ne prae magnitudine revelationum insolescam et vane gloriosus sim. Nam (inquit) et ipse Paulus homo erat. Itaque hic locus ostendit, Apostolum non ita fuisse confirmatum in virtute, quin adhuc extolli posset in superbiam.

Datus est mihi stimulus carnis meae. Graece: *Datus est mihi stimulus,* seu *palus, carni,* id est, in carne. Neque enim Graece est κέντρον, ut Act. 9.: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare;* sed σκόλοψ, quod proprie palum peracutum significat, tametsi etiam pro stimulo et aculeo ponitur interdum. Sequitur appositive:

Angelus satanae. Graece est Σατᾶν indeclinabile sine articulo; ut proinde ambiguum sit, utrum angelus Satanas intelligatur, id est, angelus adversarius, ut vult Cajetanus, Faber et alii nonnulli; an vero angelus Satanae, quomodo plerique omnes accipiunt, tam Graeci, quam Latini; idque rectius, juxta consuetam phrasim Scripturae, qua ministri Satanae seu diaboli vocantur angeli ejus.

Ut me colaphizet. Id est, colaphis caedat. Repetunt hic Graeci: *ut non extollar;* quod et in quibusdam exemplaribus Ambrosiani textus additum legitur, licet in Romanis absit. Porro quem Apostolus dicat stimulum carnis, sibi datum ne extolleretur, quem et angelum Satanae vocat; vetus dubitatio est, necdum hactenus explicata, de quo primum illud annotatu dignum, quod scribit Hieronymus epistola 25. ad Paulam super obitu Blaesillae, monitorem quendam humanae imbecillitatis, ad revelationum humiliandam superbiam, Apostolo Paulo appositum fuisse; in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhaerebat, per singulas acclamationes civium dicens: Hominem te esse, memento.

Notandum etiam, quod Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 16. existimat, Paulum hoc carnis stimulo, quisquis ille fuerit, usque ad mortem non caruisse. Quod et consentaneum est verbis Apostoli, negantis, se exauditum in eo, quod Dominum rogavit, ut hoc malum ab ipso discederet. Sed enim quis fuerit hic stimulus Pauli monitor, memorati Patres iis locis non exponunt. Imo Augustinus libr. de natura et gratia, cap. 27. se nescire fatetur. In quem Augustini locum est dignum lectu scholion Henrici Gravii.

Feruntur autem variae sententiae, quarum una est, Paulum cephalalgia seu capitis dolore graviter ac saepe laborasse. Cujus quidem opinionis fere omnes meminerunt interpretes, itemque Hieronymus in commentario epistolae ad Galat. super illud cap. 4.: *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis.* Sed vix ulli sunt, qui approbent; adeoque Graeci diserte rejiciunt, eo scilicet argumento, quod Apostolus hunc stimulum vocet angelum Satanae; nam Apostolo meulo dolorem capitis a Satana, id est, Pabolo, fuisse immissum, et, ut Oecudianius loquitur, Pauli caput diaboli manibus fuisse traditum, ut rem perabsurdam, non sine ratione, existimant, cum Paulus is fuerit, qui potestatem haberet alios homines tradendi Satanae, qui id meruissent. Pari ratione refelluntur, qui stimulum interpretantur iliacum seu viscerum dolorem; cujus meminit S. Thomas in comment.; et omnino, qui morbum seu dolorem aliquem corporis significatum putant; de quo generaliter meminerunt Chrysostomus Hom. 6. de laudibus Pauli, et Augustinus super Psalm. 98. et 130.

His igitur opinionibus rejectis, Chrysostomus ac reliqui commentatores Graeci, atque inter Latinos Ambrosianus et Primasius, contendunt per stimulum carnis, qui idem angelus Satanae fuerit, intelligi oportere Pauli adversarios, a Satana concitatos ad hoc, ut ejus praedicationi et piis conatibus, velut quidam stimuli seu pali oppositi, ubique resisterent; quales fuere Alexander aerarius, Hymenaeus, Philaetus, Demetrius, et pseudapostoli, contra quos agit in hac epistola. Caeterum quamvis hi plurimi fuerint, idcirco tamen Apostolum numero singulari dixisse: *angelum Satanae,* quod plerumque singulis locis unus quispiam esset, qui Paulo resisteret, ducemque se aliis ad resistendum praeberet. Probant hunc suum commentarium, quod Paulus de hujusmodi stimulo videatur interpretari semetipsum verbis sequentibus, dum nominat infirmitatem sive infirmitates, atque eas ipsas mox exponit per contumelias, pericula, persecutiones et angustias pro Christo toleratas; quae nimirum ab adversariis ei passim suscitabantur. Qua ratione motus Cajetanus, in eandem sententiam propendet.

Verum obstare videtur, non modo quod ratio, propter quam dicunt, Apostolum, cum de multis loqueretur, non tamen dixisse: *angelos,* sed *angelum,* coacta sit, et longe petita; sed etiam quod ait *stimulum* hunc *carni,* sive in carne sua, *datum;* quod quomodo convenienter de adversariis Evangelii dicatur, illi non explicant. Ac sane quamvis multa Paulus in carne, id est, in corpore passus fuerit ab adversariis, magis tamen illi, Paulo resistentes, spiritum ejus affige-

bant, quam carnem. Adde, quod non solus Paulus, verum etiam Petrus ac caeteri Apostoli atque insignes Evangelii praecones passi sunt ejusmodi adversarios; velut Simonem magum, Diotrephetem atque alios; imo et Christus ipse pontifices Judaeorum, Scribas et Pharisaeos. Nemo tamen illis propter istiusmodi causam attribuit stimulum carnis. Jam nec ignorabat Paulus, egregios Christi et Evangelii ministros numquam carere adversariis a Satana suscitatis; idque adeo ad gloriam Evangelii pertinere, ut inter adversariorum oppugnationes ac bella magis etiam efflorescat; proinde nec orandum fuisse, ut (quemadmodum dicunt) Evangelica praedicatio sibi sine periculis et adversariis procederet. Quae certe fuisset improba petitio, nisi sic eam intelligas, ut voluerit Apostolus, hujusmodi adversitates minui, non autem (quod verba ejus sonant) simpliciter auferri.

Porro non pauci putant, Apostolum per carnis stimulum indicare voluisse incentivum libidinis; quod in carne patiebatur, ut qui etiam alibi videatur tale quid insinuare; dicit enim 1 Cor. 9.: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Quod utique pertinet ad motus carnis reprimendos. Et Rom. 7. post alia: *Video,* inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* Quae lex membrorum etsi latius pateat, maxime tamen apparet in motibus libidinosis. Sensum hunc proponunt, nec rejiciunt Primasius, Sedulius, et Anselmus; Haimo vero etiam probabiliorem existimat. Quin et Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, et ad Demetriadem de virgin. servanda cap. 6., et ad Rusticum monachum de vivendi forma, cap. 3., nec non Augustinus concione 2. in Psalmum 58. probare videntur. Augustini verba sunt: *Accepit Apostolus stimulum carnis, a quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret?* Eadem verba retulit Beda in commentarium. Sic autem neque de morbo corporis, neque de persecutionibus loqueretur Augustinus; neque apparet, de quo aptius, quam de stimulo carnalis tentationis intelligatur.

His accedit Theophylactus, apud quem, post allatam communem Graecorum expositionem, haec in veteri versione sequuntur: *Vel, quod satius est, Veneris incitamenta, quibus maxime urgebatur, his verbis expressit.* Qui locus Theophylacti, cur a recentiori interprete in alium ac diversum sensum translatus sit, exploratum non habeo, Graeco Theophylacti codice destitutus. Denique ad hunc modum S. Thomas secundo loco interpretatur, Augustinum citans autorem; et post eum Liranus. Quibus adde Salvianum in serm. de circumcisione, qui fertur Cypriani titulo, ubi stimulum carnis exponit insitum nobis ex Adam concupiscentiae vitium. Innuit hoc ipsum Beda in hom. dominicae 5. post Pascha, dum Apostolum dicit petivisse, ut tentatione careret. Hanc expositionem libr. de Monachis cap. 30. probat Bellarminus testimoniis veterum, et ratione ostendit esse praeferendam.

Sensum hunc probabilem reddit primum, quod Apostolus dicit, stimulum carnis sibi datum ad humilitatis custodiam, ne scilicet magnitudine revelationum extolleretur; singulariter enim ad conservandam humilitatem sanctorum facit, quod in excellentia virtutum nondum liberos se sentiant a tentatione carnalis libidinis. Secundo, quod stimulum nominat, eumque carni datum, secundum Graecam lectionem, id est, qui pungeret ac stimularet carnem Apostoli; quod quidem maxime competit in stimulum libidinis. Postremo quod addit; *ut me colaphizet,* id est, ignominia afficiat, vilemque reddat et contemptibilem. Nam eo vocabulo significari ignominiam, docent alia ipsius Apostoli loca, ut cap. praecedenti: *Si quis in faciem vos caedit. Secundum ignominiam dico;* et 1 Cor. 4.: *Colaphis caedimur.* Atqui maxime ad ignominiam et pudorem hominis pertinet, pati in carne sua turpes ac bestiales motus libidinis. Jam vero palam est, nihil

istorum perinde convenire in morbum corporis, aut in adversarios Pauli.

Porro *stimulus* ille videtur ea ratione vocari *angelus Satanae,* quia diaboli partes et regnum adjuvat, incitando homines ad peccata et inquinamenta carnis; vel quia diabolus hujusmodi stimulo tanquam angelo seu ministro atque instrumento suo utitur ad regnum peccati propagandum. Nam res inanimatas vocari angelos, ministros, nuntios, non est alienum a Scriptura. Dicitur enim Psalmo 103.: *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.* Quod ad literam de ventis et fluminibus intelligitur a multis. Et Psalmo 148.: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus;* scilicet tanquam angeli ejus et ministri.

Si cui tamen haec interpretatio de angelo Satanae coactior videtur, et magis putet ad personam referendum, praesertim quia sequitur: *Rogavi Dominum, ut discederet a me,* quod in personam aptius quadrat; dici poterit, significari daemonem aliquem diaboli ministrum, quo tentante et stimulante Paulus hoc malum in carne passus fuerit. Nam daemones etiam iis tentationibus, quae a carne et a mundo fiunt, sese incentores admiscere, in confesso est.

Rejiciunt quidem longissime memoratam expositionem stimuli carnis Faber et Erasmus, tamquam indigna sit Paulo, tali viro, eoque jam sene; sed qui miratur in Paulo sene carnis incentivum, miretur et in Gregorio Nazianzeno, qui jam senex de eo carnis suae malo saepe graviterque in scriptis suis conqueritur. Loca sunt in carmine adversus carnem; et altero de calamitate naturae suae; et tertio, de rebus suis; et in epistola 96. Vide et B. Augustinum sermone 43. de verbis Domini, cap. 9. Quamquam Paulus, quando hanc epistolam scripsit, annos habebat dumtaxat quinquaginta septem, ut Baronius declarat Tom. 1., docens, eum interfectum, quum annos haberet sexaginta octo; epistolam autem hanc scriptam undecim annos antea. Neque sane putandum est, hujusmodi sanctos viros a motibus carnis prorsus liberos esse, licet id forte paucis quibusdam, singulari privilegio, fuerit a Deo concessum.

Si quaeras, a quo datus fuerit Paulo stimulus carnis, idemque angelus Satanae, respondet indubitanter Augustinus lib. de nat. et gratia, cap. 27., et ex illo Beda in commentario, datum fuisse a Deo, non a diabolo. *Neque enim,* inquit, *diabolus agebat, ne magnitudine revelationum Paulus extolleretur, et ut virtus ejus perficeretur; sed Deus. Ab illo igitur traditus erat justus colaphizandus angelo Satanae, qui per eum tradebat et injustos ipsi Satanae.* Sic Augustinus. Quod non ita intelligendum, quasi Deus carnalis tentationis autor fuerit, aut peccatum aliquod malo angelo praeceperit, quod nefas est sentire; sed quia per divinam suam providentiam permittere voluit et ordinavit, ut Paulus ad hunc modum colaphizaretur.

8. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Graece: *Propter hoc,* vel *super hoc,* id est, super hac re. Nec minus apte verti potest: Propter hunc, scilicet stimulum carnis angelum Satanae, *propter quem ter rogasse se Christum Dominum* dicit, *ut discedere* sive absistere eum *a se* juberet. Non quod contentus fuerit, ter tantum orasse pro depulsione mali tam molesti; sed quia, quemadmodum ait S. Thomas, ter expresse magisque devote et instanter hoc petiit; vel, secundum Graecos, ter, id est, frequenter; vel denique non saepius, quam ter, eo quod post tertiam orationem acceperit a Domino responsum.

9. *Et dixit mihi,* Dominus. Ubi nota Paulum obiter aliam adhuc revelationem sibi a Domino factam insinuare.

Sufficit tibi gratia mea. Quasi dicat: Non est tibi necessarium neque expediens, ut fiat, quod petis, id est, ut auferatur a te stimulus carnis; quia sufficit tibi ad malum hoc, quodcumque illud est, superandum, gratia mea, id est, favor ac benevolentia mea, qua tibi volo benefacere. Per hanc enim gratiam meam etiam

de illo angelo colaphizante victoriam reportabis. Quod quidam gratiam hic intelligunt miraculorum, non recte se habet. Non enim ea sufficeret; sed magis occasio esset inflationis, si abesset gratia, quam diximus.

Nam virtus in infirmitate perficitur. Graece: *Nam virtus mea* etc. *Virtus* autem potentiam hoc loco significat, non virtutem moralem, ut humilitatem, patientiam, temperantiam, tametsi ad hunc modum S. Augustinus lib. 3. contra 2. epist. Pelag. cap. 7., et B. Thomas in comment., necnon alii Latinorum exponant, sed Graeco vocabulo δύναμις repugnante. Et quidem secundum Graecos sensus est hujusmodi: Non expedit tibi, stimulum illum carnis a te auferri, quia potentia gratiae meae maxime declaratur in infirmitate, dum per eam fit, ut sive tentatio carnis, sive persecutiones a malis hominibus illatae, sive quidquid aliud infirmitatis nomine potest hic intelligi, superetur a te, aut, ne noceat, toleretur, et per hoc magis illustrem fortemque te reddat.

Caeterum alii virtutem Christi intelligunt, quae Paulo inerat a Christo, et a qua Paulus ipse fortis ac potens dicebatur. Hunc enim intellectum exigere videtur id, quod mox sequitur: *ut inhabitet in me virtus Christi,* ac magis etiam illud, quod paulo post dicit, velut explicans praesentem sententiam: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Conferenda sunt, quae dicebamus supra, ad illud cap. 4.: *Ut sublimitas sit virtutis Dei.* Sic autem intellecta virtus Christi non solum declaratur in hominis infirmitate, verum etiam proprie perficitur et confirmatur. Atque isto modo virtutem acceperunt in his Apostoli verbis Hieronymus epist. 25. ad Paulam super obitu Blaesillae, et commentator Ambrosianus. Infirmitatem vero etiam ad illud infirmitatis genus, quod in mentis ac virtutum imperfectione consistit, Augustinus extendit lib. de gratia Christi, cap. 12., itemque sermone 5. de verbis Apostoli, et contra duas epist. Pelagian. loco supra citato; non quod proprie virtus seu fortitudo Christiani hominis in hoc genere infirmitatis perficiatur, cum sit ei contraria: sed quia, sicut Augustinus loquitur, perfici non potest homo, qui se non fateatur infirmum. Unde et Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem affirmat, hanc unam praesentis vitae perfectionem esse, ut te imperfectum agnoscas.

Verum et si rectissime secundum fidei analogiam haec dicantur, attamen haec infirmitatis tam larga acceptio contextui apostolico minus convenit. Videtur enim Apostolus per infirmitates ea significare, quae patiebatur tam in corpore, quam in animo, comprehensis etiam tentationibus carnis et diaboli, non autem animi vitiis aut peccatis; et virtutem ponit in patientia atque victoria infirmitatum, non autem in agnitione.

Porro circa hanc Apostoli petitionem et Domini responsionem sciendum est, non ideo Apostolum non fuisse exauditum, quod male petiverit; neque enim reprehensa fuit a Domino ejus petitio; sed quia petebat aliquid, quod cum esset per se bonum, nesciebat sibi non expedire. Hoc autem Domino revelante didicit. Itaque licet exauditus non fuerit in eo, quod expresse voluit et petivit, exauditus tamen fuit secundum id, quod implicite voluit atque intendit, id est, bonum suum salutare. Hinc beatus Hieronymus (citante S. Thoma) in epistola ad Paulinum: *Bonus Dominus,* inquit, *qui saepe non tribuit, quod volumus, ut tribuat, quod mallemus.* Hoc igitur exemplum Pauli et similia nos docet, illam Domini promissionem: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* Joann. 15., cum hac imprimis necessaria restrictione intelligendam esse: Quidquid expediens saluti vestrae petieritis. Nam exaudire in eo, quod non expedit, non esset beneficium tribuere, sed malum inferre; quod utique contra intentionem orantis est.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Sermo plenior est in Graeco, quomodo et apud Ambrosianum legitur:

Libentissime itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis. Id est: Quandoquidem, juxta responsum Domini, *virtus in infirmitate perficitur,* equidem, si gloriandum est, libentissime gloriabor in infirmitatibus meis, magis ac potius quam in ulla alia re, qua videar excellere. Aut secundum Theophylactum: Potius gloriabor in infirmitatibus meis, quam contristabor in illis.

Ut inhabitet in me virtus Christi. Ambrosius: *Ut praetendat in me,* Theophylacti interpres: *Ut tentorium figat super me.* Recipit enim verbum Graecum hujusmodi interpretationes. Sensus est: Ut fixam in me sedem habeat, magisque in dies super me confirmetur potentia Christi; qua nimirum potens sum in Christo ad superandas omnes infirmitates. Ostendit hic locus, Christi fuisse verba dicentis: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea* etc.

10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus.* Non tamquam per se expetendis, sed quatenus per illas in me perficitur atque inhabitat virtus Christi. Hanc enim causam beneplaciti, seu gaudii, quod capere se dicit ex infirmitatibus, significare voluit dicendo: *Propter quod,* id est, propter insignem earum utilitatem, quam dixi. Nec male refertur hoc etiam ad stimulum carnis, sic intellectum, quomodo Latini multi intelligunt. Stimulus enim carnis, ut ait S. Thomas, etsi secundum se vitandus, tamen, in quantum est via ad virtutem et exercitium virtutis, appetendus est; licet non fateamur, eum simpliciter appeti posse. Cui responsioni congruit, quod superius dixit Apostolus, hunc carnis stimulum sibi a Deo datum esse; scilicet in quantum esset virtutis exercitium. Qua de re vide nostrum commentarium in 2. dist. 23.

In contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, scilicet illatis ac toleratis. Hae sunt infirmitates, de quibus locutus est; tametsi non ex toto genere. Easdem fere et similes recensuit cap. 6. Quo loco exposuimus, quas dicat *necessitates,* et quas *angustias.* Addit autem: *pro Christo,* quo materiam significet gloriationis. *Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati, suffertis?* ait Petrus 1. epist. 2.

Cum enim infirmor, tunc potens sum. Id est: Cum imbecillis sum, cum subjicior infirmitatibus praedictis easque patior, tunc potens sum, non mea, sed Christi virtute, quae me facit omnibus illis superiorem; ideoque merito glorior ac placeo mihi in illis.

11. *Factus sum insipiens.* Additur in Graeco: *glorians.* Et referenda est tota sententia ad totam gloriationem praecedentem, quam hic rursus excusat. Sensus enim est: Gloriando ac me ipsum laudando factus sum quasi insipiens. Ratio hujus sermonis satis a nobis superius explicata est.

Vos me coëgistis. Id est, vestra me causa compulit ad hanc quasi insipientiam, qui tanti facitis pseudapostolos, mei contemptores. Similiter utique dicere poterat beatus Job amicis innocentiae suae calumniatoribus, apud quos prolixa meritorum suorum commemoratione se laudavit cap. 29. 30. et 31. Poterat, inquam, dicere: *factus sum insipiens, vos me coëgistis.* Debebat enim non solum innocentiam suam a calumniis vindicare, verum etiam perniciosum errorem amicorum, ex quo calumniae proficiscebantur, eo pacto refellere.

Ego enim a vobis debui commendari. Vos, inquit, me ad hanc veluti stultitiam coëgistis, qui defueritis officio erga me vestro, nimium addicti pseudapostolis. Nam vestrarum partium erat, me doctorem et Apostolum vestrum commendare, meamque dignitatem adversus obtrectatores tueri.

Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli. Fui, non *feci,* quod vulgares quidam codices habent, legendum esse, docent plura ac probatiora mss. exemplaria, suffragantibus etiam bibliis Clementinis. Nec secus legisse Ambrosianum, Anselmum, et scholiasten Hieronymi operibus adjunctum, declarant

eorum commentarii. Graece ad verbum est: *Nihil enim defeci.* Hieronymus lib. 3. dial. contra Pelagianos: *Nihil enim mihi defuit ab iis, qui supra modum sunt Apostoli.* Sensus est: Quod ad gratiam et functionem attinet Apostolici muneris, nihilo inferior fui, nihil minus praestiti, quam illi, *qui supra modum Apostoli sunt,* id est, Apostolorum primi atque praecipui. Quos autem hoc nomine significet, plenius expositum est cap. superiori.

Sed hic rursum observa modestiam Pauli, qui cum plus omnibus laborasset, tamen contentus fuit dicere, se non inferiorem caeteris fuisse. Ac revera satis hoc erat contra pseudapostolos, negantes, Paulum aequalem esse Apostolis, qui cum Christo fuerant in carne versati; aequalem autem intellige, in apostolico munere, donisque ei connexis; cujusmodi erat gratia miraculorum, cujus etiam mox infra meminit. Quocirca nihil locus derogat praerogativae Petri, qui totius Ecclesiae rector et pastor constitutus, etiam caeteris Apostolis major atque superior fuit.

Tametsi nihil sum. Praecedentibus adhaeret haec particula, qua, more suo, contra tentationem superbiae, revocat se per veram humilitatem ad considerationem infirmitatis, et (ut ita dicam) nullitatis propriae. Sensus enim est: Nihil sum ex me ipso; sed totum, quod sum, quod habeo, et quod ago, gratiae Dei in me et per me operanti acceptum refero. Sic in prima epistola cap. 15., cum dixisset: *Abundantius illis omnibus laboravi,* subjunxit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

12. *Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos.* Graece et Syriace: *signa quidem Apostoli facta,* seu perfecta, *sunt in vobis.* Huic lectioni in eo, quod habet: *Apostoli,* non *apostolatus mei,* consentiunt Ambrosianus textus et non pauci codices Latini mss. *Signa Apostoli* vocat opera, quae probant, ipsum Apostolum esse, qualia statim enumerat. Quamquam *signa Apostoli* possunt etiam intelligi miracula apostolica; nam signorum nomine miracula significari, frequentissimum est in Scripturis. Hoc modo sensus et ratiocinatio Apostoli talis erit: Miracula non quaevis, sed tam magnitudine, quam numero apostolica patrata sunt apud vos, ac vobis videntibus. At ea miracula non ab alio, quam a me facta sunt; igitur negari non potest, me esse Apostolum magnis illis Apostolis similem. Ad hunc sensum invitat Graecum verbum, quod significat: effecta, patrata. Caeterum *in vobis,* non *super vos,* etiam Ambrosianus legit.

In omni patientia. Primum signum Apostoli nominat omnimodam ac perfectam patientiam, Apostolis a Christo singulariter commendatam, quando dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Primus character Apostoli, ait Theophylactus, est patientia, quae facit omnia dextre ac strenue ferre. Quoniam autem patientia, teste Jacobo Apostolo, opus perfectum habet, idcirco sub patientia licebit caeteras Apostolici animi virtutes comprehendere.

In signis, et prodigiis et virtutibus. Haec inter signa Apostoli secundo loco ponit, etsi primum admirationis locum habeant apud homines. Quomodo differant haec tria, non constat. Oecumenius putat, unum quiddam idemque per ea significari. Plerique distinguunt, alii aliter. Nobis ea maxime probabilis distinctio videtur, quam inter *signa et prodigia* dedimus in expositione epist. ad Rom. 15., quam hoc loco non est necesse repetere. Quid autem virtutum nomine significetur, item a nobis dictum est 1 Cor. 12.

Jam, quoniam superius diximus, signa Apostoli posse intelligi miracula apostolica, quorum tamen exemplum non potest assignari patientia, restat explicandus etiam ille sensus. Miracula, inquit, apostolica apud vos, a me facta sunt, non cum fastu et imperio, quasi propterea me extollens, vosque in servitutem redigens, sicut facere conantur pseudapostoli; sed cum omni patientia et humilitate; facta sunt, inquam, multipliciter, id est, in signis, et prodigiis et virtutibus.

13. *Quid est enim, quod minus habuistis prae caeteris Ecclesiis?* Id est, qua in re fuistis inferiores caeteris Ecclesiis, non iis solum, quae ab aliis Apostolis, sed etiam, quae a me fundatae sunt? Nam Apostolum comparare Corinthios cum aliis Ecclesiis etiam a se fundatis, satis constat, tum ex eo, quod dixit superiori capite: *Alias Ecclesias exspoliavi,* tum ex verbis hic sequentibus:

Nisi quod ego ipse non gravavi vos. Scilicet accipiendo sumptus in ministerium meum; quod et alii faciunt Apostoli, et ego in aliis Ecclesiis. Per ironiam abutitur exceptiva particula *nisi;* nam non gravari sumptibus, non erat minus habere caeteris Ecclesiis, sed praecellere. Quamquam in eo revera minus habebant, sed praeter culpam sui Apostoli, quod tam infirmi essent, ut gratis praedicandum illis fuerit. Pro verbo *gravavi,* Graece est *κατενάρκησα*, quod unum est ex iis, quibus, ut scribit Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 10., Paulus juxta morem urbis et provinciae, in qua natus erat, familiarius usus est.

Donate mihi hanc injuriam. Haec similiter urbana est ironia; neque enim injuria erat, quae condonaretur, sed beneficium, quod agnosceretur.

14. *Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos; et non ero gravis vobis. Hoc* non est in Graecis plerisque; tamen Robertus notat tria exemplaria sibi conspecta, quae habuerint, quorum unum Complutense. Non est etiam apud Ambrosianum. Videtur additum ex initio capitis sequentis. Et quod interpres vertit: *non ero gravis vobis*, rursum Graece est, οὐ *καταναρκήσω ὑμῶν, non gravabo vos;* scilicet repetito verbo, de quo jam dixi. Non, inquit, haec commemoro tamquam exprobrans, et admonens, ut, quod hactenus non fecistis, posthac saltem faciatis; ecce enim, nunc tertio paratus sum, ut ad vos veniam ac spiritualia vobis ministrem; idque sine vestro gravamine.

Quaeritur, an Paulus ter venerit Corinthum. Id enim tum ex hoc loco apparet, tum ex eo, quod dicit cap. sequenti: *Ecce, tertio hoc venio ad vos.* Ita sentit Cardinalis Baronius in Annal. ad annum Domini 58., atque ea Graecorum videtur esse sententia; tametsi non satis explicate de ea re loquuntur. Nam Theophylactus hic et sequent. cap. a se ipso dissentire videtur. Certe Lucas in Actis expresse tantum describit unum Pauli adventum ad Corinthios, cap. 18., alterum vero indicat, cap. 20., dicens, Paulum venisse in Graeciam, et tres menses ibi fecisse; ubi Graeciam vocat Achaiam, in qua Corinthus est. Hic adventus posterior fuit hac secunda ad Corinthios epistola, et in ea promissus. Accedit, quod ipse Apostolus hujus epistolae cap. 1., cum ait, se voluisse venire ad Corinthios, ut secundam gratiam haberent, satis significat, se ante illud tempus semel tantum Corinthiis adfuisse. Et haec aperta est sententia S. Thomae, qui, quod hic dicitur de tertio adventu, explicat ad hunc modum; Paulum Apostolum ter paratum fuisse adire Corinthios, sed bis tantum eos adiisse. Primum enim paratus fuit et adiit, quando eos convertit ad Christum. Secundo paratus fuit et non adiit, quia fuit impeditus; qua de re excusat se primo capite hujus epistolae. Nunc autem tertio paratus est, et post scriptam hanc epistolam adiit. Itaque bis ivit Corinthum, et ter paratus fuit ire.

Hic Thomae commentarius, cui Liranus subscribit, plane consonat cum illis Apostoli verbis cap. 1.: *Volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, et per vos transire in Macedoniam; et iterum a Macedonia venire ad vos.* Haec enim verba secundum et tertium adventum Apostolo fuisse in voluntate et praeparatione significant; licet secundus propter impedimentum non fuerit in exsecutione. Consonat etiam cum eo, quod dicit cap. seq.: *Praedixi, et praedico,* ut illic liquebit. Secundo autem Corinthum venisse Apostolum, ex eo constat, quod inde tunc scripsit epistolam ad Romanos, ut in argum. illius epistolae ostendimus.

Non enim quaero, quae vestra sunt,

sed vos. Id est: In ministerio meo erga vos, non specto commoda mea temporalia, non quaero pecunias vestras, sed vos, id est, vestram salutem; et quia hoc principaliter specto, idcirco, sicut hactenus, ita et deinceps paratus sum, vestrae salutis causa, gratis ministrare vobis spiritualia.

Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Facti sui congruentiam ostendit alia ratione, sumpta ab officio patris; quasi dicat: In eo, quod a vobis nihil accipio, patres imitor, quorum non est a filiis accipere, sed filiis dare. Ita ego pater vester (*Nam in Christo Jesu ego vos per Evangelium genui,* 1 Cor. 4.) spiritualia vobis impendo, paratus nihil temporale recipere. Non negat Apostolus, filios debere subvenire necessitati suorum parentum, prout lex divina praecipit: *Honora patrem tuum et matrem,* parique ratione fideles teneri ad alendum suos pastores; sed negat, naturae ordinem hoc habere, ut filii thesaurizent et congregent bona parentibus. Nam, ut ait Thomas, congregatio seu thesaurizatio fit in posterum; atqui naturaliter et ordinarie filii succedunt parentibus, non contra; proinde naturalis amor parentes impellit, ut filiis thesaurizent, non filios, ut parentibus. Vide eundem S. Thomam 2. sec. qu. 101. 2. 2.

15. *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Graece: *Et expendar pro animabus vestris.* Pergit Apostolus animum suum paternum erga Corinthios declarare. Equidem, inquit, lubentissime non solum, ut pater, quaecumque habeo, vobis impendam, id est, impendere paratus sum; tantum abest, ut, quae vestra sunt, quaeram; verum etiam, si sit opus, pro vita et salute vestra ipse expendar, hoc est, me ipsum in consumptionem et mortem dare paratus sum, juxta illud Salvatoris: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* Joann. 10, 11.

Licet plus vos diligens, minus diligar. Oblique notat Corinthiorum ingratitudinem, quod, tantis ab ipso beneficiis affecti, vicem non redderent amoris. Potest autem comparatio pluribus modis accipi; vel ita: *Licet, plus* (aut, ut in Graeco, *abundantius) vos diligens,* quam diligant vos pseudapostoli, *minus* tamen, quam illi, *diligar* a vobis; vel sic: *Licet, plus diligens vos* quam alias Ecclesias, quibus Christum praedicavi (quod probant majores pro vobis suscepti labores sine sumptu vestro), *minus* vicissim a vobis *diligar,* quam ab illis; quia pseudapostolos aemulos meos suscepistis et colitis; quod aliae Ecclesiae non fecerunt; vel comparatione reciproca: Licet vos non vicissim me tantum diligatis, quantum ego vos diligo. Duae priores expositiones apud S. Thomam leguntur; tertia probabilitatem habet ex eo, quod accidit in parentibus et filiis, quorum jam meminerat Apostolus; nam plerumque filii minus solent parentes diligere, quam ab iis diliguntur.

Sed esto! ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Occurrit objectioni, quae ex adverso moveri poterat. *Esto,* concessionem adversarii significat; ut sit sensus: Concesserit forte quis, quod ego ipse vos sumptu non gravavi; sed dicet, me, tamquam hominem astutum, dolo et arte vos circumvenisse; nimirum alios subornando, qui pro me acciperent, cum ipse nollem videri quidquam accipere. Suspicatur Cajetanus Apostolum haec dicere, quod his artibus uterentur pseudapostoli, utpote dolosi operarii. Thomas Aquinas 2. 2. qu. 55. art. 4. ad 1. intelligit, haec affirmanter dicta a Paulo de se ipso, et dolum interpretatur abusive sumi in bonam partem, sicut interdum accipitur astutia. Verum idem S. Doctor melius ex mente Apostoli locum hunc explicat in comment., quemadmodum nos fecimus; nec alium sensum admittunt, quae sequuntur:

17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?* Negatione interimit calumniam; quasi dicat: Nihil tale feci. Graecam sententiam obscuriorem bene et clare reddidit interpres, Erasmo etiam adstipulante. Quod ait:

circumveni, Graece est: ἐπλεονέκτησα, avare extorsi. De cujus vocabuli significato plenius egimus cap. 2. et 7. hujus ejusdem epistolae.

18. *Rogavi Titum*, sive adhortatus sum Titum, ut ad vos proficisceretur. Utroque modo verbum Graecum vertit interpres cap. 8., ubi similiter de Titi missione agitur.

Et misi cum illo fratrem. Incertum, quem fratrem dicat. Nec illud quidem constat, fueritne alter eorum, quos una cum Tito mittere se dixit cap. 8. Diversae enim missiones sunt; nam ibi de praesenti loquitur missione, hic de praeterita. Quamquam additus in Graeco articulus innuit, fuisse fratrem aliquem insignem et celebrem; forte eundem illum, *cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias.*

Numquid Titus vos circumvenit? Ambrosius legit: *Numquid avarus in vos fuit Titus?* Plenior sensus ex Graeco est: Num Titus aliquid, vel minimum, a vobis extorsit?

Nonne eodem spiritu ambulavimus? Id est: Annon eodem animo et eadem voluntate Titus et ego conversati sumus erga vos? Potest etiam ad Spiritum Dei referri, juxta illud Gal. 5.: *Spiritu ambulate.*

Nonne iisdem vestigiis? Repetendum: *ambulavimus*, ingressi sumus. Per *eadem vestigia* significat externorum operum similitudinem. Porro interrogationes hae vehementiorem multo reddunt orationem, quam si nude de Tito vel negaret aliquid vel affirmaret; quasi dicat: Tam nota est omnibus Titi integritas, ut de eo aliter sentire ac loqui nullus ausit.

19. *Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Olim*, Graece *iterum;* sicque legit Ambrosianus. Verisimile est, interpretem in Graeco pro πάλιν, legisse πάλαι. Sed Graecorum codicum lectioni favet similis locus cap. 3.: *Incipimus iterum nosmet ipsos commendare?* Ex quo etiam loco magis apparet, interrogative legendum, quod hic dicitur, et hunc habere sensum: Num iterum ex occasione superiorum verborum arbitramini nos apologiam nostri texere, idque agere praecipue, ut nos apud homines commendati simus; utque coram hominibus integri ac puri videamur? quasi dicat: Non ille scopus in hac oratione mihi propositus est; sed vestram in omnibus specto salutem. Hunc sensum ostendunt tum illa sequentis capitis: *Non ut nos probati appareamus* etc., tum id, quod hic sequitur:

Coram Deo, in Christo loquimur. Duplex juramentum hic agnoscit S. Thomas in comment., nec non Erasmus in paraphrasi, quae sic habet: Testis est Deus, qui novit animum nostrum; testis est Christus, cujus negotium agimus. Sane utraque pars: *coram Deo*, et *in Christo*, alibi reperitur juramenti vim habere apud Apostolum; prior quidem Gal. 1.: *Ecce coram Deo, quia non mentior;* posterior autem Rom. 9.: *Veritatem dico in Christo, non mentior.* Tametsi Cajetanus et alii illud: *in Christo*, sic malunt intelligere, secundum Christum ejusque doctrinam, id est, sincere et sine fuco, vel in Christi Spiritu, et Christo per me loquente, ut ait sequenti capite; ut nimirum hoc ipsum sit, quod juratur, Christum per Paulum loqui; vel certe illud, quod sequitur:

Omnia autem, charissimi, propter aedificationem vestram. Id est, quaecumque hactenus loquimur in nostram quasi commendationem, ea loquimur ad vestram salutem promovendam, non ad gloriam aut excusationem nostram.

20. *Timeo enim, ne forte, cum venero, non quales volo, inveniam vos.* Rationem reddit, cur adeo sollicitus sit pro salute Corinthiorum, ut tam prolixe propter eos se commendaverit. Similem dedit rationem superiori capite, dicens: *Timeo, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri* etc. Sensus est: Nam timeo, ne quo pacto contingat, ut veniens ad vos, sicut jam constitui, non quales velim, vos inveniam; id est, bene correctos a pristi-

nis vitiis, nominatim iis, de quibus in priori epistola vos increpavi.

Et ego inveniar a vobis, qualem non vultis. Graece: *Inveniar vobis.* — *Qualem non vultis,* scilicet, tristis pater, et severus judex, propter peccata vestra nondum per poenitentiam deleta. Minatur severitatem vindictae erga malos. Unde contra haereticos statuitur tribunal ecclesiasticum; quemadmodum et ex illo 1 Cor. 4.: *Quid vultis? In virga veniam ad vos?* sed de potestate hac apertius adhuc loquitur cap. sequenti.

Ne forte contentiones. Hic usque ad finem capitis explicat utrumque, quod se timere dixit; ac prius quidem id, quod prius posuerat, nempe se timere, ne Corinthios, non quales velit, inveniat. Hoc est, inquit, *ne forte* (vel, ut Graece, *ne quo modo)* multa adhuc vitia regnent apud vos, ut *contentiones,* id est, verborum pugnae, solo vincendi studio susceptae. Conferendus hic locus cum cap. 5. Gal., illic, ubi recensentur opera carnis.

Aemulationes. Genus invidiae significatur, dum quis dolet alium potiri bono, quod ipse concupivit et assequi non potuit.

Animositates. Alii vertunt: *iras.* Graeca vox θυμοὶ impetum animi effervescentis et ad iram concitati, significat.

Dissensiones, Graece *concertationes;* quae intelligi possunt in studiis et factis, sicut contentiones in verbis; ut non male distinguit Cajetanus. Vide Hieronymum comm. in cap. 5. Gal.

Detractiones, susurrationes, inflationes. Ambrosianus *tumores* pro *inflationibus* legit. Significatur autem superbiae vitium; nam superbi inflati dicuntur.

Seditiones sint inter vos. Seditiones, id est tumultuationes, quas Theophylacti interpres, Graeco vocabulo pressius inhaerens, *inordinationes* vertit. Videtur autem respicere Apostolus ad schismata Corinthiorum, de quibus initio prioris epist., ac rursum cap. 11. et 14. Quod sequitur: *sint inter vos,* ab interprete additum est causa explendae sententiae, quam Paulus reliquit imperfectam.

21. *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos.* Explicat alterum, quod timere se dixerat, quodque ex priori consequens erat; videlicet, ne inveniatur ab illis, qualem nollent. In Graeco est: *Deus meus;* idque emphatice dictum ab Apostolo, Theophylactus et Oecumenius annotarunt. Quod ait: *iterum,* id vel ad adventum in humilitate referri potest, quasi dicat se metuere, ne secundus hic suus ad Corinthios adventus iterum sit in humilitate, sicut primus fuerat: de quo superius cap. 10. Vel ad solum adventum, sicut cap. 2., ut sensus sit: Ne iteratus hic adventus meus sit in humilitate. Vel denique referendum tantummodo ad verbum *humiliet.* Fuerat enim Paulus jam ante humiliatus eo modo humilitatis, de quo hic loquitur; quando nimirum absens corpore, praesens autem spiritu, Corinthium illum incestum Satanae tradiderat.

Etenim, quamvis Corinthum veniens usurus erat potestate sua adversus malos, quemadmodum et adversus fornicarium illum usus fuerat, quod pertinere videtur ad exaltationem; tamen humiliandum in eo se dicit, quoniam usus ille potestatis non erat sine magna ipsius utentis tristitia et luctu, quibus humilitatur ac dejicitur homo. Unde superius ait cap. 2.: *Ut non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeam.* Dicens autem: *humiliet me Deus,* illud significare voluit, quod cecinit Anna mater Samuelis 1 Reg. 2.: *Dominus humiliat et sublevat;* scilicet tam tristia, quam laeta, Deo autore provenire. Porro humilitatem exponit per id, quod sequitur:

Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt. Non antequam ad Christum conversi essent, sed post conversionem, et ante scriptam priorem epistolam; sicut et peccaverat ille, quem Satanae tradidit. Nam ad impudicitiae peccata relapsos fuisse complures Corinthiorum, satis arguunt ea, quae scribit Apostolus cap. 5. et 6. prioris epist. Tristitiam vero suam *luctum* vocat, ut innuat, eos, qui peccaverunt, Deo mortuos esse.

Et non egerunt poenitentiam super immunditia, et fornicatione et impudicitia, quam gesserunt. Notandum est, Apostolum non dicere: Et lugeam multos, qui peccant et permanent in immunditia etc.; sicut intellexisse videtur Augustinus lib. 3. contra epistol. Parm. cap. 2.; sed: *qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam de peccatis, quae gesserunt;* id est, perpetrarunt. Nam, ut bene S. Thomas annotat, Corinthiorum quaedam peccata erant praesentia, quaedam praeterita; praesentia quidem, spiritualia, ut contentiones, aemulationes etc., de quibus in parte praecedenti; praeterita vero, carnalia, de quibus hac parte, a quibus quidem abstinere jam videbantur, sed nondum per poenitentiam salutarem erant expurgati. Quod enim ait, eos non egisse *poenitentiam super immunditia* etc., de fructibus dignis poenitentiae intelligendum est, quos nondum fecerant; ad quos proinde compellendi erant apostolica potestate. Hinc ergo refellitur illud Lutheri: *Optima poenitentia nova vita, et a peccatis abstinere.* Refellitur item Novatianus, qui fratres lapsos ad poenitentiam admitti noluit. Inter *immunditiam, fornicationem et impudicitiam* hoc interesse videtur, quod fornicatio sit concubitus maris et foeminae extra conjugium; immunditia comprehendat ea carnis peccata, quae contra naturam committuntur; impudicitia vero consistat in libidinosis osculis, tactibus ac caeteris hujusmodi. In hunc modum S. Hieronymus de immunditia loquitur in cap. 5. Gal., ubi inter opera carnis ponitur immunditia. De impudicitia autem sic Thom. 2. sec. quaest. 151. 4. cap.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Ecce, tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum[1]). 2. Praedixi, et praedico, ut praesens, et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et caeteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam[2]). 3. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis[3])? 4. Nam, etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei[4]). Nam et nos infirmi sumus in illo; sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis[5]). 5. Vosmet ipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate[6]). An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. 6. Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi[7]). 7. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus; sed ut vos, quod bonum est, faciatis, nos autem ut reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis[8]). Hoc et oramus vestram consummationem. 10. Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam[9]), secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem. 11. De caetero, fratres, gaudete,

---

[1]) 5 Mos. 19, 15. [2]) Vers. 10. Cap. 12, 20. seq. [3]) Cap. 12, 12. [4]) Phil. 2, 7. seq. [5]) Cap. 4, 10. [6]) Vers. 3. [7]) Vers. 2. [8]) Vers. 7. [9]) Vers. 2. Cap. 1, 23.

perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete[1]); et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. 12. Salutate invicem in osculo sancto[2])! Salutant vos omnes sancti. 13. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis! Amen.

SUMMARIUM CAPITIS DECIMI TERTII.

Praemonet eos, se iis, qui peccaverant non parciturum, nisi agant poenitentiam. Deinde interposita ad pacem exhortatione, bene iis precatur.

1. *Ecce, tertio venio ad vos.* Istud *ecce* plerique codices Graeci non habent; est tamen in Complutensi et quibusdam aliis, ut notat Robertus. Sensus est: *Tertius hic erit adventus meus ad vos,* ut ad sensum bene vertit Erasmus. Nam Graecum ἔρχομαι, licet formam habeat verbi praesentis temporis, significationem tamen habet futuri; nempe ejus, quod sit in procinctu; praesertim in sacris litteris. Repetit Apostolus de adventu suo, ut eo metu corrigant sese Corinthii ac virgam apostolicam praeveniant. Quomodo autem intelligendum sit, quod dicit, se tertio venire, explicatum est capite superiori ad illud: *Ecce, tertio hoc paratus sum* etc. Ex quo etiam loco particula *ecce,* quam Graeca hic pleraque non habent, videtur huc adscita.

In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, Praeceptum est judiciale legis Mosaicae, Deut. 19., cujus sensus est: Omnem controversiam judicandam esse juxta testimonium duorum aut trium. Dubitatur autem, utrum significare velit Apostolus, se in judicandis et puniendis peccatoribus processurum secundum formam divinae legis, scilicet auditis duobus aut tribus testibus; ne putent Corinthii, quod vel praecipitanter ac temere judicaturus sit, vel magnam testium multitudinem adhibiturus; quae Cajetani expositio est; an vero, quod voluit Ambrosianus et Graeci, respiciat et alludat ad suum secundum et tertium ad Corinthios adventum; ut quasi duorum aut trium testium loco sint duo vel tres adventus ipsius, per quos certius de peccatis et impoenitentia Corinthiorum, quibus virgam minatur, cognoscere poterit. Huic sensui favet, quod jam dixerat, tertio se venturum; quasi tertius adventus tertium testimonium futurum sit. Adde, quod de manifestis et notoriis peccatis loquitur, in quibus judicandis et puniendis testium inductione non videtur opus fuisse; sicut nec opus fuerat in puniendo eo, qui patris uxorem habuerat. Praeterea confirmat hunc intellectum, quod sequitur:

2. *Praedixi, et praedico, ut praesens, et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et caeteris omnibus.* Quaedam mss. legunt: *ut praesens bis;* quae lectio etiam apud Lombardum et Aquinatem est, atque alios mediae aetatis commentatores. Pro *bis* Graeca et Syra habent: *secundo,* sicque legit Augustinus libr. 3. contra epist. Parm. cap. 1. et 2. Quod plenius expressit textus Ambrosianus: *secundo adventu.* Jam quod complures Latini codices non *bis,* sed *vobis* legunt, a non intelligentibus ea facta mutatio est; cum prorsus appareat sinceram versionis nostrae lectionem esse: *ut praesens bis.*

Porro Graeca et Syra addunt aliquid hoc pacto: *et absens nunc scribo iis, qui* etc., tametsi sine verbo: *scribo,* perfecta constat sententia, quae videtur esse hujus-

---

[1]) Cap. 12, 20. 1 Cor. 1, 10. 12. 11, 18. [2]) Rom. 16, 16.

modi: *Praedixi vobis, et praedico,* id est, denuntiavi et denuntio, *praedixi,* inquam, *tamquam praesens secundo, et nunc praedico absens, iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam,* sicut supradictum est, et non iis solum, sed et caeteris omnibus, tamquam testibus futuris denuntiationis ac praemonitionis meae. Hic observa, Apostolum de secundo adventu suo loquentem non dicere: *praesens,* sed: *ut praesens,* quemadmodum et de fornicario illo dixerat: *Jam judicavi ut praesens;* ut hinc quoque intelligas, quod tantum semel fuerat revera praesens; sed quia secundo proposuerat venire, vult hoc aestimari tamquam secundam praesentiam. Quid vero praedicat ac denuntiet, sequitur:

Quoniam, si venero iterum, non parcam. Iterum praecedenti verbo rectius jungitur, quam sequenti. Hoc est, inquit, quod praedixi et praedico, me, si rursus venero, non parciturum illis, qui peccaverunt, sicut peperci, a secundo abstinens adventu. Sic enim ait hujus epistolae cap. 1.: *Parcens vobis non veni ultra Corinthum.* In eo, quod dicit: *non parcam,* virgam ecclesiasticae disciplinae comminatur, ut excommunicationem, et satisfactionis rigorem.

3. *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Graece sine interrogatione legitur hoc modo: *Quando quidem probationem quaeritis loquentis in me Christi.* Sic et Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 2.: *quia probationem quaeritis* etc. Apud Ambrosianum sic habetur: *Quomodo probationem quaeritis ejus* etc., nisi forte mendum est, ut pro *quomodo* legendum sit: *quoniam,* uti vertit Theophylacti interpres. Sensus Graecae lectionis est: Dico, me non parciturum; quandoquidem ita vos geritis, quasi dubitetis et experimento probare velitis, an Christus in me loquatur, id est, an ex potestate a Christo accepta, tamquam verus ejus Apostolus, ego haec loquar, quae dixi de puniendis impoenitentibus.

Idem sensus est Latinae lectionis, nisi quod interrogatio vehementiorem reddit orationem, quomodo si praeceptor discipulis dicat: An vultis experiri, me esse praeceptorem vestrum, qui possim vos castigare? Caeterum haec dicit Apostolus, ut timore Corinthiis incusso provocet eos ad poenitentiam mature agendam; ne, cum venerit, cogatur punitivam et vindicativam, uti loquitur Oecumenii interpres, quam a Christo acceperat, potestatem in eos ostendere.

Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Priori loco Graece non est: *in vobis,* sed: *in vos,* sive *erga vos.* Qui Christus, inquit, non est imbecillis in vos, id est, respectu vestri, tamquam in vos peccantes non possit animadvertere; sed fortis, ac potens est in vobis, quia potentiam suam apud vos jam satis declaravit, non solum per miracula virtute ejus facta, quibus adducti estis ad fidem, et per multiplicia sancti Spiritus dona inter vos distributa, verum etiam in punitione delinquentium: velut illius fornicarii in Christi nomine et virtute traditi Satanae, 1 Cor. 5., iterumque eorum, qui indigne sumserant corpus et sanguinem Domini, quorum alii in varias aegritudines inciderant, alii morte abrepti erant. 1 Cor. 11.

4. *Nam, etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Id est: Quamvis crucifixus fuit, et in cruce mortuus, secundum carnem infirmam, passibilem, mortalem, et hominum daemonumque injuriis obnoxiam, vivit tamen nunc vita immortali et impassibili, ex virtute et potentia Dei patris, qui revocavit eum de morte ad vitam, non ultra moriturum. Itaque jam non amplius infirmus, sed potens est; cujus proinde potentiam vos etiam in ministro ejus timere debetis. Ambrosianus legit, sicut et Hilarius lib. 9. de Trinitate: *ex infirmitate nostra,* et exponit, Christum propter peccata nostra crucifixum esse; siquidem peccata vocantur in Scripturis infirmitates. Sed illi lectioni reclamant codices, quotquot exstant, tam Graeci, quam Latini, tametsi Pelagius videri potest ita legisse; sic

enim habet ejus commentarius: *Quod crucifixus est, nostrae est infirmitatis; quod vivit, suae virtutis.*

Nam et nos infirmi sumus in illo. Id est: Sic igitur et nos Apostoli infirmi sumus, utpote multis injuriis, periculis, afflictionibus obnoxii, idque *in illo,* hoc est, propter Christum et verbum ejus, ut exponunt Graeci; vel secundum Cajetanum, in ipso tamquam exemplari, cui nos ejus ministri conformamur, secundum quod ipse praedixit: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Joann. 15. Unde et ait Apostolus superius cap. 4.: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.*

Sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Graece: *in vos,* vel *erga vos,* ut habet Ambrosianus. Sciendum, multa Latina mss., quibus annuit Syriaca versio, legere: *vivimus,* verbo praesentis temporis; qua sane lectione verus hujus loci sensus adjuvatur. Est autem talis: Sed tamen etiam vivimus cum Christo, id est, Christo, viventi ex virtute, nos quoque assimilamur in eo, quod ex eadem Dei virtute vivimus. *Erga vos,* id est, potentes sumus vestri respectu, ut non solum miracula apud vos patrare, quemadmodum cap. superiori dictum est, sed etiam vos peccantes punire et castigare possimus. Vitam per potentiam exponimus; nam vitam infirmitati opponit Apostolus, simulque respicit ad illud, quod de Christo dixit: *Sed potens est in vobis.* Si legas: *vivemus,* in futuro, quod in plerisque Latinis est et omnibus Graecis, ac proinde minime repudiandum, sensus haud minus commodus erit iste: Sed instar Christi, virtute Dei potentes erimus erga vos; tunc nimirum, quando res postulabit, ut potestatem in vos exerceamus.

5. *Vosmet ipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate!* Non solum, inquit, in me loquitur Christus per potestatem ab ipso datam; verum etiam, si volueritis vos ipsos explorare ac probare, cognoscetis, in vobis Christum esse per fidem. Vel hoc modo: Quaeritis experimentum loquentis in me Christi: potius ad vos ipsos respicite, et vosipsos tentate ac probate, num fidem habeatis; et per hoc (sicut proxime sequitur) Christus in vobis sit.

Dubium est, de qua fide loquatur Apostolus. Ac primum, non videtur intelligi posse de fide, quae omnibus Christianis est communis, et a charitate separari potest; tum quia scire poterant Corinthii sine nova probatione, se talem fidem habere; testatur enim S. Augustin. lib. 13. de Trin. cap. 1., nos habere certissimam scientiam fidei, quae in nobis est, et D. Thom. in hunc locum scribens, affirmat, nos scire, quod teneamus fidem, quam Ecclesia catholica docet ac tenet; idemque in 1. 2. q. 112. art. 5. ad 2.: *Quisquis,* inquit, *habet fidem, certus est, se eam habere.* Tum quia per hujusmodi fidem non continuo Christus in nobis esse dicitur, juxta morem Scripturae. Quocirca vel de fide per dilectionem operante loquitur Apostolus; hanc enim ut humana quadam et conjecturali certitudine quisque se habere sciat, probare se ipsum debet ex operibus et intentione. Qui sensus satis congruit scopo Apostoli; reprehendit enim Corinthios non de infidelitate, sed de malis operibus. Vel certe, secundum multorum expositionem, loquitur de fide miraculorum efficaci, et cum dono prophetiae et linguarum conjuncta; quae fides signum esse solet Christi habitantis in eo fidelium coetu, in quo ipsa viget. Sic enim et alibi gratiam miraculorum idem Apostolus assumit tamquam signum accepti Spiritus sancti, ut ad Gal. 3. cum ait: *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis,* etc.

An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Quasi dicat: Per experimentum fidei, in qua, probatione adhibita, invenitis vos esse, plane cognoscitis, Jesum Christum esse in vobis; ut proinde de me, cujus ministerio fidem accepistis, ambigere non debeatis, quin loquatur in me Christus. Male colligunt ex hoc loco sectarii, hominem justum certo scire, se esse filium Dei, et Christum inhabitantem in se habere; ac facile

refelluntur ex verbis praecedentibus. Etenim si Corinthios admonet Apostolus, ut seipsos probent ac tentent, num sint in fide, per quam Christus in eis sit, utique de ea re certi non erant. Nam quod certum est, probatione non eget. At neque post probationem quisquam certus est omnimoda certitudine, Christum in se habitare; sed ex probatione cognitionem accipit magnae probabilitatis, et, ut jam dixi, moralis cujusdam certitudinis. Qua de re vide etiam S. Thomam in hunc locum. Quamquam videtur Apostolus non de singulis loqui, sed de Ecclesia Corinthiorum; certius autem cognoscitur, in Ecclesia quapiam particulari Christum per gratiam habitare, quam in uno quopiam homine.

Nisi forte reprobi estis. Graece: *Nisi quid reprobi estis,* ubi *quid* videtur esse particula mitigantis asperitatem sermonis; durum enim erat suspicari, Corinthios esse reprobos. Unde alii verterunt: *Nisi in aliquo reprobi estis.* Potest autem exceptio referri vel ad verbum *cognoscitis,* vel ad illud extremum: *in vobis est;* tametsi bene censet Cajetanus magis quadrare, ut ad prius referatur. Sensus enim est: Omnino cognoscitis experimento certorum effectuum, Christum esse in vobis; nisi qua parte reprobi estis, id est, viles ac degeneres effecti, utpote carentes ac destituti signis illis, ex quibus excellentiam vestram cognoscatis. Neque enim reprobi hic dicuntur, qui contra praedestinatos distingui solent, uti manifestius patet ex sequentibus. Itaque hinc nullo modo consequens est, quod haereticorum quidam docent, eos, qui hoc modo reprobi dicuntur, nunquam habere Christum in se habitantem per gratiam et justitiam.

6. *Spero autem, quod cognoscitis, quia nos non sumus reprobi.* Multi codices, tam excusi, quam mss., legunt futurum: *cognoscetis;* quibus Graecus et Syriacus textus, necnon editio Clementina suffragantur. Ambrosianus quoque futurum tempus expressit hoc modo: *Spero autem cognituros vos.* Proinde lectionem hanc arbitramur esse veram ac genuinam. Porro sensus, juxta Graecos interpretes, comminatorius est, quasi dicat Apostolus: Si forte non cognoscitis Christum in vobis esse, propterea quod plerique vestrum vita corrupti, dudum exciderunt a pristinis Spiritus sancti donis; at spero vos experientia cognituros, quod nos non simus reprobi, id est, viles ac potestate destituti; faciam, ut agnoscatis autoritatem meam, nec patiar, me contemni.

7. *Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis.* Graece: *Opto apud Deum,* vel: *Oro ad Deum, ut* etc. Ambrosianus: *Oro autem Deum.* Sensus et connexio talis est: Quod dico, me sperare etc. non hoc dico, quasi delectet me usus potestatis meae in vos; quin potius opto ac Deum oro, ne quidquam mali faciatis, videlicet dignum censura Ecclesiastica et Apostolica, sic ut opus sit, me declarare potestatem, quam habeo ad puniendum malos. Patet hic sensus ex praecedentibus. Itaque impertinens est huic sententiae, rectene Deum quis oret, ut careat omni peccato etiam veniali. Caeterum bene ex ea sequitur, quod abstinere a peccato sit ex gratia Dei; nam oratio gratiae testificatio est.

Non ut nos probati appareamus. Probati, in Graeco non participium est, sed nomen, oppositum ei, quod dixit: *reprobi.* Non hoc, inquit, desideramus, aut a Deo petimus, ut nos, judicando et puniendo vos, videamur esse magnae autoritatis, id est, ut nos habeamur in pretio, quem scopum pseudapostoli alibi propositum habent.

Sed ut vos, quod bonum est, faciatis, ut mihi non sit opus uti virga censoria. Bene utramque justitiae partem eis precatur Apostolus; priorem, ut nihil mali faciant, alteram, ut, quod bonum est, agant, implentes illud: *Declina a malo, et fac bonum,* Psalm. 33. Hinc rursus sequitur, gratiae Dei esse, quod bonum facimus, sicut ex hoc loco colligit Augustin. lib. de gratia Christi, cap. 25.

Nos autem ut reprobi simus. Ut, id est, *tamquam,* quemadmodum superius cap. 5.: *ut praesens.* Verbum autem

simus, concedentis est; quomodo dicimus: Esto! Sensus enim est: Facile patior, me haberi ut reprobum, id est, vilem, gloriae ac potestatis expertem; nec volo, ullam meae dignitatis haberi rationem, dummodo vos constanter in bono perseveretis, et nihil admittatis, quod me cogat ostendere potestatem, quam a Christo accepi.

8. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Id est: Potestas mea punitiva nullum habet usum, quamdiu veritas et justitia servatur; quia non est contra veritatem, ut illa destruatur, sed pro veritate conservanda utpote data contra transgressores, non contra justos, juxta illud 1 Timoth. 1.: *Lex justo non est posita, sed injustis.* Unde et ait Rom. 13.: *Vis non timere potestatem? bene fac,* Quare, si vos Corinthii nihil dignum punitione egeritis, sed, quod bonum est, feceritis; ego potestate vacuus apparebo. Nam ubi culpa non est, omnes sumus pares; ut ex Gregorio Thomas annotat. Porro *veritatem* pro eo, quod rectum et justum est, accipi, frequens est in sacris litteris.

9. *Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis.* Graece: *Cum,* vel, *si quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis.* Ambrosius: *cum infirmamur, vos autem fortes estis.* Verisimile est, interpretem nostrum vertisse: *quando,* quod abbreviate scriptum, facile transit in *quoniam.* Habent *quando* mss. nonnulli, in quibus Laudensis. Estque sensus hoc pacto clarior, quia tempus significatur indefinitum. Non solum, inquit, alieni sumus a cupiditate ostentandae potestatis nostrae; verum etiam gaudemus, si quando nos infirmi et impotentes simus, videlicet subtracta nobis materia nostrae potestatis; et vicissim vos potentes, ut adversus quos ego nihil possim ob correctam vitam vestram. Potest et prior pars, juxta phrasim Hebraeam, exponi per hypothesin, quemadmodum illud Rom. 6.: *Gratias Deo, quia fuistis servi peccati,* etc., ut sensus sit: Gaudeo, vos esse potentes; etsi ego infirmus ac reprobus habear, non valens uti potestate.

Hoc et oramus vestram consummationem. Graece: *Hoc autem et oramus,* sive *optamus,* sive *votis prosequimur, vestram integritatem, perfectionem,* seu *refectionem ac instaurationem in integrum.* Tale quid enim verbale Graecum κατάρτισις significat, deductum a verbo, quod Matthaeus usurpavit cap. 4.: *reficientes retia,* quo et infra Paulus utitur. Sensus est: Hoc, quod dixi, scilicet ut potentes sitis, votis precibusque ad Deum fusis optamus; vestram, inquam, perfectionem, qua, correctis vitiis ac sublatis dissidiis, integri sitis et irreprehensibiles, ac potestati nostrae nequaquam obnoxii.

10. *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam.* Pro: *durius agam,* Graece est: *severiter* seu *rigide utar.* De Graeco adverbio ἀποτόμως plura vide in commentario nostro ad illud Tit. 1.: *Increpa illos dure.* Sensus autem est: Propterea haec absens scribo, vosque commoneo, ne, quum praesens fuero, vosque adhuc incorrectos invenero, cogar uti severitate et rigore disciplinae adversum vos; idque

Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem. Hoc et superius dictum est, atque expositum cap. 10. Congruit autem cum eo, quod paulo ante dixit, *se nihil posse adversus veritatem, sed pro veritate.* Non est autem consequens ex his Apostoli sententiis, dispensationes praelatorum Ecclesiae, quaecumque absque justa causa fiunt, prorsus irritas esse; sed tantum, male ac temere factas esse, et praeter finem ac legitimum usum potestatis a Deo concessae. Multa autem male fiunt, quae facta tenent, ut jura loquuntur. Idque manifestum est in ordinationibus sacerdotum, et collationibus beneficiorum, et aliis hujusmodi. Unde et Patres admonent, injustam excommunicationem timendam esse.

11. *De caetero, fratres, gaudete.* Epilogus est Epistolae. Graecum verbum tria significat: *gaudete, salvete, valete;*

quod postremum reddidit Erasmus. At Graeci interpretes de gaudio exponunt. Nam quia contristaverat Apostolus Corinthios priore Epistola, nunc hortatur eos ad gaudium sanctum et spirituale; quale utique habituri erant, si se corrigerent.

Perfecti estote. In Graeco verbum, a quo verbale, quod superius vertit interpres: *consummationem;* quasi dicat: Redintegramini; integri estote; corrigite vitia priora, ut nihil inveniam, in quo cogar exercere meam potestatem. Observa, Apostolum id nunc praecipere, quod paulo ante orare se dicebat. Ex quo discimus, eadem esse, quae praecipiuntur hominibus, et quae a Deo praestanda hominibus exspectantur. Insuper observa, quam apte congruant, quae hic in fine secundae Epistolae dicuntur Epilogi loco, cum iis, quae dicta sunt in principio prioris. Illic enim dixerat: *Sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* Hic repetit, eodem utens verbo Graeco: *Perfecti estote.* Illic monuit dicens: *Ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Hic mox subjungit: *Idem sapite; pacem habete.* Unde intelligimus, praecipuam Apostolo curam in his Epistolis scribendis fuisse, ut per concordiam et charitatem bene cohaererent animis inter se Corinthii, tamquam unius atque integri corporis membra.

Exhortamini. Verti potest: *Consolamini,* id est, consolationem accipite. Idque magis congruit; contristati enim fuerant, ut jam dictum est.

Idem sapite. Id est, concordes atque unanimes estote. Syriace: *Sit inter vos concordia.* Hoc addit, propter dissensiones et schismata, quae inter illos fuerant; de quibus in Epistola priore. Unde et sequitur:

Pacem habete. In Graeco unum verbum est, quasi dicat: Pacificamini, vel, ut recte Ambrosius: In pace agite, id est, non sint inter vos contentiones et rixae.

Et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. In Graeco contrarius ordo: *dilectionis et pacis.* Si, inquit, concordiam et pacem inter vos habeatis, Deus autor fraternae charitatis, quae concordiae parens est, idemque autor pacis, erit vobiscum per ampliora gratiae suae dona.

12. *Salutate invicem in osculo sancto.* Hoc ipsum jam in duabus praecedentibus Epistolis audivimus.

Salutant vos omnes Sancti. Id est, fratres seu Christiani, qui apud nos sunt. Sic enim in priore Epistola: *Salutant vos omnes fratres.* Cur autem Christiani ab Apostolo sancti vocentur, alibi explicatum est.

13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi.* Id est: Gratuita beneficentia Christi redemptoris nostri; quamquam pronomen *nostri* non est in Graeco. Potest etiam intelligi gratia, quae datur per Christum, id est, per meritum ejus; sic enim alibi saepe gratia Jesu Christi intelligitur. Sed sequentia magis postulare videntur intellectum priorem, quem dedi; ut Christus Dominus significetur autor gratiae, sicut Pater et Spiritus sanctus, et proinde consideretur secundum naturam divinam. Nam et ita saepe loquitur Apostolus, quoties fidelibus, ad quos scribit, precatur gratiam a Deo Patre et Domino Jesu Christo.

Et charitas Dei, Patris, qua scilicet nos dilexit. Quae charitas in eo potissimum commendatur, quod Filium suum pro nobis in mortem tradidit. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* Joann. 3.

Et communicatio Sancti Spiritus. Id est, participatio seu larga effusio donorum Spiritus sancti; et communicatio activa intelligatur, sicut gratiam Jesu Christi, et charitatem Dei Patris interpretati sumus. Ita communicatio accipitur Hebr. 13.: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci.* Et in hac ipsa Epistola, ubi agit de communicatione, quae fit in sanctos. Convenienter autem hujusmodi donorum largitio attribuitur Spiritui sancto, qui amor est Patris et Filii, cui proinde bonitas appropriatur, quae sui diffusiva est.

Sit cum omnibus vobis. Scilicet per multiplices effectus gratiae Christi, et charitatis Patris, et communicativae bonitatis Spiritus sancti. Hoc loco distincte nobis insinuantur tres in divinis personae; id quod contra haereticos, Trinitatis mysterio contradicentes, diligenter a Graecis commentatoribus est animadversum.

Porro Graeci codices post finem Epistolae adscripta habent haec verba: Ad Corinthios secunda scripta est e Philippis Macedoniae per Titum et Lucam. Quae subnotatio quatenus vera sit ac recipienda, facile potest intelligi ex iis, quae in argumento hujus Epist., et in expositione cap. 8. a nobis dicta sunt.

IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD GALATAS
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Cum per Apostoli Pauli praedicationem inter alios etiam Galatae verbum veritatis, hoc est, fidem Christianam, recte edocti essent, adeo ut et pro Christi nomine multa adversa tolerarent, et virtute Spiritus sancti per Christum accepti apud eos etiam miracula ederentur: post Apostoli recessum a falsis quibusdam fratribus, qui ex circumcisione erant, sollicitati ad circumcisionem caeterasque Mosaicae legis ceremonias traducti sunt; non ita quidem, ut Christum penitus abjicerent, sed ut legem cum Christo conjungerent atque miscerent. Illi namque pseudapostoli Christum quidem ut doctorem ac praeconem veritatis recipiebant; redemptorem vero autoremque justitiae non agnoscebant; et ceremoniis peccatorum veniam, a Christo doctrinae veritatem et exempla perfectae justitiae quaerenda docebant; quasi nihil aliud esset Christi Evangelium, quam hominis ad pietatem institutio, non item impii justificatio. Quod eatenus postea secutus est Pelagius haeresiarcha, ut doctrinae legis ac libero arbitrio salutaria virtutum opera et mandatorum Dei observationem adscriberet; solam peccatorum remissionem Christi merito reservans.

Quum vero memorati pseudapostoli scirent, omnem Pauli conatum in hoc esse, ut gratiae Christi ad bene sancteque vivendum necessitatem ostenderet, legis infirmitatem argueret, ceremoniarum cessationem praedicaret; neque exemplo patientiae Christi contentus, sacramentum crucis inculcaret; multis modis laborabant, ut illius autoritatem elevarent ac deprimerent. Quod et discimus ex utraque ad Corinthios epistola. Itaque eum negabant verum Christi Apostolum, id est, a Christo missum, ut qui Christum in carne non vidisset; sed esse discipulum Apostolorum, qui doctrinam illorum nec satis intelligeret, nec fideliter referret. Caeteros Apostolos, quibus velut Christi quondam familiaribus, ut apud fideles autoritate primis, potius esset credendum, ajebant aliud longe sentire ac docere, quam Paulus doceret.

Nam quia videbant, Apostolos Judaeis adhuc usum legalium ceremoniarum indulgere, ipsosque etiam, dum inter Judaeos agerent, legem observare (siquidem mortua quidem lex erat, sed nondum mortifera), arbitrabantur eorum doctrinam ab his, quae Paulus docebat, plane discrepare; neque considerantes hujusmodi facti

ipsorum rationem, neque causam gentilium ac Judaeorum discernentes. Accedebat, quod Petrus Apostolorum princeps, etiam tunc cum esset Antiochiae, quae gentilium, non Judaeorum civitas erat, a cibis et mensa gentilium sese de industria subtraxerat; tanquam facto suo doceret, a cibis lege vetitis ubique et omnibus sine discrimine abstinendum esse; proindeque legis ceremonias omnibus esse observandas.

Ad haec Apostolus Paulus ita respondet hac epistola, ut inprimis et dignitatem apostolatus sui adversus pseudapostolos tueatur, et suae doctrinae cum reliquis Apostolis concordiam, ex habita inter ipsos collatione, comprobet. Caeterum de facto Petri sic loquitur, ut eum propter hoc palam a se reprehensum dicat: qui tamen etiam ipse, priusquam quidam a Jacobo fratres Judaei advenirent, cum gentibus cibum sumserit; ut eo quoque, quod Petrus fecerat, adversariorum propositum elidat. Mox rationibus et adductis e scriptura veteri testimoniis ab errore Galatas revocat; videlicet ex ipsa lege legis abrogationem ostendens. Interim varios affectus passim inspergit epistolae; modo admirans, modo increpans, nunc obsecrans, alibi obtestans ac denuncians: quod his modis, velut prudens medicus, sciret cum iis, ad quos scribebat, pro eorum ingenio agendum esse: quippe qui et Timotheum instruat dicens: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina* 2 Tim. 4., et Tito praecipiat Cretenses dure increpandos, ut sani sint in fide Tit. 1. Quod autem in aliis epistolis facit, ut post doctrinam fidei subjiciat praecepta morum, id et in hac praestitit, mores informans a medio quinti capitis usque ad finem.

Porro convenit argumentum hujus epistolae cum ea, quae ad Rom. scripta est, quod in utraque doceat Apostolus, non ex lege et ceremoniis, sed ex fide Christi hominem justificari. Verum hoc interest, quod ad Romanos scribens intentionem magis dirigat contra opera legis, qua parte moralis est, in quibus adversus gentiles gloriabantur Judaei: hic vero praecipue contra ceremonias, ad quarum observationem a pseudapostolis Galatae, qui gentiles erant, urgebantur.

Illud huic epistolae peculiare, quod, sicut etiam a B. Hieronymo observatum est, ipsa sola inter tredecim Paulinas non ad unius civitatis fideles scripta est, sed ad totius provinciae. Nam Galatia non urbis, sed regionis nomen est, in Asia minori sitae; in qua, teste Augustino lib. de unit. eccl. cap. 12., ecclesiae erant innumerabiles. Ea Gallograecia alio nomine vocata fuit, quod in eam Graeciae partem Galli quondam ob finium suorum angustiam commigrassent.

Ubi et quando scripta sit haec epistola, non constat. Ex Epheso missam esse, testatur argumentum Latinis exemplaribus praefixum. At Graecorum subscriptio missam esse vult ex urbe Roma, quod consistere non potest, si ante epistolam ad Rom. scripta est, ut sentit Theophylactus. Atqui verisimilius est, postea scriptam esse; nam ad Rom. scribens Apostolus cap. 15. significat, se jam tum occupari in eleemosyna colligenda pro sanctis pauperibus, qui erant Jerosolymis; in hac vero epistola idipsum tanquam a se jam perfectum refert his verbis cap. 2. *Tantum ut pauperum memores essemus; quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.*

Eadem ratione Romae potius, quam Ephesi scriptam apparet; quum enim in Asia versaretur Apostolus, ubi Ephesus est, id adhuc agebatur, ut Achaia et Macedonia collationem facerent in pauperes memoratos. Sed nec ideo negandum, Romae scriptam esse, quod in ea nullam faciat vinculorum suorum mentionem, sicut in caeteris, quae ex urbe Roma missae sunt, scilicet ad Ephesios, ad Philippenses, ad Philemonem, et altera ad Timotheum. Nam ut taceam, per *stigmata Christi*, quae se dicit *in corpore suo gestare*, cap. ultimo, posse vincula aut vinculorum cicatrices intelligi, facile responderi potest, Paulum Romae agen-

tem non semper in vinculis fuisse, sed aliquando, post primam defensionem, liberatum. Nunc ipsum Apostolum audiamus.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem[1], qui suscitavit eum a mortuis: 2. et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiae[2]. 3. Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo[3], 4. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam[4], secundum voluntatem Dei et Patris nostri, 5. cui est gloria in saeculo saeculorum! Amen. 6. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium: 7. quod non est aliud[5], nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. 8. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. 9. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit[6]. 10. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem[7]. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem[8]: 12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. 13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam[9], 14. et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam[10], 16. ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus[11]: continuo non acquievi carni et sanguini, 17. neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum: 18. deinde post annos tres veni Jerosolymam[12] videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim: 19. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. 20. Quae autem scribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior. 21. Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae[13]. 22. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judaeae, quae erant in Christo: 23. tan-

---

[1]) Vers. 11. seq. Act. 9, 7. 17. Rom. 1, 1. 4. 1 Cor. 1, 17. 1 Tim. 1, 11. 12. [2]) Act. 16, 6. 18, 23. [3]) Rom. 1, 7. [4]) Rom. 6, 6. Gal. 6, 14. Tit. 2, 14. [5]) 2 Cor. 11, 4. [6]) 1 Cor. 16, 22. [7]) Matth. 10, 37. 1 Thess. 2, 4. [8]) Vers. 17. 1 Cor. 11, 23. Act. 26, 16. [9]) Act. 22, 4. 26, 9. seq. [10]) Vers. 1. [11]) Act. 9, 15. 26, 16.—18. [12]) Act. 9, 26. 27. [13]) Act. 9. 30.

tum autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat[1]): 24. et in me clarificabant Deum.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Vehementer increpat Galatas, quod a doctrina per ipsum tradita recessissent; ostendens, se ab ipso Christo Evangelium et Apostolatum accepisse; ab aliis autem Apostolis non fuisse edoctum.

1. *Paulus Apostolus non ab hominibus.* Autoritatem suam contra pseudapostolos asserit statim initio; scribens *se Apostolum* creatum, aut (quod Apostoli nomen sonat) missum, *non ab hominibus*, veluti a collegio Apostolorum, quomodo Matthias Apostolus factus est; aut suffragiis alicujus Ecclesiae, quomodo nonnulli alii, ut Barnabas et Silas.

Neque per hominem. Hoc duobus modis exponitur; vel sic: non per hominem mortalem; qualis erat Christus, quando duodecim Apostolos elegit, sed per hominem immortalem, qualis idem Christus post resurrectionem. Unde mox resurrectionis ejus meminit, dicens: *qui suscitavit eum a mortuis.* Et haec Augustini expositio est. Vel secundum Hieronymum et alios plerosque hoc modo: Non per hominem purum, quantumvis excellentem; qualis erat Petrus Apostolus Christi vicarius, per quem creatus fuit Clemens; ut Timotheus et Titus per Paulum. Hic commentarius potior videtur. Non enim in ipso limine Epistolae Paulum se caeteris Apostolis anteferre voluisse, credibile est. Adde, quod hic sensus optime congruit cum eo, quod proxime sequitur:

Sed per Jesum Christum, qui non est purus homo, sed homo Deus. Id quod ex hoc loco contra haereticos, qui Christum non aliud quam hominem dixerunt, bene colligit Hieronymus.

Et Deum Patrem, Jesu Christi naturalem. Significat autem se factum Apostolum a Deo Patre per Christum Filium ejus. Ubi notandum, inter praepositiones *ab* et *per* non esse ponendum hoc loco discrimen, alioqui quam maxime dicendum fuisset, a Deo Patre, et non *per Deum Patrem.* Addit autem:

Qui suscitavit eum a mortuis. Hoc addit, ut tacite saltem innuat, a Christo per resurrectionem immortali se constitutum Apostolum; quod nulli contigerat aliorum. Quaeri potest, quomodo non ab hominibus Apostolum se creatum dicat, de quo Lucas scribit Actor. 13., quod ad Evangelium gentibus praedicandum (quod erat Apostolici muneris) impositionem manuum accepit una cum Barnaba, a senioribus ecclesiae Antiochenae. Respondeo, Paulum et Barnabam eo loco non fuisse creatos Apostolos; sed tantum cum caeremonia manuum impositionis, adhibita oratione et jejunio, missos fuisse ad opus praedicationis Evangelicae, ad quod jam assumpti et designati erant a Spiritu sancto. Sicut Petrus et Joannes a collegio Apostolorum missi sunt ad Samaritanos, non tamen ordinati Apostoli; sed multo ante a Christo. Certe Paulus non solum dicere vult, sese immediate a Christo munus Apostolicum accepisse; verum etiam Evangelium, quod praedicaret, ab ipsomet per revelationem didicisse. Quod quidem expressius affirmat in consequentibus hujus capitis.

2. *Et qui mecum sunt omnes fratres.* Adjungit sibi fratres non unum aut paucos, sed omnes, qui secum erant; ut doceat, se non ex sua tantum, sed omnium fratrum sententia scribere ea, quae scribit;

---

[1]) Act. 9, 20. 21.

idque propter eos, qui Pauli doctrinam, ut singularem et ab ecclesiis haud receptam, calumniabantur.

Ecclesiis Galatiae. Subaudi, scribit, aut precatur, quod sequitur. *Ecclesias Galatiae* dicit numero plurali; quia plures Galatarum erant ecclesiae, quas a recto tramite Evangelii abduxerant pseudapostoli. Notant autem Graeci interpretes, Apostolum non adscribere titulos amoris aut honoris; ut dilectis, sanctis, sanctificatis; neque dicere hoc modo: Ecclesiis Dei, quae sunt in Galatia, aut quippiam tale, quod solet in aliis Epistolis; sed simpliciter ac nude dicere: *Ecclesiis Galatiae.* Quod signum esse putant indignantis adversus eos Apostoli; ut quos, ob gratiam Christi rejectam, nec dignos censeat iis appellationibus, quas alibi communes facit omnibus Christianis.

3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo.* Haec salutationis forma quid sibi velit, jam in aliis epistolis expositum est.

4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Id est, tradidit semetipsum in mortem pro peccatis nostris delendis, utique secundum naturam humanam, qua sola mori potuit. Hoc autem Apostolus commemorat, ut innuat, non a caeremoniis legis, sed ex cruce Christi remissionem peccatorum exspectandam. Quo pertinet etiam, quod sequitur:

Ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam. Sensus est: Item dedit semetipsum, ut eximeret ac segregaret nos de numero impiorum, et vocaret in sortem sanctorum. *Praesens saeculum,* id est, tempus vitae praesentis, vocat *nequam,* seu malignum; non quasi per se malum sit; quomodo quidam antiqui haeretici intellexerunt, quos refellit Hieronymus; sed metonymice propter malos homines, quorum numerus in eo plurimum praevalet; adeo ut omnes nascantur mali, nec boni fiant nisi ex malis. Apparet autem, Apostolum, cum dixit *pro peccatis nostris,* et iterum *ut eriperet nos,* in electorum persona loqui; quia qui segregantur ex massa impiorum, electi sunt, qui vero relinquuntur, reprobi.

Secundum voluntatem Dei et patris nostri. Quem superius dixit patrem Christi per naturam; nunc patrem nostrum vocat, propter adoptionem filiorum Dei. Caeterum pars ista vel referri potest ad illud superius: *Qui dedit semetipsum,* ut sensus sit, Christum tradidisse seipsum in mortem, ex voluntate, decreto et praecepto Patris; vel ad effectum hujus spontaneae traditionis, significatum verbis subsequentibus. Nam voluntatis ac beneplaciti divini est, peccata nostra deleri, nosque eripi e massa perdita. Sed prior constructio magis convenit cum aliis scripturae locis, in quibus Pater Filium in mortem tradidisse dicitur; et quibus Filii erga Patrem usque ad mortem obedientia commendatur.

5. *Cui est gloria in saecula saeculorum, Amen.* Verbum *est* non additur in Graeco; potestque non minus commode suppleri *sit,* optativum. Hoc enim postulare videtur clausula *Amen,* id est, fiat. Sensus: Qui pro tanto beneficio dignus est, a nobis et ab omnibus glorificari per saecula semper duratura, id est, in omnem aeternitatem. Huc usque salutatio.

6. *Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium.* Orditur Apostolus sermonem a castigatione. Nam quod ait *miror,* id ex rei circumstantia castigantis et increpantis significationem habet; simul eo verbo subindicat, se magnam de Galatis opinionem antea habuisse: nam casum magnorum miramur. Pro eo, quod nostri codices habent, *sic tam cito,* Graece tantum est, οὕτω ταχέως, id est, *sic cito,* vel *tam cito,* vel (ut apud Ambrosianum) *adeo cito.* Unde verisimile est, *sic* et *tam* ex diversis versionibus huc confluxisse. Rursum Graece non est *in gratiam* sed *in gratia;* id est, ut Ambrosianus legit, per gratiam. Sane Hieronymum *in gratia,* et non *in gratiam* legisse, ex ejus commentario colligi potest; tametsi non negandum, Graecas praepositiones, ἐν, ἐπὶ,

εἰς, apud Apostolum interdum confundi. Quod autem Augustinus pro *gratia, gloriam* legit, ex nullis codicibus, qui hodie extent, suffragium habet; sed nec in Graecis vocabulis ulla affinitas est.

Jam vero quod Hieron. et eum secutus in sua versione Erasmus, hyperbaton hoc loco faciunt, ut rectus ordo constructionis sit iste: *Miror, quod tam cito transferimini a Christo, qui vos vocavit per gratiam* (siquidem et hanc constructionem Graeca non respuunt), id aliis non probatur; nec immerito. Nam vocatio passim in epistolis Paulinis Patri, non Christo, tribuitur; ut videre est Rom. 8. 2 Thess. 1. et 2. 2 Timoth. 1. et alibi. Denique et hoc ipso capite, ubi dicit: *Et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me.* Quare nec Graecorum quisquam, nec Augustinus, nec Ambrosianus hujus hyperbati meminerunt: quin ipse Erasmus in paraphrasi caeteros secutus, priorem versionem suam deserit.

Itaque planus est sensus: Miror vos tam cito post fidem Christi susceptam ab eo, qui vos admirabili benignitate vocavit in gratiam Christi filii sui, id est, ad participationem gratuitorum ejus beneficiorum; vel, per gratiam Christi, id est, per meritum ejus gratuito vobis applicatum; transferri seu traduci in aliud evangelium, hoc est, diversum ab eo, quod a me vobis praedicatum est; sive in aliam doctrinam, quae pro Evangelio vobis obtruditur. Non dicit, a meo evangelio in aliud, sed: *ab eo, qui vos vocavit;* ne suum negotium agere videretur, suive causa commotus esse adversus Galatas, sed propter ipsos, quia a Deo vocante recesserant.

7. *Quod non est aliud.* Correctio est ejus quod dixit *in aliud evangelium,* habetque vim expositionis; nam in scriptura proprie nihil corrigendum est. Tametsi, inquit, ea doctrina, quae nunc vobis ingeritur, non est digna nomine evangelii. Neque enim praeter illud, quod praedicavi vobis, ullum est aliud Evangelium: quidquid ab eo diversum adfertur, evangelium non est, sed pseudoevangelium, magistris pseudapostolis congruens.

Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi. Nisi pro *sed,* frequentissimo more scripturae. Sed tantum, inquit, quidam sunt turbantes vos, dum volunt invertere Evangelium Christi; id est, aliud docere, quam quod Christus per Apostolos docendum tradidit. Non enim Christus praecepit homines circumcidi, caeterasque legis ceremonias observari; sed ab hoc jugo fideles suos liberavit. Volunt ergo convertere et in aliud transmutare Evangelium Christi; qui, sicuti Petrus in concilio loquitur Act. 15., legis jugum Christi fidelibus tentant imponere.

Dicit autem, *volunt convertere,* significans eorum conatum, non effectum; eo quod Evangelium Christi, quemadmodum dictum jam est, unum et immutabile sit. Quae res etiam ab Hieronymo annotata est. Admonet hoc loco Theophylactus, etiam exiguum quiddam Evangelio repugnans, quale erat sabbatum et circumcisio, ejusmodi esse, ut universum Evangelium invertat: perinde ac si quis regii numismatis aliquantulum depravarit, is totum numisma adulterinum reddidit. Quod observari vult propter eos, qui in quaestione religionis ac fidei saltem modicum quid putant adversariis, causa pacis, concedendum.

8. *Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Evangelium suum gravissima execratione confirmat. Ubi notanda est in Apostolo constans autoritatis suae defensio, qua, ne angelo quidem caelitus advenienti, si quid secus annunciet, anathema dicere veretur. *Nos,* id est, ego ipse Paulus, qui vobis Evangelium praedicavi, vel, ut alii volunt, nos Apostoli. Sed prior expositio melior, nam Pauli scopus est, Evangelium ab ipsomet praedicatum, quod cum aliorum Apostolorum Evangelio convenire negabant pseudapostoli, ab hujusmodi calumnia vindicare. Quod autem ait, *Angelus de coelo;* hypothesis est rei

impossibilis. Nam fieri non potest, ut Angelus e coelo veniens atque a Deo missus evangelizet praeter id, quod Paulus evangelizaverat: sive quia Angeli boni confirmati sunt in justitia et veritate, sive quia Deus falsum nuncium mittere non potest. Notanda etiam catachresis in verbo *evangelizet*, posito loco generis, annunciet.

Anathema sit, id est, maledictus et execrabilis; quod Hebraei vocabant *Horma*, nam pro eo LXX. scripserunt, ἀνάθεμα Non excommunicat hac sententia quenquam Apostolus, sed declarat, execrabilem esse et excommunicatione atque aeterno interitu dignum; sicut et 1 Corinth. 16. dicens: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Quomodo et intelligendi sunt anathematismi conciliorum: Si quis dixerit hoc aut illud, anathema sit. De hoc vocabulo plura vide ad locum memoratum 1 Cor. 16. et ad Rom. 9.

Porro quia sententiam hanc Apostolicam detorquent haeretici nostri temporis adversus Ecclesiasticas traditiones, id est, ea Ecclesiae dogmata, quae sola traditione continentur, non verbo scripto; tanquam hoc genus sit praeter illud, id est, diversum ab eo, quod evangelizarunt Apostoli; diligentius hujus loci sensus investigandus est.

Quidam respondent, Apostolum non dicere: Si quis annunciet aliquid diversum ab Evangelio scripto; sed: *si quis annunciet vobis praeter id, quod evangelizavimus vobis;* hoc est, ut Apostolus sententiam suam repetens explicat, *praeter id, quod accepistis.* Traditiones autem, inquiunt, etsi sint diversae ab Evangelio scripto; non tamen ab eo, quod initio traditum et acceptum est. De iis enim ipse Apostolus scribit 2 Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem* etc. At huic responsioni opponitur, quod nullo modo verisimile sit, Galatis adhuc rudibus in fide statim omnia Christianae religionis mysteria tradita fuisse; cum quaedam eorum sublimiora sint et minus necessaria; de quibus alibi dicit Apostolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos* 1 Corinth. 2. Quae proinde non initio novellis Christianis proponebantur, sed servabantur opportuno tempore tradenda. Quare si quis horum aliquid postea proponeret et annunciaret; non utique dicendum ei erat anathema. Deinde si, juxta horum intelligentiam, *praeter* significat id, quod quocumque modo diversum est ab iis, quae jam tum tradita erant; Joannes Apostolus esset anathema, quia postea scripsit Evangelium et Apocalypsim, in quibus multa sunt ab aliis non ante tradita. Quin ipse Paulus sibi anathema foret, qui, et in hac Epistola et in aliis postea scriptis, quaedam docuit et tradidit antea Galatis non tradita; qui etiam 1 Thess. 3. promittit se completurum ea, quae deerant fidei ipsorum. Denique quis dixerit, angelum de coelo, si mysterium aliquod annunciaret, hactenus non revelatum hominibus, futurum anathema; ac non potius fidem ei habendam, sicut caeteris revelationibus propheticis?

Potior itaque responsio est, vocabulo *praeter*, Graece παρὰ, non significari ab Apostolo, quod quocunque modo diversum est, sed ita diversum, ut sit etiam adversum et contrarium; quasi dicat: Quodsi vel ego ipse, vel angelus Dei vobis annunciet ac pro Evangelio proferat aliquid contrarium iis, quae ego vobis evangelizavi; sit anathema.

Jam autem traditiones Ecclesiae nequaquam hujusmodi sunt; sed cum doctrina, quam Paulus tradidit, ac generatim cum verbo Dei scripto, quam maxime consentiunt. Id vero, quod pseudapostoli docebant, legem Mosaicam omnibus in Christum credentibus, tam gentilibus quam Judaeis, observatu necessariam esse; contrarium erat doctrinae Pauli et caeterorum Apostolorum, ac non solum diversum; ut liquet ex Act. 15. Et quidem haec significatio praepositionis παρὰ Graecis usitatissima est, ut et Latinis ipsius *praeter*. Hinc παράνομος, legis violator; et παρανομία, legis transgressio; et multa similia. Sic ipse Paulus

Rom. 1. *praeter naturam*, id est, contra naturam, ut bene vertit interpres. Et cap. 4. dicit, *Abraham praeter spem in spem credidisse,* quod interpres vertit, *contra spem:* et ejusdem epist. cap. 16. praecipit observari eos, qui dissensiones et offendicula *praeter* (id est contra) doctrinam ipsis traditam faciebant. Et Latine dicimus, praeter legem, praeter morem, praeter opinionem, praeter spem, praeter dignitatem; id est contra. Hunc intellectum sequuntur Hieronymus et Ambrosianus in comm., nec non Augustinus tract. 98. in Joan. et lib. 17. contra Faustum cap. 3. et lib. 23. cap. 7.

Ex quo praeterea liquet, non adversari Catholicis illud ejusdem Augustini lib. 3. contra lit. Petil. cap. 6. Si angelus de coelo vobis annunciaverit praeterquam quod in scripturis legalibus et Evangelicis accepistis, anathema sit. Nam Augustinum ex Augustino exponentes, dicimus sensum esse, contra id, quod in scripturis accepistis. Ac si quis perpendat verba S. Aug. dicto Tract. 98. in Joan. sub finem, videbit ipsum hic non istud *praeterquam*, sed *praeter* dedisse: quod idem de nostro Interprete hoc loco merito suspiceris, perpendens, quid omnes codices Latini legant v. proxime seq.

Sed objicit nobis aliquis Theophylacti commentarium, in quo sic legitur: Nec dixit, si contraria aut pugnantia praedicent; sed, si vel parvum quid annuncient, praeter id quod annunciavimus, hoc est, si plusculum quippiam adjecerint: execrationi subdantur. Resp. Theophylactum loqui de additamento, quo pars aliqua doctrinae ab Apostolo traditae labefactetur. Qui sensus ex Chrysostomo, cujus vestigia Theophyl. insequitur, manifestus est. Dicit enim Chrysostomus, ideo Apostolum dixisse *παρὰ*, id est, praeter; ut hinc discamus, non eos solum anathema decerni, qui aperte contraria docent, aut talia, quae totum Evangelium subvertunt; sed etiam illos, qui aliquid addunt, quo quidvis, quantumvis minimum Evangelii labefactatur, etiamsi aperte ei contrarium non sit. Ac sane Theophylactum aliter intelligi non oportere, perspicue declarat illud, quod ex ipso proxime annotavimus; ne quidem exiguum aliquid fidei repugnans adversariis concedendum esse.

9. *Sicut praediximus, et nunc iterum dico.* Id est: Quemadmodum jam ante dixi, ita et nunc iterum dico, ac sententiam repeto. Quod ergo dicit, *praediximus;* vel ad aliud tempus, quo simile quid dixerat et contestatus fuerat, referendum; vel potius ad id, quod proxime praecessit. Id enim repetit, inculcationis causa; ne, quod semel dictum erat, minus certum haberetur.

Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. Accepistis, intellige, a nobis. Repetit enim aliis verbis, quod dixerat, *praeter quod evangelizavimus vobis.* Hunc autem locum similiter Augustinus de eo, quod contrarium sit traditis et acceptis, exponit. Tractans enim illud Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere,* et hanc Apostoli sententiam eo adducens, ita scribit: *Non ait, plus quam accepistis; sed praeter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse praejudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quae illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit. Qui autem praetergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.* Sic ille tract. 98. in Joann.

Praeterea notandum ex hac et superiori Apostoli sententia, sumi posse generalem quandam rationem explorandi doctrinam religionis. Ea ratio seu regula est, omnem doctrinam, quae praeter doctrinam antiquitus traditam adfertur, rejiciendam esse. Eam vero, quae cum doctrina a majoribus accepta consentit; recipiendam et approbandam. Sic Joannes 1. Epist. c. 2. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat,* et in 2. Epistol. *Ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.* Et rursum Paulus 2 Timoth. 2. *Tu permane in iis, quae didicisti et*

quae credita sunt tibi; sciens, a quo didiceris.

10. *Modo enim hominibus suadeo, an Deo?* Sensus hujus interrogatiunculae non ita obvius est. Sunt, qui putent, commodius verti posse: Nunquid adhuc homines persuadeo, an Deum? Nam in Graeco casus sunt accusativi. Sic autem exponunt: Non homines praedico, sed Christum; neque de humanis rebus persuasio mea est, sed de divinis. At sciendum, verbum Graecum accusativo junctum eandem vim interdum habere, quod Latinum suadeo cum dativo. Sic enim ipse Paulus alias hoc verbo usus est, ut 2 Cor. 5. *Hominibus suademus;* ubi Graece est, *homines.* Neque vero nostra versio sensum habere potest, quem alii quidam faciunt: An quod doceo et praedico, ad hominum gloriam praedico, ac non potius ad gloriam Dei? Nam alienus est hic sensus a significatione Graeci verbi πείθω, praesertim juncti cum accusativo. Quocirca Chrysostomi sententiam amplectimur, interpretantis hoc modo: *Num ego jam causam dico apud homines, an apud Deum?* quod est: Sicut non ab hominibus neque per hominem missus sum ad praedicandum evangelium, sed per Christum et Deum Patrem: ita non apud homines judices, sed apud tribunal Dei ac Domini mei causam hanc ago, illique meam doctrinam ut judici meo probare studeo. Hoc autem dicit, quia multos homines, et jam nomine Christianos, patiebatur contradictores; quorum judicia nihil morari se significat, Deo judice contentum. Unde et sequitur:

An quaero hominibus placere? Id est: Num studium meum est, ut hominibus placeam, an potius ut placeam Deo? Studet autem hominibus placere, juxta mentem Apostoli, cujus studium est, gratiam hominum eblandiri, ut ab iis consequatur, quod carnaliter concupiscit; quo fit, ut veritatis cura postposita tantum solicitus sit, ut ea dicat, quae homines lubenter audiunt, dicentes illud Isaiae 30. *Loquimini nobis placentia.* Tales hominibus placentes damnat ille versiculus Psalmi 52. *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Non ergo pugnat cum hoc loco, quod idem Apostolus dicit 1 Cor. 10., *se per omnia omnibus placere;* nam modum explicat, dum addit: *Non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Quem modum placendi hominibus etiam ab aliis exigit Rom. 15. *Unusquisque vestrum,* inquit, *proximo placeat in bonum, ad aedificationem.*

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Graece: *Si enim adhuc* etc., ut sit probatio negationis, quam postulat interrogatio praecedens. Quidam hanc partem sic exponunt: Si studerem hominibus placere, eo modo quo jam dictum est, fierem servus hominum et cupiditatum mearum: et per hoc desinerem esse Christi servus; quia nemo potest duobus dominis servire.

Sed probabilior est haec aliorum expositio: Si adhuc studerem hominibus placere, sicut olim in Judaismo: non essem factus Christianus, non addixissem me Christo in servitutem; propter cujus evangelium tanta mihi apud contribules meos conflata est invidia, apud quos antea summo loco habebar. Potest et sic intelligi: Si adhuc, ut olim, sectarer hominum gratiam, non essem idoneus Christi servus, non essem dignus eo nomine; quia ministerium, quo Christo servio in evangelio, non sincere, non sicut oportet obirem. Videtur enim servum Christi se dicere, speciali ratione, propter ministerium verbi; quemadmodum in exordio epistolae ad Romanos: *Paulus servus Jesu Christi.* Haec praefatur Apostolus, ut ab integritate suae personae causam, quam suscepit agendam, commendet; simul oblique taxans pseudapostolos, quibus studium erat, hominibus placere.

11. *Notum enim vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem.* Pro *enim* Graece est *autem,* Ambrosiano suffragante. Sensus: Scire vos volo, evan-

gelium, quod a me praedicatum est, non esse humanum inventum, sic enim illud: *secundum hominem,* exponit Augustinus, dicens, evangelium, quod secundum hominem est, mendacium esse, quia omnis homo mendax. Vel, ut Graeci interpretantur, non esse *secundum hominem,* id est, non esse mihi traditum hominis cujuspiam ministerio; scilicet ejus, qui tantum homo sit; quomodo superius dixit, *neque per hominem.* Qui posterior intellectus germanior est; non enim Paulo a Judaizantibus objiciebatur, quod confinxisset suum evangelium; sed, quod illud didicisset ab Apostolo quopiam, non ab ipso Christo, sicut caeteri Apostoli. Ex quo contendebant, eum longe illis inferiorem esse. Et hic sensus explicatur per id, quod sequitur.

12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici.* Id est, non alicujus hominis interventu seu magisterio illud aut semel accepi, aut per temporis moram didici. Sic enim Hieronymus distinguit inter *accipere* et *discere;* tametsi forte rectius intelligas, Apostolum haec duo posuisse pro eodem. Rursus autem ex hoc loco bene colligit idem Hieronymus, Christum non purum hominem esse, sed Deum.

Sed per revelationem Jesu Christi, ab eo mihi factam immediate. Christus enim Paulo per revelationem patefacere dignatus est totius Christianae religionis mysteria; volens ejus praedicationem apud homines non esse minoris autoritatis, quam erat Petri et Jacobi ac caeterorum, qui Christum in carne viderant, ac docentem audierant.

Quaeritur, quo tempore revelationem hanc Apostolus acceperit. Hieronymus ad illud tempus refert, quando Paulus Damascum proficiscens in itinere Christi vocem audivit, et caecatis oculis (sic enim loquitur) verum mundi lumen intuitus est. Thomas revelationem hanc Apostolo factam existimat, quando raptus fuit in paradisum, ubi audivit arcana verba 2 Cor. 12. Et quoniam in ejus loci commentario raptum illum contigisse scribit ipso anno conversionis ejus, et quidem (ut probabile putat) in illo triduo, quo Damasci jejunus agebat ante baptismum: hinc consequenter apparet, quid de tempore revelati Paulo evangelii idem Doctor senserit.

Verum huic opinioni tam Hieronymi quam Aquinatis, quae fere eadem est, vehementer obstat, quod Paulo tunc quaerenti: *Domine, quid me vis facere?* responsum est: *Surge, et ingredere civitatem; et dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Act. 9. Nam si universum evangelium a Christo per revelationem vel in hora conversionis, vel triduo subsequente didicit; frustra mittebatur ad hominem, a quo disceret, quid facere se oporteret. Didicit autem, post illud triduum jejunii, ex Anania ad se misso; videlicet ab eo non baptizatus modo, sed et catechizatus, hoc enim totum includitur in illo: *Quid te oporteat facere.*

Neque vero Paulus usquam negat, se catechizatum ab homine, sed evangelium, quod in gentibus praedicaret, id est, mysteria Christianae religionis, per quae perfecte esset instructus ad exequendum munus Apostolicum, ab homine accepisse. Deinde nec satis consentaneum erat, ut recenter ex tanto persecutore conversus, necdum baptizatus, nec impletus Spiritu S. (haec enim secuta sunt, ut ex historia patet) tam eximia revelatione dignus haberetur, ac gentium crearetur Apostolus; praesertim cum illud triduum magis esse debuerit poenitentiae et orationis. Quod et Dominus significat, dicens: *Ecce enim orat.*

Nec vero putandum est, primo illo tempore revelationem hanc Paulo factam esse, quod, ut eodem loco Actor. dicitur, continuo ingressus in synagogas, praedicaverit fidem Jesu Christi; praedicabat enim nondum ut Apostolus, sed ut discipulus: quomodo multi alii gratiam verbi habentes, idque ex catechismo fidei, quo erant instituti saltem imperfecte. Sic enim et Apollo, quamvis nondum baptizatus, nedum ad apostolicam dignitatem evectus, fidem Christi praedicasse legitur. Act. 18.

Quae cum ita sint, illud de tempore revelationis hujus verius alicui videri queat, eam non esse diversam ab illa, de qua 2 Cor. 12. refert, se in raptu audivisse arcana verba, quae non licet homini loqui. Quam quidem revelationem illic ostendebamus contigisse octavo post ejus conversionem anno, quando nimirum Apostolus gentium creatus est et ad praedicandum in gentibus evangelium missus, una cum Barnaba Actor. 13., dicente Spiritu Sancto: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Tunc ergo non solum per revelationem perfecte didicerit evangelium, quod praedicaret; verum insuper audierit arcana verba, quae hominibus eloqui non posset.

Sed alio tempore fuisse illi factam revelationem evangelii, quam quo raptus audivit arcana verba illa ineffabilia, de quibus dicto cap. 12. posterioris ad Cor., magnum argumentum sumitur ex hoc ipso primo cap. ad Gal., ubi infra dicitur: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit* et quae sequuntur, v. 15. 16. 17. 18. Inde enim liquet, Paulum non multo post conversionem suam tempore, accepisse evangelium ex revelatione divina; ideoque non contulisse illud cum quoquam Apostolorum; sed tamquam Apostolum profectum in Arabiam, ac inde reversum Damascum, praedicasse in synagogis fidem Jesu Christi. Post tres autem annos rediisse Jerosolymam, tantum ut Petrum videret, non etiam ut ab eo disceret; quemadmodum patet ex initio c. 2. Quae omnia multo ante octavum ab ejus conversione annum (quo ille ejus raptus ponitur) manifestum est accidisse. Facta est igitur ei revelatio Evangelii, antequam ut Christi Apostolus fidem Domini Jesu inciperet praedicare; non longe scilicet post conversionem ipsius.

13. *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo.* Narratio est, qua fidem evangelio suo conciliat ex iis, quae gessit, antequam esset ad Christi fidem conversus. Facilius enim creditur homini, in quo tanta e contrario in contrarium accidit mutatio, qualis hic describitur, quamque pulcre Hieron. explicat in commentario. Neque enim hac parte probat Apostolus, ut Graeci volunt interpretes, se evangelium suum non ab homine, sed per Christi revelationem accepisse; quod non est consequens ex his verbis, sed his opportune praemissis, id agit ac docet postea. Adverbium *aliquando* non ad verbum *audistis* referendum, sed ad proxima. Sensus enim est: Res notissima est, quam vos audisse non dubito, quomodo conversatus fuerim et quo studio me gesserim olim in Judaismo. Judaismum vocat sectam Judaicam, id est eorum, qui legem Mosaicam mordicus retinebant, non admittentes abrogationem ejus per Christum, inter quos Paulus praecipuum se fuisse paulo post affirmat. Judaismus est, inquit Augustinus epist. 19. ad Hieron., quum putatur ex ceremoniis et lege salus esse, aut sine illis non esse.

Quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei; id est, quod omni conatu ac studio persequebar Christianos, qui sunt ecclesia Dei. Quanquam plus aliquid vult, quum dicit, *persequebar ecclesiam Dei,* quam si diceret, persequebar Christianos. Nam *ecclesiam Dei* nominando, manifestius significat magnitudinem sui peccati, ut qui dissipare ac disperdere voluerit eum coetum, quem Deus in terris congregabat, quod erat adversus Deum pugnare. Rursus quod dicit, *se persecutum fuisse supra modum,* pro quo Graece est καθ' ὑπερβολὴν, secundum excessum, sive exsuperantiam, non ita dicit, quasi possit hoc ipsum fieri cum modo: sicut dicitur aliquis supra modum laetus, tristis, iratus; sed excellentiam quandam et maximam animi contentionem eo sermone significare voluit: quemadmodum alibi significavit nomine insaniae, ut Act. 26. *Et amplius,* inquit, *insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates.*

Et expugnabam illam. Graece, ἐπόρθουν, id est, *depopulabar,* ut vertit Erasmus; *vastabam* seu *devastabam,* ut legunt Augustin. et Hieron. Id Lucas

alio vocabulo significavit Actor. 8., ubi nos legimus: *Saulus autem devastabat ecclesiam.* Nam ibi Graece est, ἐλυμαίνετο, sed ejusdem fere significationis cum eo, quod hic legitur. At quod legitur Graece Psalmo 128. ab utroque est diversum, proprie significans oppugnare. Quod igitur interpres noster vertit hoc loco, *expugnabam illam,* potest quidem sic accipi, ut expugnasse se eam dicat, id est, destruxisse et evertisse, quantum in ipso erat. Neque enim ipsa expugnari poterat quam Christus ita fundavit, ut portae inferi nunquam adversus eam sint praevaliturae.

Verum Grueca magis hunc exigunt sensum: Atque ea persecutione vastitatem ecclesiae inferebam, passim Christianos aut occidens, aut in vincula conjiciens, aut in fugam compellens. Sumpta quippe metaphora ab hoste regionem et agros depopulante. Talem enim se Paulus Christianis exhibebat. Quanto autem studio id fecerit, Lucas exposuit Act. 9.

Interim hic nota, lector catholice, si Paulus persequi potuit ecclesiam Dei ac devastare, quod et post eum fecerunt tam multi hostes ecclesiae, utique manifestam et conspicuam eam esse oportere: quod haeretici dum negant, tenebras suas produnt.

14. *Et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo.* Id est, in Judaismo ita proficiebam, ut superarem plerosque meae aetatis socios Judaeos, hos enim vocat genus suum. Cujus autem Paulus tunc aetatis fuerit, colligendum est ex Actor. 7, 57. et cap.9, 13.

Abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. Hoc est, quum vehementius ac majorem in modum studiosus essem ac zelator traditionum a patribus seu majoribus meis acceptarum. *Abundantius,* vel comparationem indicat Pauli cum coaetaneis: vel sine comparatione excessum significat, ut interdum alibi in epistolis Paulinis, 2. Corinth. 2, 4. Caeterum *paternas suas traditiones* vocat aut instituta Mosaica patribus tradita, et ab iis accepta: quorum abundantius aemulator fuit Paulus, quia voluit ea valere ultra tempus a Deo constitutum. Quo sensu patrias leges aliquoties nominant Machabaeorum libri. Aut traditiones intelligit praeter Mosen a majoribus excogitatas. Harum enim, prae caeteris, studiosi erant Pharisaei, quorum e numero Paulum fuisse ex Actis et epistolis ejus constat. Aut denique totum genus traditionum a majoribus acceptarum, comprehensa etiam lege Mosaica. Qui generalis sensus magis placet; nam generatim pro traditionibus et institutis Judaicae gentis pugnabat Saulus.

15. *Quum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae.* Graece, *placuit Deo.* Hic jam docere aggreditur, se evangelium suum non ab hominibus accepisse. Quod autem ait, *qui me segregavit* etc., secundum Aquinatem et Cajetanum sic intelligendum ad literam: Qui fecit me nasci secundum carnem ex utero matris meae; quam matrem fuisse nuncupatam Theocritam refert hoc loco Stapulensis ex Zosimo papa. Nonnulli matrem Pauli synagogam interpretantur, a cujus utero segregatum se dicat, quando a Judaismi tenebris ad lumen verae fidei translatus est. Rectius Hieron. et Graeci commentatores praedestinationem hic existimant significari; ut sensus sit: Qui me jam inde ab ipso nativitatis meae exordio praedestinavit, ac peculiariter ex hominum numero delegit. Tale quid enim sibi vult segregandi vocabulum.

Ad quid vero segregatum se dicat (neque enim nunc agit de sui praedestinatione ad vitam aeternam) intelligetur ex illis verbis, *ut revelaret Filium suum in me.* Sic enim et alibi segregatum se dicit in evangelium Dei Rom. 1. Quo respicit etiam illa vox Spiritus sancti: *Segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus, ad quod assumsi eos.* Act 13. Nam segregatio, quae ab hominibus fit in tempore, respondet illi, quae ab aeterno facta est in mente divina.

Illud ergo, *ex utero matris meae,* temporis habet significationem, non rei, a qua facta sit separatio; suntque similes

scripturae Psalmo 21. *In te projectus sum ex utero;* Psalmo 57. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero;* et 70. *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus.* Sensus enim est: Ex eo tempore, quo natus sum.

Porro dicendo *ex utero* etc. non negat Apostolus, ab aeterno se praedestinatum sive ad gratiam fidei, sive ad praedicandum evangelium; sed hoc, quod dicit, satis est ad significandum id, quod passim inculcat, nullis suis meritis electum se esse a Deo, sed gratuita ejus bonitate.

Generaliter autem *notandum,* quod scriptura volens significare praedestinationem, electionem, praeceptum Dei aeternum sive ab aeterno, non semper aeternitatem nominat; sed interdum alia quaedam temporis principia nominando, nihilominus aeternitatem insinuat. Modo enim dicit ab aeterno; modo, antequam mundus fieret; alias, ab origine seu constitutione mundi; quandoque nominat formationem hominis in utero materno, quandoque nativitatem sive egressum ex utero. Et quidem Hieron. loco ejus, quod hic dicitur, *ex utero,* in epistola 15. ad Marcellam dicit, ante constitutionem mundi Paulum separatum in evangelium Christi. Quae tamen locutiones omnes idem volunt, scilicet: inde ab initio Deum quippiam decrevisse; siquidem nominando principia hominibus nota, ut conceptum, nativitatem etc., non vult excludere, sed magis intelligendum relinquere principium illud sine principio, quod est immensa et incomprehensibilis aeternitas. Vide annot. nostras Ecclesiast. 1. et 49. Jerem. 1. Matth. 25. Tit. 1.

Et vocavit per gratiam suam. Vocatio fit in tempore, estque *per gratiam Dei* efficax ad eam rem, ad quam quis ab aeterno praedestinatus est. Videtur autem loqui de tempore conversionis suae.

16. *Ut revelaret Filium suum in me. Ut revelaret,* Graece infinitivus est ἀποκαλύψαι, *revelare,* id est, ad revelandum: dependet autem ab utroque verbo praecedenti, *segregavit* et *vocavit.* Sensus enim est, Deum ab aeterno praedestinasse et in tempore vocasse Paulum, ut Filium suum in ipso revelaret; id est, juxta quorundam expositionem, ut ipsi Paulo Christum Filium suum, quem antea persequebatur, notum faceret inspiratione fidei et cognitionis mysteriorum ad fidem Christi pertinentium. Aliis magis placet, *in me* pro eo, quod est per me, positum esse; quae frequens est apud Apostolum praepositionis *in* acceptio. Sic ergo sensus erit: Ut per me, tanquam Apostolum et praeconem, Filium suum fideique ejus mysteria manifesta mundo faceret. Qui sensus tam superioribus, ubi dixit, *se segregatum,* videlicet ad apostolicum munus, ut jam expositum est, quam iis, quae proxime sequuntur, apprime congruit.

Ut evangelizarem illum in gentibus. Haec pars non est copulanda cum proxime praecedenti, quod alioqui videri potest, si solum textum Latinum quis inspiciat; sed referenda est ad initium illud sententiae: *Cum autem placuit.* Est enim totus locus sic ordinandus: Postquam Deo, qui olim me segregavit et postea per gratiam suam vocavit ad hoc, ut Filium suum per me revelaret, visum est, ut hoc, ad quod ab eo segregatus et vocatus eram, facto exequerer, id est, ut Filium ejus praedicarem apud gentes: *continuo* etc. Constructionem hanc Graeca non modo permittunt, verum etiam, attentius considerata, prorsus exigere mihi videntur; favetque ei textus Ambrosiani commentarii.

Continuo non acquievi carni et sanguini. Hieron. affirmat, melius ex Graeco verti: *Non contuli cum carne et sanguine.* Sed et noster interpres eo modo vertit proximo capite: *Mihi, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt;* tametsi de eo loco videbimus in ejus expositione: ubi et Hieron. vim verbi Graeci plenius exponit. Tertull. quoque partem hanc ita expressit lib. de resurrectione carnis cap. 50. *Statim non retuli ad carnem et sanguinem.* Caro et sanguis, familiari scripturae locutione, periphrasis est hominis mortalis, et qui tantum homo

sit, ut Matth. 16. *Caro et sanguis non revelavit tibi*, id est, nullus hominum. Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem;* id est, adversus homines. Item Hebraeor. 2. *quia pueri communicaverunt carni et sanguini;* id est, quia homines erant mortales; *et ipse quoque Filius Dei participavit eisdem*, id est, naturam hominum assumsit.

Sic igitur carnem et sanguinem accipi hoc loco existimat Chrysostomus et post eum caeteri Graeci interpretes, ut sit sensus: Simul atque Deo placuit, per me praedicari evangelium in gentibus, non communicavi negotium praedicationis cum quoquam mortalium; nempe idcirco, ut idem Chrysost. aliique exponunt, quod evangelium, per revelationem Jesu Christi acceptum, cum hominibus, tametsi Christi Apostolis, tanquam dubium et ab eis aut corrigendum aut supplendum communicare, res indigna et absurda videretur. Nam ex revelatione certus erat de sui evangelii veritate et plenitudine. Vel certe, ideo non contulit, ne videretur ab hominibus aut per hominem accepisse evangelium; et per hoc inferior caeteris Apostolis putaretur.

Fatetur Hieronymus, hunc intellectum carnis et sanguinis a plerisque tradi, sed minime probat, tum quod arrogantiam sonet, Paulum post revelationem Christi non fuisse dignatum, ire ad homines et cum eis conferre sermonem; quod et Porphyrius adversus Paulum objecit: tum quia Petrum, Joannem et Jacobum carnem et sanguinem putare, quae secundum Apostolum 1 Corinth. 15. regnum Dei possidere non possunt, intolerabile est. Itaque nomine carnis et sanguinis carnales homines intelligi vult; et hunc sensum facit: Non contuli evangelium meum cum Judaeis aut aliis hominibus carni deditis.

Verum hic sensus loco non admodum quadrat. Nulla enim ratio esse poterat, ut cum carnalibus et incredulis hominibus, quales erant Judaei, de suo evangelio communicationem institueret; neque id quisquam alius facere tenebatur. Nam communicatio cum peritis et intelligentibus fieri debet; non cum hominibus judicio corruptis.

Neque movere nos debet objectio Porphyriana; non enim arrogantiae tribuendum, sed Apostolicae constantiae, quod qui doctrinam suam ex divina revelatione certam et indubitatam habebat, noluerit eam velut dubiam humano subjicere examini: quod visus fuisset facere, si statim ab initio cum hominibus contulisset. Quo autem sensu, citra praejudicium prioris expositionis, quae nobis vera ac germana videtur, dictum sit alibi, carnem et sanguinem regnum Dei possidere non posse, suo loco a nobis explicatum est.

Jam illud *continuo* Chrysostomus sic accipit, ut significari putet, Apostolum statim quidem a sua vocatione non communicasse cum hominibus evangelium sibi revelatum; sed tamen id eum postea fecisse, non quasi de incerto, sed ne in vacuum curreret, posteaquam evangelium ejus ab obtrectatoribus coepit in dubium revocari; si ne tunc quidem cum Apostolis de eo conferre voluisset: quemadmodum ipse declarat cap. sequenti.

17. *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos.* Graece: *Neque redii in Jerosolymam ad eos, qui ante me Apostolos.* A genere descendit ad speciem; id est, ne quidem cum Apostolis contuli, qui Jerosolymis erant, et ante me Apostoli fuerunt, utpote a Christo in terris agente ad Apostolatum vocati. Huc quoque referendum praecedens adverbium, *continuo*. Nam postea Jerosolymam venit et cum Apostolis contulit, scilicet post 14. annos, ut habetur infra.

Sed abii in Arabiam, scilicet e Damasco, ubi statim a conversione mea baptizatus eram. Quid in Arabia Paulus egerit, traditum non habemus, neque curiose quaerendum est: nisi quod cum Chrysostomo libenter arbitramur, eum praeclara quaedam, quae scripta non sunt, ibi praestitisse. Significat autem illuc se profectum, ubi nemo erat, a quo doceretur.

Et iterum reversus sum Damascum. Quanto tempore in Arabia haeserit, aeque incertum: tametsi triennii tempus partim in Arabia, partim Damasci cum exegisse, satis ex verbis sequentibus intelligitur.

18. *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum. Veni,* Graece *redii:* et pro *videre,* in Graeco est ἱστορῆσαι, quod non est quomodocunque videre, sed quomodo spectare aut invisere solemus res aut personas, in quibus ob excellentiam multa digna sunt cognitu. Significat enim Apostolus, se Jerosolymam rediisse visendi Petri gratia, non ut cum eo suum evangelium conferret, aut disceret ab eo aliquid: sed studio cognoscendi propius tantum virum, quem Christus et apostolorum principem etecclesiae suae pastorem constituisset, aliisque multis praerogativis ornasset: quique propterea summi nominis erat apud Christianos. Sic autem velle videre, honorare erat: ut ne quis suspicaretur Petrum a Paulo contemptum, aut minoris, quam oportuit, aestimatum. Atque hanc rem diligenter explicant commentatores tam Graeci, quam Latini. Caeterum tres anni, quos memorat, ab ipsius conversione supputandi sunt: sicut et illi quatuordecim, quorum infra meminit, ut ibi docebimus.

Et mansi apud eum diebus quindecim. Id est, non amplius diebus 15. Quod utique spatium temporis addiscendo evangelio, quod aliis praedicandum esset, haudquaquam sufficere poterat. Hujus numeri 15. dierum mysticam significationem si quis requirat, consulat Hieronymi et Thomae commentarios: legatque eundem Hieronymum in epist. ad Paulinum, atque ejusdem titulo secundam exposit. super Psalm. 119. Porro tota narratio haec Apostoli eo spectat, ut doceat, quod initio assumpsit, *se neque ab hominibus neque per hominem,* ne per Apostolum quidem, atque ipsum Apostolorum principem Petrum accepisse suum evangelium: sed sine hominis interventu ex fonte divinae revelationis illud hausisse, quasi dicat: Triennium jam evangelium Christi praedicaveram magna cum fiducia, partim in Arabia, partim Damasci, nec interea quenquam Apostolorum conveni. Et quidem postea Petrum adii, sed tantum honoris causa, ut viderem, non ut discerem: quod satis arguit brevitas temporis, quo apud eum mansi.

Cum hic absque dubio sit sensus et intentio Pauli: consequens est, Hieronymum in memorata ad Paulinum epistola, cum dicit, futurum gentium praeceptorem mystico dierum numero, quo apud Petrum mansit, instruendum fuisse, locum hunc detorsisse nonnihil ad institutum suum, dum congerit exempla, quibus doceat scripturam sacram non sine magistro discendam. Verus sensus ex ipsius Hieronymi commentario potius petendus, ubi diserte scribit, Paulum non discendi studio Petrum adiisse, sed causa honoris priori Apostolo referendi: ac propterea quindecim dies ponere, ut ostendat non fuisse grande tempus, quo potuerit aliquid a Petro discere. *Ut ad illum,* inquit, *sensum, a quo coepit, cuncta referantur: se non ab homine doctum esse, sed a Deo.*

Quaeritur autem, quomodo consentiat haec Pauli narratio cum historia, quam de eo scribit Lucas Act. 9., ubi, nulla Arabiae mentione facta, refert eum non post triennium, sed post dies multos a conversione, Damasco, fugientem Judaeorum insidias, rediisse Jerosolymam. Sed facilis est responsio, Lucam, sicut multa alia Pauli gesta, sic et hanc ejus in Arabiam profectionem praetermisisse. Res autem ita se habere videtur: Paulum mox a conversione et baptismo discessisse in Arabiam, idque forte ex consilio fidelium, qui Damasci erant: inde non multo post reversum ea Damasci egisse, quae Lucas commemorat ab eo loco: *Et continuo ingressus in synagogas, praedicabat Jesum* etc. Deinde structas ei insidias a Judaeis Damasci morantibus: quas cum fugeret, Jerosolymam rediisse, nimirum post tres annos suae conversionis. Quod tempus a Luca significatum putamus illis verbis: *Cum autem im-*

plerentur dies multi, familiare enim scripturae est, dies ponere et pro tempore, quod ex annis constat. Haec concordia probatur Hieronymo: estque sane probabilius, Pauli fugam accidisse in secundo discessu e Damasco, quam, ut alii quidam volunt, in primo: quia ratio non suadet, ut unde clanculum et cum periculo ob Judaeorum insidias recesserat, eo rursus ac non multo post, palam in Judaeorum synagogis evangelium praedicaturus, accederet.

19. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Ne quis arbitretur, quamvis non a Petro, tamen ab alio quopiam Apostolorum Christi institutum fuisse Paulum ad evangelizandum: removet hoc quoque, negans se quenquam alium ex Apostolis vidisse, nisi Jacobum fratrem Domini; atque hunc vidisse tantum, non ab eo edoctum. Ubi sciendum inprimis, Apostolum loqui de eo tempore, quo, post tres annos supradictos, Jerosolymam reversus est: ut supplendum sit: *Et tunc alium Apostolorum neminem vidi* etc. Nam postea plures ex Apostolis eum vidisse, cum ex Actis Apost., tum ex proximo capite hujus epistolae manifestum est. Verum id longe post, silicet post annos 14., quando jam multis annis Christum gentibus praedicaverat.

Quod ergo legitur Actor. 9., Paulum, quando primum a conversione Jerosolymam venit, a Barnaba ductum fuisse ad Apostolos, id de sanctis Petro et Jacobo intelligendum est. Jam in eo, quod ait, *nisi Jacobum fratrem Domini*; si particula *nisi* proprie, id est exceptive sumatur: plane sequetur ex hoc loco, Jacobum fratrem Domini fuisse Apostolum. At si sumatur improprie, id est, adversative, quomodo non infrequenter accipitur in sacris literis: non sequetur: quemadmodum ex eo, quod dicit Dominus Joann. 17. *Quos dedisti mihi nemo ex iis periit, nisi filius perditionis;* non est consequens, filium perditionis datum fuisse Christo a Patre. Quanquam nulla ratio est, cur hoc loco placeat impropria locutio; cum nemo sit, qui neget, Jacobum fratrem Domini fuisse Apostolum; etiamsi restringas ad eos, qui Dominum in carne viderant, et cum eo fuerant conversati.

Sed illud a nonnullis in dubium revocatur, fueritne unus ex duodecim. Quidam enim tres faciunt Jacobus Apostolos; scilicet filium Zebedaei, qui idem frater Joannis; et alterum, Alphaei filium; ac tertium, fratrem Domini, quem extra numerum duodecim Apostolorum constituunt; existimantes, eum idcirco tantum vocari Apostolum, quia quotquot Christum in carne conspectum postea praedicabant, generali nomine Apostoli vocabantur. Tertium autem hunc affirmant Jerosolymorum episcopum fuisse; qui et Justus ob insignem vitae sanctitatem, quam Hegesippus et Josephus commemorant, fuerit cognominatus. Ita sentiunt Epiphanius haeresi 79., Dorotheus in synopsi, Nicephorus lib. 2. histor. eccles. cap. 40. et alii, quos citat hujus sententiae propugnator Carolus Bonius in scholiis suis ad libri 2. constit. Apostol. Clementis cap. 59., Turrianus super lib. 6. constit. Apostol. Clementis cap. 12. et 14. et Erasmus in annotationibus. Quin et Hieronym. in hujus loci comment., nec non scribens in cap. 17. Jesaiae, ad hanc opinionem non obscure videtur accedere; tametsi in lib. contra Helvid. antea scripto tantum duos fuisse Jacobos Apostolos affirmasset; eos nimirum solos, quos evangelistae inter duodecim recensent.

Quae quidem sententia verissima est. Nam Jacobus ille, qui ab evangelistis inter fratres Domini numeratur, et a Marco cap. 15. Jacobus minor dicitur, nequaquam alius est ab eo, quem in catalogo Apostolorum evangelistae vocant Jacobum Alphaei; cujus etiam se fratrem Judas Apostolus scribit; ut dubitandum non sit, aeque Jacobum fratrem Domini, atque Judam fratrem Jacobi, Apostolos fuisse ex numero duodecim. Etenim Eusebius ecclesiasticae historiae probatissimus scriptor lib. 2. capit. 1. ex Clemente Alexandrino duos tantum hoc nomine Apostolos commemorat; unum cognomen-

to Justum, Jerosolymis e templi fastigio praecipitatum; et alterum gladio caesum ab Herode. Sed et Martyrologia omnium ecclesiarum occidentalium non plures duobus Jacobos Apostolos agnoscunt, eosdemque inter duodecim conscriptos. Tertius, ubi, quando et quomodo passus, historia nulla prodit.

Neque vero Paulus sequenti capite Jacobum fratrem Domini cum eis, qui erant columnae, Petro et Joanne, et quidem primo loco nominaret; nisi perinde ut illi fuisset ex Apostolis illis primariis a Christo designatis. Quod etiam satis arguit frequens ejus et honorabilis mentio in Actis Apostolorum; maximeque illud, quod Actorum 15. secundus a Petro sententiam dixit in Apostolorum concilio.

Porro qui diversum sentiunt, opinionem suam hausisse videntur ex lib. 1. recognit. Clementis. Ad cujus argumenti refutationem satis est, si dicamus, illius operis, utpote apocryphi, falsoque titulo donati, nullam esse autoritatem. Quod idem sentimus de libris constitutionum apostolicarum; tametsi locus ex iis proferri solitus non urgeat. De qua re tota vide Cardinalem Baronium tomo 1. Annal. ecclesiast. ad annum Christi 44. et Joannem Molanum De historia sanct. imag. lib. 4. cap. 28. Qua autem ratione frater Domini dictus sit hic Apostolus, erudite explicat Hieron. lib. contra Helvidium, ostendens, id procedere ex Hebraea consuetudine, qua fratres dicebantur, non solum, qui eodem essent patre aut matre geniti, sed et qui remotiori gradu consanguinitatis ex latere distarent ab invicem. Qualis utique fraternitas intercessit inter Dominum et Jacobum, ut qui fuerit filius Mariae cujusdam diversae a matre Domini; sicut ex evangeliis manifestum est Matth. 27. Marci 15. et 16. Lucae 24. Vide etiam quae diximus ad illud 1 Corinth. 9, 5. *Et fratres Domini.* Quare quod Hieronymus in hujus loci commentario significat, Jacobum Domini fratrem appellatum honoris gratia, nimirum ut ait, propter egregios mores et incomparabilem fidem, sapientiamque non modicam; id ita putamus accipiendum, propter has causas Jacobum, cum revera secundum carnem esset frater Domini, etiam a fidelibus peculiariter ac prae aliis Christi Domini consanguineis, fuisse tam insigni appellatione honoratum. Neque enim Hieronymus ea, quae adversus Helvidium disseruerat, in hoc comment. retractat, sed allegat et approbat, dumtaxat alia quaedam nonnihil diversa adjiciens.

20. *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Juratio est, teste etiam Augustino in hunc locum. Nam quia singula, quae dixerat, probare non poterat aut testibus aut certa ratione, ne conficta putarentur, juramento confirmat. Quod referendum est ad superiora ab eo loco: *Cum autem placuit ei* etc., tametsi pariter etiam ad subsequentia narrationis Apostolicae, quae protenditur ultra medium sequentis capitis, referri potest. Certe ad totam narrationem ab Augustino refertur in epistola 19. ad Hieronymum scripta. Est autem Hebraica jurandi forma in illis verbis: *Ecce coram Deo,* subaudi dico. Nam ordo verborum talis est: Ecce autem coram Deo dico et declaro, quia non mentior, quae vobis scribo, quasi dicat: Deum, ut praesentem et omnia videntem, testem adduco, quod nihil horum confinxerim.

21. *Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae.* Id est: Post quindecim dies, quibus mansi Jerosolymae, reliqui Judaeam ac discessi in regiones Syriae et Ciliciae. Per hoc rursum significat, se ab Apostolorum, qui in Judaea agebant, conversatione quotidiana, qua ab illis instrui potuisset, procul abfuisse. Hoc ipsum Lucas Act. 9. breviter ita perstringit: *Et deduxerunt eum fratres Caesaream; et dimiserunt Tarsum.* Haec enim urbs erat Ciliciae, Pauli patria; quemadmodum ipse testatur Actor. 22. Quo etiam loco refert, se divinitus admonitum, ut exiret velociter ex Jerusalem.

22. *Eram autem ignotus facie ecclesiis Judaeae, quae erant in Christo.* Hoc quoque eodem pertinet, quo praecedentia. *Tam breve tempus,* inquit Hie-

ronymus, *se in Judaea fecisse confirmat, ut etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit, non Petrum, non Jacobum, non Joannem se habuisse doctores; sed Christum, qui sibi evangelium revelasset.* Haec ille. Per *ecclesias Judaeae, quae erant in Christo,* significantur ecclesiae Christianae, quae in Judaeae locis erant, et solis constabant Judaeis aut proselytis. Ubi animadvertit Augustinus, Judaeos in Christum credentes non tam paucos fuisse, ut ecclesiis gentium miscerentur; sed tam multos, ut ex illis ecclesiae fierent. Quod non mirum; quia paucis adhuc gentilibus praedicatum erat evangelium, ut ex Actorum historia perspicuum est.

23. *Tantum autem auditum habebant.* Graece, *audientes erant;* Ambros. *audiebant;* rectius, *audierant,* id est, auditu et fama cognoverant, rumor hujusmodi ferebatur ad eos, a dicentibus.

Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat. Id est, *vastabat,* quomodo legit Augustinus. Est enim in Graeco idem verbum, quod superius, ubi dicitur, *et expugnabam illam.* Quod ibi de ecclesia dictum, hic de fide. Vastabat autem et expugnabat fidem, quia Christi fidelibus fidem extorquere persequendo nitebatur.

24. *Et in me clarificabant Deum.* Graece, *glorificabant. In me,* dixit pro eo, quod est, *de me.* Sensus, vel *propter me.* Gloriam meae conversionis Deo tribuebant. Notanda fidelium vetus consuetudo, qui visa vel audita alicujus hominis ad fidem conversione, statim agnoscebant opus Dei, ac Deum in suo opere laudabant. Sic Act. 11. *Et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et gentibus dedit Deus poenitentiam ad vitam.* Sic Christianus populus didicerat, ait Prosper de vocat. gent. lib. 1. cap. 7. Porro testimonium hoc ecclesiarum Judaeae de Paulo summopere valebat ad commendandam et stabiliendam ejus doctrinam; propter quam causam obiter hic illud inserere voluit.

CAPUT SECUNDUM.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba[1]), assumpto et Tito. 2. Ascendi autem secundum revelationem[2]): et contuli cum illis evangelium, quod praedico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse[3]): ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi: 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent[4]). 5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione[5]), ut veritas Evangelii permaneat apud vos: 6. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit): mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed econtra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis: 8. (qui enim operatus est Petro in Apostolatum

---

1) Act. 15, 2. 2) Act. 21, 17. 22, 18. 3) Vers. 8. 9. Rom. 11, 13. 4) Act. 15, 24.
5) Vers. 14.

circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes)[1] 9. et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem[2]): 10. tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere[3]). 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti[4]), quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat[5]): cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi ejus consenserunt caeteri Judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice: quomodo Gentes cogis judaizare? 15. Nos natura Judaei, et non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro[6]). 17. Quod si quaerentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores[7]), numquid Christus peccati minister est? Absit[8]). 18. Si enim quae destruxi, iterum haec aedifico: praevaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam[9]): Christo confixus sum cruci[10]). 20. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus[11]). Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. 21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est[12]).

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Exponit, quare cum Apostolis evangelium suum contulerit; item, quomodo Petrum exemplo cogentem gentes judaizare, reprehenderit. Non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi.

1. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba.* Describitur haec profectio ejusque causa Actor. 15. De illa namque Paulum hic loqui, quamvis Chrysost. et alii nonnulli negent, Hieronymus dubitet; plurium tamen interpretum est, et maxime probabilis sententia, quam bonis argumentis praeterea asserunt Cardinal. Baronius annalium suorum tomo 1. ad annum Domini 51. et Benedictus Pererius in Disput. prolog. priore super epistolam

---

1) Vers. 2. Cap. 1, 16. Act. 15, 12. 2 Cor. 3, 5. seq. 1 Cor. 7, 40. 2) Act. 15, 22. 3) Act. 11, 29. seq. 1 Cor. 16, 1. 2 Cor. 8, 1. seq. 4) Act. 15, 39. 5) Act. 10, 28. 11, 3. 6) Rom. 3, 28. 7) Rom. 3, 9. 8) Rom. 6, 1. seq. 9) Rom. 6, 6. 7, 4. 6. 11, 14. seq. 10) Cap. 5, 24. Rom. 6, 6. 11. 2 Cor. 5, 15. 11) Joann. 3, 15. 2 Cor. 13, 5. 12) Vers. 17.

ad Roman. Fuit autem haec tertia Pauli post conversionem Jerosolymitana profectio. Nam de secunda sic meminit Lucas Actor. 12. *Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Jerosolymis, expleto ministerio,* cujus nimirum gratia fuerant profecti. Verum hanc profectionem Apostolus in praesenti narratione praetermittit, quod illam non ob aliud suscepisset, quam ut eleemosynam ab ecclesiis collectam una cum Barnaba Jerosolymam perferret. Id enim est, quod Lucas vocat *ministerium.* Sed ejus rei commemoratio non pertinebat ad rem praesentem.

Porro *quatuordecim annos* dicit, non a triennio post suam conversionem, quando, sicut dictum est superius, Petrum Jerosolymis vidit; ut jam sint a conversione septemdecim anni, quemadmodum intellexit Hieronymus, et alii quidam eum secuti: sed quatuordecim ab ipsa conversione. Sic enim Beda super Actor. 15. et autor ordinariae glossae hujus loci, nec non Aquinas et Cajetanus in Commentariis non modo sentiunt, sed etiam probant. Denique accurate demonstrant autores memorati Baronius et Pererius.

Hic observandum est, Apostolum Paulum non prius, quam mota a quibusdam esset dubitatio de doctrinae suae veritate ac sinceritate, Jerosolymam ascendisse conferendi cum Apostolis evangelii sui gratia. Id enim palam ostendit locus Actorum, ubi sic legitur: *Et quidam descendentes de Judaea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione et disceptatione non minima Paulo et Barnabae adversus illos; statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quaestione.* Haec ibi. Ex quibus etiam liquet, quare una cum Paulo ascenderit Barnabas; erat enim is Paulo socius evangelii et doctrinae, quam gentibus praedicabant.

Observandum est, Paulum post conversionem quinquies ascendisse Jerosolymam, quod quidem ex Scripturis doceri possit. Act. 9. Iterum cap. 12. Item 15., deinde cap. 18., licet ibi non expresse dicatur; satis tamen probatur partim ex Graeco codice, partim ex versib. 20. 21. 22. postremo Act. 21.

Assumpto et Tito. Hujus in Actis nulla mentio est, quia ad ejus loci narrationem nihil attinebat, eum nominari. Hic vero plurimum attinet. Sensus enim est: Ausus sum, etiam Titum assumere, quamvis gentilis esset et incircumcisus. Tanta mihi fuit ad Apostolos proficiscenti causae meae fiducia, ut non dubitaverim, illuc adducere mecum hominem incircumcisum, non solum comitem itineris, verum etiam Evangelii praedicandi socium; licet frementibus adversum me fratribus, qui circumcisionem necessariam praedicabant.

2. *Ascendi autem secundum revelationem.* Id est, monitus revelatione divina. Hinc colligunt quidam, profectionem hanc diversam fuisse ab ea, quae describitur Act. 15., quod illic non ex divina revelatione, sed humano consilio ac decreto profecti Jerosolymam dicantur Paulus et Barnabas cum caeteris. Verum nulla repugnantia est; potuit enim fieri, ut Paulus speciali revelatione moneretur idem illud facere, quod homines faciendum statuebant, quemadmodum legimus Act. 10. Petrum divinitus monitum, ut iret cum quibusdam, a quibus tamen ad hoc ipsum quaerebatur. Quod autem nonnulli hic non novam Apostolo factam putant revelationem, sed ascendisse eum interpretantur secundum revelationem dudum acceptam, scilicet eam, qua didicerat Evangelium a Christo, de quo superiori capite, non placet. Nam illa revelatio generalis erat de Evangelio ac gentium vocatione; hic autem Apostolus, ut factis suis autoritatem conciliet, specialem urget revelationem, qua jussus fuerit, ob controversiam tunc excitatam petere Jerosolymam.

Et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus. Augustinus legit: *Et exposui illis.* Sed intellige, more conferentis. Id enim vult, etiam Hieronymo teste, quod in Graeco est,

ἀνεθέμην αὐτοῖς. Nam sensus est: Communicavi cum illis, qui Jerosolymis erant, de Evangelio, quod praedico inter gentes, deque tota ratione doctrinae meae, quam tradidi et etiam nunc trado gentibus, quarum sum Apostolus. Non itaque discendi studio, quod supra negavit, Evangelium suum nunc demum cum Ecclesia Jerosolymitana confert; sed ut omnes intelligerent, eum nihil ab illa diversum docere; cujus rei calumniam patiebatur propter legem et circumcisionem, a cujus onere gentes vindicabat. Contulit ergo cum aliis, non ut inferior, sed ut in munere praedicandi Evangelii aequalis. Nam inter conferentes, ait Hieronymus, aequalitas est; inter docentem et discentem minor est ille, qui discit.

Seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse. Hae duae voculae, *aliquid esse,* in multis codicibus Mss. non leguntur; ut nec apud Hieronymum. Augustinus etiam absque iis locum hunc citat lib. 2. quaest. Evang. cap. 40. et alibi; sed nec in commentario eas legit, secundum exemplaria correctiora. Denique Graeci codices non addunt, dumtaxat hoc loco, nam infra nobiscum legunt, *ab iis autem, qui videbantur esse aliquid.* Qui locus, ut huc quoque adscriberentur, occasionem dedit, tametsi ad sensum vix quicquam videtur interesse, sunt enim Apostolo iidem hoc cap., *qui videbantur,* et: *qui videbantur esse aliquid,* et: *qui videbantur columnae esse:* nisi quod hoc postremum plus aliquid sonat, ut infra videbitur. Etenim Graecis δοκοῦντες dicuntur, qui in pretio habentur, et magnae sunt existimationis. Significat autem imprimis Petrum, Jacobum et Joannem, quos postea nominat. Hi namque apud fideles praecipuae erant autoritatis, nec immerito: siquidem eosdem Paulus 2 Cor. 11. et 12. magnos, et supra modum Apostolos vocat. Sensus igitur est: Contuli cum fratribus, qui erant Jerosolymis Evangelium meum, idque palam et publice; seorsum autem ac privatim illud contuli cum primariis Apostolis.

Juxta hunc sensum, apparet Paulum cum Apostolis aliquid privata collatione egisse, quod cum caeteris non egerit in conventu publico. Nam publice quidem ita contulit, ut ostenderet gentes non debere circumcidi, et servare legem Mosis: unde nata erat quaestio; quemadmodum patet Act. 15. Privato autem et secreto colloquio cum Apostolis habito, placuit, ipsos quoque Judaeos ab observantia Mosaicae legis, utpote jam exstinctae et mortuae per Christum, esse liberandos; quod publice declarari nondum oportebat, ne Judaei fideles, qui legem Mosaicam mordicus sibi retinendam putabant, offenderentur atque a fide Christi resilirent. Sic enim Jacobus Act. 21. Paulum alloquitur: *Vides frater, quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt: et omnes aemulatores sunt legis* etc. Porro utramque partem totius sententiae ad eosdem referunt, nimirum ad solos Apostolos, Cajetanus et alii quidam, ut posterior pars explicatio sit prioris. *Contuli cum Apostolis Evangelium meum: cum iis, inquam, qui praecipui nominis erant apud fideles, idque privatim feci: ne forte* etc. Nobis prior sensus et plenior, et commodior esse videtur.

Ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Ne forte, Graece: *ne quo modo.* Sensus est, Evangelium meum cum illis contuli, non ut discerem, quod prius nesciebam, aut quasi causae meae parum fiderem: sed ne sine fructu praedicarem Evangelium, aut hactenus praedicassem: dum scilicet a falsis fratribus passim traducor apud eos, quibus hactenus praedicavi, et quibus adhuc praedico, tanquam diversam et dissonantem a caeteris Apostolis doctrinam evulgans. Opus evangelicae praedicationis *cursum suum* vocat, quod in eo obeundo et exequendo summa cum alacritate versaretur, ita 1 Cor. 9. *Sic curro, non quasi in incertum,* et 2 Tim. 4. *cursum consummavi.*

Ostendit autem hic locus, quam sit necessarium, doctrinam etiam bonam et divinitus acceptam communicari cum iis, qui praesunt Ecclesiae, ut ab illis examinata et approbata cum fructu praedicari,

cumque securitate et certitudine possit a fidelibus suscipi. Unde Hieronym. epist. 89. ad Augustinum cap. 2. affirmat, Paulum hoc loco significare, se non habuisse securitatem praedicandi Evangelii, nisi Petri et caeterorum Apostolorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus. Et Augustinus lib. 28. contra Faustum cap. 4. *Ipse Paulus Apostolus,* inquit, *post ascensionem Domini de coelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium ejusdem societatis esse appareret; Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cum cognovisset eum hoc annuntiantem, quod etiam illi annuntiabant, et in eorum communione atque unitate viventem: accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia et illi operabantur: ita eum Domino commendante, meruit autoritatem, ut verba illius hodie sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissime dixit, locutus audiatur;* haec Augustinus. Quae verba bene notanda contra novos magistros, qui pro verbo Dei non verentur orbi Christiano doctrinas suas obtrudere; nec prius cum Ecclesiae praefectis communicatas, nedum ab illis approbatas, nec ullo miraculo confirmatas. Similis locus est apud eundem August. lib. 2. qq. Evang. cap. 40.

3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi.* Graece, *cum esset Graecus,* sed Apostolus *Graecum* dixit pro *gentili,* sicut alibi, quoties Graecum opponit Judaeo; ut Rom. 1. 2. et 3. cap. Sensus et connexio hujusmodi est. Quod si Apostoli, cum quibus Evangelium contuli, quod in gentibus praedico, sensissent, observationem Mosaicae legis, cujus praecipua pars est circumcisio, necessariam esse Christianis: utique Titum gentilem, quem mecum assumseram, jussissent circumcidi, praesertim instantibus Judaeis, ut id fieret. Atqui factum id non est.

4. *Sed propter subintroductos falsos fratres.* Nonnulli codices particulam *sed,* pro qua in Graeco et apud Ambrosianum est *autem,* omittunt; quam Hieronymus quoque redundare putat; et Erasmus Hieronymi autoritatem secutus in sua versione suppressit, quod sensus Apostoli videatur clarior ea remota, quasi dicat: Titum comitem suum, qui gentilis erat, non fuisse coactum circumcidi propter falsos fratres, id est, quamvis falsi fratres odiose instarent, ut gentiles Christo adscripti circumciderentur; quemadmodum docet locus Act. 15. Verum lectio nostra, cum sit apud omnes Pauli interpretes tam Graecos quam Latinos, non temere est immutanda. Quod demum intelligens Erasmus in paraphrasi eam sibi retinendam et explicandam putavit. Sed de sensu mox videbimus; pendet enim a sequentibus.

Porro *subintroductos,* sive *subinductitios,* aut ut est apud Tertullianum lib. 5. contra Marcionem cap. 3. *superinductitios* (nam in Graeco nomen est, non participium παρεισάκτους) eos intelligit Apostolus, qui, quum lateret quales essent, obiter ac furtim exploratorum more fuerant introducti aut ingressi in Ecclesiam. Sumitur enim fere dictio Graeca in malam partem, ejusque vim diligenter explicat Chrysostomus. Estque idem judicium de verbo παρεισῆλθον, *subintroierunt,* quod est in parte sequenti. Ejusdem significationis est παρεισέδυσαν, quo Judas Apostolus utitur in sua Epistola de haereticis loquens; quodque noster interpres itidem vertit, *subintroierunt.* Vocat autem Paulus ψευδαδέλφους, id est, falsos fratres, quod solo nomine fratres, id est, Christiani essent, reipsa vero hostes intestini, rectam fidem Ecclesiae evertere molientes. Horum antesignanum id temporis fuisse Cerinthum haeresiarcham, autor est Epiphanius haeresi 28.

Qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu. Libertas, quam habemus in Christo, ea est, qua liberi ab observatione legis Mosaicae, ex Christi gratia justitiam et peccatorum remissionem accipimus. Tametsi sciendum est, Apostolum nondum hic urgere negotium justificatio-

nis, sed eam dumtaxat partem libertatis nominare, qua fideles a jugo legis ceremonialis erant liberi.

Ut nos in servitutem redigerent. Qui, inquit, *falsi fratres subintroierunt,* id est, irrepserunt in Ecclesiam, *ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo,* hoc est, in Christianismo, vel *in Christo,* id est, per Christum ejusque meritum; ut ea libertate explorata et cognita, nobis eam extorquerent, aut nos accusarent, nosque una secum servituti legis subjicerent. Id enim exploratorum est, ad hoc cognoscere velle, ut accuses, auferas aut expugnes.

Potest etiam sententia, magis specialiter, ad hunc modum de falsis fratribus exponi. Qui subintroierunt atque ingesserunt se in conventum Jerosolymitanum exploraturi utrum nos, etiam apud Apostolos, legis ceremonias non observaremus, ac ne apud eos quidem Titum circumcidi pateremur (hanc enim suam et eorum, qui secum erant, libertatem appellat), ut si forte comperissent, nos metu Apostolorum circumcidisse Titum, eo exemplo et praescriptione traderent nos in servitutem legis; aut si id non fecissemus, accusarent nos apud Apostolos, et eorum autoritate tentarent cogere nos ad legem servandam. Sensus hic maxime congruit institutae narrationi de iis, quae Jerosolymis acta fuerunt.

5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Hujus partis lectio primum examinanda est, tum videndum, quomodo cum praecedentibus cohaereat, postremo sensus totius sententiae inquirendus. Itaque notandum, usque ad Hieronymi tempora codices Latinos sine negatione partem hanc legisse, *quibus ad horam cessimus* etc. Liquet hoc ipsius Hieronymi testimonio commentantis in hunc locum; atque ita legerunt Tertull. lib. 5. contra Marcionem cap. 3. et Ambrosianus eundem hunc locum explanans; quibus adde Irenaeum Graecum lib. 3. contra haereses cap. 13.

Verum nostrorum codicum lectio Graecis tam codicibus quam commentariis, etiam antiquissimis plane consonat; etiamsi praedicti autores Latini contendant, Graeca vitiata esse. Probat eandem lectionem Hieronymus; nec secus legit Augustinus ac caeteri Latinorum Hieronymo posteriores. Denique ea sola reperitur hodie, non modo in Graecis et Latinis codicibus, verum etiam in versione Syriaca.

Jam et illud monendum, particulam relativam, *quibus,* apud autores Tertullianum et Ambrosianum non haberi; quibus et Latina quaedam MSS. suffragantur. Sed quoniam apud caeteros omnes aut pene omnes interpretes, idque juxta fidem Graecorum omnium exemplarium legitur, accedentibus etiam praestantissimis Latinis; non dubitamus quin ab Apostolo scripta fuerit; licet forte quoad sensum redundet, de quo statim videbitur.

Tertia varietas est in vocabulo, *subjectione;* pro quo non pauci legunt dativum, *subjectioni,* siquidem ex Graeco potest utrumque verti; sed commodius in auferendi casu, quem Romana habet editio, quemque Graecorum commentarii postulant.

Hae porro tam variae praesentis loci lectiones multos ac diversos sensus pepererunt. Qui negationem tollunt, sensum Apostoli faciunt adversativum ei, quod dixerat, Titum non fuisse compulsum circumcidi, tanquam e contrario subjungat, *sed propter subingressos falsos fratres, qui* etc. *ad horam cessimus subjectione.* Id est, metu seditionis, quam parati erant adversum nos commovere falsi fratres, nostrae libertatis exploratores; *ad horam,* id est, pro tempore, subjecimus nos legi, sive permittendo tandem, ut Titus circumcideretur (quem sensum a nonnullis tradi refert Hieronymus), sive alias, ad vitandam Judaeorum offensionem, circumcidendo Timotheum Act. 16., et tondendo mihi in Cenchreis caput, ex voto, Act. 18., et ex Jacobi consilio secundum legem me purificando Act. 21. Sic enim intelligunt et explicant hunc locum Tertull. et Ambrosiaster. Quin et S. Thom. hunc

sensum ita refert, ut videatur non abjicere.

Verum sane recipi non possunt hae expositiones. Nam prior illa de Tito circumciso manifeste pugnat cum verbis Apostoli, qui jam absolute negaverat Titum compelli potuisse, ut circumcideretur. Utraque vero totam intentionem Apostoli evertit, qui id enixissime agit hac epistola, ne qua occasione gentibus imponatur servitus legis. Si enim ipse contrarium aliquando fecit, ne Judaeos offenderet; jam praevaricatus est. Et qua fronte Petrum reprehendit, quem constat ideo solum, ne fratres a Jacobo venientes offenderet, a victu gentilium ad horam abstinuisse? Timotheum vero propterea sine scandalo gentilium, et proinde sine justa reprehensione, circumcidit; quoniam is ex matre Judaea erat. Itaque ea res nihil pertinebat ad gentiles. Ipse vero Paulus, cum Judaeus esset, potuit illo adhuc tempore, quo lex nondum mortifera erat, ea quae legis sunt observare; dummodo gentes exemplo suo non cogeret judaizare; quod in Petro reprehendit. *Adde*, quod Apostolus hic dicere non vult, quid alias aliquando fecerit, sed quid tunc, quando Jerosolymis apud Apostolos erat, compulsus sit aut non compulsus facere.

Porro Hieronymus affirmativam lectionem, quamvis eam non probet, existimat ita commode accipi posse, Paulum ad tempus cessisse falsis fratribus, id est, acquievisse eis provocantibus ad Apostolos. Ascendit enim cum eis Jerosolymam, et huic quidem sensui bene congruit ratio subjuncta, *ut veritas* etc. Haec enim causa fuit Paulo Jerosolymam ascendendi. Convenit etiam, quod ulterius sequitur, *ab iis autem, qui videbantur* etc. Sed cum Apostolus Jerosolymam ascenderit secundum revelationem, ut dictum est superius; cumque ex decreto fratrum ac libenter illud fecerit; utique non apparet, hoc esse, in quo ad horam falsis fratribus cesserit subjectione. Rectius fortasse referri posset ea cessio ad decretum Apostolorum, quo placuit gentibus injungi, ut abstinerent a suffocato et sanguine. Id enim factum propter Judaeos, ne a gentilium conversatione, cum quibus in unam congregabantur Ecclesiam, nimium abhorrerent.

Verumtamen magis placet lectio negativa; cujus primum facillima est expositio, si cum Hieronymo conjunctionem *sed* vel *autem* fingamus esse supervacuam, et illud, *propter subintroductos falsos fratres*qui* etc. continua oratione jungamus cum eo, quod praecedit, quem sensum superius indicavimus. Graeci vero particulam *autem*, adeo non negligunt hoc loco, ut putent, eam habere vim amplificandi, quasi dicat Paulus: *At neque Titus, quum mecum inter Apostolos versaretur, compulsus est circumcidi, ne quidem propter subintroductos falsos fratres;* id est, nec ad horum quidem importunam instantiam. His enim nec ad horam cessimus. Probari posset haec interpretatio, si negatio fuisset repetita secundo loco: sine qua textus sensum hujusmodi vix admittit.

Quapropter illorum sententiae potius accedimus, qui putant eclipticam esse orationem ea parte: *sed propter* etc., ac supplemento quodam indigere. Sensit hoc Augustinus, qui ita supplet: *Propter subintroductos autem falsos fratres non est compulsus Titus circumcidi;* id est, non potuit extorqueri ut circumcideretur: ne ex circumcisione hominis gentilis, meo consensu ac velut autoritate facta, argumentum struerent adversarii pro sua doctrina qua dicebant: *Nisi circumcidamini, non potestis salvari.*

Potest et aliter absoluta reddi oratio, ut sensus totius loci sit: Sed neque Titus comes meus, cum gentilis et incircumcisus esset, ac mecum inter Apostolos versaretur, compulsus aut jussus est circumcidi: *propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt* etc. vehementer urgebamur. Id est, quanquam propter illos urgeremur, ut Titum pateremur circumcidi, quibus tamen tantopere instantibus nec ad tempus quidem cessimus: subjiciendo nos eorum voluntati;

aut tradento nos in subjectionem et servitutem legis: idque ut veritas ac sinceritas Evangelii, quae docet, legem abrogatam esse per Christum, nosque per gratiam et non per legem salvari, apud vos Galatas ac caeteros gentiles permaneat, apud quos utique non permaneret, si meo exemplo fidelibus autor essem judaizandi. Si illud, quod Graece legitur hoc loco οἷς, positum esset pro *iis*, seu *ipsis:* tum nullo supplemento foret opus, sed oratio inchoata v. 4. finiretur extremo v. 5.

Caeterum facit hic locus contra eos, qui censent, Ecclesiam consulto facturam, si concordiae cum adversariis suis ineundae causa pusillum aliquid ad religionem spectans, quod offendere videtur, eis concedat, ut v. g. Qui putant usum calicis restituendum laicis: ut ad Ecclesiam hoc pacto reducantur schismatici. Non intelligentes, si id concedatur: illos continuo et plura postulaturos et Ecclesiam calumniaturos, quae tandem agnoscat, antehac se errasse atque a Christi instituto deviasse. Verum Ecclesia catholica didicit, exemplo Pauli Apostoli, nec ad horam cedere insidiosis ejusmodi postulatis: ut permaneat apud ipsam cunctosque fideles doctrinae catholicae veritas.

6. *Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid.* Ambros., *qui existimantur aliquid esse.* Est enim in Graeco participium praesentis temporis, quod tamen recte vertitur etiam per verbum praeteriti imperfecti, sicut et ab Erasmo factum est. Porro suspensa est oratio per sequentem parenthesim: qua finita, complet sententiam potius quam orationem. Hanc enim incompletam relinquens, mox mutata sermonis forma revertitur ad id, quod instituerat. Facile autem absolvitur haec pars ex illa subjuncta, verbo activo in passivum mutato: ut sensus sit: Ab iis, qui magno erant in pretio, ac primi nominis apud Judaeos fideles: nihil mihi collatum est. Id est, facta Evangelii cum eis communicatione, nihil ab iis mihi accessit. Redit autem post interpositam de Tito narrationem ad ea, quae de collatione cum Apostolis facta dicere coeperat: tacitam removens objectionem, qua cavillari posset aliquis, ipsum ex collatione in Evangelii doctrina adjutum fuisse. Sequitur parenthesis:

Quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Hoc dicere videtur, quia Paulo, inter alia objiciebatur, quod aliquando persecutus fuisset Ecclesiam: et hoc nomine minus ei credendum, quasi dicat: quales illi, qui nunc praecipuae sunt autoritatis, aliquando, id est, ante Apostolatum vel ante acceptum Spiritum sanctum fuerint, nolo discutere. Nam vitam eorum praeteritam scrutari non est meum, neque id ad rem facit: alioqui posset etiam in illis inveniri, quod reprehendatur: fuerunt enim et illi aliquando peccatores.

Alii respicere Apostolum putant ad humilitatem conditionis pristinae, tanquam sensus sit: Qui nunc sunt in pretio, fuerunt aliquando abjecti, utpote homines illiterati, idiotae, piscatores: ego contra, doctus in lege, institutus ad pedes Gamalielis, clarus inter Judaeos, sed haec non commemoro: non refert qualis quis fuerit, sed qualis sit. Prior sensus est Augustini: posterior Ambrosiani, Thomae, Cajetani et fere Latinorum.

Chrysostomus autem ejusque sequaces, et cum iis Hieronymus, sensum hunc faciunt: Quam doctrinam illi olim tenuerint, id est, an legem servaverint atque exemplo suo servandam docuerint, an non: nihil ad me. Sed non placet Augustino cum Hieronymo disputanti hic intellectus, idque merito. Non enim existimandum est ullo modo, Paulum in Petri et aliorum Apostolorum doctrina quicquam reprehendisse aut in dubium vocasse: licet in aliquo facto Petrum reprehenderit, de quo postea. Non enim aliter caeteri Apostoli inter Judaeos observarunt legalia, quam ipse Paulus, qui 1 Cor. 9. scribit, se *Judaeis factum tanquam Judaeum, et iis, qui sub lege erant, quasi et ipse sub lege esset, ut eos Christo lucrifaceret.* Itaque dicere non debuisset de suis coapostolis similiter agentibus:

nihil mea interest, sed purgare eos a crimine debuisset.

Deus personam hominis non accipit. Personam hominis accipere in Scripturis dicitur, qui attendit in homine conditionem aliquam, puta divitias, potentiam, formam, autoritatem aut simile quid, quod ad negotium, de quo agitur, nihil attinet; praesertim si id fiat in judicio, tunc enim proprie dicta est personarum acceptio, justitiae contraria; de qua Graeci intelligunt Apostolum hic loqui. Juxta quos sensus et connexio talis est, ipsi, quamvis apud homines magni, rationem facti sui Deo judici reddituri sunt, qui personam hominis non respicit, sed juste judicat unumquemque secundum opera.

Porro juxta Augustinum et Thomam, atque alios, hoc sensu pars ista cum praecedenti connectitur: Deus in eligendis ad Apostolatum hominibus nullam prioris vitae eorum rationem habet, nec considerat, quales fuerint; sed eligit, quos vult Marc. 3., tam potens ex persecutore, quam ex piscatore, facere praedicatores et Apostolos. Hic sensus sine dubio verior est; tametsi in eo personarum acceptio large, minusque proprie sumatur. Nam alioqui in gratuitis acceptionem personarum locum non habere, testis est ipse Augustinus lib. 2. contra 2 epistolas Pelagian. cap. 6. et 7. Unde autem ea phrasis originem habeat, diximus in comment. Rom. 2. Huc usque parenthesis in textu.

Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sententiam, quam imperfectam reliquerat, repetit et absolvit, sed, ut jam dixi, mutata forma orationis. Particula *enim* repetentis est: Latini dicere solent *ergo* vel *inquam*, ac si diceret: *mihi*, inquam, *qui videbantur esse aliquid* etc. Ubi sciendum illud *aliquid* in multis MSS. codicibus non haberi; tantum enim legunt, *qui videbantur esse.* Nec amplius in Graeco est quam δοκοῦντες, de quo vocabulo superius diximus. Unde et Hieronymus solummodo legit, *qui videbantur*, ut dictio *aliquid* videatur ex superiori parte huc relata. Hinc porro discimus, eadem esse Apostolo, *qui videntur* et *qui videntur esse aliquid;* ac frustra nonnullos in iis distinguendis laborare.

Sensus igitur est: Mihi in illa communicatione, quam de Evangelio meo cum praecipuis Apostolis habui, nihil illi contulerunt, id est, nihil ab eis accepi, nihil didici, nihil per eam collationem mihi accessit. Nam accessionem aliquam ex collatione provenientem significare videtur praepositio πρὸς a fronte addita Graeco verbo, quod superius dixit, *contuli.* Unde et Augustinus hunc locum ita legit, *mihi enim, qui videntur aliquid, nihil apposuerunt.* Et in hunc sensum Chrysostomus et Theophylactus exponunt ac Latini fere omnes.

Alii sensum esse putant: illi suum Evangelium non vicissim mecum communicarunt, sed meum approbarunt tantummodo. Qua ex re liquet, nihil mihi, quoad Evangelii doctrinam, ab illis accessisse; non enim accedere quicquam potuit, si ne quidem communicandum mecum suum Evangelium putarunt. Nobis prior sensus praeferendus videtur, nam et Valla eum probat, et Erasmus sequitur in paraphrasi, cum in annotationibus antea diversum docuisset, non absque Vallae reprehensione. Et alioqui sic debuisset dicere Apostolus: non contulerunt mecum suum Evangelium: nunc autem dicit: *nihil mihi contulerunt.*

7. *Sed econtra, cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis.* Nonnulli, quos Faber in commentario et Erasmus tam in annotationibus, quam in paraphrasi sequuntur, illud *sed econtra* separatum a sequentibus ita jungunt cum eo, quod praecessit, ut sensus sit absolutus hujusmodi: *Qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt, sed e diverso a me aliquid acceperunt,* scilicet ea, quae mihi, non illis, a Deo revelata sunt. Ita enim Faber exponit. Hujus expositionis etiam Hieronymus meminit, secundo loco. *Sed econtra*, inquit, *a me eis collatum est, dum fiunt in Evangelii gratia firmiores.*

Imo non defuerunt referente Theophylacto, qui sic interpretarentur: non solum illi nihil correxerunt meorum, sed vice potius versa correcti sunt. At merito sensum hunc explodit Theophylactus. Etenim si Petrus in Evangelii doctrina nihil contulit Paulo; nec corrigendo, nec adjungendo quippiam, aut supplendo, propterea quod Paulus Evangelium suum non ab hominibus, sed a Christo magistro didicisset; pari ratione nec Paulus in eadem re quicquam Petro caeterisve Apostolis conferre potuit; ut qui aeque Christum ipsum magistrum habuissent, et ad munus Apostolicum perfecte instituti essent a Spiritu sancto.

Quod si Paulo peculiares quaedam factae sunt revelationes; haud dubium, quin etiam Petrus divinis revelationibus fuerit honoratus, ut Act. 10. et alias, non utique ad corrigendum vel supplendum Evangelium, sed solum ad Evangelii ministerium cursumque dirigendum. Adde, quod secundum hanc istorum distinctionem id, quod sequitur, *cum vidissent* etc., nulla conjunctione cum praecedentibus cohaerebit, praesertim in Graeco, ubi pro verbis sunt participia.

Multo igitur rectius est, ut cum Chrysostomo, Theophylacto et Oecumenio, nec non cum Hieronymo juxta priorem ejus expositionem, quam plerique etiam Latini sequuntur, hoc, quod ait Apostolus, *sed econtra,* per hyperbaton, mediis quibusdam transmissis, referatur ad illa longe sequentia, *Jacobus et Cephas et Joannes dextras dederunt mihi societatis.* Quasi dicat: Illi mihi nihil contulerunt; quin potius a falsis fratribus accusatos in societatem muneris Apostolici tanquam aequales me et Barnabam receperunt. Igitur adversativum illud, *sed econtra,* non plenam vim habet adversandi; neque enim ita semper accipitur apud autores; sed perinde est, ac si dicas, *quin magis, sed potius.*

Porro rationem Pauli in societatem receptionis continent verba interposita, *cum vidissent, quod creditum est mihi* etc. Id est, cum experimento jam cognovissent, mihi commissum et concreditum esse a Deo munus Evangelii praedicandi inter gentes incircumcisas, quemadmodum Petro concreditum erat apud circumcisos, id est, Judaeos. Non sentit Apostolus, Petrum solius circumcisionis Apostolum fuisse, ac multo minus circumcisionis pastorem atque episcopum; cum ex Actis et aliunde planissime constet, Petrum etiam gentibus Evangelium praedicasse; quomodo vicissim Paulus non solum gentibus, sed et Judaeis praedicavit; ut ex iisdem Actis et epistolis ejus perspicuum est. Sed significat, Dei mittentis voluntatem fuisse, ut praecipue gentibus ipse, Petrus autem Judaeis Evangelium praedicaret. Sic Hieronymus et alii verba Apostoli explicant.

Verum hoc rursus intellige pro eo tempore, quod hanc epistolam, vel potius, quod hanc, de qua nunc agitur, communicationem, antecessit. Nam postquam Romam venit Petrus, longe lateque etiam in gentes Evangelium, per se et per alios, disseminavit; ut cumulate impleret illud, quod coelesti visione ter admonitus audierat: *Occide et manduca.* Act. 10. Creditum est autem Paulo Evangelium praeputii statim a conversione sua, quando Evangelium a Domino accepit; nec tamen exclusos ab ejus Evangelio fuisse Judaeos, testatur ipse Dominus, sic ad Ananiam de Paulo loquens: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël.* Act. 9.

Obiter notanda latens significatio fidelis ministerii, in verbo: *creditum est mihi;* pro quo Graece πεπίστευμαι *creditus sum,* videlicet a Deo. Ubi et tanta laus Petri continetur, cui tamquam fideli ministro creditum fuerit Evangelium circumcisionis. Porro sententiam confirmat subsequente parenthesi:

8. *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Graece, *ad gentes,* vel *erga gentes.* Verbum Graecum, quod interpres vertit *operatus est,* efficacem in aliquo operationem significat.

Itaque non est sensus, quem nonnulli tradunt: qui Petrum fecit Apostolum Judaeorum, idem me fecit Apostolum gentium; sed explicanda est hoc modo sententia: *Mihi praecipue creditum fuisse a Deo Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis,* ex eo manifeste cognoscebant, *quia Deus, qui efficax fuit in Petro ad apostolatum circumcisionis,* id est, qui gratiae suae praesidio ita adfuit Petro, ut praedicationem ejus apud Judaeos efficacem redderet, multos ex illis ad Christi fidem per ejus ministerium convertendo; *idem ille in me efficax fuit erga gentes;* id est, praedicationem meam in gentibus similiter efficacem reddidit, quam plurimos ex illis per meum ministerium ad fidem vocando; cum alioqui apud Judaeos fere inanis esset mea praedicatio. Efficaciam hanc pradicationis tria potissimum declarabant: miracula praedicantium, charismata Spiritus S. diffusa in credentes, et credentium multitudo. Est igitur argumentum ab effectu seu fructu ministerii; quem praecipuum Petrus, operante Deo, fecit apud Judaeos, Paulus inter gentes.

9. *Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi.* Repetitio est ejus, quod parenthesim antecessit; tanquam dicat: Cum, inquam, ipsa jam rei experientia cognovissent gratiam, quae mihi data erat, nimirum Evangelii in gentibus praedicandi. Gratiam igitur ipsum apostolatum praeputii, sibi a Domino concreditum, vocat; quemadmodum et alibi. Sic enim ait Rom. 15. *Propter gratiam, quae data est mihi a Deo, ut sim minister Jesu Christi in gentibus.*

Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis. Construimus haec tria nomina cum verbo subsequenti, *dextras dederunt.* Nam illud praecedens, *cognovissent,* copulatur cum superiori verbo *vidissent;* utrumque vero refertur ad suppositum remotius, *qui videbantur esse aliquid,* ut ordo et sensus sit hujusmodi: Sed econtra, cum illi, qui videbantur, atque in pretio erant, vidissent et cognovissent, apostolicam functionem mihi delegatam ad gentes; tunc illorum praecipui Jacobus, Cephas et Joannes, utpote, qui non quomodocumque erant in existimatione, sed reputabantur ut columnae, quibus aedificium Ecclesiae sustentaretur; mihi et Barnabae collegae meo dextras societatis dederunt; id est, in apostolatu socios, atque in Evangelii doctrina bene secum consentientes agnoverunt, et ut tales receperunt. Nam jungere dextras, societatis et concordiae symbolum erat. Significat ergo Paulus, se et Barnabam susceptos ab illis summis Apostolis, non ut discipulos, quales agnoscebantur Titus et caeteri, qui cum ipsis ascenderant; sed ut coapostolos et in Evangelii ministerio pares.

Porro *Jacobum* primo loco nominat ad honorem Domini, cujus erat frater; et quia Jerosolymorum episcopus erat, ubi haec gerebantur; idemque maximi nominis apud Judaeos ob sanctitatis opinionem, ut liquet ex Josepho et Hegesippo. Nam quod Augustinus scribit, tres istos a Paulo nominatos Dominicae transfigurationi interfuisse, videlicet Jacobum intelligens fratrem Joannis; quod et legitur in homilia quadam sabbati post Dom. 1. quadrag. inter eas, quae Eusebii Emiseni falso feruntur; lapsus memoriae est manifestus. Constat enim, Jacobum Joannis fratrem multo ante concilium Jerosolymitanum Herodis gladio occubuisse. Nec utique de alio Jacobo Paulus loquitur, quam cujus superiori capite meminit, et qui in Concilio Jerosolymis habito sententiam dixit.

Quem vero *Cepham* hic nominet, nonnulli revocarunt in dubium, propter illud maxime, quod statim subjungit de Cepha a se reprehenso; quod de Petro Apostolorum principe intelligi, putaverunt indignum. Itaque Cepham hunc a Paulo reprehensum dicunt non Apostolum, sed ex LXX. Christi discipulis unum fuisse, ejusdem nominis cum Petro Apostolo. Refert hoc Eusebius lib. 1. hist. eccles. cap. 12. ex Clementis Alex. lib. 5. hypotyp. ac rursum ex Eusebio refert Oecu-

menius in commentario; eamque sententiam Hector Pintus in Dan. 1. quibusdam argumentis veram esse contendit. Ac sane qui LXX. discipulorum catalogum texuerunt, Cepham quendam inter eos numerarunt.

Sed opinionem hanc, tacito autorum nomine, velut commentitiam merito rejicit Hieronymus; negans cujusquam alterius Cephae nomen sibi cognitum esse, praeterquam ejus, qui et in Evangelio, et in epistolis Pauli, modo Cephas, modo Petrus scribitur, una prorsus eademque significatione. Quam enim, inquit, nos Latine et Graece petram vocamus, hanc Hebraei et Syri, propter linguae inter se viciniam, Cepham nuncupant. Adde, quod totum argumentum epistolae, ut idem ait Hieronymus, huic opinioni repugnat. Neque enim tam obscurus discipulus cum Jacobo et Joanne praecipuis Apostolis, tanquam ecclesiae columna, comparari potuit: neque Paulus hoc agit, ut in societatem apostolatus ab aliquo discipulorum, qui non erant Apostoli, receptus videatur: sed ab ipsis Apostolis, iisque primariis. Eandem opinionem ex contextu Scripturae refellit S. Gregorius hom. 18. in Ezech.

Non igitur alius hic Cephas a Paulo scribitur, quam ille toties ab eodem nominatus 1 Cor. scilicet cap. 1. 3. 9. et 15. Argumenta vero, quae in diversum adferuntur, exigui ponderis sunt: et ad ea satis ab Hieronymo responsum est. Sed nec catalogum LXX. discipulorum, qui, nominibus temere atque ridicule ex Scriptura novi testamenti collectis, fertur apud nonnullos autores, agnoscit Ecclesia. Et quid de eo sentiendum sit, evidentibus argumentis ostendi in com. cap. ult. epist. ad Rom. Magis certe credendum Eusebio antiquitatis ecclesiasticae scientissimo; qui loco superius allegato palam testatur, nullum LXX. discipulorum catalogum uspiam exstare.

Ut nos in gentes, ipsi autem in circumcissionem. Inabsolutus est sermo, et supplendus hoc aut simili modo: Datis dextris societatem apostolatus inierunt nobiscum: sic nimirum, ut nos illo munere fungeremur erga gentes, ipsi vero apud Judaeos, quod rursus intellige passim ac praecipue; idque ad tempus, donec res aliud postularet, quemadmodum id explicatum est supra.

10. *Tantum ut pauperum memores essemus. Tantum* non est connectendum cum eo, quod praecessit, quasi dicat, *ipsi autem in circumcisionem tantum.* Certum est enim, nec Paulum ab Evangelio Judaeis praedicando, nec Petrum caeterosque Apostolos a gentibus ullo pacto prohiberi aut excludi potuisse; sed ad sequentia pertinet. Tantum, inquit, hoc admonentes, ut dum Evangelium apud gentes praedicamus, pauperum, qui in Judaea erant, memores essemus, commendando eos gentibus ad fidem conversis.

Quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere. Verbum Graecum ἐσπούδασα non tam solicitudinem, quam diligentiam significat, id est, eam rem mihi commendatam qua potui diligentia praestiti. Ubi Paulus obiter suam in pauperes, etiam Judaeos, charitatem insinuat, cum a Judaeis tam gravem pateretur contradictionem. Cur autem non dicit, *soliciti fuimus,* ut Barnabam etiam comprehendat? Non aliam arbitror causam, quam quia non multo post, ut Act. 15. legitur, Barnabas ab eo discessit, ut proinde Paulus de ejus facto testari non potuerit. Porro istorum pauperum et in epistola ad Rom. et utraque ad Cor. mentio est; in quibus Epistolis cum id adhuc agatur, quod hic Apostolus se diligenter egisse memorat; recte colligitur hanc epistolam tribus illis esse temporis ordine posteriorem, sicut in argumento epist. admonuimus.

Quod ad causam attinet paupertatis eorum, de quibus hic agitur, non ea praecipue fuit, quae refertur Act. 11., scilicet fames ab Agabo praedicta. Propter hanc enim non a gentibus, sed a Judaeis extra Judaeam habitantibus, et quidem longe ante tempus Jerosolymitani concilii, collatio eleemosynaria per ministerium Barnabae et Sauli facta est et perfecta; quemadmodum ex fine cap.

11. et 12. Act. perspicuum est. Sed una generalis erat causa, quam referunt Hieronymus et Augustinus, quod fidelium Judaeorum multitudo, quae Jerosolymis erat, venditis possessionibus ac pretio ad pedes Apostolorum posito, sicut in Actis Lucas memorat, paulatim ac tempore procedente egere coepit; ut necesse habuerit, aliorum fidelium, qui in aliis mundi partibus habitantes sua non reliquerant, eleemosynis sustentari.

Causam alteram adferunt Graeci interpretes, quod facultatibus suis spoliati essent propter fidem Christi. Hoc enim significat ipse Apostolus 1 Thess. 2. *Vos,* inquit, *imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea; quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judaeis* etc. Expressius vero id affirmat ad Heb. 10. dicens: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

11. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Pro *Cepha, Petrus* legitur in Graeco, nec non apud Hieronymum et Ambrosianum. Quod autem dixit interpres *in faciem,* Graece est *secundum faciem.* De cujus intellectu mox agemus. Quando contigerint ea, quae nunc a Paulo referuntur, non omnino certum est; neque enim Lucas in Actis horum meminit. Augustinus epistola 19., quae est ad Hieron., putat, haec gesta esse ante conventum Jerosolymitanum. At probabilius alii postea contigisse existimant: id enim postulare videtur ordo narrationis Paulinae. Patet, etiam ex Act. 15., Paulum absoluto concilio statim Antiochiam esse reversum, nec admodum diu ibi moratum. Quare verisimile est, per id tempus illuc advenisse Petrum, et caetera, quae hic narrantur, acta fuisse. Nisi quis putet, ista eo tempore contigisse, quando iterum Paulus aliquandiu haesit Antiochiae, Act. 18.

Subjicit autem Apostolus hanc narrationem de Petro a se reprehenso, non ut Petri autoritatem minuat, aut se illi praeferat, uti calumniatus est olim Porphyrius, qui factum Pauli odiose exagitavit; sed eadem ratione ac necessitate, qua narravit superiora; nimirum ut ostendat, a se non aliud Evangelium praedicari, quam a Petro, caeterisque Apostolis; atque ipsius etiam Petri exemplo et consensu constare, gentes observatione legis onerandas non esse, quando et Petrus ipse apud gentiles gentiliter vixerit et a se reprehensus, quod exemplo suo gentes ad judaizandum cogeret, patienter acquieverit. Quae res certo arguebat, Pauli doctrinam, qua gentes eximebat jugo legis, a Petro minime fuisse improbatam.

Caeterum de intelligentia hujus loci magna fuit concertatio inter egregios Ecclesiae doctores Hieronymum et Augustinum. Docet enim Hieronymus, hanc reprehensionem, qua Paulus Petrum a se reprehensum scribit, simulatam, et, ut loquitur, dispensatoriam fuisse. Neque enim Petrum eo facto, quod hic narratur, quicquam commisisse, quod merito reprehendi potuerit, ut proinde reprehensio illa non serio neque ex animo, sed ex composito facta debeat intelligi; quo per eam Judaei, quos Petri maxime movebat autoritas, videntes suum Apostolum Paulo reprehendenti cedere, sanarentur ab errore, quo adhuc tenebantur putantes, legem esse necessariam ad salutem.

Augustinus vero, qui commentarium hunc Hieronymi legerat, hujusmodi interpretationem rejicit ac refellit, confirmans, veram hanc Petri fuisse reprehensionem, ut qui vere fuerit reprehensibilis, propterea quod ad veritatem Evangelii non recte ambularet, dum simulatione sua, qua se a gentili convictu subtrahens legalia servabat, etiam gentes judaizare cogeret, quemadmodum diserte scriptum est a Paulo. Cujus verba, si ad excusandum Petrum sic exponantur, ut nec vere fuerit reprehensibilis Petrus, nec veraciter de eo dictum sit, quod non recte ambulaverit ad veritatem Evangelii, sed ideo, quia tanquam non recte ambularet, fuerit externa dumtaxat specie reprehensus a Paulo; metuendum esse, ne mendaciis in Scriptura detur locus. Hanc

istorum doctorum dissensionem ac disputationem videre est in eorum Epistolis mutuo transmissis, apud Hieron. quidem epist. 86. et sequentibus usque ad 97. Apud August. vero in epist. 8. et sequentibus usque ad 19. Hieronymus autores suae sententiae profert Graecos Pauli interpretes, Origenem, Didymum, Apollinarem, Eusebium Emesenum et Theodorum Heracleotem, quibus accessere Chrysostomus, Theodoretus aliique Graeci posteriores, et inter Latinos Cassianus coll. 17. Sed hujus autoritas, ut et eorum, quos citat Hieronymus, facile repellitur. Fuerunt enim omnes aut fere omnes de haeresi pravaque doctrina partim ab ipso Hieronymo, partim ab aliis patribus notati. Id quod etiam a S. Thoma in commentario, ad elevandam eorum autoritatem, observatum est. Certe Cassianum post Origenem mendacii patronum fuisse, eadem collatio plane convincit.

Porro Augustinus praeter apertissima verba Apostoli, quibus potissimum nititur, ac inter caetera id quod est cap. 1. *Quae scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior:* etiam Cyprianum pro se adducit, disserentem in epistola 71. ad Quintum. In eadem sententia fuit Tertull. lib. 5. contra Marc. cap. 3., Commentator Paulinus Ambrosii titulo in hunc locum, Gregorius Papa lib. 28. moral. cap. 12. et hom. 18. super Ezech., item Agapetus primus Papa in epistola ad Justin. Imperatorem (est apud Baronium anno Christi 535.), et ut semel dicam, Latini fere omnes, qui post Augustinum hoc argumentum attigerunt, ac nominatim S. Thomas Aquinas in commentario, ubi totam controversiam, quae inter Augustinum et Hieronymum fuit, diligenter excutit, et ex Augustini sententia docte resolvit.

Quodque amplius est, ipse Hieronymus opinionem suam, qua Petrum in eo, de quo reprehensus est a Paulo, peccasse negaverat, oblique retractavit, et in Augustini sententiam concessit. Nam in Dialogo contra Pelagianos, quem statim postea scripsit lib. 1. cap. 8., inter alia testimonia de Scripturis sumpta, quibus docet, sanctos non caruisse peccatis, et nullum episcopum prorsus esse irreprehensibilem; etiam de Petro profert exemplum ex hoc loco. *Si,* inquit, *ipse Apostolus dicat de Petro, quod non rectò pede incesserit in Evangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit, ut et Barnabas adductus fuerit in eandem simulationem; quis indignabitur, id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?* Hanc Hieronymi retractionem observavit etiam Augustinus in epistola 260. ad Oceanum, dicens, illum in opere recenter adversus Pelagium edito eandem de ista re gesta dictisque Apostolicis tenuisse sententiam, quam ipse post beatissimum Cyprianum secutus esset.

Est et alius Hieronymi locus in lib. 3. Apologiae adversus Ruffinum eodem fere tempore scriptae cap. 1., ubi cum dixisset, etiam Apostolos salvis inter se amicitiis dissensisse, pro exemplis adducit Paulum et Barnabam stomachatos propter Joannem cognomento Marcum, eundemque Paulum, qui in faciem Cephae restitit, quod non recto pede incederet in Evangelio, quem tamen praecessorum suum et columnam Ecclesiae vocaret. Quod de vera ac seria dissensione necesse est intelligi: qualis inter Paulum et Barnabam intercesserat. Quid enim novum, si salvis amicitiis simulate tantum dissensissent? Denique quicunque seriam ac non simulatam hoc loco reprehensionem agnoscunt, iidem Petrum aliquid egisse, quod reprehensione dignum esset, ac proinde peccasse fatentur. Sic inter alios Gregorius Magnus locis supra citatis. Item Thomas Aquinas non solum in commentario, sed et postmodum in summa 1. 2. q. 103. art. 4. ad 2. et 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2. et q. 43. art. 6. ad 2. Quibus locis etiam affirmat, Petrum peccasse, et docet, in quo peccaverit.

Nec vero quemquam offendere debet, quod Petrus post acceptum Spiritum sanctum peccasse dicatur, cum nemo sit justus in hac vita, qui non aliquando peccet

Ecclesiastae 7., cumque praesens Scripturae locus aperte clamet, Petrum peccasse. Quomodo enim Paulus de Petro totius Ecclesiae principe scribere auderet, se ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat, eumque non recte ambulasse ad veritatem Evangelii, qui facto et exemplo suo gentes cogeret judaizare, si sentiret eum ne quidem venialiter in hujusmodi facto peccasse? Nam mortaliter eum peccasse, nec Patrum quisquam dixit, nec locus iste convincit; facile enim haec, quae Paulus de eo scribit, a crimine excusantur; nam et quae crimina non sunt, aliquando publicam merentur reprehensionem, si cedant in scandalum commune; quale erat factum Petri.

Quae cum ita sint: non possumus accedere quorumdam recentiorum opinioni, qui cum Augustino caeterisque Latinis seriam hic agnoscentes reprehensionem, fortiter tamen negant, a Petro quicquam peccatum fuisse. Sic Erasmus in annotationibus, et alii nonnulli posteriores; quorum ratio est, Petrum non posse culpari in eo, quod bona animi intentione fecit, quodque secundum se malum non erat, sed tale duntaxat, cujus occasione malum aliquod proveniret, id est, scandalum gentilium. Quod utique Petro non putant imputandum, nihilo magis quam si scandalizati fuissent gentiles et ad judaizandum inducti ex eo, quod Paulum vidissent, vel circumcidere Timotheum hominem gentilem, vel ex voto sibi caput tondere in Cenchreis, vel Jerosolymis sese cum caeteris Judaeis purificare. Haec enim omnia Paulum, etiam post istam Petri reprehensionem fecisse, constat ex Actis.

Hoc argumento Graeci quoque et Hieronymus usi sunt, ut docerent, non serio, sed simulate seu dispensatorie gestum esse totum hoc negotium reprehensionis Apostolicae. Qua fronte enim, inquiunt, serio Paulus Petrum reprehenderet in eo, quod ipsemet toties fecit, adeo ut scribat, se factum Judaeis tanquam Judaeus esset, et iis, qui sub lege erant, quasi sub lege esset, ut eos Christo lucrifaceret? Siquidem et Petrum propter Judaeos hoc fecisse, Paulus ipse testatur.

Quibus aeque respondeo: qua fronte Paulus haec scriberet de Petro, et reprehensibilem fuisse et non recte ad veritatem Evangelii ambulasse, si ne venialiter quidem in eo peccasset? Nam ad ea, quae e diverso objiciunt, in promptu responsio est ex SS. Augustino, Thoma et aliis, qui bene docent, haec Pauli facta non fuisse talia, quae ex se praeberent aliquam scandali occasionem gentilibus. Timotheus enim ex matre Judaeus erat; ideoque lege mortua quidem, sed nondum sepulta, circumcidi poterat, et hanc rationem ipse Lucas, qui factum narrat, satis insinuavit Act. 16. Paulus autem more Nazaraeorum caput sibi tondens, Judaeus inter Judaeos versabatur.

Quod vero purificaret se cum Judaeis, idque Jacobo suggerente, cum Jerosolymis esset, manifestam ac necessariam habuit rationem, quae luculente describitur Act. 21. Postremo, nil horum Paulum retraxit a conversatione gentilium; at Petrus in civitate, quae gentilium erat, non Judaeorum, prius cum gentilibus convescens, postea vero propter legis observationem ab eorum mensa sese subducens, quamvis bona intentione, ne Judaei, qui supervenerant, offenderentur, id faceret: occasionem tamen gentilibus praebuit suspicandi, quod oporteret a cibis lege vetitis abstinere; quia Petrum Apostolorum principem in ea re factum suum prius corrigere viderent. Certe illa Petri inconstantia in eadem re non poterat non gentiles offendere, et hoc Paulus urget, quando dicit, eum non recto pede ambulasse, quia nimirum claudicabat in utramque partem.

Ex dictis intelligi potest, quid sit respondendum ad hanc objectionem: Petrus non peccasset, si ex ejus facto, quo comedisset cum gentilibus, fuissent scandalizati Judaei; ergo nec peccavit, quod ex ejus facto, quo se subtrahebat a mensa gentilium, scandalizati fuerint gentiles. Antecedens probatur, tum quia Paulus similiter faciendo non peccavit, tum quia

alioqui Petrus fuisset perplexus, nec peccatum evitare potuisset.

Respondetur, antecedens esse verum, et negandam consequentiam, quia Petrus quidem apud Judaeos Judaice vivere poterat et debebat, ne eos offenderet; sed non ideo debebat abstinere a conviviis gentilium, praesertim quibus ante interfuisset: hoc enim merito offendebat gentiles, quasi Petrus prius suum factum corrigeret, per hoc quasi docens, legem servandam esse. Judaei autem ex Petri facto, quo cum gentilibus ederet, rationabiliter offendi non poterant, quia palam docebant Apostoli, et ipse Petrus in concilio Apostolorum, jugum legis per Christum cessare.

Deinde, quid Petri simulatio poterat prodesse, ne Judaei offenderentur, quando Judaeos latere non potuit, Petrum jam ante edisse cum gentilibus? Non enim id secreto factum fuerat; et erant eo tempore alii Judaei Antiochiae, qui id referre poterant Judaeis a Jacobo venientibus. Igitur hac in re per imprudentiam quandam, sive ut Dominicus loquitur, per inconsiderationem a Petro peccatum est, quemadmodum ex consequentibus amplius patebit.

Illud vero potius in Petro mirari lubet ac laudare, quod liberam Pauli reprehensionem tanta mansuetudine et humilitate susceperit, quanta pastorem Ecclesiae decuit; adeo ut dicat Augustinus in commentario, quod erat objurgatore suo ipse, qui objurgabatur, mirabilior et ad imitandum difficilior. Nam ut idem Augustinus ait in epistola ad Hieron., quae est apud eum 19. *Multo mirabilius est et laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem.* Quo nomine et Cyprianus Petri exemplum omnibus episcopis proponit imitandum epistola 71. ad Quintum. De hac insigni B. Petri humilitate est locus insignis apud B. Gregorium homil. 18. in Ezech. dignus, qui totus huc transcriberetur.

His necessario praemissis ad Apostoli verba redeamus. Quod diximus, in Graeco legi: *secundum faciem ei restiti,* Hieronymus sic accipit, ut *secundum faciem* idem sit, quod specie externa et per simulationem; idque factum dicit, ut hypocrisis observandae legis, quae nocebat eis, qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendaretur. Eadem est Chrysostomi expositio, videturque ei favere locus 2 Cor. 5. *ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur et non in corde.* Similis adducitur locus ex cap. 10. ejusdem epistolae, *quae secundum faciem sunt, videte,* id est, ea, quae foris apparent.

Alii, *secundum faciem,* sive, ut noster habet textus, *in faciem resistere,* idem esse volunt, quod *coram et in praesentia resistere,* idque sane probabilius. Ita namque apud eumdem Apostolum, loco memorato, dictum est, *in facie,* vel, ut in Graeco, *secundum faciem quidem humilis sum inter vos; absens autem confido in vobis. In facie,* id est, praesens et coram; opponitur enim absenti. Ex quo etiam loco, sicut ex illo 2 Cor. 5., mihi non improbabile est, interpretem nostrum hic quoque vertisse, *in facie,* non *in faciem.* Sic enim et Hieronymum legisse commentarius ejus indicat; et profecto minus dure sonat, *in facie,* quam *in faciem resistere,* si vis Latini sermonis urgeatur, uti nec male annotatum est ab Erasmo.

Porro similis est locus Act. 25. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes* (Graece *secundum faciem,* id est, coram) *habeat accusatores.* Adde, quod Apostolus seipsum paulo post exponit quodammodo, cum referens objurgationis suae verba ait: *dixi Cephae coram omnibus.* Quapropter et Graeci Chrysostomo posteriores hunc sensum potius amplexi sunt, ut ex eorum commentariis liquet; nec adeo pro diversa faciunt interpretatione Apostoli loca in diversum allata; nam et illa si bene expendantur, hunc posteriorem sensum magis postulant.

Porro sciendum, pro eo, quod nos

legimus, *quia reprehensibilis erat*, in Graeco participialiter haberi, *quia reprehensus erat;* quod quidem alii aliter exponunt. Quidam referunt ad reprehensionem, quam a Judaeis fratribus passus erat Petrus, postquam ad Cornelium centurionem ejusque domesticos gentiles et incircumcisos introgressus fuerat, atque cum iis manducaverat, uti legitur Act. 11.

Sed hic intellectus praesenti loco non convenit; neque explicatur per verba sequentia, quae probationem continent hujusce partis. Magis autem quadraret, si verba haec posita essent post illud: *timens eos, qui ex circumcisione erant;* idcirco enim eos timere potuit, quia ab illis aliquando reprehensus fuerat.

Graeci, quamvis expositionis jam dictae meminerint, aliam tamen proferunt, qua Petrus intelligatur reprehensus Antiochiae, hoc ipso tempore, quo gerebantur ea, quae Paulus hic narrat; reprehensus, inquam, a quibusdam fratribus, qui jam offendi coeperant inconstantia Petri, modo cum gentilibus edentis, modo subtrahentis se: sive quod oeconomiam hujus facti, ut Graeci loquuntur, ignorarent, sive quod, secundum Latinos, justa fuit reprehensio, tanquam dicat Apostolus, *in facie ei restiti,* quandoquidem et ab aliis fratribus, etsi non coram, reprehendi coeperat. Sic etiam Cajetanus exponit. Caeterum Ambrosianus etiam participium legit, quomodo Graeci; sed interpretatur hoc modo, *reprehensus,* utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur. Respicit enim ad id, quod infra dicitur: *cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii.*

Verumtamen etsi constet, in Graeco participium esse, nec admittamus eorum conjecturam, qui suspicantur olim secus habuisse Graeca exemplaria (refelluntur enim ex veterum Graecorum commentariis, et ex Latina Ambrosiani lectione): non ideo tamen nobis a nostra versione recedendum est. Nam uti docte annotatum est ab Adamo Sasboldo, Paulus Hebraea phrasi participium pro nomine verbali posuit; frequens enim est Hebraeis, imo perpetuum, ut quod nos per nomen verbale passivae formae enuntiamus, illi participio passivo significent. Exempli causa, dicunt amatum seu dilectum, pro amabili; laudatum, pro laudabili; miratum, pro mirabili; formidatum, pro formidabili. Ita fit 2 Reg. 1, 23. Psal. 83, 1. et 138, 14. 1 Cor. 6, 4. Heb. 12, 18. et 27. Quod in Latina quoque lingua fit interdum; ut in his vocibus, contemptus abjectus, honoratus, inaccessus et similibus. Sic ergo Paulus *reprehensum* dixit pro *reprehensibili.*

Certe Hieronymus, Hebraice Graeceque peritissimus, ubique tam in commentario quam in epistolis ad Augustinum *reprehensibilis* legit; nec de participio Graeco scrupulum ullum movet, cum alioqui Graeca lectio potuisset eum pro Petri defensione nonnihil adjuvare. Nos igitur Augustinum secuti verba Apostoli sic exponimus: Quum Petrus Antiochiam venisset, ibi, propter hanc ipsam causam, de qua nunc agitur, coram ac multis praesentibus ei restiti cum objurgatione; quia rem commiserat publica reprehensione dignam, quae nec sine ea corrigi posset. Sensum hunc exigit planus Apostoli textus et subjuncta probatio.

12. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat.* Exponit causam, ob quam reprehensibilem dixerit Petrum, ita ut in facie resistendum ei fuerit. Nam priusquam, inquit, Jerosolymis Antiochiam venissent quidam a Jacobo sive missi sive sponte profecti, haud dubium quin Judaei legis aemulatores (etenim Jacobus Jerosolymorum episcopus erat, et propter Judaeos ipse etiam legem servabat), cum gentilibus edebat Petrus, sine discrimine cibis utens communibus, lege neglecta. Quo sane facto suo palam testabatur, legis observationem non esse gentibus necessariam; quando nec ipse, qui Judaeus erat, legem apud eos servaret. Facit autem hujus facti commemoratio plurimum pro Pauli doctrina, dum ostendit, Petrum Apostolorum principem legis observationem neglexisse; et non nisi timore Ju-

daeorum ad eam observandam adductum fuisse. Prout sequitur:

Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Non ita *subtrahebat et separabat se a gentilibus,* ut omnino fugeret eorum consuetudinem et colloquium; neque enim lex hoc praeceperat, et ea res manifestissime repugnasset vocationi gentium ad fidem. Quo enim modo vocari per Apostolos potuissent, cum quibus nec colloqui fas esset? *Sed subducebat se a conviviis et mensa gentilium,* utpote qui promiscuis et lege vetitis uterentur cibis. Prius enim dictum est, *cum gentibus edebat.* Fecit autem hoc Petrus timore Judaeorum, qui a Jacobo venerant; non quia sibi periculum ab illis metueret, qui jam didicerat, nec mortem pro Christo timere; sed quod timeret, ne Judaei facto suo offensi, legis aemulatione novas turbas excitarent, quibus cursus Evangelii impediretur. Quanquam etiam dici potest, *eos* pro *eis* positum esse, in eo quod ait *timens eos;* quomodo ab eodem Apostolo dictum est infra cap. 4. *Timeo vos ne forte sine causa* etc. Sic autem sensus erit, Petrum subtraxisse se, quod, tanquam circumcisionis Apostolus, pro Judaeorum salute solicitus, malum aliquod ipsis metueret ex suo cum gentilibus convictu; scilicet ne resilirent a fide, aut certe scandalum aliquod paterentur, videntes, Apostolum suum aliud in Judaea agere, aliud inter gentiles. Et ita quidem Graeci exponunt; sed prior sensus magis videtur literalis. Nam et alias adversus Petrum ob similem causam disceptaverant Judaei, quando ad Cornelium accesserat Actor. 11. Et admodum nuper hoc ipso loco, id est, Antiochiae, seditionem Paulo et Barnabae moverant propter circumcisionem, uti legitur Act. 15. in principio.

13. *Et simulationi ejus consenserunt caeteri Judaei.* Graece: *Et una cum eo simulaverunt etiam caeteri Judaei. Judaeos* intelligit, qui cum Petro erant, non qui a Jacobo venerant. Factum autem Petri simulationem vocat, non mendacium aliquod in facto, quae est proprii nominis simulatio et semper illicita; sed quia Petrus abstinens a cibis lege vetitis, et ea parte legem observans, similem se praebebat aliis, qui legem observabant ut necessariam ad salutem. Neque enim Graecis et Hieronymo consentimus affirmantibus, Petrum aliosque Apostolos post passionem Domini non vere observasse legalia, sed simulasse tantum. Nam quod vere observaverunt, licet non cum opinione necessitatis, ex scripturis adeo manifestum est, ut negari non possit.

Loca sunt Act. 10., ubi Petrus dicens, se nunquam manducasse quicquam commune et immundum, significat, se non minus post Domini passionem, quam ante servasse legalia, et Actor. 15., ubi de legalibus quaestione mota, Apostoli solos ab eorum observatione gentiles excludunt, et cap. 21., ubi Jacobus ad Paulum: *Audierunt,* inquit, *de te, quia discessionem doces a Mose eorum, qui per gentes sunt Judaeorum,* quem falsum fuisse rumorem ostendi vult ex eo, quia Paulus ipse legalia observabat: *Et scient,* inquit, *omnes, quia quae de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas et ipse custodiens legem.* Vere igitur et non simulate Paulus caeterique Judaei Christiani legem servabant; sive eam putarent observatu necessariam, ut illi, qui venerant a Jacobo; sive non, ut Petrus et fratres, qui cum eo erant. *Simulabant autem hi una cum Petro,* quia subtrahendo se a mensa gentilium legem servabant perinde, ut alii Judaei, licet non eodem animo.

Ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Graece, *simul abduceretur eorum simulatione,* id est, *in eorum simulationem.* Sensus: eo res progressa est, ut etiam Barnabas collega meus in Apostolatu gentium, idemque me senior, illorum exemplo, maxime Petri, duceretur in eandem cum illis simulationem, qua scilicet a gentilium convictu sese subtraheret. Unde fiebat, ut erroris malum a tantis viris, altero circumcisionis, altero gentium Apostolo,

tractum, latius inter utriusque populi fideles serperet.

14. *Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii. Recte ambulare,* Graecis unum compositum verbum est, ὀρθοποδοῦν; quod sonat recto pede incedere. Atque ita legit Hieronymus in commentariis et in dialogo contra Pelagianos, ejus autem loco textus Ambrosianus habet, *recta via incedere.* Porro *non recte ambulare,* seu *non recto pede incedere ad veritatem Evangelii,* non est aberrare a via veritatis Evangelicae, sed claudicare et vacillante gressu incedere in negotio veritatis Evangelicae procurando. Neque hoc ad errorem opinionis referendum est, quasi putaverint Petrus et qui cum eo, legem Mosis necessario servandam; sed ad qualitatem facti. Claudicatio namque in eo erat, quod inconstanter et varie sese gerebant apud gentiles, modo cum illis edentes, modo sese subtrahentes.

Unde non est, quod haereticus ex his verbis calumniam faciat Petro, tanquam is in dogmate fidei vel erraverit opinione, vel aliquo modo vacillaverit; tantum enim imprudentia quadam facti peccavit, quoniam simulatione sua praebuit noxii erroris occasionem gentilibus, ut existimarent, eum necessariam adhuc credere legis observationem, proindeque sibi etiam tanti Apostoli exemplo legem servandam esse.

Neque vero ipsa per se simulatio, qualis hoc loco intelligitur, peccatum erat; simulaverat enim et ipse Paulus eo genere simulationis, quando Timotheum circumcidit, et caput ex voto sibi totondit; et omnino quoties *Judaeis factus fuit tanquam Judaeus, et iis, qui sub lege erant, quasi sub lege esset.* 1 Cor. 9. Sed in eo Petri culpa fuit, quod id faceret, ubi faciendum non erat, propterea quod ex ipsius facto prona esset gentilibus occasio declinandi ab evangelica veritate. Hoc igitur tam in ipso Petro, quam in Barnaba et comitibus eorum, erat non recte ambulare ad veritatem Evangelii. Nam quod Erasmus in annotationibus, pro Petri excusatione, scribit, id quod plurali numero dicitur, *non recte ambularent,* non ad Petrum, sed ad caeteros solum referri debere; nullum habet autorem, ne ex Graecis quidem. Sed neque cohaeret cum praecedentibus, neque cum subjuncta reprehensione, quae ad Petrum ipsum dirigitur.

Dixi Cephae coram omnibus; id est, palam, ac multis praesentibus *Cepham,* vel ut in Graeco, *Petrum,* reprehendi hujusmodi verbis. Hieronymus item et Ambrosianus *Petro* legunt. *Quod autem coram omnibus,* inquit Augustinus, *necessitas coëgit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. Non enim utile erat, errorem, qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quod firmitas et charitas Petri, cui ter a Domino dictum est: Amas me? Pasce oves meas; objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinebat.* Haec Augustinus in commentario. Unde liquet, hic a Paulo nihil fuisse peccatum adversus ordinem fraternae correptionis, in eo, quod publice Petrum objurgavit absque praevia privata admonitione. Nam publica salus ita fieri postulabat. Solum autem Petrum alloquitur, quod is suo exemplo caeteris autor fuisset simulationis; quodque eo correcto, cujus apud omnes erat summa autoritas, aliorum correctio facile secutura esset.

Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice; quomodo gentes cogis judaizare? Quomodo, Graece τί, *quid,* id est, quare. Sensus est: Si tu, Petre, qui Judaeus es ex Judaeis natus, postquam didicisti, legem morte Christi abolitam esse, non amplius eam servas, sed negligis, quasi ea ad te non pertineret, quod est gentiliter, et non judaice, vivere: quid est, quod nunc hac tua simulatione tuoque exemplo etiam gentes, quae sunt extra legis professionem, cogis judaice vivere, id est, legem Judaicam observare? velut si dicat: Quae ratio est, ut tu gentiles ad Judaismum provoces, qui Judaeus ipse cum sis, Judaismo

renunciasti? Hoc indissolubili argumento, ait Hieronymus, Petrum coustringit; imo per Petrum eos, qui pugnantia illum inter se facere cogebant. Porro *gentiliter vivere* coepit Petrus, ex quo ei dictum est, *macta et manduca* Act. 10., nam antea solum judaice vixerat. Unde dicebat, *commune et immundum nunquam intravit in os meum.*

Patet autem ex sensu jam dato, quam impudenter calumniam haereseos primo Ecclesiae pastori impingant haeretici, propter hoc quod gentes judaizare coëgerit. Non enim id fecit errore doctrinae, quasi senserit ac docuerit, legem gentibus imponendam esse; sed, uti dictum est, exemplo et imprudentia facti. Nam quod doctrinae vel opinionis error nullus hic significetur, clarum est; tum quia simulatio fuit; tum quod paulo ante cum gentibus edisset, nec subito potuerit opinionem mutare; tum denique, quia non reprehendit eum Paulus, quod non teneret aut non doceret Evangelii veritatem, sed quod ad eam non recte ambularet, id est, facto et conversatione sua eam non promoveret, sed laederet. In quo tamen ipso veniam haud dubie merebatur, quia cum esset Apostolus circumcisionis, peccavit amore Judaeorum, quos a Jacobo ad se venientes verebatur offendere, et ab Evangelio suscepto sua libertate, qua apud gentes utebatur, avertere.

Notandum quoque est, verbum *judaizare* non hic ad haeresim pertinere, quomodo judaizare dicuntur, qui docent aut sentiunt, religionem judaicam a Mose traditam esse Christianis ad salutem necessariam; quae fuit olim haeresis Nazaraeorum et Ebionitarum, Cerintho cum primis autore: sed idem valet quod Judaeos imitari, ritus Mosaicos exemplo Judaeorum observare; sive id fiat opinione necessitatis, sive ob reverentiam legis a Deo institutae, sive propter autoritatem eorum, qui legem hujusmodi servant: quemadmodum platonizare dicuntur, qui Platonis seu doctrinam seu dictionem imitantur, quacunque ratione id faciant. Sic autem judaizabant non Judaei, sed gentiles Judaeorum imitatores: at priori modo, Judaei quam maxime. Posteriore modo hic intelligit S. Aug. epist. 19.

15. *Nos natura Judaei et non ex gentibus peccatores.* Petrum adhuc alloquitur; nec satis constat, ubi verba Pauli ad Petrum finiantur, an, ut quidam putant, eo loco: *Quod si quaerentes justificari* etc., an vero dum ait: *Si enim quae destruxi* etc., quemadmodum existimat Cajetanus, ea ratione motus, quod ibi Paulus, antea plurali numero usus, incipiat loqui singulariter; an denique duret alloquium illud usque ad finem hujus capitis. Nam initio sequentis planum est ad Galatas dirigi sermonem. Haec tertia sententia Hieronymi est et Chrysostomi, facitque eam probabilem cohaerentia sermonis ad eum usque locum; simul et nominis Galatarum illic expressio, tanquam ibi demum, Petro dimisso, compellare eos incipiat. Nisi quis in superioribus verbis dicat latentem esse recessum a Petro, et ingressum ad materiam principalem; quod non est improbabile.

Hoc, quod ait *nos,* in sua et Petri persona dicit; tametsi possunt et utriusque comites Judaei, in quibus et Barnabas, comprehendi. *Natura Judaeos* vocat, qui a nativitate habent, quod Judaei sunt, non solum genere, verum etiam obligatione legis observandae, tanquam sub lege nati, lex enim populo Judaico data fuit. Proselyti vero, qui ex gentibus in Judaismum coaptabantur, juxta nomen suum adventitii erant, et voluntate, non natura Judaei.

Quod autem addit, *et non ex gentibus peccatores,* tale est: Et non ex populo gentium, quibus lex data non fuit, nati peccatores; id est, carentes regula divinae legis, et per hoc abeuntes in omne genus peccatorum praecipites. Putat Augustinus, Paulum, Judaeos alloquentem, ex Judaeorum consuetudine gentiles appellare peccatores; quod nomen, inquit, gentibus imposuerant Judaei jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi justi essent. Porro, quod Primasius vocabulum

peccatores ad Judaeos reflectit, quasi sensus sit: Nos ex Judaeis et non ex gentibus nati, peccatores tamen, coacta videtur interpretatio.

16. *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis.* Vocula *autem* non est in Graeco, nec apud Ambrosianum: conjungenda est enim haec pars cum praecederti, quae inabsoluta remanserat.

Nisi per fidem Jesu Christi. Sententiam reddit obscuram particula *nisi.* Quae si proprie, ut Latinis auribus sonat, accipiatur, exceptionem faciet ab eo, quod praecedit; ut sensus sit, hominem non justificari ex operibus legis, nisi fides in Christum ad ea opera accedat; quae si accesserit, justificari eum per legis opera. Sed cum hic sensus justificationem dividat, partim eam tribuens operibus legis, partim fidei Christi, quod est contra definitam et absolutam Apostoli sententiam, docentis in epistola Rom. 3. *ex operibus legis neminem justificari coram Deo, sed justificari hominem per fidem sine operibus legis;* necnon hoc ipso loco, statim post affirmantis, *justificari nos ex fide Christi, et non ex operibus legis* etc., manifestum est, interpretationem illam tanquam Apostolico sensui et scopo contrariam, omnino repudiandam esse. Etenim ea Judaizantium, adversus quos agit Apostolus, erat doctrina, legem cum fide Christi miscere, et ex utraque pariter salutem exspectare.

Verum constat, voculam *nisi* frequenter in Scripturis adversative sumi, ut idem valeat quod, *sed tantum;* quemadmodum etiam superiori capite admonuimus ad illa verba, *nisi sunt aliqui, qui vos conturbant.* Sic autem intelligi debere hoc loco, non modo doctissimi quique interpretes Graeci et Latini consentiunt, verum etiam satis colligitur ex his, quae paulo post sequuntur hoc loco, et ex memoratis Apostoli verbis Rom. 3.

Ex quo etiam loco petendum, quaenam Apostolus intelligat opera legis, ex quibus negat hominem justificari; videlicet non sola ceremonialia legis Mosaicae, velut circumcisionem, sabbatum, neomeniam etc., de quibus plerique locum hunc exponunt: sed in universum opera qualiacunque ex lege, id est, ex sola legis cognitione facta, etiamsi moralia tantum sint. Nam in doctrina Apostoli, qua justitiam ab operibus legis removet, legem intelligi toto genere, prout moralia simul et ceremonialia comprehendit, perspicuis argumentis ostendimus in exposit. epist. ad Rom. Quomodo autem idem intellectus praesenti loco quadret, ubi proprie de ceremonialibus quaestio versatur, restat, ut explicemus.

Sciendum est igitur, Apostolum ab eo loco, *Nos natura Judaei* etc., propius ad rem institutam accedere, et causam, propter quam ceremonias legis ad gentes transferri nullo modo patiatur, aperire. Nam ceremoniae in figuram Christi venturi impositae erant, ad significandum, per eum aliquando veram nobis justitiam et remissionem peccatorum conferendam esse, ideoque post ejus adventum, impleta jam earum significatione, cessare debuerunt. Quare qui eas Evangelio Christi promulgato adhuc retinendas, aut etiam gentilibus imponendas censebant: ii neque illarum institutionem, neque crucis Christi mysterium, quamvis in eum utcumque crederent, satis intelligebant. Christum quidem Dei filium, velut insignem verae pietatis doctorem, a Deo missum, et omnium virtutum exemplar absolutissimum complectebantur: at ceremonias, quasi per se quicquam valerent ad remittenda peccata, retinere volebant; justitiam autem illam, quae in operibus bonis consistit, ex sola legis cognitione, Christi doctrina et exemplo adjutos, assequi se posse putabant.

Unde Apostolus, sumpto argumento ex justificatione non aliunde quam ex fide Christi petenda, consequenter legis ac ceremoniarum concludit abrogationem. Porro justificari quid sit, aeque ex iis, quae in epistolam ad Rom. commentati sumus, intelligi potest. Extenditur enim ad omnem verae, salutaris ac beatificae justitiae acquisitionem; seu primam, qua

quis ex impio justus fit, sive secundam, qua justus justificatur adhuc. Justificatur autem homo per fidem Jesu Christi, quatenus per eam Christum redemptorem agnoscens, ex ejus merito remissionem peccatorum atque justitiam a Deo exspectat et percipit. Quod quidem fit per ea media, quae Christus ipse ad justificationem praestandam hominibus instituit; uti sunt invocatio, poenitentiae opera, sacramenta, legisque divinae observatio; juxta illud: *Factores legis justificabuntur,* Rom. 2.

Et nos in Christo Jesu credimus. Graece, *et nos in Christum Jesum credidimus.* Apud Hieronymum quoque, et in quibusdam MSS. Latinis, praeteriti temporis verbum legitur.

Ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis. Huc usque periodus, ab illo initio, *Nos natura Judaei* etc. Tota vero sensum hunc habet: Nos, quamvis nativitate Judaei simus et non gentiles, quia tamen scimus et certissime persuasum habemus, non justificari quemquam per opera, quae faciat sola lege instructus, sed tantum per fidem Jesu Christi, qui justitiam nobis sua passione promeruit: ideo et nos, inquam, tametsi nati sub lege, credidimus in Christum Jesum; scilicet ut per ejus fidem justificemur, et non per legis ceremonias, aut quaecumque opera solo legis adminiculo facta. Non enim credimus in Christum, ut ex lege justificemur; sed ut ex ipsa fide Christi.

Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Graecis est διότι, hoc est, *eo quod* vel *propterea quod.* Non enim illatio est ex superioribus, sed repetitio est et inculcatio rationis supra positae, tanquam confessae; quia dixerat *scientes.* Repetit autem propter illud, quod proxime dixit: *non ex operibus legis. Dico,* inquit, *non ex operibus legis;* eo quod ex operibus legis, ut jam dixi, non possit ullus homo justificari, ne Judaeus quidem, cui Deus legem dedit. Hebraicae phrases sunt, caro pro homine, per synecdochen; et *non omnis,* pro nullo; et *justificabitur,* pro justificari potest.

17. *Quod si quaerentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores.* Locus obscurus est, et ab aliis aliter expositus. Nobis maxime probatur hic sensus: Quod si nos, id est, ego Paulus et tu Petre, dum quaerimus justitiam ex fide Christi, quod nobis fundamentum est, et ratio negligendae legis, propter hoc invenimur et deprehendimur etiam ipsi peccatores; tales enim a Judaizantibus judicamur, quasi similes gentilibus, qui quod sine lege vivant, peccatores vocantur, ut supra dictum est: numquid etc.

Numquid Christus peccati minister est? Plano sermone dixisset, *ergo Christus peccati minister est;* sed pro reverentia Christi per interrogationem intulit. Num ergo, inquit, fatebimur, Christum peccati ministrum et procuratorem esse, qui fideles suos avocet a lege prohibente et puniente peccatum? Id enim consequens est, *si nos quaerentes in Christo justificari, peccatores invenimur ob legem desertam.* Prosopopoeia videtur esse in nomine *peccati* tanquam domini cujusdam, ministros habentis, qui voluntati ejus inserviant ac regnum ejus promoveant, qualem personae fictionem etiam alibi annotavimus in vocabulis peccati et justitiae, ut Rom. 6. et 7.

Posset sensus etiam hic adferri: Si vere quaerimus justitiam ex Christo, ergo non eam habuimus ex lege, ac proinde mansimus peccatores, donec ad Christum veniremus; qui non peccati, sed justitiae minister est. Quoniam autem impium est suspicari, Christum esse peccati ministrum, ideo declarans absurditatem illius consequentis, quo destructo destruatur antecedens, subjungit:

Absit, ut scilicet tale quid de Christo sentiat, quisquis Christianus dici velit. Neque enim hoc ullo pacto concessuri erant illi ipsi, contra quos agit Apostolus, ut qui et ipsi in Christum credidissent. Igitur ex destructione tam absurdi consequentis, destruendum relinquit antecedens.

18. *Si enim, quae destruxi, iterum haec reaedifico,* Graece *haec iterum aedifico: praevaricatorem me constituo.* Id est, ostendo, astruo, confirmo. Eadem vis Graeci verbi, quae in illo loco Rom. 3. *Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat,* id est, astruit et constabilit. Quibusdam videntur haec in Petrum oblique dici, qui fidem Christi, quam verbo praedicabat, facto visus fuerit destruere et Judaismum reaedificare. Cajetanus existimat, ab hoc loco verba esse Pauli ad Galatas, declarativa eorum, quae dixerat Petro.

Est autem hic aliud argumentum a superiori, quo ostendit, legem non esse revocandam. Tametsi potest et ad praecedens illud referri, quo dixerat, *inventi sumus et ipsi peccatores;* ut hic declaret se alia etiam ratione peccatorem fore, si lex servanda sit. Sensus est: Legem semel, factus Christianus, deserui, et quantum in me fuit, praedicatione mea destruxi. Quod si nunc illam restituo, docens, eam observandam esse, plane astruo et confirmo, me praevaricatorem legis tamdiu fuisse, quamdiu eam posthabui.

19. *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.* Ut intelligatur apta connexio partis hujus cum praecedenti supplendum aliquid, quod subauditur; hoc modo: Atqui non fui praevaricator deserendo legem; *nam per ipsam legem legi mortuus fui.* Id est, ipsa lex Mosis spiritualiter intellecta docet, se non esse perpetuam, sed Christo, quem praefiguravit, venienti cedere debere. Per ipsam ergo legem hoc mihi loquentem mortuus sum legi; id est, subtractus sum legi atque ei desii esse obnoxius. Hoc enim significari ista phrasi, *legi mortuus sum,* intelligitur ex Rom. 6. et 7. Quidam sic exponunt: Ego per legem Christi mortuus sum legi Mosis; sed minus ad mentem Apostoli, qui legem absolute nominans, non aliam, quam legem Mosis significare solet, eidemque fidem Christi opponit. Dico absolute: ne quis opponat, quae sunt Rom. 3, 27. 7, 4. Iterum 8, 2. Certe infra cap. 3. sub finem ait, quod lex Judaeis fuit paedagogus in Christum.

Quaeritur autem, utrum Apostolus hic loquatur de lege ceremoniali, an vero de universa lege Mosaica, decalogum etiam comprehendente. Sane, quamvis expeditior sensus videatur de lege, quatenus ceremonialis est, nihil tamen vetat, universam legem a Mose latam intelligi, quatenus ab eo lata est, tota enim Mosis legislatura cessat per Christum; nec lege decalogi Christianus tenetur, nisi quatenus cum lege naturae convenit, et a Christo renovata est; alioqui sabbati sanctificatio, quam decalogus praecipit, adhuc observanda erit Christianis, quod utique esset judaizare.

Jam illud: *ut Deo vivam,* a Graecis et Cajetano cum sequenti parte construitur, hoc modo: Ad hoc, *ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci;* id est, Christo commortuus sum per baptismum. At rectius Latini conjungunt verbis praecedentibus, id enim exigit antithesis inter illa, *mortuus sum* et *vivam;* ut sensus sit, *legi mortuus sum,* sed felici admodum morte; quia ad hoc mortuus sum, *ut vivam Deo* per veram justitiam. Et haec nova vita est, quam alibi veteri vitae opponit; sicut novum hominem veteri. Congruit hic locus cum illo Rom. 7. *Mortificati estis legi per corpus Christi; ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.* Hoc ergo, quod sequitur, *Christo confixus sum cruci;* vel ut est in Graeco ad verbum, *Christo confixus sum,* id est, una cum Christo crucifixus sum: separata sententia est, qua declarat, quomodo et per quid legi mortuus jam Deo vivat.

Sunt autem haec verba cum sequentibus Apostolici affectus plena; quibus hominis per Christum justificati personam in se transferens Christi beneficium magnifice exaggerat; quo magis appareat, quam stulte egerint Galatae, qui a Christo ad legem se passi fuerint adduci. Sensus est: Quemadmodum Christus cruci affixus hac mortali vita defunctus est; ita et ego per baptismum, qui mortis Christi similitudi-

nem gerit, mortuus sum legi; sic ut illa mei respectu jam extincta sit, nihilque juris in me habeat. Quod hic de lege dicit, id Rom. 6. similiter dicit de peccato; est enim eadem ratio, quatenus *lex virtus est peccati*, ut ipse ait 1 Cor. 15. Verba ad Romanos sunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati; ut ultra non serviamus peccato*, et quae sequuntur.

20. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Hoc ad Rom. 6. dicitur hujusmodi verbis: *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.* Sensus hujus loci est: Per baptismum Christo commortuus, vivo nunc per veram justitiam; vivo, inquam, non ego, id est, non vetus ille homo qualis eram; vel, vivo non ego, hoc est, quod jam vivo vita justitiae, ex meipso non habeo, *sed vivit in me Christus*, id est, Christus, qui a morte resurrexit ad vitam, mihi totius vitae meae spiritualis, hoc est, omnis justitiae autor est; totum quod vivo illi debeo, qui in me vivit et efficax est per gratiam suam. Simili locutionis modo dictum est a Domino Matth. 10. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Igitur ex hoc loco discimus, uti bene Sasboldus annotat, opera justorum non tam ipsorum esse, quam Spiritus Christi, mentes eorum inhabitantis. Unde nec mirum, quod digna sint vita aeterna.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. In Graeco emphasis est propter articulum postpositum; quasi dicat, *in fide vivo*, illa, inquam, fide, quae est in Filium Dei, ubi et *Filii* et *Dei* suos habent articulos, quo vehementior sit sermo. *Vivere in carne,* hoc loco non est secundum carnem vivere, quomodo scriptum est Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt,* sed idem est, quod vivere mortali hac vita, sicut accipitur Phil. 1. *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est.* Unde 2 Cor. 10. utrumque distinguens, ait: *In carne ambulantes non secundum carnem militamus.* Itaque sensus est: Quod in carne hac mortali, variis obnoxia tentationibus, juste vivo, non legi acceptum fero, sed fidei, quam habeo in Christum Filium Dei. *Justus enim ex fide vivit.*

Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Id est, qui me, servum peccati, et pressum onere legis, per quam a peccato liberari non poteram, nihil tale merentem dilexit, non divina tantum ab aeterno dilectione quatenus Deus est, sed etiam humano affectu, quatenus homo; et, quod argumentum est excellentissimae dilectionis, semetipsum in mortem tradidit, ut me a morte redimeret ac vitae restitueret. Christianae gratitudinis est, Christum fateri non solum pro omnibus electis in mortem se dedisse; sed ita Christi beneficium, quod multis commune est, interpretari, ut quisque sibi persuadeat, eum pro se proprie passum et mortuum. Quemadmodum hoc loco facit Apostolus, per hoc ostendens, inquit Theophyl., quod tantam oporteat unumquemque gratiam reddere Christo, quantam, si pro ipso solo mortuus esset, exhiberet. Neque enim, quod Chrysost. in commentario significare videtur, haec, quae a Paulo dicuntur, ad solam ipsius personam pertinent: sic enim non usque adeo facere viderentur ad praesentem disputationem, cum in Paulo quaedam peculiaria considerari possint, ut quod antea persecutor fuerit et blasphemus etc., sed de se loquens vult idem intelligi de quolibet justo.

21. *Non abjicio gratiam Dei.* Haec pars epiphonematis speciem habet, quo jam concludit ea, quae de gratia Dei praedicanda disseruit. Graece: *non rejicio, repello, aspernor gratiam Dei.* Augustinus legit, *non irritam facio gratiam Dei.* Ambrosius, *non sum ingratus gratiae Dei.* Ad quam lectionem alicubi alludit etiam Augustinus, ejusdemque meminit Thomas in commentario. *Gratiam Dei rejicit, qui vel ad remissionem peccatorum obtinendam, vel ad justitiam consequendam, gratiam Dei negat esse necessariam.* Utrumque negabant

Judaei, contra quos agit Apostolus; solum autem posterius a Pelagio haeretico negabatur, qui peccatorum quidem veniam non nisi Christi beneficio nobis contingere fatebatur, sed vitam bonam et justitiam in libero cujusque arbitrio positam adjuncta legis cognitione, juxta suam haeresim asserebat. Dicit ergo Apostolus, tanto affectus beneficio a Christo Filio Dei: *non sum tam ingratus, ut gratiam Dei per Christum mihi oblatam atque impensam repudiem.* Id est, absit a me tam detestabilis ingratitudo, in quam utique incurrerem, si a lege justitiam exspectarem. Quod probat verbis sequentibus, deductione ad incommodum:

Si enim per legem justitia; ergo gratis Christus mortuus est. Gratis, id est, frustra et absque necessitate. Nam si, inquit, aliunde quam per Christi mortem, ut per opera legis, obtineri potest justitia; quid necesse erat, Christum mori? Neque enim satis idonea et magna causa esse potuit moriendi Filio Dei, quando sine ejus morte justitia et salus contingeret, aditusque pateret ad vitam aeternam. Atqui frustra mortuum Christum qui fatetur; gratiam Dei repellit, eidemque ingratus existit. Sub morte totam Christi passionem intellige; frustra enim passus est, si sine ejus passione redimi et justificari potuit homo.

Quaeret aliquis, cur non similiter dici possit, si per sacramenta, justitia; ergo gratis Christus mortuus est. Respondeo, de sacramentis veteris legis idem omnino dicendum: nam et ea hic comprehendit Apostolus, ac speciatim circumcisionem; idemque Hebr. 10. sic ait: *Impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* Verum de sacramentis novae legis alia ratio est; haec enim, ut talia, gratiam continent et instrumenta sunt, per quae meritum mortis Christi nobis applicatur. Lex autem vetus, ut talis, per se sine Christo consideratur, et contra gratiam dividitur, id quod etiam ex epistola ad Hebraeos manifestum est. Unde Judaizantes, adversus quos disserit Paulus, solam legem sibi ad justitiam sufficere arbitrabantur; tantum opus esse, ut eam propositam et cognitam viribus liberi arbitrii quisque exequatur. Christum autem, uti supra dictum est, recipiebant ut doctorem et exemplar justitiae; non ut redemptorem et datorem gratiae ac salutis. Illud hic addendum, quod sicut de lege verissime ait Apostolus: *si per legem justitia; ergo gratis Christus mortuus est,* ita verissime dicitur, si per naturam justitia: ergo gratis Christus mortuus est. August. contra Jul. lib. 4. cap. 3. De nat. et gr. cap. 9. et 40. De gr. et lib. arb. cap. 13.

CAPUT TERTIUM.

O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus praescriptus est, in vobis crucifixus[1])? 2. Hoc solum a vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei[2])? 3. Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? 4. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa[3]). 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? 6. Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam[4]). 7. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae[5]).

---

[1]) Cap. 5, 7. [2]) Act. 2, 38. [3]) Hebr. 10, 32. 88. [4]) Vers. 29. Rom. 4, 3. seq. 1 Mos. 15, 6. [5]) Luc. 19, 9. Rom. 4, 16.

8. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes Gentes [1]. 9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim [2]: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. 11. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est [3]: quia justus ex fide vivit [4]. 12. Lex autem non est ex fide, sed, qui fecerit ea, vivet in illis [5]. 13. Christus nos redemit de maledicto legis [6], factus pro nobis maledictum [7]: quia scriptum est [8]: Maledictus omnis, qui pendet in ligno: 14. ut in Gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem [9]. 15. Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. 16. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus [10]. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno [11]: Et semini tuo, qui est Christus. 17. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo: quae post quadringentos et triginta annos [12] facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. 18. Nam si ex lege haereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit Deus [13]. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est [14], donec veniret semen, cui promiserat [15], ordinata per angelos [16] in manu Mediatoris. 20. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. 21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit! Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset justitia [17]. 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus [18]. 23. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat. 24. Itaque lex paedagogus [19] noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur [20]. 25. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo [21]. 26. Omnes enim filii Dei estis per fidem [22], quae est in Christo Jesu. 27. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis [23]. 28. Non est Judaeus, neque Graecus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque foemina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu [24]. 29. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes [25].

---

1) 1 Mos. 12, 3. 18, 18. 2) 5 Mos. 27, 26. 3) Cap. 2, 16. Rom. 3, 21. seq. 4) Cap. 10, 5. Hab. 2, 4. 5) 3 Mos. 18, 5. 6) Joan. 1, 17. Rom. 10, 4. 7) 2 Cor. 5, 21. 8) 5 Mos. 21, 23. 9) Eph. 1, 13. 10) 1 Mos. 22, 18. 11) Rom. 9, 7. 12) Act. 7, 6. 13) Rom. 4, 14. 14) 1 Tim. 1, 8—10. 15) 2 Cor. 3, 11. 16) Act. 7, 38. 53. Hebr. 2, 2. 17) Act. 13, 39. Rom. 8, 2. seq. 18) Rom. 3, 23. 24. 11, 32. Ps. 13, 3. 19) Vers. 19. 20) Rom. 7, 6. 10, 4. 21) Rom. 6, 14. 22) Rom. 8, 15. seq. 23) Joan. 17, 23. Rom. 6, 3. 4. 24) 1 Cor. 12, 12. 13. Col. 3, 11. 25) Rom. 9, 8.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Ostendit Abrahae exemplo, gentes exspectare debere justitiam non ex lege, sed ex promissione et fide: Legem autem fuisse paedagogum ducentem ad Christum.

1. *O insensati Galatae. Insensati*, id est, stulti; quomodo legit Augustinus. Graeca dictio ἀνόητοι significat *stupidos*, vecordes, qui quod oportet non intelligunt. Eadem vox, quae apud Lucam 24. in verbis Christi ad discipulos: *o stulti et tardi corde*, ubi posterius est prioris explicatio. Sicut autem in illis Christi verbis non fuit maledicentiae vitium, sed correptionis acrimonia, cum studio corrigendi; sic et in hac objurgatione Pauli, praesertim quod Galatae, si beato Hieronymo credimus, vitio gentis indociles essent et ad sapientiam tardiores: ideoque, sicut idem Hieron. in praefat. scribit, increpandi magis quam docendi. Quare nihil hic a Paulo factum contra illud, *qui dixerit fratri suo fatue:* quo convitium irascentis prohibetur, non increpatio corrigentis. Convertit autem ad Galatas sermonem Apostolus cum increpatione; quia jam ex superioribus liquet, quam stulte egerint a Christo declinantes ad legem: ut merito dixerit eis: *miror, quod sic tam cito transferimini* etc.

Quis vos fascinavit non obedire veritati? Pro *obedire,* multi codices habent *credere:* atque ita vertisse hoc loco interpretem, affirmat Hieronymus exponens illud 5. capitis: *quis vos impedivit, veritati non obedire?* Verumtamen idem Hieronymus praesentem locum enarrans, submovet totum illud, *non credere veritati;* eo quod in exemplaribus Adamantii non habeatur. Et rursus ad 5. caput annotat, in vetustis codicibus ea verba non haberi. Licet, inquit, et Graeca exemplaria hoc errore confusa sint, quod tamen non de omnibus, quae tunc extabant Graecis exemplaribus accipiendum, sed de multis, qualia sunt et quae hodie in manibus habentur.

Alioqui, nec apud Chrysostomum illa verba leguntur: ut nec apud posteriores Graecos Pauli interpretes: quemadmodum ex eorum commentariis satis colligitur. His adde Latinos Augustinum, Ambrosianum, Primasium, Sedulium, Haimonem et Scholiastem Hieronymi titulo, nec non MSS. codices nonnullos, denique Syriacam editionem. Verosimile est autem, huc adscriptum fuisse illud additamentum ex 5. cap. idque jam olim ante Hieronymi tempora. In Graecis nostris codicibus utroque loco idem verbum legitur; quod aptius vertas, *acquiescere,* quam vel *credere,* vel *obedire.*

Porro de fascino multa scribit Hieronymus in commentario: nec pauciora Thomas, qui duplicem distinguit fascinationem. Unam, qua sensus adhibitis praestigiis quibusdam ludificatur: ut aliud pro alio appareat; veluti cum homo apparet cornutus, aut pro homine lupus, quod quidem ad artem magicam pertinet. Alteram, qua quis ex maligno oculorum intuitu laeditur. Id quod maxime contingere solet pueris aetate adhuc tenera, dum ex vetularum urenti et invido aspectu languescunt, et ad vomitum provocantur. Cujus rei naturalem causam idem doctor eodem loco diligenter investigat, tametsi et ad hujusmodi effectum fatetur operam daemonum quandoque admisceri, quod et Hieronymus annotavit.

Juxta hoc igitur bifariam hic locus exponi potest. Uno modo: quis ita menti vestrae, velut praestigiator, falsis persuasionibus illudere potuit, ut veritatem ante oculos positam, et paulo ante cognitam atque receptam, jam non videretis, sed pro ea aliud Evangelium, quod non est aliud, amplecteremini? Altero modo: Quis ita felicitati vestrae, tanquam fascinator invidit, ut oculos mentis, quibus nuper Christum fide cognitum recepistis, malevolo adspectu atque inspiratione Judaici erroris inficeret; vosque salutaris doctrinae cibum stomacho nauseante revomere cogeret? Hunc sensum Hieronymus tradit, a quo non adeo multum recedunt Graeci, dum verbum Graecum

βασκαίνειν pro eo, quod est invidere, positum interpretantur. At priori sensui magis videtur congruere, quod sequitur.

Ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus? Graece: *quibus ante oculos* etc. Item *proscriptus,* graece *praescriptus;* et ita legisse Hieronymum, ex ejus commentario pene certa conjectura est, nec desunt Latini codices, qui ita legunt. Eam certe lectionem Clementina editio habet; *praescriptus* autem, id est, ante scriptus, est enim idem in Graeco verbum, quod bis legitur Rom. 15., ubi nos habemus, *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Unde commentarius de proscripto, id est, damnato apud Galatas Christo, quem Augustinus et Ambrosianus et alii Latinorum nonnulli adferunt, ad rem praesentem facere non videtur. Nam verbum graecum vix reperitur in ea significatione. Hieronymus praescriptum ante Galatarum oculos Jesum interpretatur, quod olim de ejus passione et morte ac caeteris ad eum pertinentibus multa, a Galatis perlecta, scripserint Prophetae.

Sed quia non est verosimile, Galatas, etiamnum in Christo parvulos, in Prophetarum libris admodum fuisse versatos; idcirco Graecorum expositioni libentius accedimus, quae hujusmodi est: Quis vos Galatas fascinavit? Quibus per meam praedicationem palam, velut in programmate ac tabula publica, unde de plano legi et aperte cognosci posset, propositus est Christus, perinde atque si apud vos esset crucifixus; ut non minus, imo vero magis ac certius illum crucifixum fidei oculis aspexeritis, quam multi eorum, qui coram viderunt eum crucifigi?

Illud tamen, quod addit Apostolus, *in vobis crucifixus,* multo aliter a Cajetano exponitur. *Crucifixus,* inquit, *in vobis,* hoc est, multa passus in vobis; eo scilicet modo, quo Christus Petro dixisse narratur, *vado Romam iterum crucifigi:* et quo Paulus dicit se adimplere *ea, quae desunt passionum Christi* Col. 1. Christus enim, etsi post resurrectionem impassibilis, adhuc tamen patitur in membris suis. Itaque secundum Cajetanum sensus est, quis vobis fascinavit non solum oculos, quibus Christum velut in tabula vobis depictum vidistis, sed et tangendi sensum, quo tam multa mala pro Christi nomine passi estis? Huic intellectui respondet, quod paulo post sequitur: *tanta passi estis sine causa?*

Rursus aliter hanc partem exponit B. Arias. *In vobis crucifixus,* inquit, per virtutem; quia passionis ejus virtutem in vobis experti estis per dona Spiritus S., quae in vos effusa sunt. Hic sensus consonat cum iis, quae sequuntur de Spiritu accepto. Verumtamen expositio Graecorum mihi planior videtur, et verbis Apostoli magis inhaerens: ut tota pericope sit hypotyposis quaedam signata, qua doceat, Jesu Christi crucem sic apud Galatas praedicatam, sic depictam fuisse: tanquam sub oculis eorum Dominus fuisset crucifixus.

2. *Hoc solum a vobis volo discere.* Premit Galatas rationibus aliquot interrogando propositis; ut dum non habent, quod respondeant, stultitiam suam agnoscere, et ab ea resipiscere cogantur. Vel hoc solum, inquit, mihi respondete; unum hoc vos interrogo. Nam qui interrogat et sibi responderi vult, quasi discere cupit. Alioqui proprie a Galatis, quos insensatos et stupidos vocat, et quorum ipse doctor erat, non quaerebat aliquid discere, sed interrogando voluit eos docere.

Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Spiritum intelligit sanctum, quem accipere dicuntur, qui dona ejus accipiunt. Quod vero noster interpres ad verbum reddidit, *ex auditu fidei,* hoc Erasmus et Hentenius, sensum reddentes, dixerunt, *ex praedicatione fidei,* scilicet audita et recepta. Nam et Graeca vox ἀκοή pro fama et narratione sumitur interdum apud profanos autores: LXX. vero interpretes ea leguntur usi pro obedientia 1 Reg. 16. in verbis Samuelis ad Saul. Quae significatio bene etiam huic loco convenit. Quaerit ergo Paulus: Unde Spiritum accepistis ope-

randi miracula et variis linguis loquendi? Num ex operibus legis? Quod dici nequit, quia spiritum accepistis antequam ad legem Mosaicam vos converteretis. An vero, quod restat, et negare non potestis, *ex fide Christi, quam audita praedicatione mea suscepistis?* Hinc concludendum, ergo stulte facitis, qui a fide Christi ad legem Mosis transire vultis. Unde et sequitur:

3. *Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? Stultos* hic vocat interpres, quos paulo ante *insensatos,* cum in Graeco sit idem nomen. Ambrosianus legit: *Sic sine intellectu estis?* Sed et pro eo, quod sequitur: *ut cum spiritu* etc. Ambrosiana lectio Graeco textui propius inhaerens, sic habet: *Incipientes spiritu, nunc carne consummamini?* Et quidem etiam nonnulli nostri codices habent, ut et textus Primasii, *consummamini,* quid quia non respondet particulae *ut,* videri potest, eam non fuisse scriptam ab interprete; quemadmodum nec in Graeco est, sed quasi desideraretur, ab alio adjectam. Verum prout Graeca sonant, ita legendum et distinguendum esset: *Sic stulti estis? qui spiritu coepistis, nunc carne consummamini?* Quamquam sensus eodem recidit, estque hujusmodi:

Adeone vecordes et insipientes estis, ut cum rectus ordo postulet, a carne ad spiritum progrediendum esse; vos contra, postquam incepissetis a spiritu, cujus charismata in vos effusa sunt, nunc consummationem sive perfectionem quaeratis a carnalibus legis ceremoniis, quas observare vultis, quasi illae vobis ad perfectionem desint, sicut falso persuasi estis a pseudoapostolis? Lex ceremonialis *caro* seu *carnalis* vocatur, quia tantum valebat ad justitiam et emundationem carnis, ut loquitur Apostolus Heb. 9., aut certe, quia carnalem populum, cui congruenter data fuit, ad spiritum elevare non potuit, sed in carne reliquit.

Nec contrarium est, quod Rom. 7. dicit: *Scimus, quod lex spiritualis est,* nam ibi non de ceremoniali lege, sed de morali sermo est; quae spiritualis dicitur, quoniam observata spiritualem reddit hominem; licet ejus observatio non a lege sit, sed a Spiritu sancto. Quidam partem hanc absque interrogatione legunt, ut et sequentem: sed vehementior est oratio cum interrogatione. Verbum Graecum ἐπιτελεῖσθαι significat etiam finiri. Et sic quidam exponunt hoc loco istud consummari, ut inchoatio opponatur non perfectioni, sed fini. Ita sensus est: Adeone dementes estis, ut cum a spiritu feceritis initium, desinatis in carnem?

4. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Graece *frustra? si quidem et frustra.* Quod autem ait *tanta,* graece τοσαῦτα, potest et de numero et de magnitudine intelligi. Sensus: Ergone tam multa et gravia pro Christi nomine frustra passi estis ac sine fructu? Revocat enim eos commemoratione eorum, quae pro fide Christiana perpessi fuerant, ne patientia illa reddatur eis inutilis, quod utique futurum erat, si a gratia Christi ad legem Mosis, id est, a spiritu ad carnem prolaberentur. Quod autem addit: *Si tamen sine causa,* correctio quaedam rhetorica est ejus, quod interrogando dixerat, *sine causa;* quasi dicat, sed spero meliora. Nam confido, vos redituros a lege ad gratiam, ut non frustra tot et tanta passi fueritis. Hic locus ostendit, id quod a Theologis traditur, bona opera subsequenti peccato mortificari, id est, infructuosa reddi, eademque rursus per poenitentiam vivificari. Quod si vero poenitentia non sequatur, frustra, quantum ad illos, qui ea fecerint, facta esse, ut qui fructum inde nullum unquam sint percepturi. Qua de re vide commentarium Hieron.

5. *Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Tribuit,* graece *subministrat* vel *praebet,* ut legit Ambrosianus. Itaque *tribuit* non praeteriti, sed praesentis temporis est: sicut verbum *operatur;* ita tamen ut haec verba, quae in Graeco participia sunt, intelligamus a tempore absolvi, et

proinde ad illud tempus referri, quo talia Galatis contingebant. Tametsi Hieronymus refert etiam ad tempus praesens, quando jam Evangelii veritatem Galatae deseruerant, atque ex eo docet, etiam a malis et haereticis, invocato Christi nomine, miracula fieri posse.

Sed verosimilius est, Apostolum ad praeterita tantum respicere. Sumit enim argumentum ab iis bonis, quae consecuti fuerant Galatae, ex fide Christi suscepta, sine legis ceremoniis; non ab iis, quae forte apud eos adhuc remanserant, postquam ad Mosem desciverant. Sic enim parum validum videretur Apostoli argumentum. Sensus igitur et collectio talis est: Deus, qui varia Spiritus sancti dona vobis impertiit, quique signa non vulgaria operatus est in vobis: utrumque id fecit, quia sectabamini opera legis, an vero quia fidem Christi vobis praedicatam receperatis? Prius dici non potest, quandoquidem lex erat tunc vobis incognita. Restat igitur, ut fidem gratiae Christi tantorum in vobis bonorum causam agnoscatis: a qua proinde ad legem transferri minime debuistis. Explicatio est et confirmatio superioris argumenti, quo dixerat: *Ex operibus legis spiritum accepistis* etc. Si enim Deus dederit spiritum, non ex operibus legis, sed ex fide: ergo et illi spiritum ex fide, non ex operibus legis acceperant.

6. *Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* In quibusdam codicibus tam excusis quam manuscriptis ita legitur: *Sicut scriptum est, Abraham credidit Deo* etc. Sed illud *scriptum est,* adjectitium esse, Graeca et Syra exemplaria monstrant, iisque conformis Hieronymi textus Latinus, cum plerisque nostris codicibus. In his enim non plus legitur, quam nos habemus. Quomodo et Ambrosium atque Augustinum legisse, colligitur ex eorum commentariis. Non ergo Scripturae testimonium allegat Apostolus, sed exemplum solum adducit, in quo tamen ipsius Scripturae verbis utitur, quae sunt Gen. 15. Tale est ergo, quod dicit: Sic Deus spiritum vobis subministrat et virtutes in nobis operatur ex fide et non ex operibus legis, sicut Abrahae non ex operibus legis obtigit justitia, sed per fidem, qua credidit Deo, etiam antequam esset circumcisus. Quaenam fides fuerit Abrahae reputata ad justitiam, et quo sensu reputata dicatur; item, quomodo sententia illa valeat ad docendum, quod etiam nobis ad justitiam fides imputanda sit; satis a me explicatum arbitror in comm. epist. ad Rom. cap. 4. Significat autem Apostolus, charismata spiritus non sine justitiae dono Galatis data fuisse. Neque enim in multitudinem aliquam effundebatur spiritus, quoad charismata, nisi simul effunderetur quoad justitiam, cui charismata serviebant, tametsi in singulis id non oporteat.

7. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.* Graecum γινώσκετε, ambiguum est ad *cognoscite et cognoscitis.* Posteriori modo legunt Ambrosianus et Hieronymus, et ante eos Cyprianus in epistola 63. ad Caecilium, quibus et manuscripti quidam Latini codices astipulantur. Utraque tamen lectio, quemadmodum bene Cajetanus ostendit, commodum sensum facit. Infert enim Apostolus ex eo, quod adduxerat exemplo Abrahae Patriarchae, cui fides ad justitiam fuit imputata, eos, qui ex fide justificati sunt, aut ex ea justitiam et salutem exspectant, (nam graece quamvis tantum sit, *qui ex fide,* supplendum tamen est verbum *sunt,* quod exprimitur vers. 10.,) esse filios Abrahae potius quam illos, qui justitiam ex lege quaerunt; eo quod Abrahae per imitationem assimilentur. Idque cognoscere et intelligere Galatas debere admonet. Simul autem carnales Judaeos perstringit, qui gloriabantur se Abrahae filios esse, quod ex eo secundum carnem essent progeniti. Quin potius, inquit, discite eos, qui justitiam ex fide quaerunt, esse filios Abrahae: quoniam ejus imitatores sunt. Hinc et Dominus ad Judaeos ait Joan. 8. *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.* Sed quia rudes Galatae dicere poterant: Quid nobis proderit, esse filios Abrahae? propterea

subjungit fructum benedictionis exspectandae, quae Abrahae promissa fuit.

8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus: praenuntiavit Abrahae. Providens*, graece προϊδοῦσα, id est, praevidens, cum praevidisset, vel quoniam praeviderat. *Praevidens*, etiam in textu Ambrosiano legitur: quamquam providere pro eo, quod est praevidere, etiam Latine dicitur. Adde, quod *praevidere* potest videri dictum pro eo, quod Theologis est providere, id est, praeordinare. Sic enim praecognoscere nonnunquam in Scripturis accipi constat, atque eo modo Theophylactus verbum hoc exponit.

Porro *Scriptura* pro eo, qui per Scripturam nobis loquitur, id est, Spiritu sancto, metonymice dixit Apostolus. Non enim ipsa Scriptura, quae res inanimata est, vel praevidere quidquam potuit, vel Abrahae quicquam praenuntiavit. Quod posterius nec ad ipsum Mosem, qui multo post Abraham fuit, potest referri; sed ad solum Deum. Jam nec simpliciter in Graeco est *praenuntiavit*, sed *praeevangelizavit*, id est, rem laetam ante nuntiavit ac promisit. Igitur sensus est: Quoniam praeviderat ac decreverat Deus, justificare gentes ex fide: idcirco ad hoc significandum in Scriptura narratur, jam olim annuntiasse Abrahae tanquam omnium credentium patri, ut rem laetissimam, hoc quod sequitur:

Quia benedicentur in te omnes gentes. Id est, *quod in te,* hoc est in semine tuo, sive ratione seminis ex te nascituri, benedictionem consequentur omnes gentes. Ubi *gentium* nomen generale est, Judaeos etiam comprehendens: sicut et in hujus versus parte praecedenti. Nam in Christo, qui est semen illud promissum, non est distinctio Gentilis et Judaei. Et quidem Genes. 12., ubi Scriptura, quam citat, originaliter habetur, in Hebraeo non est vocabulum significans gentes, sed familias, graece φυλαὶ. Unde Hieronymus ita vertit: In te benedicentur universae cognationes terrae. Tametsi aliis locis, ubi haec benedictio repetitur, ut Gen. 18. 22. et 26. nec non Psalm. 71. legitur in Hebraeo *gentes*, sed generali, ut dictum est, significatione, ut eaedem intelligantur gentes et familiae terrae.

Porro benedictionem non carnalem, sensu Judaico, sed spiritualem oportet intelligi, quae consistit in sanctitate et justitia et beatitudine vitae aeternae: quam accepturi sunt ex omnibus gentibus illi, qui audient a Christo: *Venite benedicti Patris mei.* Repetit autem Scriptura promissionem hanc Gen. 22. his verbis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quae posterior prioris explicatio est, juxta sensum jam datum. Nam et ad Isaac postea similiter atque eodem sensu dictum est Gen. 26. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.*

Alii tamen diversum aliquid significatum putant, Scripturam ab Apostolo citatam ita exponentes: *In te*, hoc est, ad tui similitudinem et imitationem, *benedicentur omnes gentes.* Sicut enim tu benedictionem et justitiam consequeris, sic et omnes gentes fidem tuam imitantes, et per hoc tui filii, similiter fide justitiam et benedictionem consequentur. Hunc sensum tradunt Augustinus et Theophylactus; eumdemque Cyrilli auctoritate confirmat Oecumenius. Imo sensum hunc exigere videtur illatio sequens: *Igitur qui* etc. Sed sciendum, in Genesi ante hanc promissionem, qua dictum est Abrahae: *benedicentur in te* etc., nihil legi de fide aut justitia Abrahae, ad quod hujusmodi expositio referri queat, et proinde minus germana nobis videtur haec interpretatio. Nostram vero, quam tradit Hieronymus, quam et ipse Oecumenius primo loco posuit, praeter alterum Scripturae locum similem, probabilem facit ipsius loci circumstantia, qua semen et posteritas Abrahamo promittitur.

Porro neminem offendat, quod loco verbi *benedicentur* in Hebraeo legitur *benedicent se,* tam Gen. 12. et 22., quam etiam Psalm. 71., ubi nos ex LXX. legimus: *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae.* Non enim, ut quidam putant, id solum significatur, gentes usuras

hujusmodi imprecatione: faciat tibi Deus, sicut fecit Abrahae et semini ejus: aut certe sibi optaturas similem cum illo et semine ejus felicitatem; sed plane significatur, futurum, ut gentes se benedictas, id est, beatas et felices agnoscant et praedicent propter semen Abrahae, quod est Christus, auctor benedictionis omnium gentium, quaecumque in eum crediderint. Ut proinde non multum differant haec duo, *benedicentur* et *benedicent se.* Quod intelligentes LXX. interpretes passive verterunt tribus locis supra dictis ἐνευλογηθήσονται *benedicentur*, quemadmodum et hoc loco a Paulo et Act. 3. a Luca refertur. Quare et Pagninus cum Gen. 12. vertisset: *benedicent se,* reliquis locis vertit *benedicentur.*

9. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Graece *benedicuntur,* Ambrosiano consentiente. Ac rursus tantum dicitur, *qui ex fide,* non addito verbo *sunt;* quod tamen, cum etiam graece exprimatur vers. 10., est hic quoque subaudiendum, ut et monuimus supra ad vers. 7. Continet autem haec illatio rationem sententiae superioris, qua dicebatur, Deum, significare volentem, quod gentes per fidem justificaturus esset, praenuntiasse Abrahae, quod in ipso benedicendae essent omnes gentes. Ea ratio est, assimulatio gentium cum Abraham in eo, quod illum benedictione dignum reddidit, id est, in fide. Sic ergo ratiocinatur Apostolus: Abrahae facta est promissio, quod in ipso benedicerentur omnes gentes; at Abraham ipse per fidem, qua promissioni credidit, Deo placuit, et benedictionem promeruit; ergo quicunque ex fide justitiam et benedictionem exspectant, eam cum Abraham, qui Deo credidit, assequuntur: non autem illi, qui sunt ex operibus legis. Quod jam docet verbis sequentibus:

10. *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Quasi dicat: Qui vero opera legis sectantur, et ex iis justitiam exspectant, usque adeo promissae benedictionis exsortes sunt, ut etiam maledictioni sive exsecrationi sint obnoxii ac punitione digni. Hoc siquidem est *sub maledicto esse.*

Scriptum est enim. In ipsa lege Deut. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Observat Hieronymus, in Hebraeo non addi signa universalia, *omnis* et *omnibus,* sed nec ea legi apud interpretes, praeterquam apud solos LXX. Refert autem, Samaritanorum Hebraea volumina hac in re cum LXX. interpretibus concordare: unde suspicatur, Judaeos, quod viderent, se non posse omnia legis praecepta, quae innumera erant, observare, ne propter hoc sub maledicto esse viderentur, erasisse ex Hebraeis codicibus illa signa *omnis* et *omnibus,* praesertim, inquit, quod Apostolus vir Hebraeae peritiae, et in lege doctissimus, illa verba, quasi sensui suo necessaria ad probandum illud, quod *quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt,* nunquam protulisset, nisi in Hebraeis voluminibus haberentur. Sed hoc argumentum non convincit. Nam ut in disciplinis, sic et in legibus, indefinitas propositiones universalem habere sensum in confesso est. Exempla passim obvia sunt, etiam in lege Mosaica, nominatim Exod. 21. et 22.

Hoc igitur attendentes LXX. interpretes universale signum, quod in sensu verborum latebat, expresserunt. Idque similiter esse factum ab iis, qui Samaritanis Hebraea biblia communicarunt, existimandum est.

Nec sane verisimile est, ob causam ab Hieronymo commemoratam codices a Judaeis fuisse corruptos: cum utique non ignorarent, eam audaciam nihil sibi profuturam ad evadendum legis maledictum, ac futurum potius, ut tanto scelere maledictum sibi conduplicarent. Deinde qui convenit, ut propter multitudinem praeceptorum, quae lege Mosaica continebantur, in tantum sibi metuerint a maledicto, ut de verbis legis aliquid abradendum putarent; quando ipsi tam multa alia secundum suas, quas vocant, Deuteroses observanda legi superaddiderint?

Omitto quaerere, quando Judaei seu Judaeorum magistri conspiraverint in tale facinus. Nam id factum oportuit post tempora Pauli, si is allegavit testimonium sicut in Hebraeis voluminibus legerat. Atqui ab eo tempore Judaei magis magisque dispersi fuerunt per nationes, iidemque passim in urbibus celebrioribus suas habebant Synagogas, in quibus Scriptura per omne sabbatum legeretur. An ergo credibile est, una conspiratione ac pari consensu factum, ut per omnes Synagogas legem patriam a Deo sibi traditam, quam mordicus semper retinuerunt, et pro qua toties periclitati fuerunt, aliqua verborum mutilatione seu qualibet mutatione corrumperent? Denique si Judaei voculas illas, de quibus nunc agitur, abraserunt: cur eas Hieronymus in sua versione non restituit, ut integram nobis Scripturam daret?

Dices, eum aliud vertere non potuisse, quam quod reperit in Hebraeo. Dicam et ego, quod ille ex Hebraeo transtulit, et in Ecclesia legitur, sicut usque hodie in Hebraeis codicibus habetur, id nobis tenendum esse citra suspicionem rasurae, ubi nulla probabilis ratio suadet, ut credamus quidquam esse sublatum. Nam ex supradictis arbitror satis apparere, Hieronymi suspicionem, quod salva tanti doctoris autoritate dixerim, tantum esse suspicionem, non veritatem. Est igitur citati testimonii sensus: *Omnem eum esse maledictum*, id est, execrabilem et poenis a lege comminatis obnoxium ac devotum, *qui non perseveranter omnia faciat*, atque observet, *quae lex praescribit* observanda. Nam ut ait Jacobus Apostolus cap. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Censetur autem omnia facere, qui a fine legis non aberrat, id est, qui moraliter contra legem non peccat.

Alii sic exponunt, eum omnia facere, qui sine exceptione servat ea legis mandata, quae continent substantiam vitae, ac de his similiter memoratam Jacobi sententiam interpretantur. Explicat enim ille seipsum de praeceptis decalogi, quorum utique mortalis esse solet transgressio. Cujusmodi item sunt omnia, quae in maledictionibus a Mose exprimuntur Deut. 27. Sciendum tamen, inter illas maledictiones quaedam nominari peccata, quae non expresse prohibentur decalogo: ac rursum interdum peccari contra aliquod decalogi praeceptum citra mortalem culpam.

Quapropter id, quod prius dixi, potius sequendum est. Nunc argumentationem Apostoli consideremus, quae talis est: *Maledictus est, quicunque non permanserit in omnibus, quae lex praecipit: at quicunque ex operibus legis sunt, non permanent in illis omnibus: ergo quicunque sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt.* Hujus syllogismi minorem Apostolus non enuntiat, sed intelligendam relinquit. Et quoniam non eam concessuri erant adversarii, sed dicturi se permanere in omnibus praeceptis legis, ideoque nihil ad se maledictionis sententiam pertinere, idcirco tacitam istam subsumptionem verbis subjunctis probat:

11. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit.* *Quoniam* pro *quod*, sicut in Ambrosiano: et pro *vivit*, verior lectio futuri *vivet*, quemadmodum et ad Rom. 1. annotavimus. Sic enim etiam hoc loco Graeci Syrique codices, et ex nostris optimi quidam habent; sic et Hieronymus legit. Nec in Graecis ea dictionum affinitas est, quae in Latinis, ut facile possit per errorem altera pro altera scribi. Sensus est: Neminem vero per legem justificari apud Deum, hoc argumento manifestum est, quia teste Propheta *justus ex fide vivet.* Itaque probat Apostolus, eos, qui ex operibus legis sunt, non facere ea, quae scripta sunt in lege: quia ex lege nemo justificatur coram Deo. Et hoc rursum probat ex Scriptura prophetica: de cujus sensu videnda sunt, quae pro ejus explicatione diximus ad Rom. 1. Eodemque pertinet, quod ait hujus epistolae cap. 2. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo*

Filii Dei. Declarat enim ille locus, ex ea fide praecipue, quae est in Christum Filium Dei redemptorem ac propitiatorem nostrum, vivere justum, quatenus justus est, id est, ex ea justitiae suae vitam omnem haurire: quia quod justus est, et juste operatur, et justus permanet, habet ex hac fide tanquam radice, ex qua nascatur; et tanquam fundamento, cui innitatur tota ejus justitia. Nam Deus ordinavit, non justificare nisi credentes in Christum Filium suum unigenitum, mediatorem ac redemptorem; vult enim, beneficium redemptionis et justificationis agnosci per fidem.

Ex eodem loco refellitur illa distinctio propheticae sententiae, cujus Hieronymus tantum meminit, quamque sequitur et nimis diligenter inculcat Cajetanus, nam et Rom. 1. eam tradit et Heb. 10. repetit, scilicet ut legatur *justus ex fide,* deinde commate interposito sequatur *vivet,* quasi dicat Apostolus: Qui ex fide justus est et non ex operibus, is absolute vivet. Refellitur, inquam, quia Apostolus illud *ex fide* cum verbo vivere manifeste conjungit, affirmans se vivere ex fide Filii Dei cap. 2. hujus. Atque hoc modo citatam ab Apostolo propheticam sententiam omnes interpretes acceperunt.

Porro notandum est, Apostolum superioris syllogismi minorem non ex eo probare, quod jugum legis ob multitudinem praeceptorum, maxime ceremonialium, fuerit supra modum grave, Petro attestante, *quod neque nos,* inquit, *neque patres nostri portare potuimus* Act. 15. Quam probationem nonnulli huc adferunt minus recte. Nam eo non obstante sancti Patres veteris testamenti permanserunt in omnibus praeceptis legis, ut qui a maledictione fuerint liberi. Adde, quod Moses illo Deut. loco, quo maledictiones recenset, nullam ceremonialium praeceptorum facit mentionem, sed tantum moralium. Itaque solidiorem fecit Apostolus probationem ex testimonio Scripturae.

12. *Lex autem non est ex fide.* Complementum est argumentationis superioris et consequentiae probatio. Nam quia respondere quis poterat, legem et fidem quoad effectum justitiae inter se non pugnare, sed ex utraque justitiam peti posse, hoc enim Judaizantes docebant, ideoque testimonium Prophetae nihil adversum se facere: responsioni hujusmodi Paulus occurrit, dicens: *legem non esse ex fide,* hoc est, opera ex lege facta non posse esse opera fidei. *Si enim ex lege justitia, jam non ex fide, sed gratis Christus mortuus est.*

Sed qui fecerit ea, vivet in illis. Sententia haec etiam Rom. 10. legitur, et desumpta est ex Lev. cap. 18., tametsi Hieron. hujus loci immemor, eam referat ad locum Ezech. 20., ubi simile quid dicitur. Et quia de ejus intellectu plene disseruimus in explic. epist. ad Rom. tantum hic repeto, sensum illum a multis receptum: Qui fecerit ea, quae lex praecipit, ita saltem ut illam manifesto opere non transgrediatur; per ea legis opera supplicium mortis evadet, vivetque vita temporali: non esse consentaneum sermoni Scripturae, quae legis observationem nominans, de vera legis obedientia ubique et maxime in ipsa lege loquitur: ac nominatim in eo, quod paulo ante Apostolus ex lege citavit: *Maledictus omnis, qui non permanserit etc., ut faciat ea,* ubi relinquebat assumendum, illos, *qui ex operibus legis sunt, non facere ea:* quemadmodum ibi diximus.

Verus igitur intellectus est de vera et in Scripturis laudata legis obedientia. Quocirca sic Apostolum intellige: *Lex autem non est ex fide: tametsi qui fecerit ea, quae lex praecipit, ex eorum observatione vivet vita justitiae, veraeque salutis,* quia *factores legis justificabuntur* Rom. 2. Et dictum est a Domino: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sed ex lege praecepta legis implere et in iis vivere nemo potest; hoc enim non fit nisi per fidem: quia justus ex fide vivet.

13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Cum dixisset Apostolus, eos, qui sunt ex operibus legis, sub maledicto esse, nec

per legem inde eximi posse: pergit nunc ostendere, per quem, et qua ratione a maledicto liberari queamus, et promissam benedictionem consequi: scilicet per Christum, si in eum credatur. *Christus*, inquit, *nos* tam Judaeos quam Gentiles *redemit a maledicto*, sive execratione *legis* id est, a poena, quam lex cum execratione minatur, dicens: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus* etc. Praestitit autem id nobis Christus, *dum factus est ipse pro nobis maledictum.* Hoc quo sensu dicatur, cum dure sonet, Christum factum esse maledictum et execrationem, atque ex eo non intellecto olim quidam fideles errandi, infideles autem calumniandi ceperint occasionem, uti liquet ex Hieronymi et Augustini commentariis: petendum ex subjuncta probatione:

Quia scriptum est, Deut. 21., *maledictus omnis, qui pendet in ligno.* In Hebraeo legitur hoc solum, *maledictio Dei suspensus.* Et eo modo Theodotionem et Aquilam vertisse, Hieronymus affirmat. Nam quod Symmachus et eum imitatus Pagninus interpretandum putarunt, propter blasphemiam, seu maledictionem Dei, suspensus est, neque fonti Hebraeo respondet, neque convenit cum citatione Apostoli, ac proinde rejiciendum est praesertim, quod non appareat solis in Deum blasphemis supplicium crucis ac patibuli decretum fuisse, quandoquidem et latrones una cum Domino crucifixi leguntur, et in lege blasphemus non crucifigi, sed lapidari praecipitur Levit. 24.

Porro LXX. sic verterunt: *Maledictus a Deo omnis, qui pendet in ligno.* Hos Apostolus secutus videtur, nisi quod loco participii nomen verbale posuit, quod execrabilem sonat. Nec addidit *a Deo,* quam particulam quo consilio omiserit, incertum est: cum sic potuerit Christum dicere maledictum a Deo, quomodo dixit alibi, eum factum a Deo peccatum. *Eum,* inquit, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* utique Deus, 2 Cor. 5. Quod autem Hieronymus existimat, veteres Hebraeorum libros non habuisse Dei nomen, et post passionem Christi tam in Hebraeis quam nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum meledictum a Deo credimus: id nullo modo verisimile est, licet in eam opinionem etiam S. Thomas autoritate Glossae, ex Hieronymo sumptae, fuerit inductus. Neque enim vel unus vel plures Judaei potuerunt libros tot interpretum, quos ipse Hieronymus allegat, quique in manibus Christianorum versabantur, adscripto Dei vocabulo corrumpere, sic ut nulla sincerae lectionis vestigia usquam exstarent.

Potius arbitror, Dei nomen studio praetermissum ab Apostolo, ne atrociori sermone, quo Christus a Deo maledictus diceretur, imbecilles animi Galatarum offenderentur. Sensus autem citati testimonii ex loco Deut. quaerendus est, ubi sic legitur: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam* etc. Cui sane loco sensus hic aptissime congruit, eum, qui suspenditur in patibulo, maledictum esse a Deo, id est, execrabilem Deo, propter peccatum, quo supplicium tale meruit; ut propterea corpus ejus non diu relinquendum sit in hominum conspectu, pendens in cruce, sed eadem die removendum ex oculis et obruendum terra.

Dices, si hic est sensus: nihil ergo ad Christum, utpote peccati omnis expertem, haec Scriptura pertinet. Respondent nonnulli, proprie quidem testimonium hoc Scripturae de sceleratis agere, sed quadam extensione ad Christum accommodari, qui maledictus a Deo dicatur, non propter sua, quemadmodum illi, qui secundum legem crucifigebantur, sed propter aliena peccata: quatenus nimirum Deus in illo nostra peccata, quasi ipse peccasset, punivit et expiavit: secundum illud

Propheticum: *posuit in eo iniquitatem omnium nostrum* Jes. 53.

Verum hac extensione Scripturae nihil opus est. Non enim affirmat Apostolus, Christum illa sententia comprehendi, sed tantum ex ea probare vult, *Christum factum esse maledictum similitudine quadam.* Si enim maledicti et execrabiles erant Deo, qui pro suis sceleribus suspendebantur in ligno: Christus igitur, sicut assumendo naturam mortalem, venit in similitudinem carnis peccati: ita suspensus in cruce sustinuit similitudinem maledicti, de quo loquitur Scriptura Deut.

Dicitur ergo *factus pro nobis maledictum,* quia pro nostra redemptione ac salute crucifixus, similitudinem gessit hominis a Deo maledicti, et pro tali reputatus est ab hominibus, juxta quod apud eundem Prophetam eodem capite legitur: *Cum sceleratis reputatus est.* Hunc intellectum confirmat alter ejusdem Apostoli locus, quem supra citavimus, quo *Christus pro nobis factus dicitur peccatum,* id est, ob poenam peccatoribus similis et pro tali reputatus. Nec ab hoc sensu discrepant Hieronymi, Augustini et Graecorum commentarii, si propius inspiciantur.

14. *Ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu. In gentibus,* graece *in gentes* vel *ad gentes.* Referenda est haec pars ad illud praecedens: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hoc ideo, inquit, ut benedictio Abrahae promissa, quae totam hominis renovationem et beatitudinem complectitur, ad gentes veniret et in iis compleretur per Jesum Christum. *Gentium* nomen hoc loco generale est, Judaeos etiam comprehendens, ut et in verbis promissionis. Notanda quoque antithesis inter maledictum et benedictionem; licet ea minus appareat in Graeco.

Ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Explicatio est membri praecedentis. Neque enim *pollicitationem Spiritus* dicit, tanquam promittentis, ut quidam exponunt, sed tanquam rei promissae. Sensus enim est: Ut per fidem, qua in Christum credimus, acciperemus Spiritum sanctum nobis promissum, hoc est, spiritum charitatis et adoptionis filiorum Dei: non spiritum servitutis in timore, quem, qui sub lege erant, acceperant. Ostendit hic locus, eandem esse promissionem benedictionis factam Abrahae et promissionem Spiritus sancti per Prophetas annuntiatam, quantum quidem ad rem promissam attinet: ideoque benedictionem illam Abrahae promissam spiritualiter intelligi oportere.

15. *Fratres, secundum hominem dico.* Alio nunc argumento docet, ex lege non esse justitiam, eoque sumpto a ratione humana. Hoc est enim, quod ait: *Secundum hominem dico,* id est, humano more loquor, a rebus humanis exemplum adfero, si minus capitis rationes sublimiores.

Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. Spernit, rectius ex Graeco *rejicit.* Textus Ambros. ordinem verborum immutat, hoc modo: hominis testamentum confirmatum tamen nemo irritum facit aut superordinat. Quae lectio sensum hunc innuit: Testamentum hominis, si tamen confirmatum sit, rescindi non potest aut mutari. Placet hic sensus et constructio etiam Cajetano. Sed quia violentius est, dictionem *tamen* in principio positam eo usque trahi medio vocabulo praetermisso: magis probandum, quod alii dicunt, *tamen* pro *licet* positum esse, et proximo genitivo *hominis* adhaerere. Unde vertunt Erasmus et Hentenius: hominis licet testamentum etc.

Itaque sensus est: Testamentum licet humanum, modo comprobatum sit, et, ut loquuntur, autorizatum, hoc est, jure factum: nemo rejicere permittitur aut superordinare. *Rejicit,* qui quod factum est, plane convellit ac pro nullo habet. *Superordinat* autem, qui mutat aut innovat, sive addendo aliquid, sive demendo. Quidam *confirmatum* intelligunt *testamentum* per mortem; prout Hebr. 9. dicitur: *Testamentum in mortuis confirmatum est.* Sed Graecum vocabulum hoc loco positum magis exigit sensum,

quem diximus: tametsi verum est, Apostolum loqui de tempore, quo mortuus est testator. Dum enim vivit, ipsi mutare est integrum.

Porro ex hac proportione colligendum relinquit, multo minus testamentum, seu pactum, seu promissionem Dei posse a quoquam rescindi, aut mutari; cum necesse sit, divina firmiora esse humanis. Quae tacita conclusio novae propositionis loco intelligenda est, cui haereat sequens assumptio.

16. *Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus.* Graece: *Abrahae autem dictae* etc. Sensus: atqui *promissiones voce divina factae sunt Abrahae et semini ejus:* Abrahae quidem, et quia sermo promissionis ad eum factus est, et quia promissum est ei; semini autem ejus, et quoniam ei promissum est, et quia per illud promissiones erant adimplendae. Dicit autem *promissiones,* numero plurali, quia non semel, sed saepius facta est promissio: tametsi res principaliter promissa, hoc est, benedictio gentium, sit in omnibus eadem. Nominatim autem in promissionibus fit mentio seminis Gen. 12. 13. 15. 17. et 22.

Non dicit: et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: et semini tuo, qui est Christus. Hoc postremum: *Qui est Christus,* interpretatio est Apostoli, qua promissionem illam: *Et semini tuo,* de Christo docet accipiendam. Quaeritur, ad quem locum Geneseos Paulus in his verbis respiciat. Plerique putant ad cap. 22., ubi celebris illa promissio legitur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Sed obstat, quod Apostolus tam diligenter conjunctionem copulantem semel et iterum exprimit, cum ait, Deum promittentem non dixisse: *Et seminibus,* sed dixisse: *et semini tuo.* Quorsum enim conjunctionem, alioqui supervacaneam, ita studiose adderet, nisi respiceret ad aliquem scripturae locum, in quo illa expressa haberetur? Hujusmodi autem loca sunt Gen. 13. et 17., in quibus, terram Chanaam promittens, Dominus dicit: *Dabo tibi et semini tuo.* Quare huc potius Apostolum respexisse crediderim; eo maxime, quia dixerat: *Abrahae et semini ejus dictas fuisse promissiones;* quod distincte in his duobus fit locis, dicendo, *tibi et semini tuo;* non item, cum dicitur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Item quia infra dicitur, *donec veniret semen cui promiserat,* non, in quo promiserat.

Nec obstare puto, quod Apostolus *semen* interpretatur Christum; cum in duobus locis memoratis semen intelligi constet populum carnaliter ex Abraham nasciturum, utpote cui possessionem terrae Chanaan Dominus promittat. Nam et Gen. 22. secundum literam idem populus nomine *seminis* significatur; id quod palam ostendunt anteriora verba promissionis, quae sic habent: *multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam, quae est in litore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Post quae quidem verba continuo sermone sequitur illud: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Quod si ergo locus hic rectissime de Christo accipitur, qui pars erat futurus populi ex Abraham venientis, nihil prohibebit et in aliis duobus locis Christum nomine seminis per mysterium intelligi, qui regno suo spiritali omnes terras gentium erat possessurus. Quanquam dici potest, illud *et semini ejus,* posse ex phrasi Hebraea sic accipi quasi dictum foret, *de semine ejus,* quomodo Psalm. 3. legimus: *Multi dicunt animae meae,* id est, de anima mea. Est similis locutio saepe in aliis Psalmorum locis. Imo hoc ipso cap. vers. 19. talis expositio optime quadrat.

Verum hic alia non parva difficultas occurrit. Nam qua ratione Apostolus in vocabulo *seminis* urget numerum, dicens, non dixisse, *et seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno: et semini tuo:* cum *semen* Hebraeis sit nomen collectivum singulari numero multos comprehendens, nec usquam apud eos in plurali reperiatur, quantumcunque multos homines significare voluerint; ut et Hieronymus testatur? Ad hoc respondent,

frequenter etiam unum hominem per semen significari, quemadmodum patet ex ipsa Gen. 3. 4. 21. capitibus et ex aliis Scripturae locis. Oportere autem vel ex circumstantiis vel aliunde intelligi, num pro uno, an pro multis accipiatur.

Sed haec responsio praesentem difficultatem non tollit. Non enim dubium, quin *semen* aliquando de uno tantum homine dicatur in Scripturis: sed quaeritur, quomodo recte procedat Apostoli ratiocinatio, qua non ex circumstantiis aut aliunde, sed ex numero singulari docet unum, id est, Christum intelligi; cum numerus ille communis sit multis et uni: et quidem frequentius ad multos referatur. Nec si vel maxime multos comprehendere voluisset Moses, scripsisset: *seminibus,* sed *semini,* scilicet propter ejus vocabuli in Hebraea lingua proprietatem. Quaestionem hanc primus movit Hieronymus, nec plane solvit.

Magis facit ad nodum quaestionis solvendum, quod Aquinas et Cajetanus breviter annotarunt, Paulum eodem spiritu, quo promissio facta et Scriptura condita est, eam interpretari, quod ex numero singulari unus, id est Christus, fuerit significatus. Providit enim Spiritus sanctus vocabulum ejusmodi in Scripturis, ut per illud convenienter Christus significaretur. Nec praetermittendum, quod Augustinus in Christo vult significari omnes Christianos fide imitantes Abraham. Hi namque sunt illud semen, cui promissio facta est, cum Christus proprie sit semen, per quod promissio sit adimplenda: in quo tamen etiam illi omnes per unam fidem ad singularitatem rediguntur: ut loquitur Augustinus.

17. *Hoc autem dico.* Collectio est ex praemissis. Quasi dicat: Hoc igitur est, quod intendo, quod volo concludere. *Testamentum confirmatum a Deo,* graece *testamentum ante confirmatum a Deo in Christum.* Ambrosianus *in Christo. Quae post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.* Graece: *ad abolendam* sive *abrogandam promissionem.* Ordo et sensus est: Lex, quae post annos a promissione quadringentos et triginta demum accepit initium, non potest irritum facere testamentum seu pactum tanto ante firmatum ratumque factum a Deo atque in Christo praestandum, ut sic aboleatur et inanis reddatur Dei promissio.

Porro tota Pauli argumentatio ab eo loco, *tamen hominis confirmatum testamentum,* speciem habet syllogismi, estque hujusmodi: Pacta divina rata et firma esse debent, multo magis quam humana; atqui Deus iniit pactum cum Abraham et semine ejus promissa benedictione per Christum: ergo pactum illud debet manere firmum et inviolabile, nec per legem, quae multo post supervenit, abrogari potuit aut intercipi, quo minus per Christum impleatur. Id autem contingeret, si per legem esset benedictio, quae praestanda per Christum est promissa, quod declarant proxime sequentia Apostoli verba.

Sed prius hoc loco quaerendum, quid *testamenti* nomine significetur. Sane priori loco, ubi exemplum humani testamenti inducitur, proprie testamentum intelligi, id est, dispositionem hominis de eo, quod post mortem suam velit fieri, consensus est omnium interpretum. Nec id videtur in dubium revocandum. Hoc vero, ubi Deo testamentum attribuitur, constat non ita proprie sumi posse. Pro qua re notandum est, ubicunque in Scriptura veteris instrumenti LXX. scripserunt διαθήκην, quod Latinis testamentum sonat, in Hebraeo legi: Berith. Quo vocabulo pactum significatur. Unde et Aquila et caeteri interpretes, Hieronymo teste, non διαθήκην, sed συνθήκην, id est, pactum transtulerunt. Quanquam non ob hoc imperitiae arguendi sunt LXX. Siquidem διαθήκη, praeter testamentum, significat etiam interdum in genere pactum, conventum, pollicitationem; quemadmodum ex probatis autoribus ostendit Budaeus in commentariis linguae graecae. Quoniam autem LXX. interpretes usi sunt ea voce ad pacta significanda; hinc et Apostoli, quorum tempore non alia Graeca

sacrorum codicum editio exstabat, libenter eandem vocem eadem significatione usurparunt.

Itaque testamentum hoc, quod Apostolus Paulus dicit confirmatum a Deo, non dubitavimus pactum exponere, id est, promissionem Abrahae factam: sicut Apostolus se ipsum interpretatur. Nec ideo invalida est Apostoli argumentatio, in qua pro antecedente sumsit testamentum proprie dictum: nam quaecunque sunt Dei pacta et decreta, majorem habent firmitatem, quam quae apud hominis firmissima habentur, quale est testamentum. Unde a firmitate testamenti humani rectissime proceditur ad firmitatem cujuscunque pacti seu promissionis divinae.

Adde, quod promissio, de qua disserit Apostolus, etsi proprie testamentum non sit, merito tamen et hoc loco et in epist. ad Heb. testamentum vocatur, duplici ratione: tum quia, sicut ait Augustinus, quod mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium jam mutare non potest: hoc immutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam haereditatem Abrahae, praesertim accedente jurejurando, quo dixit: *Per memetipsum juravi* Gen. 22; tum quia respiciebat mortem Filii Dei et ab ea, ut a Patre praeordinata, certoque futura, jam inde ab initio firmitatem accipiebat. Plura de vocabulo testamenti legat, qui volet, apud Sasboldum in commentario: et nos plura in epistolam ad Hebraeos.

Jam quod ad numerum annorum attinet hic expressum ab Apostolo, breviter dicimus eam sententiam veriorem esse, et absque scrupulo tenendam, quae tempus hoc ducit ab initio promissionis Abrahae factae, usque ad legem datam in monte Sinai. Primum enim id omnino exigit intentio Apostoli hoc loco; nam urget annorum multitudinem a promissione usque ad legem, docens non potuisse per legem abrogari promissionem tot annorum veluti praescriptione jam ante firmatam. Quare ut vim adderet argumento, non ab aliquo posteriori principio, juxta quorumdam opinionem, sed a primo tempore factae promissionis annos numerare debuit. Deinde probatur id ex chronica supputatione totius temporis memorati, quam diligenter in suo commentario S. Thomas exsequitur, et ante eum Augustinus q. 47. in Exod. et lib. 16. de civit. cap. 24.

Praeter hos autem ita de hoc annorum numero sentiunt Josephus lib. 2. Ant. c. 6., Eusebius in chronico ad annum mundi 3260., Epiphanius in Ancorato, Severus historiae sacrae lib. 1., Rabanus, Liranus et Cajetanus in Gen. et Exodum scribentes. Item Joannes Driedo, Melchior Canus et alii plerique, ut taceam commentatores hujus loci tam Graecos quam Latinos, qui omnes in hanc eandem sententiam conveniunt.

Cui denique suffragantur Martyrologia, quae in Ecclesia leguntur, nominatim Romanum et Usuardi, quae ad diem 8. cal. Jan. a nativitate Abrahae usque ad egressum populi Israëlitici ex Aegypto, quando lex data est, annos numerant ferme quingentos. Nec vero pugnat cum hac sententia, quod Gen. 15. Dominus Abrahae praedicit posteriores ejus quadringentis annis servituros, quodque Exod. 12. tempus habitationis filiorum Israël in Aegypto scribitur fuisse quadringentorum et triginta annorum. Ex quibus locis Genebrardus et alii nonnulli sumpserunt occasionem errandi, ut putarent annorum numerum, de quo loquitur Apostolus, supputandum esse ab ingressu Jacob et filiorum ejus in Aegyptum: ex quo consequens sit, a promissione facta Abrahae usque ad legislationem multo plures annos intercessisse, nimirum septingentos aut circiter.

Sed ut omittam, quod LXX. Exod. 12. sic legunt: *In terra Aegypti et in terra Chanaan*, forte enim alterum hoc addititium est, respondendum est cum Augustino, Thoma aliisque supradictis autoribus, Scripturam iis locis non dicere, a quo tempore servitus aut habitatio filiorum Israël in Aegypto coeperit, sed tantum significare velle ad quod usque tempus perducta sit: haudquaquam exprimendo initium, a quo tempus illud supputandum

esset. Non semper enim in talibus Scriptura id exprimit. Exemplum apertum est 2 Reg. 15, 7. Hoc autem initium in re proposita secundum Apostolum et veram chronologiam multo altius repetendum esse, jam satis ostendimus.

18. *Nam si ex lege haereditas: jam non ex promissione.* Id est: Si benedictio Abrahae promissa et juxta promissionem a filiis ejus haereditanda per legem praestatur: non ergo jam ex pura et liberali Dei promissione per Christum exspectanda erit, atque ita per legem evacuabitur promissio. Quod fieri non posse superioribus verbis monstratum est. Convenit haec sententia cum illa praecedentis capitis: *Si per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Et expressius cum illa Rom. 4. *Si qui ex lege, haeredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio.*

Abrahae autem per repromissionem donavit Deus. Ex opposito consequentis, colligendum relinquit oppositum antecedentis. Atqui, inquit, ex promissione haereditas est, quia Deus non ex conditione legis, sed gratuito et irrevocabili dono dandam promisit haereditatem. Igitur haereditas, benedictio, justitia non est ex lege. Huc respicit Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 9. quando dicit, manere prorsus et impleri quotidie, quod Abrahae Dominus sine conditione promisit et sine lege donavit. Obiter autem nota, vulgatum interpretem hic et alias indifferenter ursurpare nomina promissionis et repromissionis, pro quibus in Graeco semper est idem vocabulum ἐπαγγελία.

19. *Quid igitur lex?* Ex dictis oritur haec quaestio: *Si enim haereditas ita ex promissione est,* ut non ex lege: cur igitur lex introducta est? quae utilitas legis aut quid omnino de lege dicendum? Respondet:

Propter transgressiones posita est. Graece *apposita* sive *addita est.* Augustinus legit *proposita.* Additam autem dicit, ne putetur lex promissioni successisse, eamque removisse. Igitur manente promissione lex adjuncta est et subinducta, idque *propter transgressiones,* scilicet coërcendas terrore et minis, ut saltem metu retraherentur homines a manifestis transgressionibus. Sic exponunt Hieron. et Chrysost. cum suis sequacibus.

Aliter Augustinus, qui *legem propter transgressiones* ostendendas, imo et quodammodo augendas, *positam* interpretatur; idque longe probabilius, si alia Scripturae loca consulamus. *Nam per legem cognitio peccati.* Rom. 3. Et: *ubi non est lex, nec praevaricatio,* cap. 4. Et: *peccatum,* inquit, *non cognovi nisi per legem* cap. 7. Ac rursus ibidem: *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et alia ejusdem loci, quae significant, per legem ex occasione augeri peccatum. *Virtus enim peccati lex,* 1 Cor. 15. Et: *litera occidit.* 2 Cor. 3. Quin vero legem ad hoc subintroductam esse, ut augerentur transgressiones, ejusdem ad Rom. epistolae cap. 5. diserte Apostolus affirmat, dicens, *legem subintrasse, ut abundaret delictum.* Cum quo loco ea, quae hic dicuntur, omnino conferenda sunt.

Ad eum intellectum invitat quoque Graeca lectio praesentis sententiae, quae ita sonat, quasi dicas: *transgressionum gratia,* vel, *transgressionum gratiam lex apposita est.* Quae lectio etiam est apud August. lib. 15. contra Faustum cap. 8. *Transgressionis gratia posita est.* Jam quod alicujus gratia fit, non fit ad ejus destructionem, sed profectum.

Neque tamen sensus est, augmentum et abundantiam peccatorum id esse, cujus gratia lex a Deo data fuerit, ut causam legis finalem, hoc enim esset Deo peccata adscribere, sed Deum lege lata permittere voluisse, ut homines suis viribus fidentes in legem impingerent, ejusque transgressores fierent, et legis occasione peccata augerent; quo sic infirmitatis suae convictus superbus eorum animus intelligeret, legem sibi ad justitiam non sufficere, sed ad eam consequendam potentiori remedio atque auxilio sibi opus esse, nempe gratia Christi.

Sensum hunc, praeter ea quae ex epistola ad Rom. adduximus, quam constat cum hac epistola ejusdem fere esse argumenti, probabilem insuper facit, quod hic statim quaerit: *Lex ergo adversus promissa Dei?* Et quod paulo post sequitur: *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Haec enim referuntur ad illud, quod dixerat, *legem positam propter transgressiones,* non minuendas aut coërcendas, sed augendas; sensu jam explicato. Vide etiam Augustinum lib. de gratia Christi cap. 8. De Spirit. et lit. cap. 6. Contra duas epist. Pelag. lib. 3. cap. 4. Item serm. 13. de verbis Apost. et epist. 89. Porro sensum Augustini bene admodum explicat S. Thomas in comm., ad quem studiosum lectorem remitto.

Donec veniret semen, cui promiserat. Graece ᾧ ἐπήγγελται, *cui promissum est,* aut *erat,* quemadmodum et legitur apud Hieronymum et commentatorem Ambrosianum, nec non apud Augustinum, tam in commentario, quam alias, ubi locum hunc allegat: ut lib. 3. de Trin. cap. 11. Syra quoque versio Latine reddita sic habet: *Donec veniret semen illud, cui facta est promissio.* Vide, quae de Graeca voce annotavimus ad illud Rom. 4. *Quaecunque promisit.* Sensus Apostoli est, legem introductam fuisse, non ut semper duraret, sed ad tempus, donec veniret semen, cui promissio facta erat, ut in eo benedicerentur omnes gentes, quod semen est Christus.

Ordinata per angelos. Legem veterem per angelos ordinatam, sive *dispositam,* ut legit Augustinus loco jam dicto, id est, angelorum opera seu ministerio digestam, scriptam, ac latam fuisse, testatur idem Apostolus Heb. 2., et Stephanus Act. 7. significat, et ipse Moses Deut. 33. dicens, cum Domino legem in monte Sinai ferente adfuisse Sanctorum millia; quos LXX. angelos interpretati sunt. Indicat ergo discrimen Apostolus inter legem et promissionem, quod lex angelorum ministerio lata fuerit; promissio per Christum praestanda, sicut infra dicitur: *Ut promissio ex fide Jesu Christi daretur.* Sic etiam ad Heb. 2. distinguit.

In manu mediatoris. Mediatorem hoc loco Christum plerique, tam Graeci, quam Latini intelligunt, ut sensus sit, legem Israëlitico populo traditam fuisse per manum, id est, potestatem et directionem mediatoris Christi, populum illum in suum adventum hoc modo praeparantis. Nam Christum Dei et hominum mediatorem vocat Apostolus 1 Tim. 2. Sensum hunc late prosequitur Augustinus.

Alii vero *mediatorem* hoc loco Mosem intelligunt. Qui sane intellectus multis modis fit probabilis: primum, quia Christus non veteris testamenti, sed novi mediator est; quomodo eum aperte nuncupat Apostolus Heb. 8. et 12. Quo praeterea faciunt, quae ibidem, nec non ejusdem epist. cap. 2. et 9. de differentia Christi et Mosis, quoad utriusque ministerium disseruntur; quam et Joannes Evangelista brevi sententia aperuit, dicens cap. 1. *Lex per Mosem data est: gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Adde, quod Moses ipse sequestrum et medium, quoad legislationem, inter Dominum et filios Israël se vocat: ac multis deinde verbis declarat Deut. 5. Ad quem locum hic Paulum respexisse valde verisimile est.

Quamvis autem per manum in scripturis metaphorice potentia significari soleat: quoties tamen aliquid a Deo factum dicitur in manu cujuspiam, non potentia, sed ministerium aut instrumentum intelligitur, ut cum factum dicitur verbum Domini in manu Aggaei aut Malachiae Prophetae. Atqui legem ministerio Mosis latam a Deo fuisse, planum est: idque hac ipsa phrasi, in manu Mosis, multis locis Scriptura significat. Ut Lev. 10. et 26. Jos. 4. 17. 21. et 22. 2 Par. 33. 34. 35. et 2 Esd. 8. 9. et 10. At ministerio Christi datam aut latam fuisse eam legem, nec dicitur usquam, nec sine errore dici potest.

Sentit igitur Apostolus, legem per angelos administratam populo, nec tamen immediate, sed interveniente ministerio

Mosis. Atque haec Theodoreti expositio est, a Sasboldo pluribus verbis confirmata. Igitur haec pars superiori conjuncta plenius, ex parte ministerii, distinguit legem a promissione, quae non per angelos, nec per Mosem impleta fuit, sed per Christum implenda erat.

20. *Mediator autem unius non est:* sed plurium, ac saltem duorum: id quod ex ipsa ratione medii constat, nam medium est, quod inter extrema collocatur. Qui Christum mediatorem interpretantur, hanc partem varie exponunt, ut videre est apud S. Thomam et Oecumenium. Tametsi res clara est ex illis Apostoli ad Tim. verbis, quibus *Christum mediatorem Dei et hominum appellat:* ut non sit opus, alios sensus quaerere, si ad Christum referamus. Moses etiam quo sensu non unius mediator fuerit, sed plurium, ex ipsius verbis liquet, quibus ait ad populum: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos, ut annuntiarem vobis verba ejus.*

Deus autem unus est. At Deus, inquit, qui promisit Abrahae, unus est, non usus homine mediatore ad promittendum, sicut usus est ad ferendam legem. Notandum est ea, quae hic de lege dixit Apostolus, respondens ad quaestionem: *Quid igitur lex?* non solum eo spectare, ut discamus usum legis, qui erat, homines adducere ad Christum, uti mox explicabit; verum etiam ut intelligamus, quanto lex inferior fuerit promissione, quantoque promissio dignior lege. Nam praeter disparitatem supra indicatam, promissio principaliter ac primo facta est, lex apposita est et subintroducta. Promissio benedictionis est, lex propter transgressiones: promissio limitationem temporis non habet, lex posita donec veniret semen. Promissio facta a Deo, lex ordinata per angelos. Illa sine mediatore, haec in manu mediatoris. Illic unius Dei factum est, ad Abraham loquentis: hic Mose internuncio ac mediatore res gesta est, eo quod populus non sustineret audire verba Dei loquentis. Non negat Apostolus, Deum cum Abraham loquentem usum fuisse ministerio angeli, cum id satis constet et Scriptura, Gen. 18. et 22., sed tantum dicere vult, legem ordinatam ac dispositam fuisse per angelos, non autem promissionem.

21. *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit!* Ex praecedenti responsione emergit haec quaestio; quasi dicat Apostolus: si propter transgressiones lex posita est, non impediendas, sic enim quaestio locum non haberet, sed augendas potius: num ergo fatebimur, legem adversari promissionibus divinis, easque evertere? Quoniam enim transgressores constituit homines, videtur obstare, ne promissiones ipsi Abraham factae ad eos perveniant, et in iis impleantur: quandoquidem transgressoribus non benedictio, sed maledictio per ipsam legem denunciatur. Verum *absit,* ut lex Dei promissis Dei repugnet, sic enim Deus sibi ipsi contrarius esset.

Si enim data esset lex, quae posset vivificare; vere ex lege esset justitia. Vere ὄντως, *revera*, pro quo Augustinus *omnino* tract. 49. in Joannem. Nondum ad quaestionem directe respondet, sed objectionem in adversarium retorquet: tanquam diceret: Imo, contra se res habet. Nam si lex data esset, quae vivificare posset homines, id est, praestare, ut bene beateque vivant, quod fieri nequit nisi per justitiam: tum vere ex lege haberetur justitia. Si autem ex lege, jam non ex promissione, uti superius ostensum est. Itaque per legem evacuaretur, atque irrita redderetur promissio, utpote in effectu benedictionis praestando a lege praeoccupata. Sic ergo patet, quemadmodum sequatur, legem contra Dei promissa militaturam, si verum sit, quod vult adversarius, legem vivificare posse.

22. *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Graece: *sub peccatum.* Hic jam respondet ad quaestionem. Per *Scripturam* quidam legem scriptam, quam alibi literam vocat Apostolus, alii in genere Scripturam sacram intelligunt. Quod posterius magis probo. Consonat enim hic locus cum illo Rom. 3., ubi omnes, tam Judaeos, quam Graecos, sub

peccato esse ex scripturis ostendit. Hoc igitur est, quod ait: Non modo lex eos, qui sub lege sunt, peccati convincit et transgressores constituit, sed in universum Scriptura conclusit omnia sub peccato, id est, declarat, omnes homines velut conclusos et captivos teneri sub dominio peccati; declarat autem, cum passim docet, omnes esse peccatores. Unde Hieronymus q. 8. ad Algasiam hunc locum miscens cum eo, qui est ad Rom. cap. 11. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur,* ita scribit: *Auctoritatem sequimur Scripturarum, quod nullus homo sit absque peccato; sed conclusit Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur, absque eo solo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Sic ille.

Ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Id est, ut promissa justitiae haereditas per fidem Jesu Christi daretur credentibus in eum; dum scilicet in lege nullam invenientes peccati medelam, ad Christum confugiunt, qui est semen illud, in quo datae sunt promissiones. Lex igitur adeo non est adversus promissa Dei, ut etiam illis subserviat et obsequium praestet, dum homines peccati convictos ad promissum auctorem gratiae justificandos transmittit, quamvis etiam legis occasione factos deteriores; juxta illud Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Notandum est enim, quod quemadmodum duplici ratione lex propter transgressiones posita est, uti diximus; nam aut eas nescientibus commonstrat, aut per occasionem insuper auget: ita duplici ratione ducit ad Christum. Quum enim monstrat transgressiones, quasi morbum aperiens, medicum, a quo curetur, quaerendum docet. Quum vero per ipsam etiam augetur transgressio, quasi morbo crescente, qui curandus erat: tum suam illa manifeste prodit impotentiam. Itaque jam multo magis, simul et morbi demonstratione, et impotentiae suae professione, mittit infirmum ad verum medicum Christum.

23. *Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat. Sub lege,* graece, *sub legem.* Ad eandem particulam referendum participium, *conclusi:* sic enim hic dicit, *conclusi sub legem,* sicut statim dixerat, *conclusit sub peccatum.* Loquitur autem in persona Judaeorum, qui legem acceperant, et loquitur de tota lege Mosaica, non de sola ceremoniali, sed prout lex est sine gratia, cui velut ex adverso opponitur. Confer cap. 4. et 5. hujus ep. et cap. 6. ad Rom.

Sensus est: Priusquam autem veniret tempus revelandae fidei, quod nimirum est in adventu Christi; sub legis imperio ac potestate, velut in custodia conclusi, servabamur, ne prorumperemus in manifesta crimina, sed poenarum timore coërciti, ab idololatria et aliis hujusmodi gravioribus, externo saltem opere committendis, abstineremus: servabamur, inquam, *in eam fidem, quae revelanda erat:* id est, ut hac ratione duceremur ad eam fidem, quae suo tempore manifestanda erat per Christi et Apostolorum ejus praedicationem. Igitur hic tertius modus significatur, quo lex praeparavit homines ad Christum, dum scilicet timore eos continens et coarctans, quasi servos, cogeret aspirare ad libertatem filiorum Dei, promissam in Christo per fidem. Quod quidem ita se habere docet Augustinus exemplo primorum fidelium Judaeorum, qui prius sub lege conclusi, mox ad praedicationem Apostolorum tanto studio Christi fidem amplexi sunt, ut pro ejus amore, confestim rebus suis venditis, earum pretia ad eorundem Apostolorum pedes abjicerent, ac caeteris ecclesiis exempla Christianae perfectionis ostenderent.

24. *Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Graece *in Christum* vel *ad Christum:* et melius erat *justificaremur,* quam *justificemur.* Textus Ambrosianus ad utrumque suffragatur, Hieron. quoque in secundo dialogo contra Pelag. legit, *ad*

Christum. Paedagogus is dicitur, qui puero ductor et custos adhibetur, ut teneram ejus aetatem regat: metuque ac flagris a vitiis coërceat, et primis elementis erudiat, donec, ut ait Hieronymus, ad majores philosophiae ac gubernandae reipublicae disciplinas a magistro instituendus transmittatur. Huic Apostolus legem similem fuisse, ex superiori sententia colligit: Itaque, inquit, lex, instar paedagogi, nos, tanquam parvulos et ad vitia proclives, timore coërcuit et praeparavit, duxitque ad Christum, verum justitiae doctorem ac magistrum, ut ex fide ejus justitiam consequeremur.

Sed quaeret hic aliquis: Si lex nos ducit ad Christum et gratiae ejus recipiendae nos praeparat; quomodo non inde consequens est, hominem sola lege instructum sese ad gratiam praeparare posse? Quod est contra illud a Patribus definitum, gratiam non dari secundum merita, et illud verissime dictum a Prospero resp. ad octavum capitulum Gallorum: Sine gratia nemo currit ad gratiam.

Respondeo, pertinere hoc ipsum ad beneficium gratiae Christi, quod quis a lege tanquam paedagogo ducatur ad Christum: non quod in homine, priusquam in Christum mediatorem saltem implicite credat, sit aliqua gratiae provocativa dispositio, sed quia lege Deus utitur, et quidem multipliciter, sicut supra declaratum est, tanquam occasione, qua ad gratiam homines adducuntur, quemadmodum et flagellis atque afflictionibus, quas hominibus immittit, uti solet ad eorum conversionem. Unde nec repugnat huic loco, quod supra dictum est: *propter transgressiones legem positam esse,* nam etiam in eo, quod auctum est accepta lege peccatum, lex paedagogus fuit ad Christum; dum videntes homines, se per legem sanari non posse, sed ejus occasione gravius vulnerari, ad Christum medicum confugiunt.

25. *At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo.* Ex inducta comparatione legis cum paedagogo, concludit legis cessationem hoc pacto: At postquam advenit tempus revelatae fidei, jam tanquam magistro contraditi, non amplius sub paedagogo sumus, hoc est, sub lege, quae paedagogi erga nos gerebat officium. Posteaquam ad Christum introducti sumus per fidem, cessat paedagogia legis.

26. *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.* Tacitam diluit objectionem, qua Galatae dicere poterant Apostolo Paulo: Si lex paedagogus vester ad Christum fuit, igitur et nos legem recipere debemus, ut ab ea velut paedagogo ducamur ad Christum. Ad id ita respondet Apostolus, ut doceat, paedagogum illum Judaeis quidem opportunum fuisse, per quem ad Christum adducerentur; non tamen omnibus hominibus necessarium, cum sine eo fides haberi possit, per quam omnes efficiamur filii Dei. Dicit ergo: Quamvis lex nobis Judaeis paedagogus fuerit ad Christum; non ideo tamen etiam vobis illa accersenda est, ut ad Christum ducamini, regenerandi in filios Dei. Omnes enim vos, etiam sine legis opera, filii Dei estis per fidem, qua in Christum creditis. Quin potius fides, quae nos Judaeos liberat a lege, cui subjecti fuimus; eadem non patitur, vos Galatas legi subjici, ut qui per fidem aeque, ut nos, facti sitis secundum adoptionem filii Dei, et per hoc a servitute legis liberi.

Notandum, quod etsi illud *in Christo,* fere construatur cum *fide,* ad hunc modum: per fidem, quae est in Christo Jesu, ut legit Hieron., aut quae est in Christum Jesum, ut Ambrosianus; potest tamen ordinari cum anterioribus verbis *filii Dei estis,* praesertim cum Graece non sit in Christum, sed *in Christo,* id est, per Christum, Hebraea phrasi. Ita sensus erit: omnes estis filii Dei per Christum Jesum, idque per fidem, qua in eum creditis. Neminem vero moveat, quod dicit universaliter *omnes.* Id enim dicit ex hypothesi fidei, non cujuscumque, sed qualis hic intelligitur, id est ejus, quae per dilectionem operatur. Sic enim et infra cap. 5. fidem limitat.

27. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. In Christo,*

graece *in Christum;* tametsi quidam Graeci codices eam particulam omnino praetermittunt, tantum legentes: *Quicunque enim baptizati estis* etc. Quos Erasmus in sua versione, necnon in paraphrasi secutus est. Sed mendosa, ni fallor, ea lectio est. Nam veteres tam Graeci quam Latini legerunt, hi *in Christo,* illi *in Christum.* Est autem haec probatio sumpta a sacramento fidei, id est, baptismo, sicut illa praecedens ab ipsa fide. *Quicunque enim,* inquit, *baptismi sacramento abluti estis, et per illud Christo incorporati, Christum induistis,* id est, exuto vetere homine velut transformati estis in Christum, novum hominem. Cum igitur tam sitis intime Christo conjuncti per fidem ac fidei sacramentum, utique legis obsequio jam opus non habetis, ut adducamini ad Christum.

Induere Christum, ut ex aliorum locorum collatione patet, est Christo fieri conformem imitatione virtutum et bonorum operum, quae in Christo, tanquam capite, perfectissime fuerunt. Unde Rom. 13. post enumerationem vitiorum, a quibus abstinendum admonet, subjungit: *Sed induamini Dominum Jesum Christum.* Ex quo liquet, non omnes omnino baptizatos Christum induisse, sed eos tantum, qui baptismo justificati sunt. Idipsum et praesens locus ostendit. Probat enim Apostolus, Galatas esse filios Dei, quia per baptismum Christum induerunt, quae ratio non valeret, si induisse Christum etiam malis, id est, non filiis Dei, competeret.

Quod ergo dicit: Omnes in Christo baptizatos Christum induisse, sic intellige, quantum est ex virtute baptismi. Quo sensu et illud de aquis baptismi scriptum est Ezech. 47. *Vivent omnia, ad quae venerit torrens.* Porro si Christum induunt, quicunque in Christo baptizantur; igitur ad gratiam justificationis conferendam ac virtutes Christianas inserendas efficax est baptismi sacramentum: et falsum est, quod haeretici docent, baptismum esse nudum justitiae per fidem acceptae signaculum.

28. *Non est Judaeus, neque Graecus;* id est gentilis: species enim pro genere ponitur. *Non est servus neque liber: non est masculus neque femina.* Supplendum ex subsequenti sententia: *in Christo.* Ne putarent Galatae saltem plus aliquid eos consequi in Christo, quos lex quasi paedagogus ad Christum adduxisset: id jam removet generali sententia, qua docet, in negotio justitiae per Christum adipiscendae nullam haberi rationem, sitne Judaeus quispiam an gentilis: servus, an liber: mas, an femina: hoc est, nullum generis, conditionis aut sexus discrimen apud Christum agnosci, ut propter aliquid hujusmodi dicere quis possit: ad me magis Christus pertinet. Ad hanc indifferentiam significandam, prius servum quam liberum nominavit Apostolus: quomodo et inter martyres Vitalem servum Agricolae Domino praenominat Ecclesia in oratione, qua eorum intercessione petit adjuvari. 4. Nov.

Posset hic quaeri, quomodo cum eo, quod hic dicit: *Non est Judaeus neque Graecus,* non pugnet, quod Rom. 3. docet, multum omnino amplius esse Judaeo prae gentili. Sed hanc quaestionem in illius loci commentario solutam invenies.

Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Graece *Unus,* sed sensu eodem. Quasi dicat: Estis omnes tanquam unus, id est, prorsus indiscreti, in negotio salutis per Christum: perinde atque si omnes ejusdem generis, conditionis et sexus essetis. Alii paulo aliter, sed hic sensus optime respondet tam sententiae praecedenti, quam Graecae lectioni.

29. *Si autem vos Christi: ergo semen Abrahae estis.* Nec deest vobis, inquit, dignitas Judaicae gentis, quae se jactat esse semen Abrahae. 2 Cor. 11. Nam *si vos Christi estis,* id est, Christo incorporati et membra ejus effecti per fidem et baptismum, uti jam ostensum est: Christus autem est verum illud ac singulare semen promissum: ergo et vos semen ac filii Abrahae estis, non solum fidei imitatione, verum etiam incorporationis jure: ut quod Christo capiti convenit, toti ejus

corpori Ecclesiae tribuatur. S. Augustinus hanc sententiam paulo aliter legit, usus vitioso codice, quantum apparet.

Secundum promissionem haeredes. Graece: *et secundum promissionem,* quomodo legit etiam Ambrosianus. Sensus est: Non ita estis semen Abrahae, sicut erant Ismaël et reliqui concubinarum filii, qui ab haereditate fuerunt exclusi: sed sicut Isaac, de quo dictum est: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Pertinet enim ad vos aeque ut ad Judaeos haereditas benedictionis, ex promissione facta Abrahae, cum per incorporationem pari jure pertineatis ad semen illi promissum, quod est Christus.

CAPUT QUARTUM.

Dico autem: Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: 2. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre: 3. ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes [1]). 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege [2]), 5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus [3]). 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. 7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: et haeres per Deum [4]). 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum iis, qui natura non sunt dii, serviebatis. 9. Nunc autem cum cognoveritis Deum [5]), immo cogniti sitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa [6]), quibus denuo servire vultis? 10. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos [7]). 11. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. 12. Estote sicut ego, quia et ego, sicut vos: fratres obsecro vos: Nihil me laesistis. 13. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem [8]): et tentationem vestram in carne mea 14. non sprevistis neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum [9]). 15. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis [10])? 17. Aemulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini. 18. Bonum autem aemulamini in bono semper: et non tantum cum praesens sum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio [11]), donec formetur Christus in vobis [12]). 20. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. 21. Dicite mihi, qui sub lege vultis esse: legem non legistis? 22. Scriptum est enim [13]): Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, et

---

1) Cap. 3, 23. seq. Col. 2, 17. 2) Matth. 3, 15. 3) Cap. 3, 13. Joann. 3, 16. 8, 35. 36. Rom. 8, 15. seq. 4) Rom. 8, 17. 5) 1 Cor. 8, 3. 6) Col. 2, 20. Hebr. 7, 18. seq. 7) Col. 2, 16. 8) 1 Cor. 2, 3. Act. 14, 5—7. 9) Matth. 10, 40. 10) Joann. 8, 40. 2 Tim. 4, 3. 11) 1 Cor. 4, 15. 12) Gal. 2, 20. 13) 1 Mos. 16, 1. seq. 21, 1. seq.

unum de libera. 23. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: 24. quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans [1]): quae est Agar. 25. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quae nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. 26. Illa autem, quae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra. 27. Scriptum est enim [2]): Laetare sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis: quia multi filii desertae, magis quam ejus, quae habet virum. 28. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus [3]). 29. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita et nunc [4]). 30. Sed quid dicit Scriptura [5])? Ejice ancillam, et filium ejus: non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Comparatione haeredis parvuli, qui est sub tutoribus, ostendit, Judaeos ad tempus fuisse sub servitute, donec veniret Christus. Revocat Galatis in memoriam suum pristinum fidei fervorem. Deinde ex allegoria duarum uxorum et duorum filiorum Abrahae ostendit, filios novi testamenti non esse sub servitute.

1. *Dico autem: quanto tempore haeres parvulus est; nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium.* Ex occasione ejus, quod postremum intulerat: *secundum promissionem haeredes,* novam assumit parabolam non dissimilem superiori, qua legem dixerat paedagogum Judaeorum fuisse ad Christum. Nunc enim eosdem Judaeos, id est, eos, qui sub lege sunt, puero haeredi comparat, ipsam vero legem tutoribus et actoribus, quorum curae subjicitur puer, donec ad haereditatem introducatur. Sensus: Quod dico, tale est, quamdiu haeres pupillus in minori adhuc aetate constitutus est, nulla re differt a servo, quantum ad vitae rationem attinet; quia perinde ut servus alieno regitur arbitrio, nec liberum usum habet bonorum a patre relictorum, quamvis haereditatis jure ac voluntate paterna eorum omnium sit dominus. Illud: *nihil differt a servo,* potest etiam verti: Nulla re antecellit servo. Sicut Heb. 1. *Quanto differentius,* id est, *excellentius, prae illis nomen haereditavit.*

2. *Sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.* Hoc est, sed sub curatoribus et dispensatoribus, graece *oeconomis, agit,* quorum arbitrio tum ipse, tum bona ejus haereditaria reguntur et administrantur; donec tempus testamento praefinitum a patre aut alioqui legibus decretum advenerit, quo jam ipse suarum rerum curam et administrationem suscipiat, jamque re ipsa appareat, quantum a servo differat.

3. *Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Graece: *Sub elementa mundi eramus in servitutem adacti.* Ambrosianus, eramus subjecti. Cum ait, *nos,* in persona Judaeorum, qui sub lege fuerant, loqui se

---

[1]) Cap. 3, 10. 23. seq. [2]) Jes. 54, 1. [3]) Rom. 9, 7. [4]) 1 Mos. 21, 9. [5]) 1 Mos. 21, 10.—12.

significat; in qua et superius locutus fuerat, ubi Judaeorum statum sub lege, tanquam paedagogo exponebat: nam quae media sunt ab illo loco: *Omnes enim filii Dei estis*, ad Galatas, qui sub lege nunquam fuerant, in secunda persona dicuntur. Est autem hujusmodi accommodatio parabolae: ita et nos Judaei, cum tanquam adhuc parvuli, ad percipiendam promissae benedictionis haereditatem, quae nobis ex praedestinatione Dei competebat, nondum essemus idonei; sub elementis mundi, id est, sub corporalibus signis et carnalibus ceremoniis legis Mosaicae eramus velut quadam servitute pressi.

Parvulos sive pueros vocat Judaeos, quia tam intellectu quam affectu similes erant pueris; nam de Deo et rebus divinis, ac nominatim de justitia hominis apud Deum, carnaliter sapiebant. Rebus quoque sensibilibus, quibus pueri delectantur, addicti erant.

Eosdem servos sub lege fuisse dicit, tum propter onus legis ceremonialis eis impositum, *quod,* inquit Petrus Act. 15., *neque patres nostri*, *neque nos portare potuimus:* tum quia signis ita adhaerebant, ut ea pro rebus amplecterentur, significationem eorum non intelligentes: imo ne hoc quidem scientes, ea signa esse. Sic autem signis adhaerere, servorum est, teste Augustino. Tum denique propter timorem servilem, quo continebantur aliquatenus in officio. *Acceperant enim spiritum servitutis in timore: nondum autem spiritum adoptionis filiorum, in quo clamarent Abba, Pater,* ut de eis dici posset, *si filii, et haeredes,* Rom. 8.

Porro quae vocet Apostolus elementa mundi, variant sententiae. Quidam physica quatuor elementa, ex quibus mixta corpora gignuntur, intelligi putant. Alii solem et lunam accipiunt, quod haec duo luminaria motibus suis eas res nobis efficiant, quas paulo inferius a Galatis observatas Apostolus reprehendit, id est, dies et menses, tempora et annos, ut μετονυμικῶς ex causa effectus intelligatur. Quod etsi probabilitatem nonnullam habeat: rectius tamen illi, qui ex aliis locis ejusdem Apostoli colligunt, quid elementorum nomine significetur. Ea loca sunt Col. 2., ubi semel et iterum ab elementis mundi Colossenses revocat, et Heb. 5., ubi rudimenta Christianae fidei vocat elementa exordii sermonum Dei.

Unde satis apparet, Apostolo elementa dici in genere rudimenta, sive initia doctrinae alicujus, praesertim ad religionem pertinentis, seu veram seu falsam. Nam de vera religione sermo est ad Hebr., de falsa ad Coloss. Tametsi nomen elementi metaphorice huc esse translatum a primis illis corporibus, quae usitatissime elementa vocantur, haud negaverim. Sed notandum, quod tam hoc loco, quam ad Coloss., non nude nominavit elementa, sicut ad Heb., sed elementa mundi. Siquidem elementa mundi videntur intelligi rudimenta mundana, id est, crassa, corporea, sensibilia. Nam mundus pro rerum universo, qua parte corporeum et sensibile est, saepenumero ponitur in Scripturis. At hujusmodi elementa non sunt illa, de quibus ad Heb., utpote pertinentia ad Christianam religionem; sed ea, de quibus ad Coloss. et hoc loco.

Quapropter elementa mundi, secundum materiam praesentem, interpretati sumus corporalia signa et carnales ceremonias Mosaicae legis. Quod confirmari potest ex v. 5. hujus cap., ubi dicitur: *eos, qui sub lege erant.* Vide etiam ad Hebr. cap. 9. v. 9. et 10. Videri autem potest, Apostolum alludere ad pueros elementarios, qui serviliter compelluntur addiscere elementa, literas scilicet ac rudimenta literaturae, nescientes, quid ex iis sit proventurum utilitatis.

4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Graece *emisit.* Pergit in applicatione similitudinis assumptae. Nam sicut puer haeres expleto tempore, quod erat a Patre praefinitum, liberatur ab illa servitutis specie, qua tutoribus et actoribus subjectus erat et ad liberum usum atque administrationem haereditatis admittitur; ita et nos, inquit,

ubi venit plenitudo temporis, id est, ubi tempus impletum est, quod erat a Deo Patre praeordinatum, liberamur a servitute legis et haereditatem filiis promissam accipimus. Ad hoc enim emisit Deus in terram Filium suum unigenitum, sibi consubstantialem.

Factum ex muliere. De Eva legimus, quod facta sit ex viro, quia nimirum de ejus substantia facta atque formata fuit. Ita Filius Dei factus ex muliere; quia de mulieris substantia carnem accepit. Et sicut Eva ex viro solo, ita Christus ex muliere sola. Non tamen Adam pater Evae, sicut Maria mater Christi, quia non per viam generationis ac nativitatis Eva facta ex viro, sicut Christus ex muliere. Et tamen *factum ex muliere* dicere maluit Apostolus, quam natum, quomodo nonnulli legendum putarunt, referente Beda super Evangelio Luc. 11. ad illud: *Beatus venter, qui te portavit,* ut significaret, non communi more nascentium, sed operatione Spiritus sancti, absque virili semine conceptum atque formatum fuisse.

Porro mulieris nomine, secundum morem Hebraicae linguae non virgineum decus negatur, sed femineus sexus ostenditur, ait Augustinus serm. 19. de tempore. Ex hoc loco facile est refellere tam veteres haereticos, qui Christum non ex substantia Mariae virginis, sed aliunde carnem assumsisse dixerunt; quam impium Nestorium, qui eandem virginem non Dei, aut Filii Dei matrem, sed hominis tantum, aut Christi voluit appellari.

Factum sub lege. Graece *sub legem,* id est, legi subjectum. Sed quaeritur utrum *sub lege factus,* quia legem observavit, an quia revera legi obnoxius, sicut habet Erasmiana versio, hoc est, ad legem observandam obligatus. Respondetur, Filium Dei sub lege factum esse non obligatione, sed observatione. Voluit enim circumcidi et caetera omnia, quae legis sunt, subire, ut et humilitatis exemplum nobis praeberet, et populo, in quo nasci dignatus est, quoad instituta divina conformem se redderet legemque paternam honoraret. Denique, ut legalis servitutis similitudinem in carne sua gerens, *eos qui sub lege erant,* uti mox dicitur, *redimeret,* quamvis alioqui nullo praecepto ad eam observandam obligatus. Quod ipse in Evangelio significavit, quando dixit Dominum esse filium hominis, etiam sabbati. Matth. 12. Sic Ambrosius lib. 1. de fide cap. 6. factum sub lege interpretatur per observantiam legis.

At dices, Christum accepisse mandatum a patre non tantum, ut nasceretur, pateretur, moreretur; sed etiam, ut circumcideretur et alia, quae legis sunt, observaret. Respondeo, Dei Patris ad Filium non esse proprie mandatum seu praeceptum; hoc enim in Deum, cui semper summa libertas est agendi vel non agendi quidlibet, cadere non potest, sed est Patris ad Filium decretum aeternum, idque Patri cum Filio et Spiritu sancto commune. Quod tamen interdum praeceptum vocatur Patris ad Filium, qui et obediens Patri factus dicitur usque ad mortem, Phil. 2., quia illius decreti in Patre est auctoritas. Est enim Pater principium Filii. In Filio autem, ut homine, ejusdem decreti facta est executio.

Quod si contendas, Filio, ut homini, proprie datum a Patre praeceptum, fatebimur Christum hominem, ut sanctae Trinitatis servus fuit, ita etiam a seipso tanquam Deo et a Spiritu sancto idem praeceptum ei datum esse, et proinde fuisse obedientem non Patri tantum, verum et Spiritui sancto et sibi ipsi. Nec ideo tamen lege fuit ligatus Mosaica; sed peculiari Patris praecepto. Factus igitur est sub lege Filius Dei voluntaria subjectione; quomodo et parentibus suis subditus fuisse legitur Luc. 2. Facit autem hic locus adversus eos, qui Christum dicunt aliquando revera legem solvisse violando sabbatum, aut similia contra legem opera faciendo. Quorum opinionem latius ex Scripturis refutare, non est hujus loci.

5. *Ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Id est, dato pretio eximeret a servitute legis, suosque faceret. Id enim significat graeca vox ἐξαγοράζειν, qua

peculiariter hoc loco Paulus utitur, id est, mercari rem, quae alterius erat; pretii commutatione suam facere, sibique vendicare. Lucrifacere legit Ambrosius super Luc. 2., licet hoc verbum non adeo quadret. Caeterum in Graeco non mutatur persona, nam verti potest: *ut sub lege existentes,* id est, nos Judaeos, qui sub lege eramus, *redimeret,* quoniam et sequens membrum primam habet personam. Notanda congruentia, Christum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, licet aliter Christus sub lege, aliter illi, quemadmodum patet ex supra dictis.

Ut adoptionem filiorum reciperemus. Nos Judaei. Hucusque enim ex persona Judaeorum loquitur. Est autem haec pars referenda ad illud: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Nam sensus est: Idcirco Filium Dei factum esse filium hominis, id est, nostrae naturae participem ex femina; ut nos homines efficeremur per adoptionem filii Dei, utque haereditatem, adoptionis jure debitam, consequeremur. Hunc Apostoli locum male intellexerunt, qui ex eo probare conati sunt, justos veteris testamenti non fuisse participes adoptionis Christi, nec potuisse vocari filios Dei per adoptionem; contra illud Heb. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Nam simili argumento negabunt, eos justos fuisse et legem implevisse; cum scriptum sit, Deum misisse Filium suum, *ut justificatio legis impleretur in nobis.* Rom. 8. Respondetur ergo, virtutem passionis Christi, qui in plenitudine temporis missus est, pertinuisse etiam ad tempora praecedentia; licet amplior et copiosior ab ea fructus post passionem illius et resurrectionem, Evangelio per orbem praedicato manaverit.

6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Graece *emisit.* Quomodo superius, posteaquam ostendisset, legem fuisse paedagogum Judaeorum in Christo, ad Galatas reflectit sermonem dicens: *Omnes enim filii Dei estis* etc.; ita et hic, eademque ratione, post applicatam Judaeis parabolam de parvulo haerede, mutata persona prima in secundam. Galatas gentiles alloquitur, occupans, quod ab illis dici poterat: Si Judaeis eo gradu contigit filiorum adoptio, ut prius sub lege essent tanquam sub tutore; et, si Christus sub lege factus est, ut eos, qui sub lege erant, redimeret: debemus et nos prius esse sub lege, ut per Christum redimamur et filiorum adoptionem accipiamus. Ad hoc respondet: vos Galatae jam non indigetis legis tutela; quandoquidem estis filii, non sicut haeres parvulus nihil differens a servo, sed in statu libertatis filiorum constituti. Quod autem tales filii sitis, inde liquet, quia misit Deus in corda vestra Spiritum Filii sui, *clamantem,* id est, *in quo clamatis, Abba, Pater.* Sic enim hic locus per alterum similem Rom. 8. exponendus est.

Probat, Galatas jam esse filios Dei testimonio Spiritus sancti; quod nimirum impulsi a Spiritu Filii Dei magno cordis affectu in orationibus suis Deum patrem appellarent dicentes: *Abba, Pater;* vocabulo ex duabus linguis geminato. Verisimile est enim, gentiles Christianos utrumque vocabulum orando conjungere solitos. Quod autem Graeci quidam codices, astipulante etiam Ambrosiano, legunt *in corda nostra,* quasi Judaeos una cum gentilibus hic comprehendere voluerit Apostolus, non probamus; nam et illud praecedens: *Quoniam estis filii;* et ea, quae deinceps sequuntur, secundam personam exigunt; et omnia Latina manuscripta in hanc eandem conspirant lectionem.

Nonnulli sic exponunt: Quoniam divina praedestinatione eratis filii; ideo nunc in plenitudine temporis dedit Deus in cordibus vestris Spiritum, per quem ut filii ipsum invocaretis, dicentes: Abba, Pater. Sed hunc commentarium plane refugit praesentis temporis verbum *estis.*

Porro cum dicit, *Spiritum Filii sui,* significat Spiritum sanctum non a Patre solo, sed etiam a Filio procedere. Non enim Spiritus Filii dici potest nisi spirantis, et ut Theologi loquuntur, principiantis.

Apposite vero Filii mentionem adjunxit, ut filiorum adoptionem in naturalem Dei Filium referret. Denique in his Apostoli verbis observa sanctae Trinitatis, id est, trium in Deo personarum expressam significationem: simul et processionis earum, id est, Filii ex Patre et Spiritus sancti ex utroque, non obscuram insinuationem.

7. *Itaque jam non est servus, sed filius. Est,* Graece et Syriace *es,* in secunda persona, consentientibus etiam Latinis quibusdam; eaque lectio probabilior. Adhuc enim Galatas alloquitur, sed numero, propter emphasim, mutato in singularem. Tu igitur, inquit, quisquis es, qui per Spiritum Filii Dei clamas ad Deum, Abba, Pater; non amplius jam servus es ab haereditate alienus; sed, vel ipsius Spiritus sancti testimonio, filius.

Quod si filius, et haeres per Deum. Graece et Syriace, *haeres Dei per Christum.* Similiter Hieronymus, nisi quod genitivum *Dei* non apponat. Sequela autem manifesta est. Quod si filius es, quamvis adoptivus; igitur et haeres illius, cujus es filius, scilicet Dei, per meritum Christi Filii ejus naturalis. Dubium enim non est, ait Ambrosianus, quin ideo quis adoptet sibi filium, ut haeredem illum relinquat. Haec autem haereditas non post mortem patris exspectatur, sed vivente patre accipitur et simul cum eo, bonorum ejus participatione, possidetur, partim quidem in praesenti vita secundum varia Spiritus sancti dona, quae sunt instar arrhabonis; plenissime vero in vita futura.

8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum iis, qui natura non sunt dii, serviebatis.* Dixerat Paulus, *jam non es servus;* per quod insinuabat, Galatas aliquando servos fuisse. At quomodo servos, dicere poterant illi, si nunquam sub lege fuimus servientes, sicut Judaei; et nunc ab illa servitute nos prohibes? Respondet Apostolus, omnino eos servos fuisse, sed alio quodam genere servitutis, eoque longe deteriori. *Sed tunc quidem,* inquit, id est, priusquam essetis filii, non ut Judaei Deum serviliter colebatis, sed *Deum verum ignorantes serviebatis iis, qui naturaliter dii non sunt,* et in quibus non est veritas divinae naturae; sed hominum opinione atque institutione pro diis habentur.

9. *Nunc autem, cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo.* Graece, *magis autem cogniti;* quemadmodum et Hieron. legit: sed sensum optime reddidit interpres noster. Nam *magis* hoc loco non tam comparantis est, quam corrigentis. Qua correctione praevenientem Dei gratiam commendare voluit Apostolus, quasi dicat: *Nunc autem, posteaquam* ab illa ignorantia conversi, *Deum cognovistis, imo vero cogniti, atque dilecti a Deo,* id est, per ejus dilectionem attracti ad eum cognoscendum. Juxta illud 1 Joan. 4.: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Igitur cognitio, sive dilectio, cum effectu intelligitur; cum ipsa alioqui sit ab aeterno. Unde bene Theophylactus sic exponit *cogniti,* id est, assumpti. Vide Commentarium nostrum ad 1 Cor. 8, 3.

Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Graece pro *denuo* duae dictiones sunt, *iterum ab initio,* seu *de integro.* Cum, inquit, Deus jam vos dignatus sit sui cognitione, qua a servitute falsorum Deorum vos avocavit, insuper et filios suos fecerit, sicut supra dictum est; quomodo vultis iterum in servitutem relabi? *Quomodo iterum vos convertitis ad infirma et egena elementa,* ut de novo, quasi nullam antea servitutem passi, sub illis servire velitis? Volebant enim Galatae denuo servire elementis mundi et ad ea iterum convertebantur non eadem numero vel specie, sed genere. Qui enim servierant idolis, servire volebant sub signis ac ceremoniis Judaicae legis. Haec enim per ea, quae dicit *elementa,* significari, patet ex verbis proxime sequentibus: *dies observatis* etc.

Vocat autem illa Apostolus infirma et egena elementa, non tantum quia post Christi passionem viribus destituta sunt,

quomodo quidam hunc locum exponunt; sed quia omnia illa veteris legis instituta, sive sacramenta, sive sacrificia, sive quocunque alio nomine censeantur, quatenus ad illam legem pertinebant, nihil conferebant ad justitiam et salutem vitae aeternae. Unde ait Heb. 7. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Et iterum: *Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* Nec mirum, quia, *si per legem justitia,* sicut dictum est superius, *gratis Christus mortuus est.* Si qui tamen, veteri lege durante, sacramentis ejus et sacrificiis utebantur ex fide Mediatoris, gratiam per ea consequebantur, non ut erant veteris legis instituta carnali populo tradita, sed quatenus eis accidebat, ut cum ejusmodi fidei devotione, quae ad novam legem pertinet, exercerentur.

Dici etiam potest, quod erant infirma et egena elementa Judaeis carnalibus, qui ex illis exspectabant justitiam; non spiritualibus, qui illis bene utebantur. Erant infirma et egena iis, qui illis plus tribuebant, quam ipsis competebat: simpliciter autem non erant hujusmodi; quia valebant ad id, ad quod erant instituta. Verum ea de re peculiaris est tractatio in 4. Sent. dist. 1.

Caeterum ex hoc loco apparet, etiam idola et idololatrici cultus ceremonias *elementorum mundi* nomine comprehendi: dicens enim Apostolus, *iterum convertimini ad elementa,* significare videtur, et illa priora, quibus servierant Galatae, elementa fuisse, quamvis Judaicis elementis dissimilia. Haec enim infirma dumtaxat et egena, illa vero etiam perniciosa: et haec aliquando licita; illa perpetuo mala.

Forsitan autem cuipiam videatur hic esse sensus: quibus elementis vos gentiles servire vultis, sicut Judaei hactenus servierunt, ut iteratio intelligatur in facto simili, non in personis iisdem. Sicut enim Judaei sub jugo legalium servierant; ita Galatae, male ab illis persuasi, sub eodem jugo servire volebant.

Forte etiam quispiam referat hanc iterationem ad Judaeos fideles, qui erant inter Galatas. Nam et in Galaticam regionem dispersos fuisse Judaeos, constat ex 1. epist. Petri cap. 1. *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae* etc. Verum ex textu manifestum est, Paulum eos compellare, qui dudum idolis servierant, iis, inquam, *qui natura non sunt dii:* eosdemque reprehendere, quod iterum converterentur ad infirma et egena elementa. Quocirca retinenda est expositio, quam primo dedimus, ut menti et contextui Apostolico magis apposita.

10. *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.* Partibus explicat, quod in genere dixerat, eos iterum converti ad infirma et egena elementa. Locum hunc Ambrosianus accipit de superstitiosis observationibus dierum ac temporum; dum ea fausta vel infausta putantur. Quem errorem a gentilitate ad Christianos permanasse, saepe queritur Augustinus; qui etiam eodem sensu verba haec accepit Ench. cap. 79. Sed et in commentario sensum hunc adfert priore loco. Verum mox alteram praefert, quo de Judaicis observationibus exponitur, utpote scopo totius epistolae congruentem. Quae eadem expositio est Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti et aliorum.

Dies ergo, quos observabant Galatae a pseudapostolis edocti, erant, verbi gratia, sabbatum, neomenia, scenopegia, caeteraeque solemnitates Judaicae. *Menses,* ut primus et septimus festorum causa celebriores. *Tempora,* quale est, ait Hieron., ter per annos singulos Hierosolymam venire. *Anni* denique, ut septimus annus remissionis et quinquagesimus jubilaei.

Ex his porro liquet, quam prave detorqueant hanc Apostoli sententiam haeretici ad reprehensionem ejus consuetudinis, qua certos quosdam dies festos annua

celebritate recurrentes, et certa jejuniorum tempora, ex Ecclesiae praecepto fideles observant. Haec enim ecclesiastica dierum ac temporum observatio neque ad superstitionem gentilium pertinet, neque ad legem a Christo abrogatam, sed ex Apostolica traditione descendit.

Et quidem quod ad natalitia martyrum, aliorumque sanctorum cum Christo regnantium attinet, instituta sunt ea propter tres potissimum causas, quas Augustinus lib. 20. contra Faustum Man. cap. 21. breviter complexus est his verbis: *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.* Quod si omnis dierum observatio damnanda esset; neque ad iter agendum, neque ad serendum et metendum, et ad alia hujusmodi, commodos et opportunos dies exspectare liceret. Abolendus quoque esset dies Dominicus, cujus observationem Apostolicam esse constat ex Scriptura: quod tamen nec adversarii dicere aut facere audent, apud quos usque nunc ille dies est in observatione. Sed quid multa? cum Hieronymus jam olim isti haereticorum calumniae prudenter obviaverit in hujus loci commentario.

11. *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Graece: *Ne quo modo frustra laboraverim in vos,* sive *erga vos.* Tametsi recte noster interpres vertit, *ne forte;* nam Hieronymus et Graeci particulam hanc urgent, tanquam sit dubitantis et spem correctionis adhuc relinquentis. *Timeo vos,* dictum pro eo, quod Latine diceretur, timeo vobis aut de vobis. Non enim Galatas timebat Apostolus, sed declarat suam pro eis solicitudinem, metuens, ne inanem sumserit operam ac laborem in eorum conversione. Frustraneus enim redditur erga eos labor praedicationis, qui in fide suscepta non perseverant, sed ad vomitum redeunt. *Melius est enim non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti.* 2 Petr. 2.

12. *Estote sicut ego, quia et ego sicut vos.* Dupliciter hoc exponi potest: uno modo, Judaicas observationes meo exemplo abjicite, neque legem servitutis patiamini vobis imponi; nam et ego me vestrae infirmitati accommodavi, ut vos Christo lucrifacerem. Aliter: Estote in eadem mecum sententia et veritate doctrinae; nam et ego aliquando in eodem errore versatus sum, in quo vos modo versamini; quem moneo ut exemplo meo deseratis. Hic sensus Graecorum est interpretum, sed prior magis est germanus. Congruit cum eo, quod alibi dicit: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1 Cor. 9.

Fratres obsecro vos. Referendum hoc esse ad superiora, Hieronymus admonet; nam cum sequentibus minus apte cohaeret. Fratres, inquit, rogo vos et obsecro, ut quemadmodum dixi, faciatis. Videmus Apostolum tentare omnem viam revocandi Galatas ab errore. Hactenus enim argumentis et rationibus eos pressit, interdum increpationes admiscuit; nunc precatur et obsecrat. Sic enim episcopo et doctori faciendum esse praecipit 2 Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.*

Nihil me laesistis. Planius ex Graeco, nulla me injuria affecistis. Quod, inquit, in superioribus vos durius increpavi, non feci contumeliose tanquam injuria lacessitus, ut iracundi solent; sed amore ac studio vestrae salutis. Nam quod ad vos et factum vestrum attinet, nulla in re laesus sum a vobis; quin potius beneficiis apud vos affectus sum. Cum non sine injuria tanti Apostoli doctrinam ejus Galatae tam cito deseruissent; negat tamen se laesum ab illis, vel quia defuit animus laedendi, vel quia magis in Christum erat haec injuria, quam in Paulum; vel certe, quia de tempore, quo apud Galatas fuerat conversatus, loquitur. Quem sensum probabilem faciunt ea, quae sequuntur.

13. *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem. Infirmitatem carnis* nonnulli mor-

bum corporis interpretantur, ut sensus sit: Cum apud vos agerem et Evangelium vobis praedicarem, vidistis me hominem corpore infirmum et morbo afflictatum. Addunt, referente Hieronymo, Paulum saepe gravissimo capitis dolore vexatum; et hunc fuisse angelum Satanae datum ei, ut ipsum colaphizaret; et de hac infirmitate nunc Apostolum loqui. Verum magis placet posterior ejusdem Hieronymi, quae et aliorum fere omnium est, expositio, qua *per carnis infirmitatem* generaliter intelligunt adversitates et afflictiones homini exterius illatas; ut contumelias, verbera, persecutiones, carceres; et hujusmodi malorum pericula, quae infirmitatum nomine ab Apostolo significari in 2 Cor. 11. et 12. satis ostendimus. Potest etiam, et quidem probabilius, ni fallor, intelligi illa infirmitas, de qua dicit cap. 10. ejusdem Epistolae: *Praesentia corporis infirma et sermo contemptibilis.* Quo loco non persecutiones aut pericula, sed humilitatem corporalis suae praesentiae voluit significare; quemadmodum et 1 Cor. 2. dicens: *Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo, fui apud vos.* Juxta hunc sensum accipi poterit haec pars ut probatio ejus, quod dixit: *Ego sicut vos;* quasi diceret, ut me vobis accommodarem, magna cum humilitate, velut homo abjectus, Evangelium vobis praedicavi, *jampridem*: pro quo Graece τὸ πρότερον, prius, id est, dudum ac superiori tempore.

14. *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis.* Graece: *Et tentationem meam, quae in carne mea* etc. Latina quoque nonnulla *meam* habent. At vero nostrae lectioni favent pleraque omnia Manuscripta, nec non omnes Latini commentatores, qui *vestram* legunt et exponunt. Dixit autem interpres *tentationem vestram* pro *tentatione vestri,* id est, ea, qua vos ex infirmitate mea tentabamini aut certe tentari poteratis. Quod igitur Apostolus hac et praecedenti parte dicit, tale est: non solum me non laesistis, verum etiam benevolentiam mihi magnam ostendistis. Cum enim vobis dudum inter medias, ut scitis, persecutiones et pericula, vel in corpore infirmo et contemptibili, praesens Evangelium praedicarem; non tamen estis passi offendiculum in illa carnis meae infirmitate, neque eam aversati estis, nec per eam ad mei contemptum aut ad respuendum Evangelium adducti; *sed sicut angelum Dei* etc. Magna laus est, virtutem in vase fragili non contemnere: unde et Christus ait Matth. 11. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me,* id est, quem non offenderit humilitas carnis meae, quo minus agnoscat et credat, quis et quantus ego sim.

Porro Graeca lectio potest hunc habere sensum, *et tentationem meam, quae erat in carne mea,* id est, persecutiones et verbera, quae in corpore meo passus sum, non estis aspernati; non illa vos offenderunt, ut propter illa minoris me faceretis. Et haec Graecorum expositio est. Constat autem, tentationem in Scripturis interdum significare afflictionem, ut Jac. 1. *Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis.* Et Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

Sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Id est, nihil offensi illa carnis meae infirmitate, tanti me fecistis, et tanto cum honore me suscepistis, ut si angelum caelitus a Deo missum, in quo carnis infirmitas locum non habet, susciperetis: quodque amplius est, suscepistis me, sicut Christum Jesum; quia considerastis in me non humilitatem meae personae, sed dignitatem ejus, cujus sum minister et Apostolus. Bene dicit, *sicut angelum Dei,* quia Paulus vere angelus, id est, nuntius Dei erat.

15. *Ubi est ergo beatitudo vestra?* Graece: *Quae igitur beatificatio vestra?* Sed annotat Oecumenius, τίς, id est, *quae* pro *ubi* positum esse. Illud vero: *beatitudo,* seu *beatificatio vestra,* potest vel active vel passive intelligi. Active quidem, ut sensus sit: Ubi nunc plausus illi et verba, quibus me beatum appellabatis? quasi dicat: Nunc videmini longe aliter

de me sentire; quandoquidem ab Evangelio, quod vobis praedicavi, recessistis. Passive, hoc modo: Tanta cum benevolentia et honore me vobis evangelizantem excepistis, ut ego vos prae multis aliis beatos praedicarem; at nunc cogor vos stultos et insensatos vocare. Hunc sensum Hieron. et Graeci tradunt; tametsi prior, quem Theophyl. etiam attingit, aptius convenit cum iis, quae proxime praecedunt et sequuntur.

Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Hyperbole est, qua Galatarum ingentem erga se affectum significat. Eam Graeci usitatiori schemate sic explicant: habebatis me cariorem oculis vestris; id est: Eram vobis carissimus. Temperat autem sermonis excessum Apostolus, dum addit, *si fieri posset,* id est, si natura permitteret.

16. *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Pro *vobis* priori loco graece: *vester.* Sensus: Ergone propterea me pro inimico habere coepistis, quod veritatem vobis dixerim? Hinc apparet, Galatas a pseudapostolis, qui Paulum oderant, male persuasos, priorem illum affectum erga suum Apostolum remisisse atque adeo coepisse nonnihil in contrarium flecti, quod hic vocat inimicitiam.

Quaeres, an Apostolus non ab initio veritatem dixerit Galatis; ut nunc queratur, se ex amico factum illis inimicum, postquam veritatem dicere coepit. Respondeo, non omnia Christianae religionis statim principio fuisse tradenda, sed quaedam in tempus opportunum differenda fuisse; quale illud de legis et ceremoniarum abrogatione. Nam hujus rei mentione, in primis fidei rudimentis, apud Galatas ac caeteros gentiles opus non erat; eo quod legem non accepissent. Sed posteaquam etiam usque ad Galatas penetrarant Judaei, qui dicerent: *Nisi circumcidamini, non potestis salvari* Act. 15., necesse fuit Apostolo, de ea re veram et apertam doctrinam proferre.

17. *Aemulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini.* De pseudapostolis suppresso nomine loquitur, et sensus est: Illi, per quos inimicus vobis factus sum, vos ambiunt, tanquam vestrae salutis admodum cupidi; caeterum, id faciunt *non bene,* vel quia zelus eorum non est secundum scientiam, vel quia zelum ac studium vestri magis simulant quam habent, ut qui revera vos excludere velint a libertate evangelica, et servituti legis subjicere; quo sic vos habeant discipulos et imitatores, sibi tanquam magistris addictos et suae gloriae studiosos. Non aliud enim illi quam gloriam quaerunt ab hominibus. Congruit huic loco testimonium Salvatoris de studio Judaeorum, proselytos ex gentilibus facere quaerentium. *Vae vobis,* inquit, *Scribae et Pharisaei hypocritae, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae, duplo quam vos,* Matth. 23.

Monet Erasmus, in quibusdam Graecis exemplaribus haberi *includere;* est autem apud Graecos quam minima differentia inter ἐκκλεῖσαι *excludere*, et ἐγκλεῖσαι *includere.* Hoc modo si legamus, sensus erit: Sed concludere vos volunt et captivos habere, ferarum more, quae caveis includuntur, id est, in servitutem redigere vos conantur, et suos facere, vosque pro libito velut sibi obnoxios tractare. Sic enim pseudapostolos cum Corinthiis egisse, testantur illa Apostoli ad eos verba: *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* 2 Cor. 11.

18. *Bonum autem aemulamini in bono semper: et non tantum cum praesens sum apud vos.* Graece: *bonum autem,* supple *est, aemulari in bono semper* etc. Quomodo et Augustinus legit. Vindicat hanc lectionem articulus τὸ, qui verbo praepositus non sinit aliter legi, quam *aemulari* modo infinitivo; quamvis alioqui ζηλοῦσθαι et ζηλοῦσθε facile potuerint commutari. Nostra lectio, quae etiam apud Hieronymum est, potest hunc

habere sensum: Ego vero vos moneo, non ut illos aemulemini, sed ut bonum quemque in re bona et honesta aemulemini, hoc est, imitandum vobis proponatis; etiam cum absens sum a vobis. Quasi tacite dicat: me, qui bonam vobis doctrinam tradidi, non solum praesentem, verum etiam absentem aemulari debuistis. Quanquam Hieronymus bonum non de persona, sed de rebus exponit; sensu coactiori; tanquam dicas, ea quae bona sunt aemulamini in bono. Laborat eodem incommodo textus Ambrosianus, qui sic habet: aemulamini autem meliora dona in bono semper. Quae lectio alludit ad illud 1 Cor. 12. *Aemulamini autem charismata meliora.* Verum hic non de charismatum, sed personarum aemulatione, id est, imitatione aut studio agitur.

Porro Graeca lectio contextui Apostolico melius quadrat et planum habet sensum hujusmodi: Illi volunt, ut ipsos aemulemini; atqui bonum est et laudabile, ut aemulemini magistros vestros; qualis ego inprimis sum, id enim intelligi vult; nec in quibuscunque, sed tantum in re bona; idque semper, id est, constanter et non solum me vobis praesente. Qua postrema parte latenter accusat Galatas, quod ipso absente defecissent ab ejus doctrina, quem praesentem tantis honoribus affecerant.

19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Pathopoeia est, qua tanquam materno loquitur affectu. *Parturio,* Graece ὠδίνω, quo verbo dolor parturientis exprimitur. Potest autem sententia tam ad superiora, quam ad sequentia coaptari. Sensus est: Semel vos Christo peperi, quando ad fidem Christi perduxi, eaque ratione filioli mei estis generatione spirituali. Sed quoniam a veritate Evangelii vobis traditi tanquam a vita defecistis; nunc *iterum vos parturio,* id est, magno nixu et labore conor ad Evangelii veritatem revocare; idque tantisper ago, *donec Christus in vobis formetur,* id est, donec perfectam Christi formam accipiatis, hoc est, rectam fidem de Christo, qua nimirum credatis, Christum vobis ad salutem sufficere, sine legalium observatione. Non enim omnino a Christo recesserant, sed Christo legem, velut in subsidium, adjungere volebant. Nonnulli formam hanc de robore fidei interpretantur; minus recte: nam parturio non est ad robur, sed ad perfectionem. Hic autem nota, quod Christus est quodammodo forma hominis Christiani.

20. *Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam.* Pergit affectus sui magnitudinem erga Galatas declarare. Utinam, inquit, vobis nunc adessem, ut coram, prout viderem vobis convenire, vocem meam mutare possem, id est, inflectere et accommodare sermonem meum conditioni audientium; quod absens facere nequeo, tum quia viva vox magis afficit, quam epistola, tum quia non video, quemadmodum sitis affecti, ut secundum hoc aptarem sermonem. Unde sequitur:

Quoniam confundor in vobis. Quod quidam sic exponunt: Quia pudore afficior propter vos, qui tam leviter recesseritis ab eo, quod ego vos docui. Hic commentarius est apud Augustinum, Ambrosiastrum, S. Thomam, caeterosque fere Latinos. Sed sciendum, pro verbo *confundor,* Graecis esse ἀποροῦμαι, id est, haereo et anceps sum animi. Quo verbo etiam alias utitur Apostolus, ut 2 Cor. 4., ubi nos habemus: *Aporiamur, sed non destituimur,* atque eo loco verbi Graeci significationem plenius explicuimus. Respondet ei Syriaca versio, quae habet stupefactus sum, attonitus et inops consilii de vobis, id est, quomodo vobiscum agere debeam. Quod res ipsa satis declarat; cum in hac epistola vertat se in omnem orationis formam.

21. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse: legem non legistis?* Graece: *non auditis?* Hieronymus et Augustinus: *non audistis?* quamvis apud Hieronymum q. 8. ad Algas. habetur *legistis. Legem* posteriori loco totum vetus testamentum intelligi putat Occumenius, idque non male. Tota enim vetus Scriptura erat Judaeis pro lege. Confer Rom. 3. et

1 Cor. 14. Et certe, qua ratione historia Geneseos sine dubio hic nomine legis comprehenditur; eadem et reliqui libri sacri veteris testamenti possunt. Vide Hieronymum ad Algas q. 8., ubi ait, historiam quoque nomine legis interdum comprehendi; cujus hic est exemplum.

Quare minus verisimile est, Apostolum hic eo nomine solum Mosis Pentateuchum, ex quo testimonium profert, comprehendere voluisse. Nam quamvis Christus in Evangelio legem a Prophetis interdum distinguit, ut Matth. 5. 7. 11. et 22., tamen notum est, non solum historiam sacram, sed Psalmos etiam et Prophetas interdum legis nomine comprehendi. Psalmos quidem, velut Joan. 15. *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Quod sumptum est ex Psalm. 24. 34. et 68. Prophetas vero, ut 1 Cor. 14. *In lege scriptum est, quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic; et nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Quod invenitur apud Jes. cap. 28.

Post preces et blandimenta, quibus affectum movit Apostolus, nunc rursus argumentis urgere Galatas incipit. Argumentatur autem ex ipsa lege, id est, ex Scriptura, quae legem tradit, contra eos, qui sub lege esse volebant. Etenim lex ipsa docet, non esse bonum sub lege teneri. Jam quidem supra bis terve ex lege contra legis justitiam ratiocinatus est. Sed hic id ipsum facit alio modo, scilicet ex historia allegorice exposita.

22. *Scriptum est enim: quóniam Abraham duos filios habuit; unum de ancilla et unum de libera.* Scribitur hoc Gen. 16. et 21. Non est, inquit, sine mysterio, quod Scriptura narrat, Abraham duos suscepisse filios, Ismaël et Isaac; illum ex Hagar ancilla, id est, serva; hunc vero ex Sara libera. Fuerunt Abrahae et alii filii, quos post obitum Sarae genuit, ut legitur Gen. 25., sed illi ad praesentis rei mysterium non pertinent; unde nec de iis Scriptura narrationem longius prosequitur, contenta, generationem eorum prodidisse.

23. *Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem.* Ismaël ex ancilla genitus *secundum carnem natus* dicitur, quia usitata lege naturae secundum insitam carni virtutem generandi natus est. Habet enim ordo naturae, ut ex juvencula possit quis non nimium senex filios procreare. Isaac vero ex libera genitus *per promissionem* dicitur *natus*, quia supra naturae facultatem ejus generatio fuit; nimirum ex virtute divinitus et promissa et suppeditata; cum et *Abrahae corpus esset emortuum et emortua vulva Sarae,* quemadmodum dicitur ad Rom. 4.

24. *Quae sunt per allegoriam dicta.* Graece est praesens participium ἀλληγορούμενα. Allegoria est, quum ex eo, quod dicitur, aliud quiddam significatur. Unde Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 9. dicit, quosdam Latinos interpretes ita vertisse, *quae sunt aliud ex alio significantia.*

Sunt autem allegoriae duo genera: alterum in verbis, alterum in rebus. Quorum illud commune est Scripturae sacrae cum scriptoribus non sacris: est enim ea allegoria continua quaedam in verbis metaphora; qualis in eo, quod paulo ante dixit Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur* etc. Alterum vero genus est ei peculiare; ut quoties vera quidem secundum literalem sensum verborum narratur historia, vel quippiam aliud dicitur; sed in ea re, quae narratur aut dicitur, secretior quaedam latet altioris rei significatio. Ita vere quidem haec de duobus Abrahae filiis historia, sicuti narratur, contigit: sed illa res gesta ulteriorem habet alterius cujusdam rei significationem. Quod jam consequenter docet.

Haec enim sunt duo testamenta. Id est, in his, quae de duobus Abrahae filiis et eorum matribus Scriptura narrat, est significatio duorum testamentorum, veteris et novi. Graeca possunt accipi hoc modo. Hae, id est, hae duae feminae Hagar et Sara sunt duo testamenta per significationem, id est, sunt signa et figurae duorum testamentorum. Quem sensum subsequens declaratio probabilem facit.

Unum quidem a monte Sina, in servitutem generans. Vitiose quidam codices *in monte* legunt, reclamantibus non solum Graecis, verum etiam manuscriptis omnibus Latinis ac textu, quo tam Hieronymus, quam Ambrosianus usi sunt. Sensus est: Alterum quidem duorum testamentorum *a monte Sina,* in quo lex data est, ortum seu profectum; *generans filios in servitutem,* id est, ipsa generatione servituti obnoxios. Qui enim ex matre serva nascitur, nisi quid aliud obstet, servus nascitur. Dicitur itaque vetus testamentum a monte Sina profectum, quia in illo monte lata est lex, cujus observatio veteris testamenti, id est, pacti inter Deum et veterem populum initi conditio fuit; sed minime a populo servata. Servitus autem, ad quam filios suos generabat vetus testamentum, posita erat partim in importabili jugo praeceptorum ceremonialium cervicibus filiorum ejus imposito; partim in affectu et timore servili, quo iidem illi regebantur; quem Apostolus Rom. 8. vocat *spiritum servitutis in timore.* Quae sane posterior ratio magis propria est filiorum veteris testamenti, utpote essentialis quaedam illius testamenti proprietas. Distinguuntur enim vetus et novum testamentum essentialiter per timorem et amorem.

Quae est Agar. Relativum *quae* non ad servitutem referendum est, sed ad testamentum, quod in Graeco foemininum est; ut potius vertendum fuerit, *quod est Agar:* tametsi interpretem facile excusat loquendi consuetudo, qua relativum saepe genus suum accipit a substantivo sequente. Proinde sensus est: quod testamentum per Agar ancillam typice significatum est.

25. *Sina enim mons est in Arabia.* In omnibus Graecorum codicibus sic legitur: *Nam Agar Sina mons est in Arabia.* Praefigitur autem ipsi *Agar* articulus τὸ neutri generis, quem interpretes Graeci referunt ad ejusdem generis dictionem ὄρος, id est, montem. Putant enim Sina montem, in quo data est lex, Arabum lingua nominatum fuisse Agar; et hoc Apostolum his verbis significare, ut sensus sit: recte per Agar ancillam vetus testamentum figuratum est, quia Sina mons Arabiae etiam Agar appellatur. Sensum hunc expressit versio Hentenii, quae sic habet: *mons enim Sina Agar dicitur apud Arabes.* Verum hujusmodi interpretatio non admodum probabilis est; nusquam enim legitur, illum montem Sina alio nomine vocatum Agar; nec arbitror filios Israël per Arabiae deserta transeuntes alio nomine montem illum vocasse, quam quo apud indigenas seu vicinos Arabes vocabatur.

Igitur Graecae lectionis commodior hic sensus reddi posse videtur: Quod per Agar ancillam typice significatur, idem est cum eo, quod Sina mons Arabiae per typum significat, quasi dicat, Agar et Sina ejusdem rei gerunt significationem, scilicet veteris testamenti. Sensus hic optime servit illustrandae allegoriae, quam adfert Apostolus.

Porro nostra lectio, quae apud omnes est Latinos interpretes, varie ab illis exponitur. A nonnullis hoc modo: Bene testamentum illud vetus generans in servitutem ortum est a monte Sina; quia mons ille situs est in Arabia, quae regio est extra terram promissionis: ut intelligatur, filios veteris testamenti non pertinere ad promissionem Abrahae factam. Alii vim probationis ponunt in eo, quod postea sequitur: *et servit cum filiis suis:* tanquam argumentetur Apostolus ex qualitate seu conditione montis et filiorum sive accolarum ejus, qui cum, ut plurimum, servi sint, recte mons ipse, quem accolunt, typum habet testamenti generantis in servitutem.

At quoniam haec posterior expositio, quemadmodum et ea, quae probationem accipit ex etymo vocis Arabiae, qua significatur humilitas ac depressio servituti propria, longius petitae videntur; atque adeo incertum est, an habitatores montis Sinai, quo tempore Paulus haec scribebat, servilis fuerint conditionis: idcirco juxta priorem expositionem magis arbitramur, Apostolum urgere velle situm et

qualitatem loci, sine consideratione personarum, quasi dicat, convenienter a monte Sina vetus testamentum profluxit; nam Sina mons est horridus in Arabia, longe extra fines terrae promissae situs; proinde aptissimus ad significandam veteris testamenti qualitatem, quae est timorem et horrorem incutere et servos facere, promissionis exortes, et ab haereditate alienos.

Qui conjunctus est ei, quae nunc est Jerusalem. Graece, *conjungitur autem ei.* Hieronymus legit, *qui conterminus est ei.* Quaeritur, quomodo mons Sina conjunctus seu conterminus sit civitati Jerusalem, cum secundum veram geographiam distet ab ea ferme viginti dierum itinere, quemadmodum etiam Thomas testatur. Quidam respondent, conjunctum esse non vicinitate loci, sed per radices illuc usque protensas. Genebrardus exponens Psalm. 132. affirmat, montem Sina perpetuo dorso porrigi usque ad montana Sionis. Sed haec aegre fidem admittunt ob nimiam, ut dictum est, locorum distantiam, nec ullo fide digno testimonio suffragante. Sunt, qui *conjunctum* interpretentur, e regione situm, etsi longe distantem. Thomas conjunctum intelligit per continuationem itineris Israëlitarum ex illo monte proficiscentium in terram promissionis et in ipsam Jerusalem. Alii alias expositiones adferunt, quas diligenter recenset Adamus Sasbout.

Ut autem germanum sensum assequamur, sciendum est, verbum Graecum συστοιχεῖ, quod interpres noster vertit, *conjunctum esse*, Erasmus et Hentenius *confinem esse*, Theophylacti interpres *contiguum esse;* non qualemcunque significare conjunctionem, sed eam, quae est in natura et proprietate ingenii aut in re quacunque simili: quam conjunctionem Latini consensum, cognationem, affinitatem vocare solent; ut et ea, quae sic conjuncta sunt, affinia seu cognata inter se, quemadmodum docte explicat Budaeus in commentariis linguae Graecae.

Sensum igitur hunc esse putamus: Qui mons Sina cognationem habet cum ista terrena Jerusalem, eique congruit, quoad mysticam significationem. Nam Sina vetus testamentum significat, terrena Jerusalem sedes est populi Judaici, id est, filiorum veteris testamenti. In monte Sina lex vetus data est; in terrena Jerusalem principatus est legis veteris, propter templum et ceremonias, et studium legis retinendae. Denique idem est populus continuitate successionis, qui legem in monte Sina accepit, et qui nunc in Jerusalem habitans, pro eadem lege pugnaciter contendit. Adfert hunc sensum Theophylactus secundo loco, et sic quidem, ut approbare eum videatur.

Quod ergo dicit Apostolus: *Quae nunc est Jerusalem,* non ita exponendum: quae nunc dicitur aut vocatur Jerusalem, quomodo Erasmus et Hentenius nimium licenter transtulerunt; quasi sensus sit, quae quidem olim aliis nominibus appellata fuit, ut Jebus et Salem, nunc autem Jerusalem vocatur. Neque enim ad rem praesentem facit, quod ea civitas non idem semper nomen habuerit, cum utique etiam illo tempore, quo lex lata est, eam vocatam fuisse Jerusalem satis ex libro Josue perspicuum sit. Sed: *quae nunc est,* id est, hujus temporis ac saeculi; haec, inquam, terrena Jerusalem. Mox enim opponit *illam, quae sursum est,* id est, coelestem Jerusalem, cujus spes omnis in futurum saeculum extenditur, juxta illud Hebr. ult. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Similis antithesis alibi, cum ait: *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Col. 3. Atque haec interpretatio veterum est tam Latinorum quam Graecorum.

Postremo notandum, partem illam: *Conjungitur autem ei, quae nunc est Jerusalem,* sic enim in Graeco legitur, referri posse juxta graecam lectionem ad *Agar,* de qua praecesserat: *Nam Agar Sina mons est in Arabia;* tametsi Graeci interpretes, uti supra dictum est, Agar a Sina in hac parte non distinguunt.

Et servit cum filiis suis. Quidam hoc ad *eam, quae nunc est Jerusalem,* refe-

runt, eamque servire cum filiis suis interpretantur, vel quia civitas illa cum populo suo serviebat Romanis, vel quia legis Mosaicae servitute premebatur. Quam expositionem probabilem facit pars sequens, qua e diverso dicitur *eam, quae sursum est Jerusalem, liberam esse.* Sed ut eo referatur, Graeca vix admittunt. Alii proinde copulant cum illa parte: *Quae est Agar,* nam caetera media claudunt parenthesi, quemadmodum in multis codicibus impressis videre est. Secundum hos itaque sensus est: Vetus testamentum, significatum per Agar, servit cum filiis suis, id est, in filiis; quatenus scilicet filios suos in servitutem generat. Dicit autem *cum filiis,* eo quod ipsa Agar, in qua veteris testamenti typus erat, serva fuerit, et per hoc servitutem filiorum veteris testamenti praefiguraverit.

Porro alii referunt ad Sina montem, ac filios ejus intelligunt illius montis accolas. Quem sensum jam ante diximus minus nobis probari. Quocirca, sive ad Jerusalem terrenam, sive potius ad vetus testamentum, quod est Agar, sive etiam ad Sina montem, pars ista referatur; intelligendum est, quodlibet horum servire cum filiis suis, quod homines comprehendat, aut gignat, aut significet obnoxios illi servituti, de qua jam dixerat: *Unum quidem a monte Sina, in servitutem generans.*

26. *Illa autem, quae sursum est Jerusalem, libera est; quae est mater nostra.* Dixit Apostolus, quid per Agar ancillam allegorice significetur; nunc, quid per Saram liberam significatum fuerit, ostendit, scilicet novum testamentum, quod filios suos in libertatem generat. Id enim volunt haec Apostoli verba, quibus dicit *eam Jerusalem, quae sursum est,* intellige, quae est Sara per significationem, liberam esse ac matrem nostram. Nec refert ad rem propositam, sive per Saram dicatur intelligi novum testamentum, sive Ecclesia novi testamenti. Sunt enim haec duo conjuncta, sic ut alterum ex altero intelligatur. Unde Apostolus utrumque dicit: illud quidem, cum ait: *Haec enim sunt duo testamenta.* Istud vero, praesenti loco, *Saram* exponens *Jerusalem, quae sursum est.* Nam et similiter dici poterat, per Agar vetus testamentum significari et Ecclesiam veteris testamenti, id est, Synagogam, quae filios suos in servitutem generabat.

Porro novi testamenti Ecclesiam Apostolus vocat *Jerusalem, quae sursum est,* id est, *Jerusalem* supernam, et ut loquitur Hebr. 12. *coelestem;* non quod solam triumphantem in coelis Ecclesiam hic intelligi velit (totam enim Christi Ecclesiam hac notatione comprehendit), sed quia etiam qua parte militat et peregrinatur in terris, tamen per fidem et spem sursum est, dum ea, *quae sursum sunt, quaerit et sapit, non autem ea, quae super terram,* Col. 3., cujus et conversatio in coelis est Phil. 3. Unde et Joannes in Apoc. 21. hanc eandem sanctam civitatem Jerusalem novam videt descendentem de coelo a Deo.

Contra vero, qui ad vetus testamentum et terrenam Jerusalem pertinent, sicut de terra sunt, ita terrena quaerunt et sapiunt, et terrenis ducuntur promissis: qualia nimirum vetus proponebat testamentum. *Libera est autem superna Jerusalem,* et filios suos in libertatem generat eam, quae servituti filiorum Agar dudum a nobis explicatae opponitur. Quae proinde libertas praecipue posita est in spiritu dilectionis, quem Apostolus Rom. 8. vocat spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant Abba, Pater. Secundaria autem ratione consistit in eo, quod filii novi testamenti per Christum exempti sunt a servili jugo legis Mosaicae.

Jam quod addit Apostolus, *quae est mater nostra;* significat, nos, quos per fidem et baptismum Ecclesia gignit, liberos esse; utpote ex matre libera genitos. Ubi notandum, in Greco et Syriaco legi, *quae est mater omnium nostrum;* eandemque lectionem apud Hieronymum et Primasium haberi. Videtur enim Apostolus hac universali nota significare voluisse magnam fidelium novi testamenti multitudinem ex gentibus collectam et colli-

gendam; atque ita etiam Galatas esse filios coelestis Jerusalem, ac proinde liberos. Eo namque pertinet probatio sequens de multis filiis.

27. *Scriptum est enim,* apud Jesaiam cap. 54. Citat hoc Prophetae testimonium Apostolus, non ut in Hebraeo est, sed juxta versionem LXX., quorum tamen sensus per omnia concordat cum Hebraica veritate, quemadmodum facile liquet conferenti.

Laetare sterilis, quae non paris; erumpe et clama, quae non parturis. Verba sunt Prophetae ad Ecclesiam novi Testamenti. Tu, inquit, Ecclesia, quae usque ad Christi adventum sterilis fuisti, et ex gentibus quidem pene nullos, ex Judaeis vero paucissimos Christo filios, eosdemque sub servitutis velamine, tanquam et ipsi servi essent, latitantes, enixa es (nam parere et parturire pro eodem hic ponuntur), laetare, erumpe et clama, id est, cum laetitia Deum lauda, et in clamorem et cantica laudis erumpe. Sic enim sensum complemus ex Hebraeo, ubi pro *laetare* lauda, et pro *erumpe* et *clama,* decanta laudem et hinni legimus. Ratio laudis et laetitiae sequitur:

Quia multi filii desertae, magis quam ejus, quae habet virum. Desertae, id est, solitariae: nam in Graeco nomen est, non participium. *Desertam* autem vocat, quasi a toro repulsam aut sejunctam propter sterilitatem. *Eam vero, quae habet virum,* intelligit eam, cum qua vir consuetudinem habet propter foecunditatem. Nam hac phrasi, qua vir dicitur habere mulierem et mulier virum, significari commixtionem viri cum muliere, ostendimus in expositione cap. 5. et 7. prioris Epist. ad Corinthios.

Proinde sensus est: Merito laetandum tibi est, quia tu, quae hactenus solitaria fuisti, nec viro ad gignendos filios conjuncta (sterilis enim eras); nunc foecunda reddita, Christo viro tuo filios paries multo plures, quam Synagoga viro suo conjuncta, id est, legem Mosaicam studiose amplexata, toto veteris Testamenti tempore filios peperit. Nam legem Mosaicam virum fuisse Synagogae docet Apostolus Rom. 7.

Potest autem et hac ratione intelligi *deserta* seu solitaria, quod sola esset, filios non habens, ex quibus familia multiplicaretur. Unde quod juxta Symmachi interpretationem legitur Psalm. 67. *Deus inhabitare facit solitarios in domo;* id Psalm. 112. ita expressum est: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.* Et haec expositio videtur magis germana, consideranti has et similes Scripturas. Qualis est illa Thren. 1. *Quomodo sedet sola,* id est, sine filiis, *civitas* prius populosissima. Et Jes. 49. *Ego destituta et sola,* ubi praecesserat: *Ego sterilis, et non pariens.* Item Baruch. 4. *Ego derelicta sum sola.*

Quod autem quidam hic speculantur, desertam fuisse Ecclesiam, quia fuerit derelicta in cultu idolorum aliisque peccatis: non facile est recipiendum, cum sit alienum a mente Apostoli et Prophetae. Nec unquam verum fuit, Ecclesiam servire idolis aut esse derelictam a Deo: licet Gentilitas sic fuerit derelicta, ex qua postea congregata et multiplicata fuit Ecclesia, quae Ecclesia fuerat antea in paucis hominibus.

Caeterum apposite admodum Apostolus, cum de mysterio Sarae sterilis ageret, adduxit hoc Prophetae testimonium, in quo Christi Ecclesia, per Saram praefigurata, sterilis vocatur; ut quemadmodum Sara post longam sterilitatem, tandem ex divina promissione ac virtute foecundata, filium peperit, in quo semen Abrahae multiplicaretur; ita significetur Ecclesia post sterilitatem tot saeculorum, tandem adveniente Christo, quam plurimos promissionis filios paritura, confluentibus ad eam undique gentilium populis.

28. *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* Allegoriam hactenus expositam propius admovet instituto. Loquitur autem in persona Christi fidelium. *Nos,* inquit, qui in Christum credimus, *non secundum Ismaël carnis filii sumus, sed secundum Isaac*

filii promissionis. Id est, juxta typum et similitudinem Isaac, quem supra naturae ordinem mater sterilis ex Dei promissione concepit, filii matris Ecclesiae sumus; non ex viribus naturae, sed supra naturam ex virtute Dei, qui Abrahae promisit, geniti, et, ut ait Joannes Evangelista: *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati.* Hinc colligendum relinquit Apostolus, eos, qui in Christum credunt, non debere esse sub lege. Qui enim sub lege sunt, non secundum Isaac promissionis filii sunt ex libera, sed secundum Ismaël filii carnis ex ancilla.

29. *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum; ita et nunc.* En altera congruentia figurae cum re figurata. Nam *sicut quondam Ismaël, qui secundum carnem natus erat, persequebatur Isaac, qui natus erat secundum spiritum; ita et nunc,* inquit, qui secundum carnem nati sunt, id est, legis aemulatores, qui ex sola legis cognitione sibi justitiam promittunt, persequuntur eos, qui secundum spiritum nati sunt, id est, per virtutem Spiritus sancti in filios adoptati. *Secundum carnem* natus Ismaël dicitur, quia genitus secundum naturalem virtutem carnis, scilicet ex matre foecunda; quemadmodum explicatum est supra. *Isaac* vero *secundum spiritum,* quia per miraculum natus ex matre sterili et vetula. Nam ea, quae supra naturam fiunt, peculiariter adscribuntur operationi Spiritus sancti. Non est autem hinc consequens, Isaac fuisse conceptum de Spiritu sancto, quod nos in symbolo de Christo profitemur. Hac enim locutione significatur, quod omne virile opus in Christi generatione suppleverit operatio Spiritus sancti. Quod non ita fuit in conceptione Isaac, ut qui natus est ex paterno semine.

Sed quaeritur, quae fuerit illa persecutio Ismaëlis adversus Isaac. Nam Gen. 21., quo Paulum respexisse constat, non persecutionem, sed lusum legimus. *Cum,* inquit, *vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit* etc. Respondeo, *ludum* non uno modo accipi in Scripturis. Interdum enim lusum serium significat, id est, pugnam, ut 2 Reg. 2., dicente Abner ad Joab: *Surgant pueri, et ludant coram nobis,* id est, dimicent.

Sic ergo nonnulli existimant, Ismaëlem lusisse cum Isaac, id est, ludendo conatum fuisse eum perdere, ut haereditas ipsi soli remaneret. Interdum vero dicitur de lusu ac gestibus colentium idola, ut Exod. 32. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.*

Porro quidam vocem Hebraeam in Gen. vertunt deridentem, sive subsannantem aut illudentem. Quo pertinet, quod Augustinus in sermone de Agar et Ismaële, citatus a Beda super hunc locum, sic ait: Lusum illum Paulus persecutionem vocat; quia lusio illa, illusio erat. Hieronymus quoque lusum hunc non simplicem fuisse docet, sed jurgium et contentionem, qua circumcisionis praerogativam, et primogenita sibi vendicabat Ismaël contra parvulum Isaac.

Alii denique vertunt lascivientem; quibus consonat Primasii commentarius: Persecutio nominatur, inquit, quia scurrilem eum et levem volebat facere, qualis ipse erat, ne sibi in haereditate praeponeretur. Sunt, qui intelligant, Ismaël per ludum inducere voluisse Isaac ad idola colenda; sive quemadmodum S. Thomas refert, ad adorandas imagines luteas, quas faciebat. Quemcunque vero lusum ex omnibus jam dictis intelligas, recte persecutio vocata est ab Apostolo, quia in omnibus illis persecutio quaedam est. Corporalis quidem in machinanda morte, et in derisione et vendicatione primogenitorum; spiritualis vero, quae corporali gravior est in eo, quod ad idololatriam, vel ad lasciviam inducere puerum voluit.

Sane utroque modo carnales Judaei filios Ecclesiae persecuti sunt. Corporaliter quidem; nam ut ait Apostolus 1 Thess. 2. *Et Dominum occiderunt Jesum et Prophetas, et nos persecuti sunt, et omnibus hominibus adversantur;* adeo

ut testetur Hieronymus, multo majores persecutiones a Judaeis in Christianos, quam a gentibus concitatas fuisse. Spiritualiter autem, in quantum fideles a Christo revocare, et ad legem suam traducere summo studio conati sunt.

Prioris generis persecutionem Paulus ipse prae caeteris expertus fuerat; posteriorem experiebantur Galatae, ad quos scribit. Quanquam non soli Judaei, sed in universum quicunque tam in Ecclesia, quam extra secundum carnem vivunt; mystice per Ismaëlem significantur et spiritualem Isaac, id est, filios promissionis, qui secundum spiritum vivunt, alterutro genere persecutionis exagitant. *Omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur;* utique a malis et carnalibus hominibus. 2 Tim. 3.


30. *Sed quid dicit Scriptura?* Id est, quid Scriptura commemorat Saram dixisse viro suo Abraham, quando vidit filium ancillae ludentem cum filio suo? Hoc nimirum, quod sequitur.

Ejice ancillam et filium ejus. Hic jam tertia congruentia figurae cum re figurata indicatur. Sicut enim Sara postulante, et Deo postulatum ejus approbante, ejecta est e domo Abrahae Agar ancilla cum filio suo; sic Ecclesia per spiritum Dei instante et perurgente, legem cum suis quasi necessariae observatoribus ejici oportuit e familia et populo Dei. Per quod palam demonstratur legis ac prioris testamenti cessatio. Atque hoc praecipuum est, quod Apostolus ex historia Genesis per allegoriam exposita docere voluit.

Non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae. Graece: *Non enim haereditabit,* hoc est, haereditatem accipiet. Nam haeres quispiam dicitur a jure succedendi in bona alterius: sive aliquando succedat, sive non. Unde est illud in Evangelio: *Hic est haeres; occidamus eum, et nostra erit haereditas.* Ea pars, *cum filio liberae,* apud Ambrosianum et Hieronym. legitur quomodo in Genesi: *cum filio meo Isaac.* Sed Graeca nobiscum faciunt; tametsi nulla in sensu diversitas est, nisi quod in nostra lectione magis elucet antithesis. Indicatur autem quarta congruentia, quod sicut ancillae filius non est admissus in partem haereditatis una cum filio liberae; sic qui sub lege sunt non percipient promissam haereditatem simul cum Christianis, ideoque merito cum lege sua foras mittendi. Terret hac sententia Galatas, ut intelligant se excludendos ab haereditate, si legem recipiant.

31. *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae.* Quamvis hoc recte sequatur ex eo, quod dixit: *Quae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra;* dictio tamen *itaque* hoc loco non tam concludentis esse videtur, quam accingentis se ad exhortationem subsequentem. Cujus etiam indicium est, quod *fratres,* appellet. Igitur, inquit, fratres, quotcumque in Christum credimus, *non sumus ancillae filii,* id est, non pertinemus ad legem, significatam per Agar, *sed sumus filii liberae,* pertinentes ad Jerusalem, quae sursum est, significatam per Saram. Unde scire ac meminisse debemus, nos liberos esse a servitute legis, utpote vocatos in libertatem spiritus, et a jugo ceremoniarum legalium, praefigurantium Christum, liberatos; veritate jam exhibita.

Qua libertate Christus nos liberavit. Id est, in quam Christus per mortem suam nos asseruit; ille nimirum, qui de seipso loquitur: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis,* Joan. 8. Hanc partem Graeci connectunt sequentibus, uti videbimus initio proximi capitis.



CAPUT QUINTUM.

State, et nolite iterum jugo servitutis contineri[1]. 2. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit[2]. 3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se[3], quoniam debitor est universae legis faciendae[4]. 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: gratia excidistis[5]. 5. Nos enim spiritu ex fide spem justitiae exspectamus[6]. 6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per charitatem operatur[7]. 7. Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire[8]? 8. Persuasio haec non est ex eo, qui vocat vos[9]. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit[10]. 10. Ego confido in vobis in Domino[11], quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille[12]. 11. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico[13]; quid adhuc persecutionem patior[14]? Ergo evacuatum est scandalum crucis[15]. 12. Utinam et abscindantur, qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem[16] detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem[17]. 14. Omnis enim lex in uno sermone impletur[18]: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 15. Quod si invicem mordetis et comeditis: videte ne ab invicem consumamini. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis[19]. 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur: ut non quaecunque vultis, illa faciatis[20]. 18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege[21]. 19. Manifesta sunt autem opera carnis: quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, 21. invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur[22]. 22. Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas[23]. Adversus hujusmodi non est lex[24]. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis[25]. 25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus[26]. 26. Non efficiamur inanis gloriae cupidi[27], invicem provocantes[28], invicem invidentes.

---

1) Joan. 5, 36. Act. 15, 10. 2) Gal. 2, 21. 3) Act. 15, 1. 10. 11. 4) Rom. 2, 25. 5) Cap. 2, 21. 6) Rom. 5, 1. 2. 7) Gal. 6, 15. 1 Cor. 7, 19. Jac. 2, 14.—17. 8) Cap. 3, 1. 9) Cap. 1, 6. Gal. 1, 1. 6. 10) 1 Cor. 5, 6. 11) Phil. 1, 6. 12) Gal. 1, 7.—9. 13) Gal. 1, 10. 14) 2 Cor. 11, 24. 15) 1 Cor. 1, 23. 16) Act. 15, 10. 20. Rom. 6, 13. 1 Petr. 2, 16. 17) Rom. 13, 9. 18) Matth. 22, 39. 40. Rom. 13, 8. 9. 19) Rom 8, 1. seq. 20) Rom. 7, 14. 15. 23. 21) Rom. 6, 14. seq. 22) 1 Cor. 6, 9. 10. Eph. 5, 5. 23) Eph. 5, 9. 24) 1 Tim. 1, 9. 25) Matth. 5, 29. seq. Rom. 6, 6. 26) Vers. 16. 27) Phil. 2, 3. 28) Vers. 15.

SUMMARIUM CAPITIS QUINTI.

A Circumcisione, simulque a ceremonialium observatione Galatas, epilogi modo, avertit: ad charitatem hortatur; enumeratione quadam ostendit, quae sint opera carnis, qui fructus spiritus.

1. *State.* Doctrinae superiori, qua ostendit eos a Christo in libertatem vocatos, exhortationem subjungit, dicens: *State*, id est, abjecta omni fluctuatione persistite constanter in libertate, quam per Christum semel adepti estis. Hunc sensum diserte exponunt Graeci codices, in quibus verbum *state* praecedentibus adhaeret in hunc modum: *Libertate igitur, qua Christus nos liberavit, state,* Tametsi Latini veteres Hieronymus, Ambrosianus, Augustinus, perinde ut nos legunt; nisi quod duo posteriores notam illationis in Graeco praecedentem hic adjiciunt, *state ergo.* Certe Graeca lectio apud me non parvum scrupulum habet, eo quod praepositione careat. Nam in Graeco non minus incongrue jungitur ἑστάναι cum dativo casu sine praepositione, quam Latinis stare cum ablativo, si quidem qualitas significetur, in qua standum, id est, persistendum sit. Legimus enim Joan. 8. *in veritate non stetit.* Et 1 Cor. 16. *State in fide.* Item *stare in Evangelio,* 1 Cor. 15. et *stare in gratia Dei,* Rom. 5. et 1 Petr. 5. Atqui stare veritate, fide, Evangelio, gratia Dei, vel quicquam tale, non addita praepositione non dicitur, nisi dum causa significatur, ut fide stare, id est, per fidem, ut Rom. 11. et 2 Cor. 1. Hoc autem loco non causam significat Apostolus, sed qualitatem, in qua standum sit, id est, libertatem Christianam.

Itaque Graecis, aeque ut Latinis, dicendum erat, in libertate, qua Christus nos liberavit, state, nimirum addita praepositione; quam etiam Syrus interpres, et Latini Graeca vertentes necessario supplendam sibi putarunt. Apparet ergo, Graecam lectionem hoc loco vitiosam esse ac fortassis veteri Latinae lectioni cedere debere. Nec desunt exemplaria Graeca, quae Latinae consentiant. Tria vetusta notat Robertus. Neque in diversum moveat verbum *state,* solitarie situm sine expressione ejus, in quo standum sit. Nam et alibi sic exhortatur, ut Eph. 6. *State ergo, succincti lumbos vestros.* Et 2 Thes. 2. *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones* etc. Porro notat Augustinus, Apostolum, cum dicit *state,* significare, eos nondum cecidisse; alioqui accommodatius dicturum, *surgite.*

Et nolite iterum jugo servitutis contineri. Pro *contineri*, secundum usum Latini sermonis aptius diceretur, *teneri, implicari.* Sensus est: Libertate donati ne patiamini vobis rursum imponi servitutem. Loquitur de lege Mosaica, quam vocat jugum servitutis, simili ratione, qua Petrus Act. 15. eam vocavit jugum importabile, scilicet propter multitudinem praeceptorum, quae servis congruebat magis quam liberis. Dicit iterum, non quod aliquando sub lege servivissent Galatae, sed eo sensu, quo dixit superiori capite: *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Servierant enim sub falsa religione deorum, a qua servitute per Christum liberatos hortatur, ne rursus in servitutem se conjiciant, legis jugum subeundo.

2. *Ecce, ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Urget Galatas autoritate suae personae, erat enim eorum Apostolus, et apud eos magni habitus. Si, inquit, aliquid apud vos mea valet auctoritas, ecce palam affirmo vobis ac denuntio, quod si circumcisionem recipiatis, non eritis participes beneficiorum Christi. Hanc sententiam ex diametro opponit ei, qua dicebant pseudapostoli Act. 15. *Quia nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari.* Ubi sciendum est, sicut pseudapostolos illos, ita Paulum Apostolum loqui ad gentiles, non ad Judaeos. Nam Judaei fideles, quamvis ex circumcisione justitiam non quaererent, adhuc tamen se aut filios suos

circumcidebant justis ex causis; tum ut honorifice Synagogam cum Mose ad sepulchrum ducerent, tum ut infirmorum ex Judaeis fratrum offensionem evitarent. Qua ratione Timotheum Paulus circumcidit.

At gentiles, quibus lex data non fuerat, quique proinde eas, quas dixi, causas circumcidendi se non habebant; si circumcidebantur, merito judicabantur id facere, quod persuasi essent, se, nisi circumciderentur, salvari non posse, prout judaizantes docebant. Unde patet, quod etsi post introductam Christi legem nec Judaeis nec gentilibus circumcisio fuerit ad salutem necessaria, peculiariter tamen gentilibus dicendum fuerit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* His enim circumcidi erat justitiam et salutem ex circumcisione exspectare. Hoc autem erat Christum abjicere. *Nam si ex lege justitia, gratis ergo Christus mortuus est:* supra cap. 2. fin. Erat igitur gentilibus circumcisionis ceremonia perniciosa et mortifera.

3. *Testificor autem rursus omni homini, circumcidenti se.* Graece: *omni homini qui circumciditur. Quoniam debitor est universae legis faciendae.* Graece: *totius*, ὅλον. Superiori sententia Galatas absterruit a lege, periculo proposito perdendae salutis, quae per Christum est. Hic idem facit opposita magnitudine oneris. Sicut autem ibi solis loquitur gentilibus, ita et hic. Neque enim Timotheus, cavendi scandali causa circumcisus, debitor factus est universae legis faciendae. Sensus igitur est: Iterum dico, et, si meum testimonium recipitis, plane testificor omni homini inter vos gentiles circumcidenti se, quod eo ipso, quo circumcisionem recipit, debitorem se constituit universae, vel, ut in Graeco, totius legis faciendae, id est, obligat se ad observandam totam legem Mosaicam, cujus innumera sunt praecepta ceremonialia ac plurima eorum gravia, molesta, difficilia. Ratio sententiae est, quia circumcisio erat legis professio. Nam divinitus instituta erat, tanquam visibile quoddam signum, quo homines inscriberentur in religionem Judaicam, quae lege Mosaica continebatur. Quamvis enim circumcisio fuerit antiquior lege, tamen ex quo lex lata est, coepit habere hujusmodi institutionem: perinde ut baptismus in nova lege, quem quicumque suscipit, se debitorem constituit totius Christianae legis. Quoniam ergo gentilis post Evangelium Christi praedicatum non eas habebat causas circumcidendi se, quas habere poterat Judaeus; consequens erat, ut si se circumcideret, ipso facto legem profiteretur, eique toti se, velut proselytum, subjiceret atque universum legis onus subiret.

Voluit autem hoc Apostolus Galatis testificatum esse et expresse declaratum, quia male persuasi erant a pseudapostolis Judaeis, etiamsi circumciderentur, non fore eos obnoxios toti legi, sed satis facturos, si praecipuas legis ceremonias observarent, ut Sabbata, Neomenias et certa ciborum discrimina. Nam neque ipsi magistri minuta quaeque legis observabant, sed satis habebant, si gentiles per circumcisionem et quaedam alia notabiliora legis quoquo modo ad legem Mosaicam traduxissent, ex ea re suam aucupantes gloriam apud homines suae gentis ac legis. Unde sequenti capite dicit de eis Apostolus: *Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.*

Sed quaeres, quomodo qui circumcidebatur debitor erat universae legis faciendae, cum secundum doctrinam praesentis Epistolae legalium observatio fuerit gentilibus illicita prorsus ac mortifera; ad quam proinde nec per circumcisionem obligare se poterant? Respondetur, eum, qui circumcidit se, teneri ad servanda legalia, non simpliciter, neque ex genere operis, sed ex intentione operantis. Dum enim putat, circumcisionem sibi esse necessariam ad salutem et ex hac opinione eam suscipit: consequenter eadem opinione durante, tenetur ad totam legem, cujus illa professio est, observandam; ita ut

peccet, si non observet. Tenetur, inquam, non absolute, sed supposita tali opinione, quae falsa est et abjicienda. Atque hoc est, quod Theologi docent, conscientiam errantem obligare hominem. Id quod ex hac Apostoli sententia recte statuitur. De qua re vide S. Thomae commentarium in hunc locum.

4. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini.* Redit ad explicandum id, quod dixerat: *Christus vobis nihil proderit.* Illud: *Evacuati estis a Christo,* Hieronymus putat male interpretatum esse, ac potius dicendum fuisse: *A Christi opere cessastis.* Erasmus vertit: *Christus factus est vobis otiosus;* Hentenius: *Soluti estis a Christo;* Theophylacti interpres: *Aboliti estis a Christo;* Ambrosianus et August. cum nostra lectione concordant. Omnium autem idem sensus est: Quicunque, inquit, ex lege justitiam quaeritis; aboliti et antiquati estis a Christo, id est, Christus vobis inanis, inutilis et otiosus factus est; nihil vobis negotii cum Christo, nihil per eum beneficii vobis exspectandum. Eadem Graeca phrasis habetur Rom. 7., ubi nos legimus: *Soluta est a lege viri.*

A gratia excidistis. Id est, beneficium gratiae Christi perdidistis. Nam qui ex lege justificari quaerunt, non exspectant justitiam a Christo per fidem, sicut veri Christiani faciunt. In quorum persona ex adverso subdit:

5. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiae expectamus.* Spem justitiae dixit Hebraea phrasi, pro ipsa justitia, quae speratur. Atqui nos, inquit, quicunque recte in Christum credimus, per spiritum, ex fide, qua Christum credimus auctorem justitiae, spe certa justitiam exspectamus et consequimur; non autem ex lege aut circumcisione.

6. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium.* Id est, in religione Christiana nihil valet, nihil confert ad justitiam et salutem, quod quis circumcisus sit, aut incircumcisus. Hoc idem est, quod dixit 1 Cor. 7.: *Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est.*

Sed fides, quae per charitatem operatur, scilicet, aliquid valet et quidem plurimum, ad justitiam sive acquirendam, sive exercendam atque augendam. Est enim fides totius justitiae fundamentum; quam tamen non praestat sine charitate, id est, ea dilectione, quam tot praeconiis Apostolus commendavit 1 Cor. 13. Sciendum est in Graeco sic legi: *sed fides per charitatem operata.* Est enim participium medium; quod Erasmus quidem tollendae ambiguitatis causa vertit active *per dilectionem operans;* et in annotationibus addit, *agens* rectius verti potuisse; quin et plerique expositores verbum *operatur* secundum usum Latini sermonis active interpretantur; ut sensus sit, quod ea fides, quae non otiosa est, sed per dilectionem exercet bona opera, tanquam bene agendi directrix, aliquid valeat in Christo.

Verum huic intellectui obstat, quod Graecum verbum medium ἐνεργεῖσθαι nusquam alibi legitur activa significatione, ne quidem apud auctores profanos; sed semper id significat, quod Latine dicimus agi, sive agitari, incitari, impelli, exerceri, aut quid simile passivum. Unde dicti ἐνεργούμενοι, qui a daemone agitantur. Hujus tamen passivae significationis exempla jam observavimus in praecedentibus Epistolis Pauli; ut Rom. 7. *Passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris.* Et 2 Cor. 1. *Pro vestra exhortatione et salute, quae operatur in tolerantia earumdem passionum.* Et ejusdem Epistolae cap. 4. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Ac rursus in sequentibus Epistolis occurrent exempla, ut Eph. 3. *Secundum virtutem, quae operatur in nobis.* Col. 1. *Secundum operationem ejus, quae operatur in me in virtute.* 1 Thess. 2. *Verbum Dei, quod operatur in vobis, qui credidistis.* Et 2 Thess. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* Accedit et locus Jac. 5. *Multum valet deprecatio justi*

assidua, Graece *operata*, id est, incitata et vehemens. Occurrunt autem subinde et alia verba deponentia, quae passive sunt exponenda, cum activam significationem apud Latinos habeant: quae proferemus in enarratione loci memorati 2 Thess. 2.

Porro ubicunque verbum *operari* in Scripturis manifestam habet activam significationem, in Graeco habetur ἐνεργεῖν verbum activum. Cujus duo exempla sunt in hac ipsa ad Gal. Epistola cap. 2. *Qui operatus est Petro* etc. et cap. 3. *Qui operatur virtutes in vobis.* Ejusdem exempla videre est Matth. 14. Marc. 6. 1 Cor. 12. Ephes. 1. et 2. Phil. 2. et alia, quae studiosus facile deprehendet.

Quae cum ita sint, locum praesentem non active, sed passive putamus exponendum esse, hoc sensu: *Sed fides per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus,* quasi dicat, quae per charitatem constituitur in actu, quamque charitas non sinit esse torpentem et otiosam. Hunc passivum sensum tradidit et comprobavit Turrianus in opere pro Epistol. veter. Pontificum, lib. 3. cap. 15. fin. Imo et Tertullianus contra Marc. lib. 5. cap. 4. hunc locum ita recitat, *fides, quae per dilectionem perficitur,* quomodo et Syra, hoc loco, redduntur. Charitas enim est velut ignis, anima, spiritus: inflammans, vivificans, impellens fidem; quae sine charitate frigida, mortua, otiosa est. Unde charitas forma fidei, caeterarumque virtutum a Theologis nuncupatur; uti contra sine charitate fides informis et mortua dicitur, sicut corpus sine spiritu, Jac. 2. Quae comparatio hic aptissime quadrat.

Quoniam vero fides sic per charitatem incitata agit et exercet bona opera; fit, ut sensus hic passivus ab activo, qui ab aliis traditur, haud multum discrepet, tandemque ambo in unum recurrant. Illud denique notandum contra haereticos, sicut et a commentatoribus tam Graecis, quam Latinis diligenter annotatum est, cum fidem in Christo Jesu aliquid valentem restringit Apostolus addendo, *quae per charitatem operatur,* aperte eum innuere, quod sit aliqua fides, quae per charitatem non operatur, sed otiosa sit et per hoc in Christo nihil valeat. Quod quidem expressius docet idem Apostolus 1 Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

7. *Currebatis bene.* Ex pristino profectu inconstantiam eorum accusat. Priusquam, inquit, aures accommodaretis novis magistris, egregie proficiebatis in fide Christi suscepta; quasi dicat, eratis in bona via, nec simpliciter ambulantes, sed magnum facientes progressum.

Quis vos impedivit veritati non obedire? Graece, *acquiescere.* Sensus est: quis, obsecro, tantum persuadendo potuit, ut vos impediret a veritate Evangelii retinenda? Non inquirentis, sed indignantis interrogatio est. Non enim interrogat, ut sciat a quo persuasi essent; sed tam male a quoquam homine persuaderi eos potuisse miratur et dolet. Simul insinuat in consequentibus, a diabolo profectam esse ejusmodi persuasionem. Chrysostomus illud: *veritati non obedire,* prorsus reticet, ac tantum legit: *Quis vos impedivit?* Sed nec Theodoretum plus legisse, ex ejus commentario apparet. Posteriores tamen Graeci, perinde ut et Latini omnes, legunt et exponunt. Certe sensus sine eo probe constat, ut verbum *impedivit* referatur ad cursum; hoc modo: *Bene currebatis; quis cursum vestrum tam bonum interrupit?* Sic enim exponit Chrysostomus. Habuimus eandem particulam superius cap. 3. *Quis vos fascinavit non obedire veritati?* Atque eo loco ostendimus videri addititiam esse.

Nemini consenseritis. Hoc, quia nec in Graecis libris, ait Hieronymus, *nec in his, qui in Apostolum commentati sunt, invenimus; praetereundum videtur.* Sic ille; sed et qui post Hieronymum in Apostolum scripserunt, Chrysostomus, caeterique Graeci, item Augustinus, Primasius, Liranus, non agnoscunt, ut nec hodierni codices Graeci ac Syriaci nec manuscripti Latini vetustiores, deni-

que nec editio Clementina. Quanquam et id certum est, jam olim etiam Hieronymi tempore Latinos quosdam codices eam particulam habuisse; nam exponunt eam auctores commentariorum, qui Ambrosii et Hieronymi titulo feruntur, nec ipse Hieron. in suo commentario meminisset, nisi legisset in quibusdam, tametsi non apparet, ex quo alio loco huc transferri potuerit. Sensus autem facilis est: Nemini prorsus, quicunque tandem ille sit, qui vos ad legalium observationem solicitat, acquiescite.

8. *Persuasio non est ex eo, qui vocat vos.* In quibusdam codicibus addito pronomine legitur: *persuasio haec non est* etc. Hieronymus legit, *persuasio vestra;* Augustinus *suasio vestra.* Idem pronomen et Syriaca habet interpretatio: verum tam Graeci codices, quam Latini meliores nihil tale addunt. Ac Graece tantum est: Persuasio non ex vocante vos. Refertur autem haec pars ad praecedentem interrogationem: *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Estque in Graeco *persuasio* verbale nomen ab illo, quod interpres vertit *obedire,* ut proinde *persuasio* non active debeat exponi, qua quis persuadet, sed passive, qua quis persuadetur, ut credat.

Itaque sensus est: Haec vestra credulitas, qua tam leviter estis persuasi recedere ab eo, quod a me accepistis, non est ex eo, qui principio vocavit vos ad fidem; id est, ex Deo; sed potius ex diabolo. Hoc enim tacite vult intelligi. Nam quod Hieronym. in comment. persuasionem referri tantum vult ad liberum arbitrium hominum excluso diabolo; quodque post alia etiam ita scribit: *Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est: quia persuasio nostra non est ex eo, qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti:* hoc, inquam, ut sonat, nequaquam recipiendum est, ac potius ad Origenis errores, ex cujus commentariis multa Hieronymus excerpsit, rejiciendum. Quatenus autem Hieronymi sunt verba, ex iis, quae postea contra Pelagium secundum fidem catholicam disseruit, vel corrigenda vel benigne sunt interpretanda. Scripsit enim hunc commentarium Pelagio nondum exorto, et per hoc minus caute.

9. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Graece: *totam conspersionem fermentat.* Atque in hunc modum emendare se priorem versionem Hieronymus profitetur. Apud Augustinum quoque fermentandi vocabulum legitur, tametsi textus Ambrosianus cum nostro convenit. Est autem allegorica Apostoli sententia, quam et in prima ad Cor. Epist. cap. 5. adduxit, cum de fornicario excommunicando loqueretur. Eam non uno modo ad rem praesentem applicant expositores.

Nam Graeci, quos et Cajetanus sequitur, sensum hunc faciunt: non est, o Galatae, quod existimetis rem parvi esse momenti, si non totam legem, sed vel solam circumcisionem, vel cum ea pauculas observationes Mosaicas recipiatis. Nam sicut modicum fermenti totam massam, cui miscetur, imbuit sui sapore; sic vel exigua legis portio, si cum Evangelio misceatur, sinceritatem ejus corrumpet: quandoquidem totius et partis, quoad negotium justificationis eadem ratio est. Ad hunc sensum accedere videtur Hieronymus in fin. lib. 2. comment. in Matth. Tractans enim illud cap. 16. *Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum,* citansque hanc Apostoli sententiam, cum fermenti proprietatem exposuisset, subjecit: Ita de doctrina haeretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit; in brevi ingens flamma crescit, et totam hominis possessionem ad se trahit.

At vero idem Hieronymus in hujus loci commentario, nec non Augustinus, Primasius, caeterique Latini, referunt ad personas; quasi dicat Apostolus: Ne putetis paucorum hominum, qui a Judaea venientes aliud docent, insidias esse contemnendas: facile enim ac cito ad multos penetrabit paucorum doctrina; non secus atque fermenti vis ad totam massam. Quae Latinorum expositio commendatio-

nem habet ex altero loco Apostoli, ubi de homine separando agebatur, ne moribus suis multitudinem inficeret. Eodem invitat illud praecedens: *Quis vos impedivit?* et quod statim sequitur: *Qui autem conturbat vos.* Maxime vero illud, quod postea dicit: *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant,* scilicet, ne massam totam corrumpant.

10. *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis,* sive ut Ambrosianus legit *sentietis.* Quamvis, inquit, aliqua causa sit metuendi, ne a paucis multi corrumpamini, tamen bene confido de vobis per Christi Domini gratiam, quod non patiemini vos pertrahi in aliam sententiam, scilicet a doctrina, quam accepistis, diversam. Hinc utique manifestum est, ait Augustinus, nondum illos fuisse possessos a malis suasoribus.

Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille. Judicium dixit pro poena, quae juste infertur, et est sensus: Qui vestram in fide Christi tranquillitatem nova doctrina perturbat; justas poenas luet, non effugiet judicium, quicumque is fuerit. Notare videtur unum aliquem prae caeteris insignem turbationis Galatarum auctorem. Non liquet utrum denuntiet extremi judicii vindictam, an vero, quod quibusdam placet, tacite minetur judicium excommunicationis.

11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico: quid adhuc persecutionem patior?* Pseudapostoli, quo facilius Galatis circumcisionem persuaderent, dicebant, ipsum Paulum quoque, eorum Apostolum, circumcisionis praeconem esse; ut qui Timotheum circumcidisset, et alias non semel deprehensus fuisset legis ceremonias observasse. Quam calumniam refellens Apostolus, dicit: *Ego, fratres, si adhuc,* id est, postquam conversus sum ad Christum, *circumcisionem praedico* servandam; *cur usque hodie persecutionem patior a Judaeis?* Hoc quippe certum argumentum est, me circumcisionem et legem non praedicare, quod Judaei, qui pro sola legis aemulatione mihi infensi sunt, adhuc non cessent me persequi: secundum illud, quod supra dixi, filios ancillae persequi filios liberae.

Ergo evacuatum est scandalum crucis. Sive, ut in Graeco melius haberi dicit Hieronymus: *Ergo cessavit.* Quod alii vertunt, abolitum est; vulgo cassatum vocant. *Si,* inquit, *ego circumcisionem adhuc praedico,* debet ergo cessare offensio Judaeorum, qua offenduntur ob crucis praedicationem. Non enim tam offendit eos praedicatio Christi crucifixi, quam legis per crucem abolitae: vellent enim legem cum Christo retinere. Sic Hieronymus.

Alii scandalum crucis exponunt ipsam crucem Christi, quae Judaeis Christum sibi promissum exspectantibus scandalo fuit, ne praesentem et in propria venientem reciperent. Unde Apostolus 1 Cor. 1. *Nos,* inquit, *praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Ita sensus erit: Si ego circumcisionem et legem adhuc praedico, ergo secundum meam doctrinam abolita est crux Christi, cujus humilitas et ignominia Judaeos tantopere offendit et avertit a fide Christi, tanquam dicat: Ergo frustra crucem Christi praedicamus, cum tanto Judaeorum scandalo. Sequela manifesta est, quia *si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Juxta hunc sensum valde probabilem, quem tradit Augustinus, deducit Apostolus argumentationem hac parte ad incommodum longe majus, quam parte praecedenti.

12. *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant.* Graece: *qui vos labefactant,* est enim in Graeco diversum vocabulum ab eo, quod supra: *Qui autem conturbat vos;* significat autem a statu dimovere ac dejicere, aut certe hujusmodi dejectionem moliri; pro quo Tertullianus et Ambrosianus legunt, qui vos subvertunt, id est, qui student vobis auferre libertatem, in qua statis atque ex ea deturbare vos conantur. Nam sequitur: *vos enim in libertatem* etc.

Porro quam abscissionem hic nominet

Apostolus, variant opiniones. Hieronymus, Ambrosianus et Graeci omnes ita exponunt: Utinam qui circumcidi vos volunt et per hoc commovent: ipsi, non dico circumcidantur ablatione peliiculae (sunt enim circumcisi), sed exsecentur etiam, scilicet amputatione totius membri, de cujus circumcisione tam graves motus excitant. Sensus hic etiam Cajetano probatur, nec immerito, siquidem Apostolus etiam alibi de carnali circumcisione per contemptum contra judaizantes loquitur, ut Phil. 3. *Videte concisionem; nos enim sumus circumcisio;* et rursum: *Quorum gloria in confusione* seu pudore, id est, secundum quosdam in pudendis ipsorum, nempe quia gloriabantur in membro illo circumciso, et gloriosum ducebant, si illam circumcisionis ceremoniam quam plurimis persuaderent. Unde et sequenti capite de iis dicit: *Sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.*

Quod si quaeras, cur hac tali imprecatione non peccet Apostolus contra id, quod alibi praecipit: *Benedicite et nolite maledicere,* Rom. 12.; respondet post Hieronymum Cajetanus, hanc maledictionem non ex odio, sed ex justitia profectam esse. Justum enim erat, ut illi tale quid paterentur. Quamquam alii dictum hoc Apostoli per jocum excusant. Attamen hic sensus Augustino et Thomae non placet, sed hi ex maledictione benedictionem faciunt, de spirituali pudendorum abscissione Apostolum interpretantes; hoc sensu: Utinam spadones fiant propter regnum coelorum. Sic enim futurum, ut desinant carnalem circumcisionem magni facere.

Alii denique loqui putant Apostolum de abscissione, id est, separatione hominum, quae fit per excommunicationem. Qui sensus, praeterquam quod Apostolico spiritu dignior est quam primus ille, non parum etiam probabilitatis accipit ex ipso Apostolo. Jam enim dixerat: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* In quibus verbis continetur excommunicationis causa, videlicet periculum contagii; deinde visus est excommunicationem minari, cum dixit: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium,* nam secundum Tertullianum excommunicatio praejudicium quoddam est ad extremum judicium Dei. Adde, quod abscindere pro eo, quod est separare a consortio seu conversatione, etiam alibi legitur in Scripturis, ut Ecclesiastici 25. de muliere nequam: *A carnibus tuis abscinde illam.* Jes. 53. *Abscissus est de terra viventium.* Ezech. 37. *Periit spes nostra, et abscissi sumus.*

Jam vero magis etiam hic sensus placebit, si praesens locus conferatur cum eo, qui est 1 Cor. 5., ubi fornicarium excommunicandum decernit Apostolus. Nam et illic adducit eandem sententiam: *Modicum fermentum* etc. Et ante dixerat: *Ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Quod idem fere est cum his verbis: *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant.* Unde et ibidem concludit: *Auferte malum ex vobis ipsis,* quod est abscindere. Sed et judicii meminit eo loco, primum cum ait: *Jam judicavi ut praesens tradere hujusmodi hominem* etc. Et postea: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?*

Ex quibus omnibus apparet, Apostolum dicentem: *Utinam et abscindantur,* optare, ut non solum portent qualecunque judicium, qui Galatarum statum turbabant, verum etiam anathema fiant, per excommunicationis gladium amputandi penitus ab illorum consortio. Quod si Paulus abscissionem eam, quam Chrysostomus interpretatur, intelligi voluisset; usus fuisset ejusdem verbi composito cum Graeco περιτέμνειν, circumcidere, ut allusionem lector animadverteret. Atqui non dixit ἀποτμήσονται, quamvis in usu sit apud Graecos, sed ἀποκόψονται.

13. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres.* Dixi, inquit, *qui vos conturbant,* id est, dimovere conantur a statu libertatis; quia vos, fratres, in libertatem vocati estis a Christo. *Libertatem* intelligit eam praecipue, cui contraria est servitus legis, ad quam Galatas pertra-

here volebant pseudapostoli, hoc est, libertatem a ceremoniis et jugo legis Mosaicae, cui tamen libertati conjuncta etiam erat libertas a peccato et a timore servili, qui proprius erat effectus veteris Testamenti. His enim velut tribus partibus Evangelica libertas constat et perficitur; et ipsa est, ad quam, secundum Apostoli doctrinam, omnes fideles a Christo vocati sunt.

Quocirca mentem Apostoli pervertunt haeretici; primum, qui libertatem hanc Christianam et Evangelicam interpretantur immunitatem a legibus humanis. Quibus utique parendum esse, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, idem Apostolus apertissime docet Rom. 13.

Deinde et illi, qui libertatem ab Apostolo commendatam in eo constituunt, ut unusquisque Christianus in conscientia et extra scandali periculum liber sit ad agendum vel non agendum ea, quae per se non continent rationem justitiae, quae illi vocant ἀδιάφορα, quale est uxorem ducere aut non ducere, carnes edere aut non edere, et alia hujusmodi. Quae doctrina, perinde ut superior, humanam potestatem legum ferendarum tollit e medio, et praeterea retrahit homines a multis, quae veram libertatem Christianam promovent; ut sunt inprimis Evangelica consilia.

Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. Ellipsis est in Graeco: deest enim verbum. Sic autem habet: *Tantum ne libertatem in occasionem carni.* Nam dativus *carni* etiam apud Hieronymum et Ambrosianum legitur. Itaque verbum *detis,* ipso Hieronymo teste, ab interprete additum est ad supplendam sententiam, quamquam et *capiatis* aut simile quid suppleri poterat.

Pulchre vero per occasionem vocabuli libertatis transitum hoc loco facit Apostolus ad moralem exhortationem, quae durat usque ad illud capitis sequentis: *Videte qualibus literis* etc. Cum enim libertatem animus carnalis facile cogitet eam, qua liberum cuique sit agere, quidquid libitum est; adeo ut nec defuerint haeretici, qui sic libertatem Christianam interpretarentur: monet Galatas, ne libertatem, in quam vocatos eos dixit, male intelligentes, eo nomine abutantur ad serviendum carni. Quam vero carnem Apostolus vocet, ex sequentibus intelligetur.

Sed per charitatem servite invicem. Quasi dicat: Haec libertas, de qua loquor, adeo non laxat carni habenas, ut etiam servitutem illi contrariam Christianis imponat, eam scilicet qua quisque proximo suo subserviat, exhibendo charitatis officia, quibus eum videt indigere. Servit enim, qui alterius commodis studet, sed hoc ipsum ex charitate faciendum est. Quidam codices legunt: *per charitatem Spiritus,* pro quo Ambrosianus: *per dilectionem Spiritus.* Verum in praestantioribus quibusque manuscriptis non additur *Spiritus,* ut nec in Graeco et Syriaco, sed et Hieronymus et Augustinus non agnoscunt.

14. *Omnis enim lex in uno sermone impletur.* Graeca addunt *in hoc,* scilicet sermone, qui sequitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Sensus Apostoli est: Cum dico, vos in libertatem vocatos esse, non revoco vos omnino a lege, sed solum ab ea, quae propria est servorum, quaeque vocationi vestrae repugnat, id est, a lege ceremoniali. Quod enim ad legem moralem attinet, in cujus observatione libertas vestra, quae est a peccato, consistit; quaeque eadem lex Christi est: hortor et moneo, ut per charitatem serviatis invicem: et sic eam legem implebitis. Tota enim lex hujusmodi impletur observatione unius mandati, quod est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Simile quid dicit capite sequenti: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi;* nisi quod *alterius onera portare,* tantum pars est ejus, quod est *per charitatem servire invicem,* et *proximum sicut seipsum diligere.*

Quaeri hic posset, quis dicatur *proximus,* et quis dicatur *diligere proximum* sicut seipsum; et quomodo, qui proximum sicut seipsum diligit, totam legem impleat,

cum lex non solum proximi, sed etiam Dei diligendi praecepta contineat. Sed haec a nobis explicata sunt in comment. Epist. ad Rom. 13. ad illa verba praesenti loco prorsus consonantia: *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis etc., in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Proinde nihil opus est hic eadem repeti. Tantum addo, praeceptum hoc ab Apostolo vocari *sermonem*, sive, ut in Epistola Rom. interpres vertit, *verbum*, ea ratione, qua decem praecepta legis Deut. 4. et 10. ab ipso Mose vocantur decem verba legis, nimirum ob brevitatem verborum, quibus singula praecepta comprehenduntur, ut quasi singula verba videri possint.

15. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* Pro *comeditis*, alii vertunt *devoratis*. Nam Graecum κατεσθίετε plus sonat quam comedere. Quod si vos, inquit, contra praeceptum hoc mutuae dilectionis, invicem mordetis et comeditis, id est, laeditis, seu levius seu gravius, quod est contra praeceptum illud dilectionis, quo dixi totam legem impleri: cavendum est, ne vos mutuo perdatis, id est, ne omnino privetis vos salute, quae est in Christo. Hanc perditionem, *consumptionem* vocat, ut persistat in metaphora morsus et comestionis.

Ad quas autem mutuas Galatarum injurias speciatim Apostolus respiciat, non liquet. Videntur intelligi obtrectationes et injuriae quaedam graviores, quibus se mutuo affecerant, sive occasione contentionis, quam inter se de lege et circumcisione habebant, sive (ut facile contingit) etiam ex aliis causis. Unde et generalem deinceps doctrinam subjicit de vitiis et virtutibus.

16. *Dico autem: spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Graece: numero singulari *desiderium* sive *concupiscentiam*. Hoc apud Ambrosianum, illud apud Hieronymum legitur. Sensus: Quod dicere volo, tale est, eorum, quae modo dixi, haec summa est: Vivite et conversamini secundum dictamen Spiritus sancti, manifestatum vobis in lege dilectionis. Quod si feceritis, quamvis caro solicitet ad peccata, non tamen facietis nec opere nec consensu id, quod caro desiderat aut concupiscit. Observandum, quod non ait, et desideria carnis non habebitis, sed: *non perficietis*. Quod non dicitur ad distinctionem ejus, quod est facere, sed ejus, quod est habere. Nam desideria carnis non habere, id est, pravos motus carnis non sentire, impossibile est in hac vita; non consentire autem, possibile fit nobis per Spiritum. Illud: *non perficietis,* potest etiam praeceptive intelligi, ne perficiatis; sicut dictum est: Diliges, id est, dilige; tametsi prior sensus, qui ab omnibus traditur, convenientior est, et ex sequenti sententia probationem accipit. Similiter nomine *Spiritus* significari Spiritum sanctum, ut interpretati sumus, non autem ut quidam volunt, spiritum humanum, quatenus tamen per Spiritum sanctum renovatus sit, ostendemus in eo, quod sequitur:

17. *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem.* Quaeritur, quid per carnem et Spiritum adversum se invicem concupiscentes Apostolus intelligat. Liranus et alii nonnulli duplicem hominis appetitum significari putant: inferiorem, qui fertur ad sensibilia, et ob id sensitivus appetitus vocatur, alio nomine sensualitas; et superiorem, id est, intellectum seu rationalem appetitum, quo diliguntur intelligibilia, quae sensu percipi nequeunt.

Sed refellitur hic commentarius: Primum, quia hi duo appetitus in multis sunt et non pugnant, ut in hominibus carnalibus, in quibus rationalis voluntas obsequitur desideriis carnis. At ubicumque illa duo sunt, quae nominat Apostolus, necesse est, ea sibi invicem adversari. Nam inter haec ubique pugnam et inimicitiam constituit, ut Rom. 8. et alibi. Qua ratione ad improbandum hunc commentarium utitur Augustinus sermone 43. de verbis Domini.

Deinde refellitur, quia quod carni tri-

buit Apostolus, scilicet concupiscere adversus Spiritum, id ipsum etiam in parte intellectiva reperitur, quemadmodum bene docet Augustinus lib. 8. confess. cap. 5. et seq. Non enim solum appetitus inferior adversus superiorem movetur, verum etiam ipse superior seu rationalis appetitus in seipso contrarietatem hujusmodi patitur; dum in homine justo voluntas, in quantum est per gratiam renovata, diligit aeterna et coelestia bona; quatenus autem vetustati adhuc obnoxia, terrenis commodis et delectationibus afficitur.

Adde, quod Apostolus in sequentibus quaedam enumerat inter opera carnis, quae proprie ad appetitum sensitivum referri non possunt, ut sunt idolorum servitus, sectae, invidiae: quod postremum vitium etiam est in daemonibus, quos utique constat appetitu sensitivo praeditos non esse.

Propter haec alii per carnem intelligunt animam, quatenus carnalis est, id est, ad vitia proclivis; per spiritum vero eandem animam, quatenus spiritualis est, id est, per Spiritum sanctum reformata.

Rursus alii, quod eodem recidit, hominem ipsum intelligi volunt, qui unus et idem caro dicitur, qua parte carnalis est; et spiritus, qua parte spiritualis. Nam Apostolus Paulus, qui profecto spiritualis erat, carnalem se vocat Rom. 7. propter fomitem peccati. Pro hac expositione potest illud adferri Joan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Verum, ut hoc aliquo modo probabile sit: si tamen diligentius hunc Apostoli locum expendamus, et cum iis, quae alibi scribit, conferamus, inveniemus nomine carnis ipsam carnalem concupiscentiam ex prima transgressione nobis insitam, ac nomine Spiritus, ipsum Spiritum sanctum significari. Nam quod hic carni tribuit, dicens: *Manifesta sunt opera carnis* etc., id ad Rom. 7. tribuit concupiscentiae sub nomine peccati, dum ait: *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam,* id est, omne genus pravorum desideriorum. Et iterum: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Hanc quoque pugnam carnis concupiscentis contra Spiritum eodem loco concupiscentiae tribuit sub nomine legis membrorum et peccati, sic inquiens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati. Carnem* hoc modo interpretatur Ambrosianus, usus argumento, quod dixi, ex Epistola ad Romanos.

Quam vero late pateat caro, id est, concupiscentia, quamvis praesens Apostoli locus satis doceat, ea tamen de re vide etiam, si lubet, quae diximus ad illud Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Per *Spiritum* vero Spiritum sanctum significari clare docetur ex cap. 8. ejusdem ad Rom. Epistolae. Nam quod hic statim dicitur: *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege;* illic de Spiritu sancto exponitur iis verbis: *Quicunque Spiritu Dei aguntur* sive *ducuntur,* est enim idem utrobique verbum in Graeco, *ii sunt Filii Dei.* Quo loco sunt et aliae sententiae, in quibus Apostolus carni Spiritum opponens, eundem modo Spiritum Dei, modo Spiritum Christi interpretatur.

Istud etiam hujus loci, quod paulo post sequitur: *Fructus autem Spiritus est* etc., non de alio Spiritu convenientius, quam de Spiritu sancto potest accipi. De quo proinde et sententiam praesentem Hieronymus, Anselmus, Aquinas, Cajetanus in commentariis et Augustinus variis locis intellexerunt. Nec ab his dissentiunt Theodoretus et Oecumenius, qui Spiritum exponunt gratiam Spiritus sancti, nec Ambrosianus, qui legem Dei oppositam legi peccati.

Denique confirmat hanc expositionem carnis et Spiritus, illa Domini sententia superius citata: *Quod natum est ex carne* etc., ubi caro et Spiritus id plane significant priori loco, quod jam exposuimus, licet posteriori loco per analogiam pro homine carnali et spirituali accipiantur.

Ut igitur apostolicam sententiam explicemus: *caro concupiscere dicitur ad-*

versus Spiritum, quia carnalis concupiscentia, quam ex Adam traximus, excitat et commovet in nobis prava desideria Spiritui sancto contraria: ut propter hoc etiam ipsa peccatum vocetur ab Apostolo, quia nimirum ad peccatum inclinat. *Spiritus autem concupiscere dicitur adversus carnem*; quia sancta desideria, quae carni contraria sunt, in nobis excitat. Ac breviter: *Caro concupiscit*, id est, concupiscere nos facit, *adversus Spiritum*; et *Spiritus concupiscit*, id est, concupiscere nos facit, *adversus carnem*; videlicet ea locutione, qua alibi dicitur idem Spiritus postulare et clamare, quia postulantes et clamantes nos facit. Vide Augustinum Ench. 12. Lib. 1. de nupt. et conc. cap. 28. et 29. Contra Jul. lib. 3. cap. 26. et 27. et lib. 6. cap. 5. Item lib. de natura et gratia cap. 52., 53. et 56., et lib. 8. Confess. a cap. 5. usque ad 11. Haec autem pugna non est nobis naturaliter a Deo insita, ut Cassianus tradere videtur Collat. 4. et 7., sed est ex peccato: tametsi Cassiani verba nonnulli benigne conentur interpretari.

Haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecunque vultis, illa faciatis. Graece: *Haec autem.* Et sensus est: Haec, quae dixi, caro et Spiritus contrariis motibus ac desideriis ita pugnant inter se in hominibus justis, quales vos estis, ut propter eam causam non omnia, quae vultis, faciatis. Vultis enim omnino non pati motus carnis, sed sine repugnantia quod bonum est facere: verum impediente carne non facitis, imo nec durante hac mortalitate facere potestis. Ideoque non dixi: *Et desideria carnis* non habebitis, non sentietis, sed *non perficietis.* Consonat hic locus cum illa sententia bis posita Rom. 7. *Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Proinde alterum ex altero declarandum.

18. *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Id est, si vos Spiritus sanctus movet, agit, impellit; si quemadmodum supra dictum est, Spiritu ambulatis, jam non estis sub lege, scilicet terrente, premente, vindicante; quomodo sub lege sunt homines aperte mali vel qui serviliter tantum ea, quae legis sunt, faciunt. Nam vos per Spiritum libenter ac sponte facitis ea, quae lex praecipit. Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus a voluntate peccandi. August. de nat. et grat. cap. 57. Congruit huic sententiae, quod idem Apostolus scribit 1 Tim. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis* etc. Quod suo loco plenius exponendum est. Sicut autem illic, ita et hic loquitur Apostolus de lege morali, de qua jam dixerat: *Omnis lex in uno sermone impletur.* Quoniam vero jugum legis ceremonialis per se servile erat, hinc consequenter intelligendum relinquit, incongruum esse, ut qui Spiritu ducuntur, et per hoc a servitute legis moralis liberi sunt, jugo legis ceremonialis sese submittant.

19. *Manifesta sunt autem opera carnis.* *Opera carnis* vocat omnia illa, ad quae caro, id est, concupiscentia carnalis homines incitat: cujusmodi non solum sunt peccata, quae proprie carnalia dici solent, id est, quae corporis delectatione perficiuntur, et 2 Cor. 7. inquinamenta carnis vocantur, verum etiam quae spiritualia. Nam utriusque generis peccata hic ab Apostolo recenseri, jam ante monuimus. Atque ex eo carnem non ita specialiter, ut quidam voluerunt, hoc loco accipi posse, bene probat Augustinus cum alibi, tum lib. 14. de civit. Dei, cap. 2. et 3. Dicuntur autem *manifesta opera carnis*, quia manifestum est, talia, quae hic enumerat, non Spiritu divino, sed concupiscentia carnis instigante fieri.

Quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. In hac operum carnis enumeratione nonnihil discrepant Latina a Graecis et ipsa Latina inter se. Graeca fornicationi adulterium praemittunt, astipulante Ambrosiano et Augustino lib. 14. de civit. cap. 2. At nobiscum facit idem Augustinus in commentario, nec non Hieronymus, adulterium omnino prae-

termittentes. *Fornicationem* quidam intelligunt concubitum soluti cum soluta, ut sit species ab adulterio distincta. Verum ex aliis Scripturae locis constat, nomen esse generale ad omnem concubitum maris et feminae non conjugalem, ut etiam adulterium et incestum comprehendat, velut Matth. 5.; 1 Cor. 5. et alibi.

Notandum pro tribus illis *immunditia, impudicitia* et *luxuria*, duo tantum in Graeco nominari, quae eadem habentur 2 Cor. 12., ubi Latine vocantur immunditia et impudicitia. Graecis Syra consentiunt et multa manuscripta Latina, quae *impudicitiam* non agnoscunt, uti nec Hieronymus, nec Augustinus tam lib. 14. de civit. quam in comment., nec Beda in hom. dedicat. altar., ubi ex hoc Apostoli loco tam opera carnis, quam fructus Spiritus ordine recenset, sed tantum immunditiam et luxuriam legunt, pro quibus Ambrosianus impuritatem et obscoenitatem. Unde satis apparet, *impudicitiam* et *luxuriam,* ex diversis editionibus acceptas, respondere uni vocabulo Graeco. Quid autem immunditia et impudicitia, sive ut hic legitur, luxuria significent et quomodo differant, diximus in expositione 2 Cor. 12.

20. *Idolorum servitus. Servitutem* pro cultu dixit interpres, nam Graece est εἰδωλολατρεία. Quomodo contingat, Christianum hoc peccato coinquinari, declaratum est ad illas Apostoli praeceptiones 1 Cor. 10. *Neque idololatrae efficiamini,* et: *Fugite ab idolorum cultura.* Quo autem sensu cultus idolorum, et quae deinceps sequuntur, ab Apostolo vocentur opera carnis, jam liquet ex iis, quae de carnis significatione supra disseruimus. De qua re consule etiam Augustinum loco jam citato de civit. Dei. Caeterum Galenus catech. 82. putat, intelligi illam idololatriam, de qua Eph. 5. et Col. 3. Argumento esse potest, quod etiam hic adjungatur peccatis libidinum.

Veneficia. Graece numero singulari φαρμακεία, id est, *veneficium.* Qua voce proprie quidem significatur veneni procuratio, etiamsi non habeat magicum aliquid conjunctum, sed extendi solet tam Graeca vox quam Latina ad omnia opera magica, quae nos maleficia vocamus, per quae nimirum ex pacto cum daemonibus inito nocumenta inferuntur hominibus aut eorum possessionibus. Unde Hieron. artes maleficas hic interpretatur. Secundum quam acceptionem apte subjungitur *veneficium idololatriae,* quia per hoc peccati genus daemonibus honor et cultus quidam exhibetur. At secundum priorem significationem convenit cum sequentibus.

Inimicitiae. Vitium eorum est, qui odia exercent contra alios, non eorum, qui haec patiuntur. Quantum enim in nobis est, ait Hieronymus, nullius esse debemus inimici, sed cum omnibus habere pacem.

Contentiones, aemulationes, irae, rixae. Quatuor haec vitia eodem prorsus ordine nominantur in 2 Cor. 12. Pro *contentione* (nam in Graeco singularis est numerus) alii litem vertere malunt. Significat autem pugnam verborum vehementem, qualis inter inimicos; tametsi potest in genere intelligi discordia, sicque facilius distinguetur a quarto vitio huic affini secundum Graeca vocabula. Quid autem sit *aemulatio,* quum in vitio ponitur, explicat Cicero lib. 4. Tusc. quaest. docetque esse aegritudinem seu dolorem animi inde natum, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat.

Porro quas interpres vulgatus hoc loco vertit *iras* et *rixas,* idem in 2. ad Cor. transtulit *animositates* et *dissensiones.* Sed et Augustinus hic non iras, sed animositates legit tam in comment., quam lib. 14. de civit. Significatur enim in Graeco non qualiscunque ira, sed impetus ac fervor animi exardescentis ad vindictam. Hebraei furorem vocare solent. Denique vitium hoc, quod interpres transtulit *rixas,* Graecis teste Hieronymo tale est, cum quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno.

Dissensiones. Alii vertunt, seditiones; rectius arbitror dissidia vocari: qualia sunt aut domesticorum inter se, aut civium, aut etiam fidelium, exempli gratia dicen-

tium: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae.*

Sectae. Graece αἱρέσεις, id est, dissidia opinionum in doctrina religionis aut certe ipsae opiniones sanae doctrinae adversantes. Sic enim videtur Apostolus haereses accepisse 1 Cor. 11. dicens: *Oportet autem et haereses esse.* Quae eadem acceptio bene congruit huic loco. Cum enim dissensiones seu dissidia jam nominasset, subjicit hic praecipuam ejus speciem. Cajetanus autem, quum dicit, non hic esse sermonem de haeresibus in fide Christi, sed in civilibus seu moralibus a communi bono recedentibus, non videtur satis attendisse ad hujus vocabuli significationem et usum in Scripturis, ubi semper aut plerumque ad religionem refertur, licet interdum etiam in bonam partem accipiatur, ut Act. 24. et 26.

21. *Invidiae, homicidia.* Haec eadem conjunxit Apostolus Rom. 1. Sunt enim consona vocabula, φθόνοι, φόνοι. Caeterum Augustinus *homicidia* non legit. Hieronymus etiam diserte excludit, cum reprehensione Latinorum codicum, unde nec hic textum habemus, sicut eum Hieronymus emendavit. Verum quoniam non in Latinis modo, verum etiam in Graecis haec pars legitur, eandemque Theophylactus in commentario declarat, utique non est a nobis expungenda. Quomodo autem differant aemulationes, quas dixit paulo ante, et invidiae, quas nunc dicit, vide nostrum comment. Jac. 4.

Ebrietates, comessationes et his similia. Haec duo vitia: *comessationes* et *ebrietates*, conjunxit etiam Rom. 13. Ubi et quae dicantur comessationes, exposuimus. De ebrietate vide, quae commentati sumus ad 1 Cor. 5.

Quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Graece: *Regnum Dei non haereditabunt,* sive ut explicatius legit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 49. *Regnum Dei non sunt haereditate consecuturi.* Pro quo Hieronymus et Augustinus: regnum Dei non possidebunt. Sic enim et noster interpres Graecum verbum reddidit 1 Cor. 6. Quo quidem loco phrasis haec apostolica diligenter a nobis explicata est. Quod autem ait: *praedico et praedixi,* respicit diem judicii et retributionis operum nostrorum, quasi dicat: De quibus operibus carnis praedico vobis et praemoneo, priusquam veniat tempus illud retributionis, sicut et praedixi ac praemonui, quum apud vos essem: eos, qui haec et similia agunt, non accepturos haereditatem regni Dei.

Sed quaeritur, quomodo verum hoc sit, cum inter opera superius enumerata sint quaedam suo genere non mortalia peccata, sed venialia tantum, quae non excludunt a regno coelorum, ut contentiones, aemulationes, irae et hujusmodi. Respondeo cum S. Thoma, quaecumque hic enumerata sunt, esse aliquo modo mortalia, sed alia quidem secundum genus suum, ut fornicationem, idololatriam, homicidium etc., quaedam vero mortalia secundum suam consummationem, velut iram, cujus consummatio est in grave nocumentum proximi, in quod proinde si consensus accesserit, peccatum erit mortale. Est sic de caeteris. Eandem quaestionem paulo aliter et obscurius solvit Cajetanus, ad quem lectorem subtiliorem remitto.

22. 23. *Fructus autem spiritus est.* Opera spiritus maluit Apostolus *fructum spiritus* vocare quam opera, ut ipso vocabulo ea commendaret. Nam sicut fructus arborum et utilitatem vitae praestat hominibus et delectationem, ita virtutes et opera, quae in nobis producit Spiritus sanctus, et vitam aeternam adferunt et ipsa quoque per se veram ac solidam delectationem pariunt in animis operantium, quemadmodum erudite docet S. Thomas in commentario. Hinc idem Apostolus Rom. 6. de operibus justitiae loquens: *Habetis,* inquit, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Vocat autem ea *fructum* Spiritus sancti singulari numero, propter connexionem omnium in charitate, tanquam principali dono Spiritus sancti, quam propter hoc primo loco posuit.

Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Pro his duodecim in Graeco tantum habentur novem. Absunt enim *patientia, modestia* et *castitas.* Ambrosianus numerat decem juxta numerum, ut inquit, decem praeceptorum decalogi. At Graecis consentiunt Hieronymus et August. in commentariis, ac rursum ille lib. contra Jovinianum: hic vero tract. 87. in Joannem, ubi locum hunc recitat et singillatim exponit. His consentit et Beda in hom. superius citata. Prorsus autem verisimile est, eadem Graeca vocabula diversis aliter et aliter fuisse translata, ut μακροθυμίαν, *patientiam* et *longanimitatem;* πραότητα, *modestiam* et *mansuetudinem;* ἐγκράτειαν, *continentiam* et *castitatem.*

Unde factum, ut tot Latinis vocabulis, nimia quorundam diligentia congestis in codicem vulgatae versionis, numerus excreverit. Quod ipsum et ex Hieronymi commentario colligitur. Argumentum ejus rei, quod in quibusdam Latinis libris *longanimitas* et *patientia* loco transponantur, ut illa sit quarta, haec octava. Ita vidimus in MSS. Laudensi. Charitas hoc loco non alia intelligenda est, quam illa, de qua cum alibi saepe, tum ex professo disseruit Apostolus 1 Cor. 13.

Caetera, quae deinceps sequuntur, ipsius charitatis quaedam germina sunt; quemadmodum per singula breviter et pulcre declarat Augustinus tract. memorato in Joannem. *Gaudium* intelligitur spirituale, quod idem Apostolus Rom. 14. vocat gaudium in Spiritu sancto. Est enim delectatio in iis bonis, quorum auctor est Spiritus sanctus, qualia sunt, quaecunque ad nostram pertinent sanctificationem. Opponitur autem invidiae et aemulationi. *Pax,* quam eodem loco ad Rom. ac rursum cap. 15. gaudio conjunxit Apostolus, tranquillam et pacificam cum proximis conversationem significat; atque opponitur inimicitiis. *Patientia,* sive quod Graeca vox sonat, *longanimitas,* quam multi Latini codices itemque S. Thomas et Liranus proxime adjungunt patientiae, pro qua alii lenitatem veterunt, virtus est, per quam aequo animo adversa tolerantur, sive ea propulsare possis sive debeas; modo talia sint, quae tolerare debeas. Etenim *charitas patiens est et omnia suffert.* 1 Cor. 13.

Inter benignitatem et bonitatem hoc interest, quod *benignitas,* graece χρηστότης significat morum facilitatem ac suavitatem, qua quis aliis sese libenter accommodat in bonum. Nam et *charitas benigna est.* Opponitur autem rixae et contentioni. *Bonitas* vero specialiter intelligi videtur, qua quis et a nocumentis abstinet, ac prodesse ac benefacere paratus est. Quod vel maxime charitatis officium est. Huic contraria sunt veneficia et homicidia.

Porro *mansuetudo* iras ex adverso respicit, eique affinis est *modestia. Fides* autem non ea intelligenda est, qua in Christum creditur; non enim hanc virtutem, quae fundamentum est totius justitiae, post alias tam multas in catalogo fructuum spiritus recenseret Apostolus; sed eam dicit fidem, quae spectatur in servandis pactis et promissis; estque pars justitiae specialis, quam et in utraque ad Tim. epist. nominat. Postrema *continentia* sive *temperantia* virtutum cardinalium una, cui *castitas* et sobrietas ut species subjiciuntur, omnibus libidinis et gulae vitiis opponitur, quae erant *fornicatio, immunditia, impudicitia, comessationes* et *ebrietates.*

Adversus hujusmodi non est lex. Repetitio quaedam est ejus, quod dixerat: *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Potest autem dupliciter intelligi illud *hujusmodi* tam in Graeco, quam in Latino: vel de fructibus spiritus jam enumeratis; adversus quos non est lex, quia fructuum hujusmodi opera lex non punit; vel de hominibus talia agentibus. Sic enim post enumerata opera carnis subjunxerat: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et quidem hoc modo similior erit ista sententia illi, quae est 1 Tim. 1. *Lex justo non*

est posita, sed injustis; id est, non est contraria justis, ut eos premat ac puniat, sed injustis. Quanquam et prior intellectus in eandem redit sententiam. Notanda quoque figura sermonis, qua minus dicitur, plus intelligitur. Lex enim non solum non adversatur bonis operibus, aut hominibus ea facientibus; verum etiam illa praemiis remuneranda denunciat. Itaque tacite intelligendum a contrario sensu ex parte superiori: quod qui talia agunt, regnum Dei consequentur. Id autem hic non expressit; ne putaretur hoc esse beneficium legis.

24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Graece: *carnem crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis.* Hieronymus *suam* non addit. Augustinus in commentario et epistola 38. legit *passionibus,* alibi *affectibus;* rursus alibi *perturbationibus.* Imperite vero commentator Ambros. nomen *Christi* accepit numero plurali, tanquam Apostolus Christianos hic vocet Christos, id est, unctos. Quod ex Graeco facillime refellitur.

Sensus est: Qui vere Christiani sunt, id agentes, quod profitentur; ii carnalem concupiscentiam spiritui adversantem cum passionibus ejus, hoc est, cum pravis desideriis, quae ab illa excitantur, in sese mortificaverunt, idque per Spiritum sanctum juxta illud Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quam vitiorum mortificationem vocat hoc loco crucifixionem; quia Christus crucifixus et mortuus veteris nostri hominis interitum ac destructionem in se voluit adumbrare; sicut idem a morte resurgens, novitatem vitae nostrae in se repraesentavit; quemadmodum id pulchre declarat Apostolus Rom. 6. *Passiones* autem hic dicit, quas explicatius passiones peccatorum vocavit Rom. 7.

Porro *mortificari carnem cum vitiis et concupiscentiis,* non est eam ita perimi, ut aut prorsus non sit, aut nulla prava in homine desideria commoveat, quod in corpore mortis hujus non contingit; sed ita superari, deprimi ac debilitari per spiritum, ut non amplius dominetur. Sic enim mortem hanc peccati exponit Apostolus ejusdem ad Rom. epistolae cap. 6. cum ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Porro si, qui Christi sunt, carnem suam cum vitiis crucifixerunt; igitur, qui non crucifigunt carnem suam et vitia, non sunt Christi.

25. *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Graece, *incedamus.* Hieronymus legit, *spiritui obtemperemus:* Augustinus, *spiritu et sectemur.* Caeterum in Graeco non est verbum περιπατεῖν, *ambulare,* quod usitatissima in Scripturis metaphora significat conversari et actiones instituere; quasi sensus sit, si vere in vitam novam per spiritum regenerati sumus, motus vitae respondeat, id est, exerceamus opera vitae hujus spiritualis, quae sunt bonae et sanctae actiones: sed est verbum στοιχεῖν, quod significat ordinate incedere et intra limites suos se continere. Quocirca Chrysost. et ejus sequaces Theophyl. et Oecum. hoc modo interpretantur: Si vere secundum spiritum vitam agimus; stemus et incedamus ordine nostro, et intra spiritum nos contineamus; id est, contenti Evangelio, quo traditur lex spiritus vitae, legem Judaeorum carnalem non adducamus. Potest etiam sic intelligi: si spiritu vivimus, viam, quam monstrat spiritus, teneamus, nec defluamus a spiritu ad opera carnis. Certe huic sensui magis quadrat, quod sequitur:

26. *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Provocantes* ad pugnas verborum; et si victi fuerimus invidentes. Aperit fontem contentionum et invidiae. Nam ex cupiditate gloriae, qua quisque cupit inter homines excellere, promanant haec vitia. *Inanis* autem vocatur ea *gloria,* vel quia caduca est et momentanea; vel potius, quia tantum in hominum opinione posita. Hoc dicit propter contentiones et dissidia inter Galatas exorta; sive de legalibus, ut quidam exponunt, sive de aliis rebus: non enim expressit

hoc Apostolus. Loquitur autem in prima persona, velut seipsum comprehendens; quo civilior ac minus aspera sit admonitio.

CAPUT SEXTUM.

Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis[1]), considerans te ipsum, ne et tu tenteris[2]). 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi[3]). 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit[4]), ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. 5. Unusquisque enim onus suum portabit[5]). 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis[6]). 7. Nolite errare: Deus non irridetur. 8. Quae enim seminaverit homo, haec et metet[7]). Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem[8]): qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam[9]). 9. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes[10]). 10. Ergo dum tempus habemus[11]), operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 11. Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu[12]). 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur[13]). 13. Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt[14]): sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur[15]). 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi[16]), per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo[17]). 15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura[18]). Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israël Dei[19]). 17. De caetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto[20]). 18. Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro[21]), fratres. Amen.

---

[1]) Matth. 18, 15. Rom. 15, 1. Jac. 5, 19. 20. [2]) 1 Cor. 10, 12. [3]) Cap. 5, 14 Joann. 15, 12. 1 Cor. 13, 7. [4]) 1 Cor. 13, 2. [5]) Rom. 14, 10. 12. [6]) Rom. 15. 27. 1 Cor. 9, 11. [7]) 2 Cor. 9, 6. [8]) Prov. 22, 8. [9]) Rom. 8, 6. [10]) 2 Cor. 9, 6. [11]) Joann. 9, 4. [12]) Rom. 16, 22. 1 Cor. 16, 21. [13]) Rom. 16, 18. [14]) Rom. 2, 19. seq. [15]) 2 Cor. 11, 18. 22. [16]) 1 Cor. 2, 2. [17]) Cap. 2, 19. seq. [18]) Cap. 5, 6. 2 Cor. 5, 17. [19]) Rom. 9, 6. Phil. 3, 3. [20]) 2 Cor. 4, 10. 11, 23.—25. [21]) 2 Tim. 4, 22.

SUMMARIUM CAPITIS SEXTI.

Hortatur Galatas, ut alii aliorum ferant infirmitates, et ut bonis operibus sese exerceant. Non esse gloriandum nisi in cruce Domini.

1. *Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Nonnulli putant, praesentem admonitionem Apostoli esse velut epitomen eorum, quae scribit epistola Rom. cap. 14. et initio 15. adversus eos, qui de ciborum discrimine Judaico disceptabant. Sunt enim illic similes huic loco sententiae: *Infirmum in fide suscipite, non in cogitationibus disceptationum;* et: *debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere.* At sane non est necesse, doctrinam verbis ipsis generalem absque certiori conjectura restringere ad specialem materiam, cujus tota hac epistola non est facta mentio. *Praeoccupatus*, sive juxta Augustinum *circumventus in aliquo delicto*, dicitur, qui non malitia et animo destinato, sed infirmitate vel imprudentia lapsus est in peccatum. Nam et hujusmodi peccatum solet in Scripturis delictum vocari, Graece παράπτωμα, quasi lapsus hominis ex improviso impingentis. Pro verbo *instruite*, Graece est *instaurate, reficite;* vel ut Hieronymus vertendum fuisse putat: *perficite.* Syriaca translatio habet *erigite.*

Porro *spirituales*, quos Apostolus hic alloquitur, Cajetanus doctores interpretatur. Quidam presbyteros Ecclesiae volunt intelligi, locum hunc referentes ad poenitentiae sacramentum, in quo presbyter eum, qui lapsus est, instaurare, id est, restituere priori integritati ac Deo reconciliare debeat; dicuntque, Apostolum admonere viros spirituales, id est, presbyteros, ut id faciant in spiritu mansuetudinis. Verum quis Apostolo *spiritualis* dicatur, exposuimus in comment. 1 Cor. 2. et 3. Sunt enim Apostolo iidem spirituales, perfecti et firmiores; eosque opponit carnalibus, animalibus, parvulis in Christo, et infirmis. Et quidem oportet presbyterum eo modo spiritualem esse; sed ut non omnis ille nec solus talis est, ita constat, apud Apostolum nomine presbyteri et spiritualis hominis diversa significari.

Sensus igitur est: Nemo per inanem gloriam sese super alium efferat aut contendat, sed etsi quispiam tentatione praeventus, ut est humana fragilitas, prolapsus fuerit in peccatum; *vos qui spirituales estis*, id est, qui geritis vos pro spiritualibus et perfectis, aut qui videmini tales, ne durius ac severius agite adversus hujusmodi hominem, sed cum mansuetudine eum admonentes et corripientes, restituite atque erigite a lapsu. Dicit autem *in spiritu lenitatis*, ut innuat, quod jam dixerat superius, mansuetudinem esse fructum et donum Spiritus sancti. Quod enim illic *mansuetudinem*, hic *lenitatem* vertit interpres, cum Graeca vox eadem sit.

Quaeri potest, cur Apostolus suo ipsius praecepto non sit contrarius, qui Corinthiis virgam comminatur, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate et spiritu mansuetudinis?* 1 Cor. 4., quique Tito praecipit, ut Cretenses suos dure increpet, Tit. 1. Respondemus, pro diversitate personarum et peccatorum, modo severa increpatione vel etiam virga utendum esse, modo cum mansuetudine agendum cum iis, qui peccant. Rectissime enim Gregorius docet parte 3. curae pastoralis, peccantes aliis atque aliis, aliter atque aliter admonendos esse. Ubi inter caetera cap. 33: *Aliter,* inquit, *admonendi sunt, qui repentina concupiscentia superantur, aliter, qui in culpa ex consilio ligantur.* Atqui Cretensium multi erant mendaces, malae bestiae, ventres pigri, et propter hoc dure increpandi. Corinthios quoque eos alloquitur Apostolus, inquit Hieronymus, qui post peccatum, non sentientes errorem suum, nolebant majoribus suis subdi et poenitentia corrigi. Ubi vero

peccator intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis. Sic ille.

Considerans teipsum, ne et tu tenteris. Numerum subito mutat, non ex imperitia sermonis, ut censet Hieronymus, sed studio; propterea quod ad compellandam uniuscujusque conscientiam aptior sit numerus singularis. Sic Dominus ad Scribas et Pharisaeos mulierem adulteram adducentes: *Qui sine peccato est vestrum,* inquit, *primus in illam lapidem mittat* Joan. 8. Certe apud Terentium optimi Latini sermonis autorem, similis permutatio numeri legitur non absque venustate. Adeon', inquit, homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse?

Caeterum in eo, quod ait: *tenteris,* causam pro effectu posuit, est enim sensus, teipsum considera, quicunque spiritualis es, ne et tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto praeoccuperis. *Qui te existimas stare, vide ne cadas.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, inquit Augustinus, quam proprii periculi cogitatio. Et Thomas in eandem sententiam: nihil ita frangit hominis severitatem in corrigendo, quam timor proprii casus. Docet hic locus, homines etiam spirituales et perfectos non esse de sua stabilitate securos, et inanem esse eorum fidem, qui sibi perseverantiam justitiae certo pollicentur.

2. *Alter alterius onera portate. Onera* vocat peccata, quae reatu suo nos deprimunt et poenis obnoxios reddunt. Est autem sermo metaphoricus ab iis sumptus, qui in portandis oneribus invicem sublevant. Monet ergo Galatas, ut alii aliorum infirmitates et peccata quodammodo reputent sua, condolendo, dissimulando, ferendo, leniter admonendo, fraterne corripiendo, denique hoc agendo, ut corrigatur frater potius, quam puniatur. Addo fraternam correptionem, neque enim correptio fraterna supportationi infirmorum opponitur, sed potius ex ea consequitur, ut bene docet S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 1. ad 3. In tantum enim, inquit, aliquis supportat peccantem, in quantum adversus eum non turbatur, sed benevolentiam erga eum servat: ex quo fit, ut eum satagat emendare.

Et sic adimplebitis legem Christi. Ita legunt Latini omnes; tametsi Graeca habent imperativum modum *adimplete,* quod tamen parum refert ad sensum. Annotat Theophylactus, non esse dictum *implete,* sed *adimplete,* sive *complete,* id est, communiter omnes implete, quisque portando onus alterius. Sed quam legem Christi adimplent, qui hoc faciunt? Nimirum eam, quam ipse Christus tulit et tantopere commendavit dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. Quod suum mandatum postea subinde repetit in eodem sermone cap. 15., nec ab eo diversum est illud apud alios Evangelistas: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Lex igitur Christi lex fraternae dilectionis est, quae dictat mutua onera ferenda esse. Quam legem superiori capite Paulus ipse expressit cum diceret: *Per charitatem spiritus servite invicem.* De qua et Joannes Apostolus, quemadmodum de eo Hieronymus in comment. refert, a fratribus admonitus, cur semper idem inculcaret dicens: *Filioli diligite alterutrum,* respondit: *quia praeceptum Domini est,* et si solum fiat, sufficit. Porro legem Christi eam, quam diximus, intelligunt omnes hujus loci interpretes, eandemque plenius edisserit Augustinus q. 71. inter 83. Ex quibus omnibus etiam patet, Christum non solum ut redemptorem hominibus datum esse, cui fidant, ut volunt haeretici; sed etiam ut legislatorem cui obediant.

3. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit; ipse se seducit.* Graece *seipsum decipit,* vel ut pressius ex Graeco verterunt Erasmus et Hentenius: *suum ipse fallit animum.* Hoc quidem dicitur adversus superbiam eorum, qui sibi placentes, et existimantes se aliquid esse, durius tractabant infirmos. At-

tamen generalis sententia est, omnem eum, qui se existimat aliquid esse, seipsum seducere, quia omnes nihil sumus. Nam illa particula interposita, *cum nihil sit*, non restringit sententiam, sed rationem ejus continet. Idcirco enim, quicunque se aliquid esse existimat, seipsum seducit, quia revera non aliquid, sed nihil est; sicut ipse de se Apostolus profitetur dicens: *tametsi nihil sum.* 2 Cor. 12. Et haec cogitatio, quae certe verissima est, plurimum facit ad humilitatem.

Sensus autem est, hominem ex se nihil posse, quod ad pietatem et salutem aeternam pertineat, Domino dicente: *Sine me nihil potestis facere* Joan. 15. et ejus Apostolo attestante: *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis* 2 Cor. 3. Quanquam et universe verum est de omni bono tam naturae, quam gratiae, nos ad id agendum nihil esse; cum juxta canonem Arausicanum: *nemo de suo habeat nisi mendacium et peccatum.*

4. *Opus autem suum probet unusquisque.* Pressius eos urget, qui tanquam ipsi puri a crimine facta aliena judicabant. Sensus est: Quisque scrutetur, discutiat, expendat, examinet opus suum, id est, vitam et conversationem suam, et videat, non solum cujusmodi opera fecerit, sed et qua intentione fecerit. Sic 1 Cor. 11. *Probet seipsum homo*, et 2 Cor. ultimo: *Ipsi vos probate.* Est autem emphasis in vocabulo *suum*, cum dicit *opus suum*, et infra *onus suum*, quasi dicat: Sicut pro suis operibus quisque retributionem in Domino judice exspectare debet, non pro alienis, ita sua consideret opera, non aliena.

Et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. Graece: *Et tunc ad semetipsum tantum gloriationem habebit et non ad alium.* Ita verterunt Hentenius et Theophylacti interpres, tametsi Erasmus cum nostro interprete mavult ablativos: *in semetipso, in alio.* Temporis adverbium etiam apud Augustinum et Ambrosium legitur.

Porro varie sententia Apostoli exponitur. Uno modo: Si quisque diligenti cura probet et examinet sua ipsius facta; tunc desinet sibi placere comparatione alterius, quem forte existimat se deteriorem. Nam si opus suum inveniat bonum et laude dignum: habebit in se, unde glorietur et pro quo gloriam a Deo exspectet, secundum illud Rom. 2. *Gloria et honor et pax omni operanti bonum.* Si vero pravum, nec sincerum inveniat opus suum: habebit in se, unde sibi displiceat et pro quo damnationem metuat, sicut ibidem dicitur: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Hoc enim posterius membrum juxta hanc expositionem supplendum erit, et explicatur verbis sequentibus: *Unusquisque enim onus suum portabit,* scilicet in judicio Dei.

Igitur illud *in altero* sive *ad alterum* volunt idem esse, quod alterius comparatione, tanquam dicat Apostolus: Unusquisque judicabitur, et retributionem, vel gloriae vel ignominiae, recipiet pro opere suo, non quale fuerit alieni operis comparatione, sed quale in se. Ac proinde non debemus respicere ad alios, forte pejores aut minus bonos, quasi hoc nobis profuturum sit in die judicii, si dicere possimus: Vixi melius aut non tam male, quam ille aut ille; sed ad nosmetipsos.

Alio modo: Si bonum inveniat opus suum, habebit, unde glorietur apud se in conscientia et coram Deo, ut non sit ei necesse gloriam mendicare ab aliis, reclamante conscientia, quam alii non vident. Huic sensui consonat illud 1 Cor. 14. *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer.* Quodque ibidem sequitur: *Et tunc laus erit unicuique a Deo.* Quidam vero ironiam subesse putant in verbis Apostoli, ut sensus sit: Qui sibi spirituales ac caeteris perfectiores videntur, quod videant aliorum lapsus et infirmitates; hi si vitam suam diligenter excutiant, invenient haud dubie lapsus proprios: in illis, si velint, glorientur; neque putent sibi gloriam per hoc accedere, quod alii peccent, quorum comparatione justi videantur. At medius sensus mihi prae reliquis probatur.

5. *Unusquisque enim onus suum portabit.* Graece: *proprium onus,* et ita legit August. Similes ejusdem Apostoli sententiae sunt Rom. 14. *Unusquisque pro se rationem reddet Deo.* 1 Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, et 2 Cor. 5. *Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* In quibus omnibus notandum, quod dicit *suum* et *proprium,* et *pro se,* quod opponitur alieno. Sensus igitur est: Unusquisque in judicio divino portabit sarcinam suam, non alienam, id est, stipendium recipiet peccati sui, non alieni. Ex quo sensu liquet, hoc Apostoli dictum non pugnare cum eo, quod supra dixit: *Alter alterius onera portate*, nec contrarium esse satisfactionibus aliorum pro aliis, nihilo magis quam satisfactioni Christi pro nobis. Nam *aliorum onera portare,* sicut ante diximus, est proximorum ferre infirmitates, quod ad vitam praesentem pertinet, sicut et satisfacere pro aliorum peccatis; ac utrumque charitatis est officium erga proximos exhibendae. *Onus autem suum portare,* quomodo jam expositum est, ad tempus extremi judicii refertur. Eo namque et caeterae sententiae jam citatae spectant.

Potest autem et onus hoc sic intelligi, ut sit debitum reddendae rationis Deo de factis. Hoc suum onus quisque portabit, quia *unusquisque pro se rationem reddet Deo*, ut jam ex cap. 14. ad Rom. allegavimus. Vocatur autem *onus* propter peccata, quibus nemo caret: quorum omnium est reddenda ratio. Et sic intelligit B. August. contra lit. Petil. lib. 3. cap. 5., ubi etiam breviter ac perspicue hunc locum cum superiore conciliat, inquiens: Unusquisque proprium onus portabit, onus videlicet reddendae rationis, quia unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Nam quantum attinet ad onera mutuae charitatis, invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.

6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Pro *verbo* quaedam MSS. habent *verbum*, Graecis et Syris codicibus et Hieronymo suffragantibus. Etenim verba docendi, etiam passiva, regunt accusativum rei, ut si dicam: hic pueri docentur bonas artes, id est, instituuntur in bonis artibus. Sic: *qui catechizatur verbum,* id est, qui instituitur in doctrina fidei, quam *verbi* nomine passim apostolicae literae significant. Quamvis autem in Graeco sit κατηχούμενος, quod usu Ecclesiae de iis tantum dicitur, qui ad baptismum rudimentis fidei praeparantur; non tamen hic de catechumenis hujusmodi sermo est, sed de fidelibus adhuc rudioribus, quos plenius oportebat institui in doctrina Christiana. Scribit enim Apostolus ad baptizatos: *Quicunque,* inquit, *in Christo baptizati estis, Christum induistis,* supra cap. 3. Neque sane, qui non erant baptizati, teneri poterant praeceptis apostolicis, utpote nondum ingressi in Ecclesiam. Neque expediebat eos praecepto, quale hic intelligi putamus, onerari, ne forte resilirent a proposito.

Est autem *catechizare*, viva voce quempiam instituere in aliqua doctrina praesertim religionis. Solent enim religionis mysteria, etiam apud ethnicos, voce magis quam scripto discipulis tradi et ad posteros transmitti. Illud: *in omnibus bonis*, non ad proximum verbum *catechizat* referendum, sed ad remotius: *communicet.*

Exponitur autem dupliciter, aut de bonis moralibus aut de temporalibus. Priori modo sensus est: Is, qui docetur verbum fidei, communicet cum suo doctore non in malis operibus, quae facit, sed in bonis, quaecunque et facit et docet; juxta id, quod supra dixit cap. 4. *Bonum aemulamini in bono semper.* Sic exponunt Ambrosianus et Liranus cum glossa interlineali. Posteriori modo: Qui instituitur in doctrina fidei, vicissim communicet, id est, tribuat doctori suo bona temporalia, quaecunque viderit ei necessaria: quia justum est, ut qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat; quandoquidem et ipse Dominus ordinavit *iis*, *qui Evan-*

gelium annuntiant, de Evangelio vivere 1 Cor. 9.

Haec expositio pene omnium aliorum est interpretum, tametsi Hieronymus et Thomas etiam priorem sensum adferunt. Pro hac expositione facit ipsum verbum *communicandi*, per quod largitio bonorum temporalium in Scripturis non raro significatur, ut Rom. 12. *Necessitatibus sanctorum communicantes*. Phil. 4. *Benefecistis communicantes tribulationi meae*. Et iterum: *Nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli;* et Hebr. 13. *Beneficientiae et communionis nolite oblivisci*. Videtur autem Apostolus hoc praeceptum idcirco post praedicta subjungere, ne verbis superioribus, quibus inhumanitatem et arrogantiam magistrorum, qui spirituales esse debent, repressit, videretur ab illis alienare discipulos voluisse, quo minus eis liberaliter temporalia suppeditarent. Huic sensui apte cohaerent, quae sequuntur:

7. *Nolite errare: Deus non irridetur*. Id est, nolite vosmetipsos fallere vanis excusationibus, quae valere possunt apud homines, sed non apud Deum, quia *Deus non irridetur;* id est, Deo, qui futurus est omnium judex et peccatorum vindex, nemo potest illudere tanquam a se decepto, quia novit omnia. Solent enim deceptores irridere eos, quos deceperint. Itaque ex posteriore intelligitur prius per metalepsim, ac si simpliciter dixisset: Deus a nemine fallitur.

8. *Quae enim seminaverit homo, haec et metet*. Graece, numero singulari: *Quidquid enim* etc. Augustinus et Ambrosianus: *Quod enim*. Monebat Apostolus eum, qui catechizatur, ne catechistam suum debito fraudaret honorario. Qua occasione nunc generalem subjicit exhortationem ad bona opera, nominatim autem ad tribuendum ac benefaciendum proximis. Dicit ergo, Deum judicem nemo fallet, nam procul dubio *quaecunque seminaverit homo* in hac vita, *eadem metet* in futuro Dei judicio. Id est, omnium operum suorum, quae fecerit, justam retributionem accipiet. Etenim haec vita quasi sementis quaedam est; semen, opera; *messis* autem juxta Christi testimonium *consummatio saeculi* Matth. 13. Seges vero, quod pro operibus redditur praemium aut supplicium; hoc enim est, quod sequitur: *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem*. Graece: *Quia qui seminat in carnem suam, ex carne metet corruptionem*.

Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Hic quoque Graece est: *in spiritum, ex spiritu*. Prudenter observat Hieronymus, Apostolum non dixisse in spiritu suo, sicut dixerat *in carne sua,* sed tantum *in spiritu;* quia qui bona seminat, inquit, non in suo quippiam, sed in Dei spiritu seminat. Vult enim intelligi Spiritum sanctum, sicut et in superioribus. Videtur autem Apostolus in his verbis, *carnem* et *spiritum* considerare tanquam agrum vel terram, in quam semen mittitur, ut pro qualitate fundi fructum referat, quasi dicat: Qui semen operum suorum projicit in terram carnis suae, id est, ea facit in obsequium carnalis suae concupiscentiae (unde et opera carnis vocantur), is ex eadem carne sua metet corruptionem, id est, referet interitum, miseriam et mortem sempiternam. Qui vero semen operum suorum seminat in agrum spiritus, id est, in Spiritu sancto ea facit, ejusdem virtute perducenda ad fructum (unde et fructus spiritus ab Apostolo nominantur); is ex eodem spiritu, valorem velut infinitum operibus tribuente, recipiet pro eis vitam aeternam. Quam e diverso *incorruptionem,* hoc est immortalitatem, vocat Apostolus Rom. 2. Sensum autem hunc, quem dedimus, illustrant alia ejusdem Apostoli, ut Rom. 6., ubi operum peccati fructum ac finem dicit esse mortem; bonorum autem vitam aeternam, et cap. 8 cum ait: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*.

Porro notandus hic locus adversus sectarios pro meritis bonorum operum. Si enim metet homo non solum mala, quae seminavit, sed etiam bona; metet autem,

qui bona seminavit, vitam aeternam, igitur in bonis operibus velut in semine vita aeterna continetur. Atqui semen hujusmodi respectu vitae aeternae non alio, quam ad causam meritoriam referri potest.

Quaeret autem aliquis, quomodo dictum sit universaliter ab Apostolo juxta Graecam lectionem: *Quidquid homo seminaverit, hoc et metet,* cum tam in bonis operibus, quae peccato subsequente mortificantur, quam in malis, quae per gratiam remittuntur, manifesta sit exceptio. Respondeo, loqui Apostolum de operibus ante messem, id est, diem judicii non extinctis et, ut ita dicam, ex Dei memoria deletis. Sic enim tam de bonis operibus cadentium, quam de malis resurgentium loquitur per Ezechielem Prophetam Dominus cap. 18., cum dicit sese talium non amplius recordari. Quanquam et haec ipsa deletio fit per judicium Dei, quod in hoc saeculo exercetur.

9. *Bonum autem facientes non deficiamus,* vel ut alii vertunt: *non defatigemur.* Augustinus legit: *non infirmemur.* Sensus est: Ne taedio aut molestia victi unquam cessemus a benefaciendo proximis. Rationem subjicit ex praemio nunquam defecturo.

Tempore enim suo metemus non deficientes, vel, ut rursus alii vertunt: *non defatigati,* pro quo Ambrosiaster et Augustinus *infatigabiles,* tametsi in Graeco verba diversa sunt, quae interpretes similiter reddiderunt, *deficiamus* et *deficientes,* vel *defatigemur* et *defatigati,* quod moneo, ne quis in Graeco subesse putet anaphoram, qualis in Latino. Sensus est: *Tempore enim suo,* Graece *proprio,* sicut et Augustinus legit, hoc est, cum venerit consummatio saeculi, quae est proprium tempus metendi, tunc metemus et fructum percipiemus incessanter et sine fine, nam fructus ille est vita aeterna. Posset etiam sic intelligi: tempore enim suo metemus, si prius non fuerimus defatigati bene operando. Porro Augustinus tractatu de cantico novo cap. 2., hoc *infatigabiles* jungit sequentibus: *Infatigabiles itaque, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Sed ex Graeco melius praecedentibus annectitur, nam illud ἄρα οὖν apud Graecos amat primum locum sententiae.

10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Id est, dum sumus in hac vita, quod est seminandi tempus, studeamus erga quoscunque homines esse benefici, prout facultas et occasio tulerit. Hinc disce, proximi nomine in praecepto charitatis omnem hominem intelligi debere.

Maxime autem ad domesticos fidei. Id est, Christianos, qui *domestici fidei* dicuntur, quia in unam domum Ecclesiae per fidem congregati sunt, quos eosdem Ephes. 2. vocat *domesticos Dei,* quia Ecclesia domus Dei est. Praecipitur ordo charitatis, secundum quem, caeteris paribus, fideles infidelibus sunt praeferendi. Addit autem hanc partem Apostolus, ut innuat multo magis, quod superius praeceperat, illis esse benefaciendum, a quibus fidei doctrinam percipimus.

11. *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.* Finiturus epistolam Apostolus redit ad principale argumentum; volens bene inculcatum esse Galatis id, quod eos tota ferme epistola tam studiose docuit, de lege non miscenda cum Evangelio. Pro verbo *videte* textus Augustini habet *vidistis.* Erasmus vertit *videtis.* Neutrum meo judicio recte, nam ἴδετε, quod est in Graeco, sine controversia *videte* significat, quod et ex Syro versum habemus, non *vidistis:* nisi poëtice sumas pro εἴδετε. At *videtis,* multo minus. Haec annotanda duxi, non quod ad sensum adeo referat; sed pro veritate textus apostolici et defensione nostri interpretis.

Porro Graeca dictione πηλίκοις, quam interpres vertit *qualibus,* Hieronymus significari putat quantitatem, quasi dicat Apostolus: Videte, quam grandem epistolam scripserim vobis mea manu, quod tamen idem Hieronymus non de magnitudine characterum, aut de prolixitate epistolae, sed de granditate sensuum vult intelligi. Ridet autem cujusdam docti commentarium, qui scripserat, Paulum,

utpote Hebraeum et Graeca scribendi imperitum, exigente necessitate, ut Galatis affectum erga eos suum commendaret, contra consuetudinem manu sua subscripsisse hanc epistolam, quod dum facit, curvos tramites literarum vix magnis apicibus expressisse. Atque hoc esse, quod dicit: *videte quantis literis* etc.

Hoc etsi non prorsus immerito rejiciat Hieronymus, quia non erat Paulo inconsuetum, epistolas a se dictatas sua manu subscribere, quemadmodum ex fine epistolarum 2. ad Cor., ad Col., 2 ad Thess. et ad Philem. manifeste probatur, attamen deformitatem literarum hic significari sentiunt Chrysostomus ac caeteri Graeci, quasi dicat Apostolus: Quamvis Graecos characteres non pulchre pingam, ut videre potestis, volui tamen totam hanc epistolam meis digitis exarare vestri gratia, tum ut intelligatis, quantopere vestra salus mihi cordi sit, tum ut nulla vobis possit esse suspicio, ne alienae pro meis literae vobis obtrudantur. Nam sub nomine Pauli missas aliquando fuisse epistolas a falsis doctoribus, satis apparet ex eo, quod dicit 2 Thess. 2. *Neque per epistolam tanquam per nos missam.* Graecis consentit Ambrosianus in eo, quod dicunt, totam hanc epistolam Pauli manu scriptam fuisse. Ubi enim, inquit, holographa manus est, falsum dici non potest. Annuit et Cajetanus. Hieronymi ergo expositionem isti quadantenus sequuntur, quae potest ex eo confirmari, quod vox γράμματα apud Graecos pro epistola usurpatur, ut nomen literarum apud Latinos. Exemplum est Act. 28. Nos neque literas, γράμματα, accepimus, id est, epistolam.

12. *Quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi.* Graecum verbum, quod interpres vertit *placere,* compositum est et significat: *juxta faciem placere.* Docet autem hac parte Apostolus, quales sint homines, qui legem Galatis imponere volebant, et qua ratione moti id faciant: intelligit autem pseudapostolos, contra quos haec et sequentia dicit. Sensus est: Qui gratiam hominum quaerunt carne sibi conjunctorum et ab iis laudari cupiunt, aut offendere eos nolunt, ii sunt, qui vos pertrahere nituntur ad circumcisionem. Loquitur de Judaeis, placere volentibus genti suae, quam hic vocat carnem, et idcirco laborantibus, ut quamplurimos ad legem Judaicam adducerent. Est autem hoc ipsum, quod Apost. 1. capite vocat *hominibus placere,* sic inquiens: *An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. In Graeco non est genitivus *crucis,* sed dativus, per ablativum reddendus *cruce,* id est, ob crucem. Sensus enim est: Saltem id faciunt, ut ne propter crucem Christi persecutionem a fratribus suis Judaeis patiantur. Id est, Christiani quidem esse volunt et crucifixum colere, sed sine periculo persecutionis a Judaeis tolerandae. Nam Judaei plerique, ut ex Actis Apost. liquet, non tam persequebantur fidem crucifixi, quam doctrinam legis abrogatae vel abrogandae per crucem, quemadmodum et a Cajetano bene annotatum est.

13. *Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt.* Graece: *ipsi legem custodiunt.* Quod emphasim habet, nec ab Ambrosiano praetermissum est. Pro quo Hieronymus et Augustinus legunt: *hi legem custodiunt.* Sensus autem est: Nam nec ipsi quidem, quamvis circumcisi sint et circumcisionem profiteantur ac praedicent, legem observant; cum enim lex Mosaica sit jugum importabile, de quo Petrus Act. 15., *quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus,* multa legis praecepta negligunt, quin et absque probabili causa, cum lubet, in multis sibi indulgent. Confer, quae diximus 1 Cor. 11. ad illud: *Accepit panem.* Itaque circumcisionem extorquere a vobis volunt non zelo legis commoti:

Sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Id est, ut glorientur apud suos, se rem Judaicam egregie promovisse, si circumcisionem, quae fit in carne, vobis persuaserint, et per hoc ad legem suam vos traduxerint,

ac proselytos fecerint. Quanto enim studio id agere soleant, declarat illa Salvatoris exprobratio: *circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum etc.* Matth. 23. Porro carnis nomine pudendas partes aliquando significari ex Ezechiele discimus cap. 23.

14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sensus est: Illi gloriam quaerunt apud homines, ex carne vestra circumcisa; at vero procul sit a me, ut in aliqua re glorier, nisi in cruce, id est, in passione et morte Domini nostri Jesu Christi, quam in crucis patibulo sustinuit, et per quam omne bonum salutare nobis promeruit ac procuravit. Quidquid enim ad pietatem et salutem pertinet vitae aeternae, totum id nobis promanat *de fontibus Salvatoris*, id est, ex merito passionis Christi. Unde ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere* Joan. 15. Hinc est, quod Leo Pontifex in serm. 8. de pass. Domini crucem Christi vocat omnium fontem benedictionum omniumque causam gratiarum.

Non vetat autem Apostolus, ne quis glorietur in virtutibus, laboribus passionibus, periculis pro justitia susceptis, atque in caeteris, quae hujusmodi sunt, id quod recte fieri posse, si sit justa necessitas, ipse Paulus suo docuit exemplo 2 Cor. 11. et 12., sed vult, ne quis aliter de quibuscumque rebus glorietur, quam in cruce, ut intelligat quisquis aliquid boni habet, quod gloria dignum sit, id se non aliunde habere, quam ex fonte crucis Dominicae. Qua de re B. Hieronymus: *Sciendum est,* inquit, *quod omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit, et quidquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem.*

At dices: Paulus 1 Cor. 11. de quibusdam bonis gloriatur, quae non proveniunt ex cruce Christi, cum dicit: *Hebraei sunt, et ego* etc. Respondeo, in illis non gloriatur tanquam in bonis ad salutem vitae aeternae pertinentibus: recte tamen in illis gloriatur propter pseudapostolos, ne videatur illis inferior, et ipsa talis gloriatio, licet non esset in cruce, erat tamen ex cruce, utpote salutaris.

Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Crucifixus, id est, mortuus seu mortificatus, sicut annotavimus ad illud capitis praecedentis: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Mortuus autem dicitur alicui, qui quasi mortuus, nullam amplius cum eo habet communicationem, sed sicut mortuus a vivis plane separatus atque alienatus est. Ita superius cap. 2. dixit se per legem legi mortuum esse, et Rom. 7. *Mortificati estis,* inquit, *legi per corpus Christi,* et ejusdem Epistolae cap. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Mundum* plerique intelligunt res mundanas, id est, eas, quae ab hominibus hujus saeculi expetuntur, ut opes, honores, voluptates. Verum Scripturae familiarius est, *mundi* nomine mundanos et carnales homines significare, quod ex innumeris locis facile potest ostendi: quae significatio etiam huic loco probe quadrat, nam de hominibus loquebatur paulo ante, cum diceret: *Quicumque volunt placere in carne* etc. *An quaero hominibus placere?* Quod utique est mundo placere, et hoc modo intellexit Augustinus.

Itaque sensus est: Per quem Christum crucifixum, id est, cujus merito ac beneficio, mihi contigit, ut mundus et ego mutuo respectu plane mortui simus, nam nec mundus mihi afficitur, nec ego mundo, sed invicem alieni et aversi sumus, atque adeo adversi et contrarii. Mundus me odit et persequitur, ego illi placere nolo. Sic Dominus Joan. 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* Non tam probatio est ejus, quod praecessit, quam conclusio totius doctrinae, quam hac Epistola tradidit, quasi dicat: Hoc est, quod dico, et repeto et extremis verbis commendo. In negotio salutis obtinendae

per Christum neque circumcisionem aliquid prodesse, neque praeputium, sed novam creaturam; ideoque nullam vos habere causam, cur patiamini vos circumcidi, quando e contrario satis jam docui, nihil salutis ex Christo vos consecuturos, si circumcisionem admiseritis, sed per eam vos prolapsuros in miseram et inutilem servitutem legis.

Quid vocet novam creaturam, intelligitur ex eo, quod superiori capite simili sententia dixit: *sed fides, quae per charitatem operatur,* et 1 Cor. 7., *sed observatio mandatorum Dei.* Igitur *nova creatura,* quemadmodum optime Cajetanus explicat, est vita spiritualis, a Deo creata per gratiam Jesu Christi. Comprehendit autem totam hominis renovationem ac justificationem ab initio fidei usque ad consummatam charitatem exspectandam in futuro saeculo, nec solum complectitur habitus virtutum ac donorum, sed et omnem actum verae pietatis. Haec enim est observatio mandatorum Dei.

16. *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* Graece: *Et quicumque hac regula incesserint,* est enim idem in Graeco verbum, quod sub finem capitis praecedentis, pro quo interpres veterat *ambulemus.* De cujus verbi significatione sufficiant, quae ibi diximus. *Hanc regulam,* alii intelligunt totam doctrinam de justificatione traditam hac Epistola. Alii sententiam, quae proxime praecessit: *In Christo Jesu* etc. Ea namque potest accipi pro regula fidei ab omnibus tenenda. Alii rursus illud solum, *sed nova creatura;* ut illi incedere dicantur hac regula, qui ambulant in novitate vitae. Sic enim Chrysostomus et Theophylactus exponunt. Secundum hos Apostolus loquitur de regula vitae, secundum superiores de regula doctrinae. Et quidem omnes hi commentarii probabiles sunt.

Coactius vero, quod Cajetanus regulam interpretatur, indicatam illis verbis: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini* etc. Nam illa sententia ab hac divulsa est per aliam, quae intercessit, aeque notabilem, ut proinde multo commodius ad proxima verba, quam ad remotiora referatur praesens periodus, praesertim id exigente pronomine demonstrativo *hanc.* Sensus autem est: Quicumque juxta hanc regulam (aliquam ex dictis) incesserint, eamque tenuerint, pacem illis imprecor et misericordiam a Deo.

Et super Israël Dei. Hoc addit, ne videatur excludere Judaeos. Verumtamen ne de omnibus secundum carnem Judaeis intelligatur, dicit *Israël Dei,* id est, qua parte Dei populus est, non qua parte Deo contrarius, ut erant Judaei infideles et pseudapostoli. Quamquam aliis placet *Israëlem Dei* intelligi Israëlem spiritualem, id est, quotquot per fidem veri sunt Israëlitae et Abrahae filii tam ex gentibus quam ex Judaeis, ut haec pars sit expositio praecedentis. Mihi magis probatur, quod prius dixi.

17. *De caetero, nemo mihi molestus sit.* Hieron. affirmat, melius in Graeco haberi: *De caetero labores* (graece κόπους) *mihi nemo exhibeat.* Augustinus quoque *laborem* legit, Ambrosianus *molestias.* Sensus est: Posthac nemo vestrum turbulentis contentionibus mihi laborem, molestiam, taedium adferat, de re nunc quantum satis est exposita et inculcata. Loquitur cum auctoritate tanquam Galatarum Apostolus et gentium magister.

Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Stigma graeca dictio est, qua significatur nota cuti impressa aut inusta, quomodo notari solent servi propriis dominorum signis. Non est, inquit, quod mihi laborem ac molestias augeatis, qui ex frequentibus laboribus, plagis, vinculis, aliisque incommodis, etiam signa corpori meo impressa, tanquam notas Domini mei Jesu, cujus me servum profiteor, porto ac circumfero. Hujusmodi stigmata commemorat ipse Paulus in 2 Cor. 11.

18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen. Cum spiritu vestro,* id est, vobiscum, sicut

dicitur in fine aliarum Epistolarum. Claudit Epistolam cum imprecatione gratiae Dei per Christum, idque more suo, de quo alibi diximus et amplius dicturi sumus in 2. ad Thess. In Graeco sequitur haec hypographe: *ad Galatas scripta est ex Roma.* De qua satis dictum in argumento hujus Epistolae.

IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD EPHESIOS
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Ephesum, Asiae minoris Metropolim, fuisse civitatem idololatriae et magicis artibus deditam, testatur Hieronymus in prooemio comment. hujus. Epist. Quae res etiam ex iis, quae Lucas narrat Act. 19. de magna Diana Ephesiorum, deque templo ejus apud Ephesum toto orbe celeberrimo; necnon de multis eorum, qui fuerant curiosa sectati, ibidem Pauli praedicatione conversis, manifeste intelligitur. In ea civitate Paulus supra biennium commoratus, Christum praedicavit, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei atque Gentiles, ut ait Lucas, donec commota adversus ipsum seditione a Demetrio argentario, inde discessit in Macedoniam. Universum autem tempus, quo mansit Ephesi, triennium fuisse scribit Hieronymus, idque Paulus ipse significat Act. 20. in ea oratione, quam ad Presbyteros sive Episcopos Ephesinae Ecclesiae Miletum ad se vocatos habuit. *Vigilate*, inquit, *memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.*

Abiens autem in Macedoniam Apostolus Timotheum Ephesi reliquerat, sicut ad eum scribit 1 Tim. 1.: *ut denuntiaret quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis,* quod sine dubio contra falsos e Judaeis Christianos dictum est, qui non solum legem volebant cum Evangelio a credentibus suscipi, quod omnibus Judaizantibus erat commune, sed et de suo multa fabulosa, inutilia et a puritate Evangelii aliena tradebant, atque hujusmodi perversis doctrinis ad se fideles, qui in Asia erant, pertrahere nitebantur, et a Paulo, quem sibi sentiebant adversarium, et cujus gloriae invidebant, abducere. De talibus scribit in 2 Tim. 1. (simul enim illa cum hac ad Ephesios missa est aut certe non multo post): *Scis, hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt* (scilicet Judaei), *ex quibus est Phigellus et Hermogenes.* Hoc itaque tempus jam venerat, de quo ipse in oratione, cujus supra memini, praemonuerat Ephesios, dicens: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exsurgent viri [loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.*

Porro qui ex gentibus erant fideles Asiani, doctrinam a Paulo acceptam firmiter retinebant. Ad eos igitur hanc scribit

Epistolam, ita collaudans eorum fidem et dilectionem, ut tamen plenius eos instituat de praecipuis fidei mysteriis olim absconditis, velut de redemptione et justificatione nostra per mortem Christi, de vocatione gentium, de praedestinatione gratuita, de glorificatione Christi et corporis ejus, quod est Ecclesia: et haec quidem fere usque ad quartum caput, a quo deinceps ad moralem doctrinam accedens, praescribit formam quamdam exactam vitae Christianae, in qua viros, uxores, parentes, liberos, dominos, servos, officii quosque sui diligenter admonet, et ad extremum omnes, tanquam in Christi militiam adscriptos, adversus impugnationes daemonum armis instruit spiritualibus. Quod autem ad eos peculiariter, qui ex gentibus crediderant, haec scribatur Epistola, manifeste inter alia declarat illud cap. 2. *Memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne*, et quae sequuntur. Rursus illud cap. 3. *Ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus.* Quam vero fideliter in apostolica doctrina, etiam post Apostoli decessum, perstiterint Ephesii, qui scire volet, legat Ignatii martyris Epistolam, quam itidem ad Ephesios scripsit, in qua fidem et constantiam eorum, et zelum, quo haereticos aversabantur, mirifice commendat.

Caeterum existimant nonnulli, hanc Epistolam scribi potissimum contra Simonem magum ejusque familiam et Gnosticorum scholam inde exortam, de quibus apud Epiphanium multa lib. 1. contra haereses. Quae sententia cum superioribus non pugnat, erant enim Simonis discipuli plerique Judaei, sub nomine scientiae, quam venditabant, non solum fabulosa ac portentosa quaedam de Deo, angelis et mundo, sed et turpia quaedam docentes, contra quod genus Petrus secundam et Judas suam scripsit Epist. et ipse Paulus praeter hanc etiam alias, ut ad Col., ad Titum, et utramque ad Timoth. Quomodo autem contra Simonianos stylum in hac Epistola dirigat Apostolus, id suis locis indicabitur a nobis in commentario.

Illud admonemus, huic Epistolae peculiare esse, praesertim primis capitibus, quod implexus et involutus sit sermo, sensusque habeat obscuros et explicatu difficiles, ipso etiam Hieronymo teste, quod quidem ob magnitudinem et sublimitatem rerum, quae tractantur, accidisse, credendum est. Scripta est Epistola Romae ex vinculis, quorum ter meminit cap. 3. et iterum cap. ultimo, missa per Tychicum Diaconum, cujus in fine mentio est: id quod tam argumentum Latinum huic Epistolae praefixum, quam Graeca subnotatio confirmat. Et quia per eumdem Tychicum missa est Epistola secunda ad Timotheum, cujus ultimo capite dicitur: *Tychicum misi Ephesum*, satis colligitur, quod supra dixi, duas has Epistolas simul missas fuisse, quod et Theodoretus non obscure significat. Quocirca non assentimur Hieronymo commentanti super Epist. ad Philemonem, dum scribit, uno eodemque tempore per Onesimum missas fuisse quatuor Epistolas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses et ad Philemonem. Nam hae tres posteriores Timotheum Paulo in prima salutatione conjungunt: erat ergo Timotheus Romae cum Paulo, quando illae Epistolae scribebantur. Itaque fieri non potuit, ut cum ea mitteretur, quae ad Timotheum eodem tempore absentem scripta est. Haec de argumento Epistolae sufficiant.


CAPUT PRIMUM.

Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 3. Benedictus Deus et

Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, 4. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem [1]), ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. 5. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae [2]), 6. in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus, 8. quae superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia: 9. ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae [3]), secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, 10. in dispensatione plenitudinis temporum [4]), instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt [5]), in ipso: 11. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae: 12. ut simus in laudem gloriae ejus nos, qui ante speravimus in Christo [6]): 13. In quo [7]) et vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto [8]), 14. qui est pignus haereditatis nostrae [9]), in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. 15. Propterea et ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis [10]): 17. ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det vobis Spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus: 18. illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus [11]), et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, 19. et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus [12]) secundum operationem potentiae virtutis ejus, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus: 21. supra omnem principatum [13]), et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. 22. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Eccesiam [14]), 23. quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet [15]).

---

[1]) Cap. 3, 11. 2 Tim. 1, 9. [2]) Joan. 3, 1. [3]) Cap. 3, 9. [4]) Cap. 2, 4. Joan. 10, 16. Gal. 4, 4. [5]) Vers. 4. Cap. 3, 11. Rom. 8, 28. Col. 1, 18.—20. [6]) Luc. 2, 38. [7]) Cap. 2. 17. Hebr. 2, 3. [8]) 2 Cor. 1. 22. Act. 19, 6. [9]) 2 Cor. 1. 21. 22. 5. 5. [10]) Rom. 1. 9. Col. 1, 9. [11]) Hebr. 2, 3. [12]) Cap. 3. 20. Act. 19, 11. seq. 1 Cor. 2, 5. Col. 2. 12. [13]) Matth. 28, 18. Phil. 2, 9.—11. [14]) Vers. 10. Matth. 11, 25. 1 Cor. 12, 27. 15. 24. seq. Rom. 8, 34. [15]) Act. 17, 25. 27. 28.



SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Agit gratias Deo de aeterna praedestinatione, qua proposuit instaurare omnia in Christo, peculiariter autem de Ephesiorum in Christum fide, quem docet esse constitutum caput super omnem Ecclesiam.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Id est, voluntate et jussu Dei, non meis meritis ad Apostolatum Jesu Christi vocatus et assumptus. Idem prorsus titulus 2. epist. ad Cor., nec non epist. ad Col. et 2. ad Tim. In prima vero ad Tim. epist. pro *voluntate* scripsit imperium.

Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi. Omnibus in Graeco non est. *Et fidelibus in Christo Jesu.* Eosdem dicit sanctos et in Christo fideles, licet diversa ratione: fideles in Christo propter fidem, qua in Christum credunt; sanctos autem, quia mundos a peccatis, utpote sanctificatos in Christo, sicut dicitur in 1 Cor. 1. Porro qua ratione fideles omnes vocentur sancti, diximus ad initium epist. ad Romanos.

2. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Subaudi *multiplicetur.* Eadem salutationis forma, quae in omnibus Epistolis praecedentibus ac plerisque sequentibus.

3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi.* Expositum hoc est in 2 Cor. 1. Utitur autem iisdem verbis Petrus in exordio prioris suae epistolae.

Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. Nos quidem Deum benedicimus, quum eum pro beneficiis laudamus; ille vero nos benedicit, quum nos beneficiis afficit. Nam Dei benedicere benefacere est. Proponit Apostolus hoc exordio Dei beneficentiam erga omnes electos eo ordine, ut primum in genere de electis loquatur, deinde speciatim ad Judaeos, mox ad gentiles, ac nominatim ad ipsos Ephesios descendat. Sensus est: Laudetur et praedicetur a nobis Deus noster, idemque Christi Domini nostri Pater, quod multa et praeclara dona spiritualia nobis contulerit. *Spiritualia,* id est, ad vitam spiritualem pertinentia, cujusmodi consequenter ab Apostolo enumerantur. Itaque *benedictionem spiritualem,* velut novo testamento propriam, opponit benedictioni terrenae, quam promittebat vetus testamentum. Illud *in omni* continet Hebraismum, nam *in* praepositio redundat et *omne* perfectionem magis, quam universitatem significat. Quod utrumque familiare est Hebraeis.

In coelestibus. Quinquies in hac epistola legitur *in coelestibus,* nec usquam alibi. Nam et infra hoc capite dicitur: *Et constituens ad dexteram suam in coelestibus,* et cap. 2. *Consedere fecit in coelestibus,* et cap. 3. *ut innotescat principibus et potestatibus in coelestibus,* et cap. 6. *contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* Ac nomen quidem illud *coelestia* in his omnibus significat loca, quae supra nos sunt, sed non eadem est in omnibus verificatio, sicut per singula videndum. Quod vero Theophylacti interpres modo vertit: *in supercoelestibus,* modo *in coelestibus,* quodque Erasmus modo *in coelestibus,* modo *inter coelestes,* cum in eo, quod Graece scripsit Paulus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, nulla sit diversitas, absque ratione factum ab illis.

Libenter autem in hac epistola coelorum ac coelestium meminit Apostolus, sicut et angelorum et principatuum et potestatum et virtutum et dominationum, eo quod de angelis, deque naturis coelestibus multa fabulosa et sanae doctrinae contraria traderentur a Simone mago ejusque discipulis: et haec praecipue, mundum ab angelis factum esse, non a Filio Dei, eosdemque angelos, non autem Christum esse mediatores, per quos necessario purgandi sint homines, priusquam ad Deum perveniant.

Contra quos errores Apostolus, tum in hac epistola, quam in ea, quam ad Col. scripsit, diligenter inculcat eminentiam Christi supra angelos, docens, Christum esse ante omnia, et per eum omnia condita in coelis et in terra, etiam ipsos angelos. Item Christum esse caput omnium, etiam angelorum, ac per eum reconciliari

coelestia terrenis; denique religionem angelorum, quam Simoniani introducebant, qua nimirum angeli relicto capite Christo colebantur, aperte damnans. De quibus suo loco dicendum erit.

Hic sane, quod ait, *in coelestibus,* connectendum videtur cum eo, quod proxime praecedit, et hunc sensum habere: Qua benedictione spirituali provehimur ad coelestia, ubi caput nostrum Christus ad dexteram Dei constitutus est, sicut infra dicitur.

In Christo. Graeci codices plerique legunt *Christo* sine praepositione. Verum Complutensis editio praepositionem addit. Pro qua lectione faciunt veteres interpretes tam Graeci quam Latini, qui omnes partem hanc exponunt, tanquam dictum esset *in Christo;* nequidem Ambrosiano excepto; nam etsi textus ejus, ut nunc legitur, praepositione careat, commentarius tamen studiose exprimit. Sensus autem expeditus est: *in Christo,* id est, per Christum nobis a Deo conferri, quidquid habemus donorum spiritualium.

4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Id est, secundum quod elegit nos per ipsum Christum, antequam mundus fieret, hoc est, ab aeterno, quasi dicat: affectus electioni respondet, praestat nobis Deus in tempore beneficia per Christum, quae per eum se nobis daturum ab aeterno decrevit. Illud *ante mundi constitutionem,* Erasmus vertit: *antequam jacerentur fundamenta mundi;* nimirum explicans vim Graecae dictionis καταβολῆς, quasi dicas, in imo collocationem, fundationem. De qua vide plura apud Hieronymum, qui etiam ex hac parte subtiliter probat, mundum ex nihilo conditum esse, non autem ex praejacente materia, quae fundamenti loco esset, quemadmodum voluerunt antiqui haeretici.

Sciendum autem, hac phrasi *ante mundi constitutionem,* qua et alibi Scriptura utitur, ut Joan. 17. et 1 Petr. 1., significari aeternitatem, eo quod ante mundum conditum nihil fuerit, nisi quod aeternum est. Unde evidenter ostendi videtur, ante mundi creationem, quae Gen. 1. describitur, angelicam naturam non extitisse. Porro alibi factum aliquid dicitur, *a constitutione* vel *origine mundi,* id est, a mundo condito, ut Matth. 13. et 25., Luc. 11., Hebr. 9., Apoc. 13. et 17. Quibus omnibus locis eadem est vox Graeca καταβολή. Quae etiam legitur Hebr. 11., ubi noster vertit *conceptionem.* Cujus versionis eo loco rationem reddituri sumus.

Jam ex eo, quod ait, *elegit nos in ipso,* bene probatur, ipsam electionem seu praedestinationem nostram ac totius Ecclesiae esse per Christi meritum; licet id aliqui negent, et Cajetanus particulam *in ipso* conetur alio torquere. Sed refellitur per sententiam mox sequentem, qua idem sub nomine praedestinationis repetitur. Indigna sunt lectu, quae hic pro suo novo dogmate arroganter inculcat Catharinus de duplici ordine salvandorum, contra sacras Scripturas.

Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus. Exponit effectum, ad quem a Deo electi sumus, non totum quidem illum, sed quem consequimur in hac vita. Ubi notandum, non dicere Apostolum, Deus elegit nos, quia eramus sancti, aut quia in ejus praescientia futuri eramus sancti, sed *ut essemus sancti:* ne quis vel cum Origene putet, animas, antequam in corpora mitterentur, aliquid egisse in alia vita, propter quod eligerentur, vel cum Pelagio sentiat, homines ex meritis eorum praevisis eligi a Deo. Annotarant hoc Hieronymus et Primasius in commentariis, et August. lib. de praedest. sanct. cap. 17. 18. et 19. atque alibi.

Sanctos vocat Apostolus mundos a peccatis, ut jam supra diximus: *immaculatos* vero, graece *irreprehensibiles,* eos dicit, qui sine crimine vivunt. Itaque *sancti* sumus per remissionem peccatorum, mentisque renovationem, *irreprehensibiles* per observationem mandatorum, quae sunt duae partes justitiae nostrae. Aliter quidem Hieronymus distinguit, sed haec nostra distinctio conformior est

phrasi Paulinae et textui Graeco, Graecorumque commentariis. Addit autem Apostolus *in conspectu ejus,* significare volens, de vera sanctitate et integritate vitae se loqui, qualis judicio Dei omnia cernentis probetur. Multi enim coram hominibus sancti sunt et immaculati, non coram Deo, sive per hypocrisim, sive quod Dei justitiam ignorent.

Si quaeras, quomodo sancti et immaculati sumus, qui sine peccatis non vivimus: breviter respondeo, secundum modum justitiae, qui habetur in hac vita, sanctos et immaculatos dici more Scripturae eos, qui peccatorum accepta remissione sic deinceps ambulant in lege Domini, ut a gravioribus peccatis, quae mortalia dicuntur, abstineant. Arbitrantur nonnulli, Paulum dicentem nos a Deo electos, ut in ejus conspectu sancti simus et immaculati, voluisse notare familiam Simonis, quasi dicat: Elegit nos Deus, non ut omne libidinis ac lasciviae genus studiose consectemur, sicut docebat Simon, sed ut vitam agamus ab omni contaminatione puram et integram. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem,* 1 Thess. 4. Hinc et in Epist. ad Col. 1. similibus verbis utitur, inquiens: *Exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.*

In charitate. Hanc particulam alii alio referunt. Ambrosianus commentarius annectit iis, quae proxime praecedunt, hunc faciens sensum: ut coram Deo sancti simus et immaculati, idque per charitatem, qua Deum diligentes sanctam reddamus conversationem nostram. Oecumenius refert ad verbum *elegit,* charitatem intelligens Dei erga nos. Similiter Thomas. At vero Chrysostomus, Theodoretus et Theophylactus adjungunt ei, quod sequitur: *Qui praedestinavit* etc. Nam ejus loco Graece participium est praeteriti temporis, pro quo Hieronymus et Ambrosianus legunt *praedestinans;* ut proinde nulla sit in Graeco sermonis incommoditas, quae apparet in Latino, si particula *in charitate* sequentibus jungatur. Et hoc modo sensus est: Qui per charitatem, qua nos dilexit, praedestinavit nos in adoptionem etc.

Haec tertia expositio, quam etiam adducit Hieronymus secundo loco, magnam probabilitatem habet, cum Scriptura passim beneficium praedestinationis et salutis nostrae adscribat charitati Dei Patris erga genus humanum, ut Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum* etc. Item Rom. 5. et 8. Et iterum hac epist. cap. 2. *Deus,* inquit, *propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo.* Ratio quidem haec etiam quadrat in secundam expositionem, sed illi nonnihil obstat hyperbaton, quod per hanc Graecorum interpretationem facile evitatur.

5. *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Vel *in sese,* est enim pronomen reciprocum, ex Apostoli mente referendum ad illam partem *in adoptionem filiorum,* quo declaret cujus filiorum; scilicet ipsius Dei praedestinantis, ut sensus sit: Qui aeterno consilio et decreto praedestinavit nos per meritum Jesu Christi Filii sui naturalis ad illam eximiam dignitatem, qua essemus ipsius filii adoptivi. Sic et Joannes in Evangelio: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,* et 1 Epist. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Ex quibus etiam locis satis apparet de ea adoptione, quam in hac vita per gratiam consequimur, Apostolum loqui, tametsi S. Thomas malit accipere de adoptione perfecta, quae est futurae vitae, de qua Rom. 8. dicit idem Apostolus: *nos ingemiscere adoptionem filiorum Dei exspectantes.*

Fortasse rectius, ut utramque adoptionem, tam perfectam, quam imperfectam, generali nomine complexum fuisse Apostolum intelligamus: est enim una eademque adoptionis gratia, quae nunc inchoatur ac proficit, et in futuro perficitur. Porro quomodo differant, et quem ordinem inter se habeant electio, dilectio et

praedestinatio Dei, quae tria hic ab Apostolo nominata sunt, requirat studiosus apud S. Thomam 1. qu. 23. art. 4., ubi rem istam erudite explicat.

Secundum propositum voluntatis suae. Propositum, Graece εὐδοκίαν, pro qua Hieronymus et Ambrosianus *placitum* legunt. Sed admonet Hieronymus rectius verti *beneplacitum*. Est autem Graeca vox sacris literis peculiaris, atque eodem Hieronymo teste primum a LXX. interpretibus excogitata, qua significatum vocis Hebraicae Ratson exprimerent. Et quamvis interpres noster, hoc loco, *propositum* verterit; alibi tamen fere vertit *beneplacitum*, ut et paulo inferius hoc cap. Interdum autem ejus loco *bonam voluntatem* habet vulgata editio. Dicit ergo Apostolus, Deum nos praedestinasse sibi in filios adoptivos non ullis meritis nostris provocatum, sed ex mero beneplacito suae voluntatis.

Nam, ut annotat S. Thomas, causa praedestinationis nostrae est purus amor ac voluntas Dei, non autem aliquid ex parte voluntatis nostrae praevisum a Deo, licet inter effectus praedestinationis ordo sit, secundum quem unus ad alterum, ut gratia ad gloriam, tanquam meritum ad mercedem ac praemium referatur. Sed ipsius gratiae, quae est primus effectus praedestinationis, non potest, inquit, aliqua ratio assignari ex parte hominis, quod sit ratio praedestinationis; hoc enim esset ponere, quod principium boni operis sit in homine ex seipso et non per gratiam; quod est haeresis Pelagiana, quae dicit principium boni operis esse ex parte nostra. Sic ille.

6. *In laudem gloriae gratiae suae.* Id est, in laudem et gloriam gratiae suae. Haec enim alibi copulative conjungit, ut Phil. 1. *in gloriam et laudem Dei*, et Petrus 1 Epist. 1., *ut probatio fidei vestrae inveniatur in laudem et gloriam et honorem,* et Joannes Apoc. 19. *Laus et gloria et virtus Deo nostro.* Quod ergo hic dicit ac tertio repetit laudem gloriae, vel laudem gloriosam, Hebraismus est. Igitur Apostolus, sicut parte praecedenti causam assignavit efficientem nostrae praedestinationis, scilicet simplicem ac solam Dei voluntatem; ita nunc finalem causam aperit, quae est glorificatio divinae bonitatis, quasi dicat: qui praedestinavit nos ad tantam dignitatem, idque eo fine, ut ipse laudetur et glorificetur in tanto beneficio gratis nobis collato; laudetur, inquam, et glorificetur non tantum a nobis tam ingenti beneficio affectis, verum etiam ab angelis canentibus gloriam in excelsis Deo.

Cur autem non dixit *in laudem* justitiae suae, sed tantum gratiae? Respondet B. Thomas, quia justitia ibi locum habet, ubi debitum invenitur aut redditur; quod autem quis praedestinatur ad vitam aeternam, non est debitum, ut dictum est, sed gratia pure gratis data.

In qua gratificavit nos in dilecto filio suo. Graeci *filio suo* non addunt; tantum legunt *in dilecto*, quod Graece non est ἀγαπητῷ, nomen verbale, ut alibi etiam Filio Dei attributum, velut Deo Patre dicente: *Hic est filius meus dilectus,* sed participium ἠγαπημένῳ. Hieronymus quoque, quod in Latinis codicibus habetur *in dilecto filio suo*, negat scriptum esse ab Apostolo, sed simpliciter *in dilecto.* Quare et verisimile est Hieronymum in sua vulgatae versionis emendatione partem illam *filio suo* e textu removisse. Nam et Primasius tantum legit *in dilecto,* admonens subaudiendum *filio suo.* Sic legit et Sedulius. Porro Syrus interpres *per dilectum suum* vertit, nomine Filii omisso.

Ac sane emphasim habet vocabulum *dilecti* singulariter positum, quemadmodum diligenter explicat idem Hieronymus, non tam ut significetur is, qui ab omnibus sine exceptione diligitur, quod Hieronymus et post eum Sedulius volunt, sed ille, quem Pater diligit et dilexit ab aeterno, non propter alium aliquem, sed propter ipsum, utpote Filium suum naturalem, in quo perfecta est similitudo Patris.

Notandum etiam, pro Latino verbo *gratificavit,* Graece verbum esse, a quo

participium *gratificata*, quod Latinus interpres in salutatione angeli ad B. Virginem dixit *gratia plena*, ut etiam hoc loco quaedam excellentia gratiae divinae in omnes electos diffusae commendetur. Sensus: Per quod gratiae beneficium nos sibi vehementer charos et acceptos reddidit, propter meritum ejus, quem ut Filium suum naturalem singulariter dilexit. Locus hic contra sectarios notandus pro gratia et justitia inhaerente.

7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Id est, per quem dilectum redempti sumus e captivitate peccati, mortis ac diaboli, dato pro nobis in cruce pretio sanguinis ipsius. Nam Graeca vox proprie redemptionem significat, qua captivus, soluto pro capite ejus pretio, liberatur. Hoc autem pretium nostrum Apostolus declarat esse sanguinem dilecti, id est, Filii Dei.

Remissionem peccatorum. Haec particula exponit, quod dixerat *redemptionem*, eique appositive coordinanda est, quasi dicat: Habemus redemptionem, quae est remissio peccatorum. Per hoc enim, quod peccata nobis remittuntur, redimimur a servitute peccati, et consequenter a servitute mortis ac diaboli, quibus per peccatum eramus obnoxii. Graece quidem est *delictorum*, non *peccatorum*, sed his duobus vocabulis Scripturae promiscue passim utitur.

Secundum divitias gratiae ejus. Id est, non per merita nostra bona, quae nulla erant, sed per abundantem gratiam ejus, scilicet *habemus redemptionem* etc. Hoc modo pronomen *ejus* refert Christum, de quo praecessit *per sanguinem ejus*. Verum potest haec pars per hyperbaton referri ad eum, de quo dixit, *quod praedestinavit et gratificavit nos in dilecto*, ut verba media, *in quo habemus redemptionem* etc., parenthesim faciant, et cum Ambrosiano, Hentenio et Erasmo legamus *gratiae suae*, non *ejus*; cum Graeca possint utroque modo verti. Ita sensus erit: haec fecit nobis Deus *juxta divitias gratiae suae*, id est, pro copiosa et profusa erga nos beneficentia sua. Haec Graecorum est expositio, certe consentanea iis, quae sequuntur.

8. *Quae superabundavit in nobis.* Graece, *quam abundare*, sive *exuberare fecit in nos*, pro quo alii verterunt, *de qua ubertim nobis impertivit.* Graecum verbum, etsi plerumque absolutum sit, ab ipso tamen Apostolo etiam alibi transitive sumitur, ut 2 Cor. 9. *Potens est Deus, omnem gratiam abundare facere in vos.*

In omni sapientia et prudentia. Dubium est, utrum nostram intelligi velit sapientiam et prudentiam, an Dei. De nostra quidam Ambrosianum secuti interpretantur, hoc pacto: quam gratiam copiose in nos Apostolos ac primos fideles effudit, una cum praeclaris sapientiae et prudentiae donis, ut nimirum ad dona gratiae credentibus collatae pertinere etiam intelligantur varia charismata, de quibus 1 Cor. 12., inter quae sermo sapientiae et sermo scientiae primo loco nominabantur; quasi prudentiam hic vocet, quam illic scientiam. Et cap. 3. hujus meminit prudentiae sibi tanquam Apostolo competentis, et ad Coloss. cap. 1. de ipsorum sapientia et intellectu spirituali loquitur. Ita ut hic sensus videatur probabilior.

Alii putant Apostolum hic loqui *de sapientia et prudentia* Dei, quemadmodum et id, quod supra dixit *in charitate*, ostendimus de charitate Dei dictum esse. Sic autem intellectam hanc partem alii quidem connectunt cum eo, quod praecedit, hoc sensu: Quam gratiam nobis elargitus est mira sapientia et prudentia usus in ea re, quasi dicat, sapientissime et prudentissime id fecit. Alii vero referunt ad verba sequentia.

9. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae.* Pro quo Hieronymus legit: *Notum nobis faciens mysterium voluntatis suae.* Nam in Graeco participium est, sed quo praeteritum tempus significetur; proinde commodius ita vertas: *Notificato seu patefacto nobis arcano voluntatis suae.* Quae pars conjuncta superiori sensum hunc faciet:

Deus summa sapientia et prudentia sua notum fecit nobis arcanum suae voluntatis, id est, elucet in hujus mysterii revelatione admirabilis Dei sapientia et prudentia. Quod quam verum sit, satis idem Apostolus declarat 1 Cor. 1. et 2. Postremam hanc distinctionem et sensum suggerunt Graecorum commentarii.

Hieronymus utramque distinctionem adfert, variosque sensus indicat, sed nihil certi definit. Potest autem inter sapientiam et prudentiam, ut ad Deum referuntur, ita distingui, quod sapientia sit, qua disponit ac praeordinat, prudentia vero, qua exsequitur. Caeterum Cajetanus *sapientiam* et *prudentiam* non ad totum, quod sequitur, referendum putat, sed ad particulam *sacramentum voluntatis suae,* ut sensus et ordo sit: Patefacto nobis mysterio voluntatis suae, quod mysterium est in omni sapientia et prudentia, id est, sapientissime et prudentissime dispositum a Deo. Qui sensus bonus est, sed constructio violenta.

Nobis apparet re diligenter expensa, quod primo loco dictum est, magis esse ex mente Apostoli. Vult enim Apostolus primum declarare, quanta gratia in Apostolos et alios ex Judaeis credentes effusa sit, ut deinde transeat ad commemorationem ejusdem beneficii gentibus praestiti ac nominatim Ephesiis, quibus et a Deo similiter spiritum sapientiae precatur in sequentibus. Inde enim colligitur, *sapientiam* et *prudentiam,* etiam hoc loco, ad homines referendam esse, et nomine duorum charismatum caetera comprehendi, eodemque pertinere, quod sequitur: *Ut notum faceret nobis* etc., id est, revelato nobis Judaeis sacramento suae voluntatis. Nam et Ephesiis spiritum revelationis hujusmodi infra exoptat a Deo, videlicet cupiens illos primis credentibus omnino similes effici.

Sensus hic admodum convenit cum iis, quae 3. cap. dicuntur. Eundem videre est apud S. Thomam docte explicatum, nisi quod ille de solis Apostolis hunc locum interpretetur. Vocat autem Apostolus consilium redemptionis ac salutis humanae sacramentum voluntatis divinae, id est, arcanam Dei voluntatem, quia paucissimis hominibus ante promulgatum Evangelium, et quidem imperfecte, cognitum hoc mysterium fuerat; simul ut nomine *voluntatis Dei,* prorsus gratuitum insinuet esse beneficium, utpote a sola Dei voluntate profectum.

Secundum beneplacitum ejus, potius *suum,* ut legit Hieronymus. Refertur enim ad eandem personam Dei Patris, et sensus est, Deum hujus tanti mysterii notitiam Apostolis, aliisque fidelibus Judaeis tribuisse, non propter illorum merita, sed quia sic ipsi placuit. Ubi nota, *beneplacitum* nunc ab interprete dici, quod paulo ante verterat *propositum.* Codex tamen Laudensis hic habet *bonum placitum.*

Quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum. Graeca et Syra, consentiente Ambrosiano et Latinis quibusdam MSS., legunt *in dispensationem.* Relativum *quod* non sacramentum respicit, sed *beneplacitum,* ut ex Graeco manifestum est, ita tamen, ut *beneplacitum* pro re objecta sumatur. Rursum illud *in eo* licet plerique referant ad dilectum, id est, filium, ex Graeco tamen, ut nunc legitur, vertendum *seipso,* ut sensus sit: quod beneplacitum, id est, quam rem benigna ac liberali voluntate proposuit et constituit apud se, secretamque tenuit, usque ad dispensationem plenitudinis temporum, id est, donec completa essent tempora, quae ad dispensationem sive exsecutionem illius beneplaciti ac propositi fuerant ab ipso praefinita.

10. *Instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt, in ipso.* Quaeritur, quomodo instaurentur in Christo, quae in coelis sunt, hoc enim non nisi de angelis accipi posse videtur; atqui boni angeli, cum lapsi non sint, instauratione non egent; mali vero post lapsum sine ulla spe instaurationis addicti sunt aeternae damnationi. Respondet Augustinus Ench. 62. per Christum instaurari ea, quae in coelis sunt, quando

id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur, quam Theologi vocare solent instaurationem ruinae angelicae, quae fit ex hominibus electis.

Porro Hieronymus pro *instaurare* legit *recapitulare,* quemadmodum legit et Irenaeus, seu potius ex Graeco reddidit ejus interpres lib. 3. advers. haeres. cap. 18. Atque id proprie significat verbum Graecum ἀνακεφαλαιώσασθαι, a quo etiam deducitur verbale nomen anacephalaeosis, id est, recapitulatio, rhetoribus usitata, quam Hieronymus recordationem vocat, qua scilicet in summam colligit orator multa, quae prius dixit.

Hieronymus igitur ad hunc modum exponit: Deum in Christo, tanquam in scopo, ad quem omnia referuntur, recapitulare, colligere, implere, non solum omnes historias in terra gestas, quas Scripturae commemorant, sed etiam, quae in coelestibus ante mundum conditum, etsi nobis sint occultae. Verum hic commentarius sapit Origenianum aliquid.

Proinde longe probabilior est Graecorum interpretum expositio, quae et Irenaei esse videtur; qui, servata proprietate Graeci verbi, sic locum hunc interpretantur: Quibus temporibus completis, Deus in Christo recapitularet utraque, coelestia et terrestria; hoc est ad Christum, tanquam ad unum caput, revocaret, angelos et homines, seu clarius Christum constitueret angelorum et hominum caput. Id enim fecit, quando constituit eum caput totius Ecclesiae, quae ex angelis et hominibus constat. Huic sensui congruit, quod in fine capitis dicitur: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,* cum paulo ante varios angelorum ordines enumerasset, supra quos Christum dixerat constitutum. Quoniam autem quae sui capiti subjiciuntur, connexionem et pacem inter se habent, velut unius corporis membra, propter hoc Col. 1. dicit Apostolus, Deum *pacificasse per Christum, quae in terris et quae in coelis sunt.*

Obiter notandum ex eo, quod Hieronymus mirari se dicit, cur in Latinis codicibus pro *recapitulare* scriptum sit *instaurare,* atque ex aliis ejusmodi locis, quae apud eundem autorem occurrunt: satis evinci (quod et alias non semel admonuimus), versionem novi Testamenti, quam nos in manibus habemus, non eam esse, qualis ab Hieronymo vel edita fuit, vel emendata. Quod demum addit Apostolus, *in ipso,* id est, per ipsum, scilicet Christum, pleonasmus est Hebraeis familiaris, inculcandi vim habens, quale illud Psalmi: Aaron, quem elegit ipsum.

11. *In quo etiam nos sorte vocati sumus. Nos* in Graeco non exprimitur. Nec Hieronymo legitur, et totum illud: *sorte vocati sumus,* uni verbo Graeco respondet, quasi dicas: *sortiti sumus,* passive, pro quo Ambrosianus legit: *sorte constituti sumus.* Loquitur autem adhuc Apostolus in persona eorum, qui sunt ex Judaeis, et sensus est: Per quem Christum nos iidem, scilicet Judaei, sortem adepti sumus; id est, per quem sors nobis obvenit; intellige vocationis, adoptionis filiorum, haereditatis, aut quid simile. Convenit autem maxime, ut haereditatis sors intelligatur, de qua Hieron. et Oecum. exponunt; solet enim antiquitus sorte dividi haereditas, unde et a sorte nomen habet apud Graecos, et sortis nomine quandoque significatur in Scripturis. Ipsum quoque Graecum verbum, quo Paulus usus est, apud LXX. interpretes Jesaiae 17. activo genere legitur pro eo, quod est haereditatem dare. Visum est autem Apostolo, divinam electionem seu vocationem sortitionis vocabulo designare, non quod temere et absque ratione Deus alios prae aliis eligat aut vocet, de quo mox sequitur, quod *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,* sed quia in ipsis electis nulla est causa, cur eligantur prae aliis.

Itaque sorte electi sunt et vocati, si ipsorum qualitas et merita considerentur; judicio autem electi, si Dei sapientia cogitetur, quae nihil facit temere. Hanc rationem reddit August. conc. 2. super Psalm. 30. et alibi, nec non Thomas in comment. Similis est locus Col. 1. *Qui*

dignos nos fecit in partem sortis sanctorum. Ne autem audita mentione sortis suspicetur quis, casum aut fortunam intervenire in hominum electione, ideo subjungit:

Praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Id est, ad beneficia superius commemorata praedestinati ex proposito certoque decreto ejus, qui non solum haec gratiae beneficia, sed simpliciter omnia quaecunque sunt, vi sua operatur, secundum deliberatam suam voluntatem. Propositum hoc loco non est εὐδοκία, ut supra, sed πρόθεσις, sicut et Rom. 8., *iis qui secundum propositum vocati sunt sancti,* qui locus a Pelagio perverse tractatus, ex hoc loco vindicandus est, quemadmodum illic admonuimus.

Porro verbum Graecum ἐνεργεῖν, quo hic utitur, operationem significat efficacem. Itaque sentit Apostolus, Deum efficaciter operari salutem et totam justificationem nostram, sicut universa operatur, nimirum causalitate physica seu proprie dicta, quod imprudenter a quibusdam alioqui doctis negatur. Ex quo praeterea consequens est non ex meritis, sed mera Dei voluntate nos praedestinari. Id quod etiam hoc loco diserte S. Thomas annotat. Consilium autem Deo tribuit Apostolus, non quo significet, discursum rationis esse in Deo, sed quatenus ipsa ratio rerum agendarum consilium dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, uti declarat idem Doctor 1. p. quaest. 22. art. 1.

12. *Ut simus in laudem gloriae ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Significatur electionis seu praedestinationis causa finalis, scilicet laus et gloria Dei. Sensus est: Ad tanta bona praedestinati sumus a Deo, ut ipse in nobis laudetur et glorificetur, tanquam in opere suo, in quo insigniter reluceat ejus bonitas et sapientia, *in nobis,* inquam, *qui prius speravimus in Christo,* id est, Judaeis, adhuc enim ex horum persona loquitur. Dicuntur autem Judaei *prius in Christo sperasse:* vel *prius,* quam Christus veniret; erant enim ante Christi adventum in populo Judaico multi Christum exspectantes, quales Simeon justus, Anna prophetissa, et ante hos reges et Prophetae cupientes videre et audire ea, quae Christi discipulis videre et audire contigit. Luc. 10.; vel *prius,* quam gentiles in Christo sperarent, id est, salutem a Christo exspectarent. Qui posterior sensus Apostolico scopo magis convenit, quemadmodum ex sequentibus patebit.

Hieronymus in comment. duos a superioribus diversos adfert sensus, sed quorum prior ad Origenis damnata dogmata rejiciendus sit: alter vero nimium longe quaesitus atque a praesenti instituto alienus.

13. *In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae.* Transit a Judaeis ad gentiles, vocatione et fide posteriores, inter quos erant Ephesii. Hos igitur alloquens commemorat divinam etiam erga illos beneficentiam. Supplendum autem ex praecedenti sententia verbum hoc modo: In quo Christo vos etiam sperastis, non quidem olim, ut nos; eratis enim sine lege et Prophetia; sed nuper sperare coepistis, *cum* ex nobis Christi ministris *audissetis verbum veritatis,* quod idem est Evangelium salutis vestrae. Verbum Apostolicae praedicationis vocat *verbum veritatis,* quia non nisi veritatem continebat, eamque divinitus revelatam: vocat etiam *Evangelium salutis,* quia bonum annunciabat ac promittebat, non qualecunque, sed omnibus exoptatum, salutem scilicet ac felicitatem aeternam.

Graeci codices etsi nonnihil hic varient in pronominibus, ut videre est in annotationibus Erasmi, quae res etiam Cajetanum fefellit, meliores tamen astipulantes Graecorum veterum commentariis, nostram lectionem confirmant. Porro Hieronymus nihil hic supplet, sed redundare aliquid putat, nempe particulam *in quo,* positam secundo loco. Verum sensus, quem dedimus, planior est, et cum eo, quod praecedit, optime cohaerens, tametsi sen-

tentiam Hieronymi non rejicimus, imo paulo post probabilem ostendemus.

In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Signati, Graece, *obsignati.* Verbum dictum a sigillo, quo tabulae pactorum seu promissorum robur ac firmitatem accipiunt. Sensus est: Item per quem, scilicet Christum, postquam Evangelio credidistis, obsignati estis Spiritu sancto, velut promissionis sigillo; id est, Spiritum sanctum accepistis, quae certa nota est certumque testimonium, vos esse filios Dei, ad quos promissa spectat haereditas.

Sed quaeritur, quomodo Spiritum sanctum acceperant. Nonnulli referunt hoc ad gratiam justificationis exercentem se per bona opera apud Ephesios, ut conveniat hic locus cum illo Rom. 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Sed verisimilius est, Apostolum loqui de charismatum Spiritus S. effusione super Ephesios, cujusmodi erant dona linguarum, Prophetiae, sanitatum etc. Sic enim alium locum huic persimilem, qui est 2 Cor. 1., illic ostendimus intelligendum esse. Sic et Galatas ex virtutibus, id est, miraculis, apud eos factis ostendit accepisse Spiritum sanctum, Gal. 3.

Nec obstat, quod istiusmodi charismata non sint certa signa gratiae adoptionis: nam etsi non quoad singulos, in quibus apparebant, quoad Ecclesiam tamen, in qua vigebant, certa erant argumenta, quibus Spiritus sanctus testificabatur illius Ecclesiae membra filios esse promissionis. Vitari tamen poterit haec difficultas, si cum nonnullis aliis *spiritum promissionis* interpretemur spiritum promissum credentibus et ex promissione datum. Extat enim ea promissio apud Joëlem Prophetam cap. 2. et a Petro Apostolo Act. 2. allegatur.

Porro si cui placet cum Hieronymo, particulam *in quo,* velut redundantem, in sensu reddendo praetermitti, totam sententiam construat hoc modo: In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, eique credidissetis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto; quod enim interpres vertit *credentes,* in Graeco praeteriti temporis est participium, aeque ut illud *cum audissetis,* ideoque similiter vertendum, nisi quod defendi potest interpres beneficio ampliationis logicis notae. Sane pro Hieronymo facit, illud *in quo* bis superius positum pro eo, quod est: *per quem;* ut consentaneum sit etiam hoc tertio et quarto loco similiter accipi; quod quidem fiet juxta constructionem modo datam, qua utrumque *in quo,* tanquam unum esset, refertur ad verbum *signati estis;* hoc sensu: per quem Christum obsignati estis etc.

14. *Qui est pignus haereditatis nostrae.* Pro *pignore* Graece est *ἀῤῥαβὼν, arrhabo;* et hoc modo potius vertendum censet Hieron. annuente Thoma. Differt enim pignus ab arrhabone, quam usitatius arrham Latini vocant; quod arrhabo datur in emptione vel sponsione, quo firma sit obligatio: pignus vero pro mutuata pecunia traditur, ut cum illa reddita fuerit, pignus recipiatur.

Male contendit hoc loco Faber Stapulensis, relativum *qui* referre Christum, non spiritum, eo quod articulus relativus in Graeco masculini sit generis, spiritus autem neutrius: recte enim Cajetanus observat, relativum aliquando concordare non cum antecedente dictione, sed cum ea, quae sequitur; id quod Graecis perquam familiare est. Cum ergo dictio sequens arrhabo Graece masculina sit, atque in suum genus praecedentem articulum trahat; nihil impedit differentia generis, quo minus idem articulus Spiritum sanctum referat, consentiente etiam Graeco Oecumenio. Et quidem eo referri oportere, prorsus exigit locus ille similis 2 Corinth. 1., qui sic habet: *Qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.*

Ipsum igitur Spiritum sanctum Apostolus vocat et sigillum promissionis, quo obsignati sumus; et pignus sive arrham haereditatis nostrae, id est, qua nobis confirmetur haereditas promissa, quae est vita aeterna. Hoc autem, sicut et illud

de Spiritu sancto, dicitur ratione charismatum ejus, quae tribuit credentibus; quae cum magna sint et multiplicia, cogitandum relinquitur, quam excellens futura sit haereditas, in cujus arrham haec interim Ecclesiae donantur; ut merito exclamet Hieronymus: *Si arrhabo tantus, quanta erit possessio.*

Quaeres, cur hoc pignus sive arrha reddat nos omnino certos ac securos adipiscendae haereditatis promissae: quippe cum ad hoc detur, ut confirmetur promissio. Nam eo argumento utuntur inter alia, qui fidem specialem statuunt. Primum respondeo, nec de ipso pignore accepto, id est, Spiritu sancto, quantum quidem ad donum charitatis attinet, quemque fidelium esse plane certum. *Nihil,* inquit, *mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum,* 1 Corinth. 4. Deinde arrham ab eo, cui datur, custodiri debere, tunc repraesentandam, quando res promissa accipienda est; quod nisi fecerit, jus accipiendi amittet: quemadmodum et fit in sponsionibus humanis. Quare nisi Spiritum sanctum pro pignore acceptum quis servaverit usque in finem: excidet haereditate promissa. Non enim promittitur haereditas, nisi ei, qui vicerit et custodierit usque in finem opera filii Dei; quae eadem sunt dona Spiritus sancti. Apoc. 2.

In redemptionem acquisitionis. Vetus editio tempore Hieronymi habebat *adoptionis,* quod corrigit Hieronymus, docens ex Graeco legendum, *acquisitionis* seu possessionis; tametsi neutra voce vim Graeci vocabuli satis exprimi fateatur; *acquisitionis* etiam apud Ambrosianum legitur. Non male autem Erasmus rem clarius exprimere volens utrumque conjunxit, *in redemptionem acquisitae possessionis.* Sic enim et Petrus 1 Epist. 2. Christi fideles vocat *populum acquisitionis;* id est, populum acquisitum a Christo in possessionem.

Porro *redemptionem acquisitionis* alii intelligunt eam, quae continue agitur in hoc saeculo; alii referunt ad saeculi consummationem. Priores hanc partem construunt cum verbo *signati estis;* et hunc faciunt sensum: In quo Christo signati estis Spiritu sancto, variis ejus donis acceptis; per quod exercetur et paulatim completur redemptio populi, quem sibi Christus pretio sanguinis sui (sicut dictum est supra) comparavit, acquisivit et suum fecit. Nam redemptio quidem illa, quoad pretii solutionem, semel facta est in Cruce; fit autem et completur quotidie, dum possessio semel empta paulatim in singulis vendicatur.

Posteriores vero proxime praecedentibus annectunt, hoc sensu: Qui spiritus est nobis arrha haereditatis, hoc est, vitae aeternae; idque in redemptionem acquisitionis, hoc est, *quousque veniat tempus perfectae redemptionis ecclesiae, quam sanguine suo acquisivit:* nempe saeculo hoc finito, quando plenam adituri sumus haereditatem. Dico, *perfectam redemptionem,* sic ut nihil remaneat servitutis, nec peccati, nec miseriae, morte ipsa penitus absumpta. Hic sensus et planior est et probabilior. Explicat enim arrhabonis officium, quod est, ad rei promissae possessionem perducere. Et favet locus similis Roman. 8., ubi dicit, nos *primitias spiritus habentes, adoptionem filiorum exspectare, redemptionem corporis nostri.*

In laudem gloriae ipsius; vel Christi, vel Spiritus sancti, vel Dei patris. Ad omnia enim haec referri potest αὐτοῦ, *ipsius.* Et quidem ad Patrem bis ante relatum est; sed hic magis apparet, ad Christum redemptorem referri oportere; nam tota hac postrema periodo Dei patris non est facta mentio. Sensus autem manifestus est ex superioribus.

15. *Propterea et ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes Sanctos.* Sensus: Cum igitur ex iis, quae dixi, constet, etiam ad vos pertinere beneficium electionis et vocationis divinae; *idcirco et ego vester Apostolus, audita fide vestra in Christo, et dilectione in omnes sanctos;* id est, cum audissem fidem vestram, qua me praedicante in Christum credidistis,

integram esse, nec corruptam per falsos magistros, nec turbatam per mea vincula; cumque etiam audivissem, quanta dilectionis opera exerceatis erga omnes fideles:

16. *Non cesso gratias agens pro vobis.* Id est, quam frequentissime, et ut ita dicam, incessanter et continue Deo gratias ago pro vobis. Graecismum retinuit interpres, pro eo quod Latine diceret, non cesso gratias agere. Porro non ageret gratias Apostolus pro fide et dilectione Ephesiorum, nisi utrumque sciret ejus esse donum, cui gratias agit.

Memoriam vestri faciens in orationibus meis. Sicut gratias agit pro datis beneficiis, ita precatur pro iis, quae adhuc deerant, obtinendis. Quod procul dubio etiam est divinae gratiae certissimum argumentum respectu omnium eorum, quae orando petuntur.

17. *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi pater gloriae.* Ita connectitur cum superiori, *in orationibus meis,* quibus peto, *ut Deus* etc. Quod veteres tam Graeci quam Latini sic intelligunt: ut Deus Christi hominis, qui idem est pater gloriae, id est, auctor totius glorificationis. Neoterici vero quidam per hyperbaton verba transponunt, hoc modo: ut Deus gloriae, qui est Domini nostri Jesu Christi Pater; Deum gloriae phrasi Hebraea interpretantes Deum gloriosum. Placet haec constructio, quatenus ista conjungit, *Domini nostri Jesu Christi Pater.* Id enim congruit stylo Pauli Apostoli, qui multis locis Deum, Christi patrem appellat. Verum ut *Deus* ad genitivum distantem *gloriae* referatur, inconsuetum et nimis violentum est hyperbatum. Unde rectius fortasse plana constructione sic exponetur: Ut Deus, qui est Domini nostri Jesu Christi pater gloriosus, idemque gloriam suam Filio communicans; secundum illud Philip. 2. *Quia Christus in gloria est Dei patris.*

Det vobis Spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus; vel *sui* potius, ut ad Patrem referatur. Hoc enim postulat omnino sequens oratio; qua ad Christum transit tanquam diversum, dum quibusdam interpositis ait: *Quam operatus est in Christo* etc. Porro conjunctio *et* expositive sumitur. Est enim sensus: Ut Deus nostrorum charismatum etiam vos Ephesios participes faciat, largiens et adaugens vobis sapientiam, qua ipsum ejusque mysteria, quae ratione humana percipi nequeunt, sed sola discuntur revelatione divina, cognoscatis. Hanc sapientiam vocat *spiritum sapientiae et revelationis,* quia Spiritus Sancti donum est.

18. *Illuminatos oculos cordis vestri.* Graece *mentis vestrae.* Quidam huic parti connectunt illud praecedens, *in agnitione ejus;* hoc sensu: Det vobis oculos mentis illuminatos in vera cognitione sui. Nobis probabilius est hanc partem, commate divisam a superiore, ad sequentia respicere hoc modo. Det, inquam, vobis habere oculos intellectus vestri illuminatos, ad hoc:

Ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus. Id est, ut magis etiam ac magis cognoscatis, quae et quanta sint bona, ad quae ipse vos vocat, et quae vos jubet sperare. *Spes* enim pro re speranda more Hebraeo posita est, ut et alibi interdum. Unde sequitur:

Et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis. Id est, et quam opulenta, splendida, magnifica sit gloria coelestis, quae est haereditas sanctis, hoc est fidelibus in Christo sanctificatis, tanquam filiis adoptionis, ab ipso promissa.

19. *Et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus.* Chrysostomus et Theophylactus hanc partem exponunt de virtute seu potentia Dei, qua utitur in vocandis infidelibus ad fidem, et convertendis ab omni vitiorum genere, quibus ante dediti erant, ad vitam vere Christianam; ad quam rem utique potenti gratia opus est. Verum si contextum Apostoli consideremus, magis apparebit, eum loqui de futuri saeculi bonis, quae adhuc speranda restant; id est, de beata resurrectione et gloria coelesti. Introducit enim resurrectionem et

gloriam Christi, ut doceat nos sperare, quod eadem virtute Dei similiter resuscitandi sumus ad vitam immortalem et gloriosam. Id autem prosequitur sequenti capite, illis verbis: *Deus autem qui dives est in misericordia* etc. Atque haec expositio est Ambrosiani commentarii, nec non Aquinatis et Cajetani; quam et Oecumenius secundo loco probat et explicat. Itaque sensus est: item ut cognoscatis excellentem magnitudinem potentiae Dei, quam ostendet erga nos, qui credimus Evangelio, scilicet resuscitando nos ad vitam et gloriam, sicut Christum resuscitavit. Hoc enim est, quod jam sequitur:

20. *Secundum operationem potentiae virtutis ejus; quam operatus est in Christo.* Graeca significant efficacem Dei operationem. Et sensus est: Quam virtutem erga nos declarabit efficaci operatione potentissimae virtutis seu fortitudinis suae; quam et in Christo efficaciter exercuit, quasi dicat: Non minus erit potens Deus in resuscitandis et glorificandis nobis, atque fuit in Christo.

Suscitans illum a mortuis. Id est, cum suscitavit eum a morte ad vitam immortalem; participium enim Graecum praeteriti temporis est. Quum dicit Apostolus, quod Deus suscitavit illum, non negat, Christum a seipso resuscitatum esse, qui dixerat Judaeis; *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Et alibi: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Joan. 2. et 10., sed de Christo secundum naturam assumptam Paulus loquitur. Ipse vero Christus in verbis ex Evangelista citatis insinuare voluit eam naturam, quam habet cum Patre communem.

Et constituens ad dexteram suam in coelestibus. Graece, *et constituit in dextera sua in coelestibus. Constituit,* id est, collocavit, sedere fecit, ut legit Hieronymus; quomodo etiam interpres noster eandem vocem reddidit sequenti capite. Dicitur autem Christus a Deo patre collocatus sive sedere jussus ad dexteram ipsius in locis coelestibus: quia (prout hanc phrasim etiam ad illud Rom. 8. *qui est ad dexteram Dei;* exposuimus) corporaliter et secundum humanam naturam elevatus in coelum, qui est locus beatorum ac sedes Dei, proximam illic a Deo patre dignitatem, auctoritatem et gloriam quietus possidet; proximam dico, quatenus homo est; nam inquantum Deus, ab aeterno omnia habet eadem cum patre.

Loquitur autem Apostolus de Christo homine; sicut et Symbolum Apostolicum et Scripturae, quoties testantur, Christum sedere ad dexteram Patris. Hoc enim ei tribuunt post ascensionem, quando in coelum receptus, quietam supremae felicitatis ac dignitatis, qua omni creatura superior est, possessionem accepit. Unde et Patres passim ac diserte docent, humanam naturam in Christo collocatam esse ad dexteram Dei; ac nominatim in hujus loci commentar. Theophyl. et Theodor.

Nec vero sic ad dexteram Patris sedere Christus dicitur, quasi a Patre collocatus honoratiori loco; quod nefas est opinari; aut quod (ut quidam volunt) antiquitus dextera fuerit minus honorata quam sinistra, quod non putamus absolute verum; sed haec sessio debet intelligi per quandam analogiam e rebus humanis, ubi rex in excelso ac medio throno residens, eum, cui primum post se honorem deferri vult, sedere jubet ad dexteram solii sui; et cui secundum, ad sinistram. Qua ratione et Salomon rex matrem ad dexteram suam sedere fecit. 3. Reg. 2. Quamvis autem ista sessionis dignitas Christo homini competat potissimum propter unionem hypostaticam, maxime post ascensionem ejus manifestatam; hac tamen unione circumscripta etiam ei competeret, ut ex declaratione jam dicta patet. Hac de re plura vide, si placet, in cap. 1. Epist. ad Hebr. Porro, ne existimetur Christus quomodocunque collocatus in coelestibus, quoniam in coelis mansiones multae sunt; simul ut explicetur illa Christi sessio ad dexteram Patris, ideo subjungit:

21. *Supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem.*

Nomina sunt ordinum angelicorum Deo ministrantium in coelestibus. Qui quomodo inter se et ab aliis ordinibus vel dignitate naturae et gloriae, vel officiis differant, exquiritur a Theologis in 2. Sent. dist. 9. Sed an invenerint, affirmare non audeo; cum Hieronymus putet, nec ipsum Paulum, ut in gravi corpusculo constitutum, omnia coelestium ministeriorum vocabula enumerare valuisse, quamvis in coelum raptus audiverit verba, quae non licet homini loqui. Certe Hilarius, Augustinus et Bernardus ingenue profitentur, horum proprietates et discrimina se ignorare; negantque, ab homine cognosci posse in hac vita. Observant Graeci, non dixisse Apostolum ἄνω id est, *supra,* sed ὑπεράνω, id est, longe supra; ad significandam eminentem excellentiam Christi hominis supra omnem creaturam, quantumvis sublimem et excellentem.

Jam nec improbabile est, quod a nonnullis annotatur, Apostolum hac parte respicere poëtas et theologos Graecorum, qui de coelestibus indocte ac temere multa fabulabantur, praecipue vero scholam Simonis magi, quae principatus ac potestates et alia hujusmodi nomina angelorum tanquam mundi principum, pro magna sapientia, cum fastu et auditorum admiratione inculcabat; ut referunt Irenaeus et Epiphanius. Contra docet Apostolus, veram esse sapientiam, si sciamus Christum hominem, dominum ac salvatorem nostrum, summa potestate accepta a Deo regnare supra omnem altitudinem etiam coelestium potestatum, quibuscunque tandem censeantur nominibus. Unde et addit:

Et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Nomen ponitur pro re vel persona, quae ratione potestatis aut dignitatis cum fama nominari potest. Vult enim dicere Apostolus, Christum a Patre evectum et collocatum supra omne, quod in creaturis habet aut habere potest nominis celebritatem; idque sine exceptione, sive in hoc saeculo, quod est hominum mortalium, sive in futuro, quod est angelorum immortalium. Vocatur autem futurum, non quod jam non existat, sed quia nobis futurum est, ait Primasius, nobis, inquam, qui per resurrectionem exspectamus aequalitatem angelorum. Porro supra haec omnia Christus constitutus dicitur, non modo situ corporis, verum etiam ac multo magis superexcellentia potestatis. Eo namque pertinet, quod sequitur:

22. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Graece, *sub pedes ejus.* Respicit Apostolus ad versiculum Psalmi octavi, qui mystice competit in Christum, ut certius liquet ex epist. ad Hebr. 2., ubi diserte de Christo exponitur. Quod dicit *omnia,* praecipue complectitur omnem intellectualem creaturam, tam angelicam quam humanam, comprehensis etiam daemonibus et hominibus impiis ac reprobis: ex consequenti vero etiam creaturam omnem intellectus expertem; quoniam haec tota propter intellectualem facta est. Quod autem ait, *sub pedibus ejus,* perfectam significat subjectionem, sed quae aliter respectu bonorum angelorum et hominum, aliter respectu malorum accipi debeat, quemadmodum id accurate exposuimus in 1. epist. ad Cor. 15., ubi eadem haec verba habentur.

Ex quo etiam loco, sicut et ex Hebr. 2., perspicuum est, non ita dictum esse, *omnia subjecit sub pedibus ejus,* quasi id jam sit completum; *nunc enim,* inquit, *necdum videmus omnia subjecta ei:* sed a Propheta quidem id scriptum esse prophetice, de re multo post futura; Paulum vero suis verbis idipsum referre velut rem, quae jam impleri coeperit, et paulatim impleatur, perfecte autem implenda sit in saeculi consummatione; sic tamen, ut jam data sit Christo perfecta et suprema potestas, per quam omnia tandem sibi subjecturus sit. Quod quidem totum de Christo homine intelligendum: Christus enim ut Deus una cum Patre semper omnia subjecta habet.

Sciendum est autem, hac parte plus aliquid Apostolum dixisse, quam superiore; non solum, quia sententiam fecit universaliorem, dicendo *omnia,* verum

etiam, ut a Graecis annotatum est, quod Christum declaret omnium esse dominum, utpote cujus pedibus subjecta sint omnia, cum in verbis praecedentibus honore quidem et dignitate praelatum caeteris significaverit, non tamen dominandi potestate.

Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam. Graece, *super omnia, ecclesiae;* ut *ecclesiae* dativi sit casus, atque hoc ordine proferenda sit sententia; *et ipsum dedit Ecclesiae caput super omnia.* Suffragantur huic lectioni Hieronymus, Anselmus et Syriaca versio; nec non MSS. quaedam Latina. Annuit et Primasii textus ex parte: sic enim habet: *Et ipsum dabit caput omni ecclesiae.* Graeci suam lectionem varie exponunt, ut apud Theophylactum et Oecumenium videre est; sed maxime probabilis hic sensus: *Et ipsum, qui est super omnia, dedit ecclesiae caput;* id est, eum, qui superior est omnibus et omnium dominus, sicut jam ante dictum est, peculiariter esse voluit Ecclesiae caput. Ubi non tantum significatur excellentia Christi; verum etiam magnitudo beneficii, in ecclesiam collati a Deo, quod illi dederit ac praefecerit caput eminentissimum, scilicet illud, quod potestatem ac dominium habet super omnia. Nostra lectio sensum habet planiorem: *Et ipsum fecit esse caput supra totam ecclesiam.*

Dicitur autem Christus ecclesiae caput, non ea solum ratione, quia regit ecclesiam, eamque sibi subjectam habet; hoc enim modo omnium caput est, quia omnia subjecta sunt sub pedibus ejus: sed ex analogia capitis in corpore naturali, quemadmodum docte S. Thomas explicat. Sicut enim caput non solum praeest corpori, verum etiam influit ac diffundit in membra virtutem operandi; et cum illis ejusdem est naturae; sic et homo Christus non solum praeest toti ecclesiae; sed etiam influit in eam, occulto quodam modo, gratiae suae dona; et denique humanam cum ea naturam participat.

Ex quo manifestum est, Christum non per omnia sic esse caput angelorum, quomodo est caput ecclesiae, de qua hic sermo est. Nam licet angelis praesit, non tamen ejusdem cum illis est naturae particeps. Quamquam ob priorem rationem Apostolus Col. 2. Christum caput vocat etiam omnis principatus et potestatis: sed ob defectum alterius rationis nusquam legitur angelos esse membra Christi; sicut id multis locis scriptura de fidelibus hominibus testatur.

Quidam illud: *supra omnem ecclesiam,* distributive exponunt; tam supra eam, quae regnat in coelis, angelos et beatas animas complectens, quam supra eam, quae militat in terris. Sed hoc praeter mentem Apostoli, qui sicut nusquam angelos vocat membra Christi, ita nec eos agnoscit corpus Christi. Hoc autem Apostolus omni ecclesiae, de qua nunc loquitur, tribuit. Sequitur enim:

23. *Quae est corpus ipsius.* Ecclesia tota vocatur corpus Christi, ut capitis, quia instar corporis naturalis varietate membrorum distincta, a Christo sibi per naturam humanam unito regitur et influxum accipit suarum operationum. Quo fit, ut singuli fideles, boni ac mali, quamdiu ecclesiae adhaerescunt, non solum membra dicantur ecclesiae tanquam corporis, verum etiam membra Christi tanquam capitis. Quemadmodum enim, ut in commentario scribit Hieronymus, caput plurima sibi habet membra subjecta, e quibus sunt nonnulla vitiosa et debilia; ita et Dominus noster Jesus Christus, cum sit ecclesiae caput, habet membra eos omnes, qui in ecclesia congregantur, tam sanctos quam peccatores. Hoc observandum propter nonnullos, qui non audent fateri, malos fideles esse membra Christi. Quod tamen haud obscure etiam alibi significat Apostolus; ut 1 Cor. 6. cum ait: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* etc. Vide, quae ibi commentati sumus.

Plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Locus et per se difficilis et propter ambiguitatem, quae in tribus est Graecis vocabulis; pro quibus ab interprete posita sunt *plenitudo, omnia, ad-*

impletur. Horum enim primum et secundum in Graeco possunt et nominandi et accusandi casu accipi. Tertium autem participium medium est, ut vel active vel passive possit intelligi, qui implet, aut qui impletur. Nam significationem activam ejus verbi, licet Hieronymus rejicere videatur, non esse tamen inusitatam Graecis auctoribus ex Platone et Xenophonte doceri potest. Sane Graeci interpretes Theophylactus et Oecumenius secundum utramque significationem locum hunc exponunt.

Active quidem, hoc modo: *Quae eadem ecclesia est plenitudo et complementum ejus,* sicut corpus est complementum capitis, membra illi suppeditans: *ejus,* inquam, Christi, *qui omnia in omnibus adimplet,* vel ut homo, quatenus influxu suo totum ecclesiae corpus perficit, alias aliis membris operationes et officia distribuens; vel ut Deus, quatenus omnia, quae sunt, Spiritu suo replens, conservat et regit.

Passive autem, subintellecta praepositione κατὰ more Attico, ad hunc modum: *Quae ecclesia tanquam corpus sui capitis complementum est ejus,* scilicet Christi, qui secundum omnia, seu quoad omnia, in omnibus sui corporis membris adimpletur. Nisi enim essent, hic quidem pes ejus, ille vero manus, alius autem aliud membrum, et haec omnia propriis officiis distincta; non perficeretur Christus secundum rationem capitis, quia non haberet integrum et consummatum corpus. Hujus sensus etiam meminit Hieronymus, tametsi is mavult hanc partem in Deum patrem interpretari: quod et Theodoretus facit. Utriusque argumentum est ex eo, quod 1 Cor. 15. simili sermone de Deo Patre dicitur, *ut sit Deus omnia in omnibus.*

Secundum hos igitur sensus est: *Eandem ecclesiam,* quae Christi corpus est, *esse plenitudinem* ejus, scilicet *Dei Patris; qui* hic quidem secundum inchoationem, perfecte autem in futuro saeculo, *est omnia in omnibus,* ut sicut ipse in se perfectissimus est, ita et in electis suis perficiatur complemento virtutum, quae tunc omnes in omnibus absque ullo defectu futurae sunt. Sed an hic sensus congruat verbis Epistol. ad Corinth. merito dubitatur. Proinde ut alias expositiones, quae adhuc adferri possent praetermittam, maxime placet, quod secundo loco dictum est.

CAPUT SECUNDUM.

Et vos, cum essetis mortui[1]) delictis et peccatis vestris, 2. in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris hujus[2]), spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae; 3. in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae[3]), facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura[4]) filii irae, sicut et caeteri: 4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, 5. et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo[5]), cujus gratia estis salvati, 6. et conresuscitavit[6]), et consedere fecit in coelestibus[7]) in Christo Jesu: 7. ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo

---

[1]) Col. 2, 13. Rom. 7, 10. [2]) Cap. 6, 11. 12. [3]) Rom. 2, 17. seq. [4]) 1 Cor. 2, 14. Rom. 8, 1. [5]) Rom. 8, 2. [6]) Rom. 4, 6. seq. [7]) Hebr. 12, 22.—24. Phil. 3, 20.

Jesu. 8. Gratia enim estis salvati per fidem[1]), et hoc non ex vobis, Dei enim donum est: 9. non ex operibus, ut ne quis glorietur. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus[2]). 11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini praeputium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manu facta: 12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israël[3]), et hospites testamentorum[4]), promissionis spem non habentes, et sine Deo[5]) in hoc mundo. 13. Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi[6]). 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum[7]), et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua: 15. legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem[8]), 16. et reconciliet ambos in uno corpore Deo[9]) per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope; 18. quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem[10]). 19. Ergo jam non estis hospites et advenae[11]): sed estis cives sanctorum, et domestici Dei: 20. superaedificati super fundamentum Apostolorum[12]) et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu[13]): 21. in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino[14]), 22. in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Docet, nos natura irae filios gratia Christi per fidem salvari; et gentes, quae erant sine spe salutis, factas esse participes promissionum Dei, per Christum, qui ex ambobus populis fecit unum; in quo, tanquam angulari lapide, superaedificantur.

1. ***Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris.*** In Graeco *vestris* non legitur. Est autem oratio perpetua cum superioribus; ubi cum dixisset, quid in Christo Deus operatus sit, hic jam, continuato sermone, declarat, quid in nobis, qui membra Christi sumus, per gratiam suam operetur. Pronomen *vos,* Graece ὑμᾶς, quarti casus est; cui demum, post longum hyperbaton, pronomine repetito, sed in primam personam mutato, redditur suum verbum, a quo regatur, imo verba: *convivificavit* et *conresuscitavit,* et *consedere fecit.* Et quidem in quibusdam codicibus MSS. atque in textu Pelagii verbum *convivificavit* huc translatum est, *et vos convivificavit* etc. Caeterum hujus tanti hyperbati causa non tam in scribendi imperitiam, quam in vehementiam Spiritus Apostolici referenda est; quo compulsus est multa interponere, priusquam ad exprimendum verbum, a

---

[1]) Rom. 3, 24. 28. 2 Tim. 1, 9. [2]) 2 Cor. 5, 17. 21. [3]) Rom. 9, 25. 26. [4]) Rom. 9, 4. [5]) 1 Thess. 4, 5. [6]) Joan. 10, 16. [7]) Cap. 1, 10. [8]) Rom. 10, 4. Joan. 11, 51. 52. Hebr. 10, 8. 9. [9]) 1 Tim. 2, 5. 6. Col. 1, 20.—22. [10]) Rom. 5, 2. [11]) Cap. 3, 6. [12]) Matth. 16, 18. [13]) 1 Cor. 3, 11. 1 Petr. 2, 4.—6. 9. 10. [14]) 1 Cor. 3, 16. 17.

quo pendebat initium periodi, perveniret. Id quod etiam magnis oratoribus contingit.

Porro cum Apostolus alibi vocabulis delicti et peccati promiscue utatur, hic tamen, quia utrumque posuit, discernere ea videtur. Testatur autem Hieronymus, Graecum παράπτωμα, quo delictum significatur, proprie verbum esse scripturarum. Idem inter delicta et peccata putat hoc interesse, quod delicta quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit, nobis quidem aliqua ex parte conniventibus, necdum tamen impellens ad ruinam: peccata vero, dum cogitatio pervenit ad opus. Intellige quoad consensum.

Augustin. quaest. 20. super Levit. ita destinguit, ut peccatum sit perpetratio mali, delictum, desertio boni. Postea vero: *Potest,* inquit, *etiam videri illud esse delictum, quod imprudenter* (id est, ignoranter), *illud peccatum, quod ab sciente committitur.* Atque hoc discrimen deinde probat ex Psalmis 18. et 68., nec non ex illis Apostoli verbis Galat. 6. *Si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto.* Quod cum ita sit, verisimile est, etiam Apostolum hoc loco discrimen hujusmodi spectasse. Nam certe Hieronymi distinctio non convenit; non solum quia dicit Apostolus *mortui delictis,* de quo mox agemus; sed quoniam, ut sequentia probant, de peccatis loquitur pleno consensu perpetratis; cujusmodi fere erant omnia infidelium peccata. Jam quaeritur, qui dicantur Apostolo *mortui delictis et peccatis.* Neque enim sic accipi posse videtur haec phrasis, quemadmodum in illa sententia Rom. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* cum res magis hic exigat contrarium sensum.

Proinde quidam sic exponunt, cum essetis morte digni propter peccata. Alii vero plerique tam Latini quam Graeci hoc modo: cum essetis Spiritu mortui in delictis et peccatis, sive per delicta et peccata; nimirum ut causam formalem mortis vestrae spiritualis. Peccatum enim mors est animae. Quam expositionem confirmant ex altero loco, qui huic simillimus est Coloss. 2. *Et vos cum mortui essetis in delictis et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo.* Nam et hoc loco nomina *delictis et peccatis* accipiunt ablativo casu, non dativo; tametsi quae in Graeco respondent, dativi casus sint. Graeci quippe dativo pro ablativo, quo penitus carent, ad causam significandam utuntur, non addita praepositione *in;* nisi ubi Hebraismus retinetur. Nam quod habetur Col. 2. *in delictis,* Graece cum praepositione legitur.

Verumtamen sciendum est, hoc loco Graeca sic habere: καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς. Similiter infra post hyperbatum, καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς. Qui sermo praesens tempus significare videri queat, ut Latine sic vertas: *Et vos cum sitis mortui,* vel potius: *et vos qui estis mortui.* Sic enim paulo inferius: ὁ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει, *Deus qui dives est in misericordia.* Proinde sensum arbitrari quis posset hunc esse: et vos, qui jam estis mortui peccatis et delictis vestris, id est, non amplius iis viventes, nihilque commercii cum illis amplius habentes (hoc enim est Apostolo, peccatis mortuos esse), *convivificavit Christo* etc., ut infra vers. 5.

Significatur autem ordo naturae inter haec duo, peccato mortuum esse, et Christo convivificari: estque allusio ad baptismi caeremoniam, in qua prius est immergi, id est, mystice mori peccato; posterius emergere, id est, ad vitam justitiae exsurgere; quemadmodum philosophatur Apostolus Roman. 6. Itaque videtur, posse istam phrasim, *mortuum esse peccatis,* hic accipi, quemadmodum illic, ubi dicitur, *qui mortui sumus peccato* etc. Quin potius hic locus ex iis, quae loco memorato ad Romanos a Paulo disseruntur, exponendus et illustrandus videbitur; speciatim ex illa sententia versus 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse* (νεκροὺς μὲν εἶναι) *peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.*

Sensum hunc, etsi verbis obscurioribus, tradit Cajetanus; qui licet probabilitatem

habeat ex his, quae allata sunt, tamen non facile a communi Graecorum et Latinorum expositione prius data recedendum est. Nam quod in duobus hujus capitis locis reperitur participium praesentis temporis ὄντας, id nihil urget. Extenditur enim ad tempus praeteritum, propter verbum principale propositionis, quod illius temporis est; sicut cum dicitur in Evangelio: *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Nec enim jacebat in lecto tunc, quum hoc scripsit Evangelista, sed tunc, quando offerebatur Domino. Ita et his locis non est necesse accipi, istos fuisse mortuos peccatis tunc, quando ista scripsit Apostolus (quod haec Cajetani expositio praesupponit), sed tunc, quando eos Deus per Christum vivificavit, et Christo conresuscitavit. Ideoque non est necesse, haec loca accipi ad eum modum, quo illa, quae sunt ad Rom. c. 6. v. 11. Nam communi hujus loci expositioni quadrat, quod legitur ad Coloss. c. 2. v. 13. et probe cohaeret quod sequitur:

2. *In quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus.* Ac si dicat: mortuos peccatis et delictis, in quibus aliquando vixistis. Hoc enim est, *in quibus aliquando ambulastis*, conversati estis, vitam vestram praeteritam egistis, idque *secundum praesens saeculum*, hoc est, tantum sectantes hujus saeculi bona; scilicet temporalia et carnalia, nec ullam habentes curam, imo nec notitiam bonorum futuri saeculi. Quod utrumque nominat *saeculum* et *mundum*, cum sufficeret, alterum dixisse. Nam in scriptura novi Testamenti passim pro eodem sumuntur haec duo. Itaque pleonasmus est Hebraeis usitatus, qualis infra cap. 6. *In potentia virtutis ejus.* Item: *mundi hujus*, scilicet qui *totus in maligno positus est*, Joan. 5. Sequitur enim de maligno:

Secundum principem potestatis aëris hujus. Id est, secundum instinctum, suggestionem, voluntatem diaboli, qui est princeps potestatum aëris hujus caliginosi, nobis proximi: hoc enim est, quod infra cap. ult. dicit, *tenebrarum harum;* et iterum, *in coelestibus.* Qui sensus eo loco plenius explicabitur. Sciendum tamen, in Graeco non addi demonstrativum *hujus;* ideo fortasse, quod scriptura nusquam de alio aëre loquatur, quam de eo, in quo nos versamur. Graecae lectioni consonat Hieronymi textus. Potestatem, Graece ἐξουσίαν, ad personam referimus; sic enim et superiori cap. in enumeratione ordinum angelicorum sumebatur, et rursus ult. cap., nec non Col. 1. et 2. idque nunc singulari numero, nunc plurali expressum. Quocirca non placet, quod Erasmus paraphrastice vertit: *juxta principem, cui potestas est aëris.* An autem, et qua ratione daemones in aërem et inferiorem hunc mundum potestatem habeant, alibi disputandum.

Spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae. Spiritus genitivum est, Graece: τοῦ πνεύματος. Quod nonnulli appositive jungunt cum dictione aëris hoc sensu: Qui aër est Spiritus; siquidem in scriptura venti Spiritus vocantur, a spirando. Sed repugnat, quod sequitur: *Qui nunc operatur in filiis diffidentiae.* Hoc enim in aërem nullo modo competit, sed in daemones, qui et cap. ultimo vocantur *spiritualia nequitiae in coelestibus.* Alii proinde posteriorem genitivum regi putant a priori, *Spiritus* ab *aëris;* ut aër Spiritus seu Spirituum dicatur, quod in eo degant Spiritus maligni; quomodo vocatur terra barbarorum, in qua barbari degunt, et coelum beatorum, in quo beati.

Sane probabilius existimo (quod indicat B. Thom.), genitivum *Spiritus* ad eandem dictionem regentem oportere referri, ad quam genitivus *potestatis;* ut tam in posteriori genitivo quam in priore sit heterosis numeri, et posterior pars sit prioris expositio; videlicet hoc modo: *Secundum principem potestatum aërearum,* id est, *principem Spirituum malignorum, qui nunc operantur in filiis diffidentiae;* hoc est, efficaces sunt (Graece ἐνεργοῦντες), magnum habent successum suarum tentationum ac suggestionum ad omne peccatorum genus in hominibus

incredulis, qui fidei contumaciter resistunt, nec persuasionem ejus admittunt. Hos enim Hebraea phrasi vocat *filios diffidentiae; ἀπειθείας,* quam interpres Rom. 11. et alibi vertit incredulitatem, cum Graeca vox sonet impersuasibilitatem. Cyprianus legit, *in filiis contumacibus.*

Addit autem Apostolus temporis adverbium *nunc;* vel ad designandum tempus hujus saeculi, vel potius, quia ante praedicationem evangelii locum non habebat hujusmodi incredulitas seu contumacia, Domino dicente Joan. 15. *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.*

Caeterum caute legendus hoc loco commentarius Cajetani, qui ex occasione praesentis loci male intellecti, nescio qua temeritate et doctrinae inconstantia, recedens ab eo, quod olim super summam theologicam S. Thomae docuerat, quodque, ut ita dicam, tota ecclesia tenet, ita scribit: *Crediderim ego, daemones esse Spiritus aëreos; et id consonare verae philosophiae rationi; ut quemadmodum invenitur vegetativum sine sensitivo; et sensitivum, sine secundum locum motivo, et intellectivum sine secundum locum motivo: ita inveniatur secundum locum motivum sine sensitivo; quod est ponere hujusmodi aëreos Spiritus, constantes ex intellectivo et secundum locum motivo, et est sermo,* inquit, *de motu progressivo absque sensitivo.* Et sententiam suam explicans subjungit: *Verum appellatione aëris non intelligo elementum aëris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex ac incorruptibile, natum moveri localiter ab anima, ad omnes differentias positionis, absque repugnantia aliqua ex natura corporis; sicut corpus coeleste natum est moveri circulariter in ea velocitate, qua a sua anima movetur, absque aliqua repugnantia, ut Peripatetici tradunt.* Haec ille. Quae nobis hic adscripsisse sufficiat; nam refutare vero Philosopho et Theologo non est difficile.

3. *In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae. In quibus* verti potest, *inter quos,* quemadmodum habet Ambrosianus, idque secutus est in sua versione Erasmus. Hoc modo sensus est: *inter quos filios diffidentiae nos omnes aliquando fuimus conversati,* nempe quotquot etiam ex Judaeis ad Christi fidem conversi sumus, quasi dicat: Nos etiam aliquando ex illorum numero fuimus. Verum non apparet, filios diffidentiae juxta superiorem expositionem tam late patere, ut dici possit, in eorum numero omnes aliquando fuisse; pauci enim fidelium ante conversionem restiterant evangelio contumaciter.

Itaque longe probabilius est, eo sensu nunc dicere Apostolum, *in quibus aliquando conversati sumus,* quo paulo ante dixerat: *In quibus aliquando ambulastis,* scilicet *in delictis et peccatis;* cujus explicatio est quod sequitur: *in desideriis carnis nostrae.* Neque argumentum Joannis Gaignaei, quod huic expositioni opponit, sumptum ex genere, movere nos debet: quia ἐν οἷς refertur per syllepsin ad utrumque simul, τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις. Tale igitur est, quod Apostolus dicit: Quum dico, vos in peccatis aliquando ambulasse, non excludo me aut meae gentis homines: nam et nos omnes tam Judaei quam Graeci, priusquam veniremus ad Christum, in delictis et peccatis vitam egimus, sequentes desideria carnis, id est, pravae concupiscentiae nostrae. Sic Rom. 3. concludit, Judaeos et Graecos omnes sub peccato esse, juxta quod scriptum est: *Omnes declinaverunt*: et Titi 3. *Eramus,* inquit, *aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis* etc. Eodem pertinet adhuc, quod sequitur.

Facientes voluntatem carnis et cogitationum. Graece *voluntates* plurali numero; id quod in nonnullis etiam Latinis MSS. reperitur. Atque ita legunt Hieronymus et Primasius, quorum ille eam lectionem etiam in commentario inculcat.

Voluntates autem intellige cupiditates ac desideria. Pro genitivo *cogitationum,* Graece διανοιῶν, idem Hieronymus legit *mentium,* tametsi fatetur, in Latinis codicibus haberi *cogitationum;* atqui textus Ambrosianus habet, *consiliorum ejus,* scilicet carnis. Sed hoc Graecae scripturae non est consentaneum. Est autem idem in Graeco vocabulum, quod in cantico Virginis, *dispersit superbos mente cordis sui;* quod alii clarius vertunt, *cogitatione cordis eorum.*

Distinguunt autem Hieronymus et Graeci inter voluntates carnis et mentium, quod *carnis voluntates* dicantur, quae incitant ad carnalia peccata, gulam, ebrietatem, impudicitiam etc. *Mentium autem voluntates*, quae pariunt peccata spiritualia; ut invidiam, superbiam vindictam, haereses et alia hujusmodi. Sensum hunc facile etiam nostra lectio recipit, si cum S. Thoma *voluntates cogitationum* distinguamus contra *voluntates carnis;* ut nimirum illae cogitationes intelligantur, quae non ex sensibus carnis ortum habent, sed solum ex ipso appetitu intellectivo; cujusmodi est cogitatio honoris, aut excellentiae consequendae, et aliorum, quae supra dicta sunt.

Et eramus natura filii irae, sicut et caeteri. Illud *natura* quidam verterunt *prorsus*, sive *omnino*, quemadmodum affirmat Hieronymus. Caeterum Theophylactus et Oecumenius volunt idem esse, quod *vere* ac *germane*. Caeterum Augustinus aliique Latini eum secuti, naturam intelligunt nativitatem, vel, quod eodem redit, naturam ipsam, non qualis in primo homine condita est, sed qualis per ejus transgressionem facta, a singulis nascendo accipitur. Unde et hunc Apostoli locum volunt unum esse ex praecipuis, quibus doceatur, omnem hominem nasci in peccato originali. Augustini loca sunt: Serm. 14. de verbis Apost., lib. 1. Retract. cap. 10. et 15. et passim contra Pelag. Sic et Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 18. et Fulgentius de fide ad Petrum cap. 26. et Beda in collect. super hanc epist., ubi ex Augustino complura testimonia depromit. Sed et Hieronymus in commentario sensum hunc late prosequitur.

Nec vero alius intellectus magis congruit. Primum, quia in Graeco non est vocabulum, quod proprie filios significet, tanquam filii irae dicantur homines irritantes, id est, iram Dei provocantes; sicut paulo ante dicti sunt filii diffidentiae, id est, homines increduli: sed Graece est τέκνα, quae vox nativitatem seu partum expressius importat. Deinde, quia Graeci textus hic est ordo: *Et eramus filii natura irae,* quasi dicat filii (quod ad naturam attinet) irae, id est, filii naturales irae; ut filios natura opponat Apostolus iis, qui filii dicuntur adoptione, quales fiunt homines post nativitatem. Adde, quod Apostolus haec scribit in persona Judaeorum, quorum plerique jactabant se esse semen sanctum, utpote filios Abrahae, sicut habemus Matth. 3. et Joan. 8., Gentiles vero, quod ex parentibus idololatris essent progeniti, tanquam ex nativitate peccatores et immundos aspernabantur. Unde et illi caeco, quasi gentili, maledicebant, dicentes: *in peccatis natus es totus,* Joan. 9., utique reputantes sese non esse natos in peccatis.

Igitur ad hujusmodi fastum reprimendum, aptissime dicit in eorum persona Apostolus: *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri*, ubi supplendum ex superiori parte signum universale *omnes;* ut sensus sit: et nos Judaei perinde ut caeteri homines, quos prae nobis contemnere solemus ob generis nostri sanctitatem, omnes eramus aliquando irae divinae obnoxii, et quidem ex ipsa nativitatis origine, qua naturam a parentibus accepimus. Iram hanc divinam ita explicat Augustinus, tractatu 44. in Joannem: *Si filii irae, ergo filii vindictae, filii poenae, filii gehennae.*

Porro quoniam justa est ira Dei, manifeste jam consequens est ex hoc loco, omnes homines in peccato nasci; non enim irascitur Deus nisi peccato.

4. *Deus autem, qui dives est in misericordia.* Orationem huc usque suspen-

sam colligere jam incipit, ac paulo post absolvit. Itaque Hieronymus conjunctionem *autem* existimat redundare. *Deum* Apostolus *divitem in misericordia* vocat, quia thesaurus bonitatis ac misericordiae ejus inexhaustus est, etiam quoad effectum: nunquam enim obliviscitur misereri. Potest autem etiam sic verti ex Graeco: *Deus autem, cum dives esset in misericordia;* ut clarius significetur causa beneficii praestiti, non ex parte nostra, sed Dei; sicut apertius significatur in eo, quod sequitur:

Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos. Nimiam Graece *multam.* Et sic legunt Hieronymus et Ambrosianus. Porro Dei charitas, per se immensa, vocatur in scripturis magna aut multa propter magnitudinem vel multitudinem beneficiorum, quae ab illa immensitate charitatis Dei in nos profluunt: praecipue vero Dei charitas erga nos in eo commendatur, quod sicut Rom. 5. docet Apostolus, cum peccatores et inimici essemus, nos sibi per mortem filii sui reconciliaverit. Idem docet verbis hic sequentibus:

5. *Et cum essemus mortui peccatis.* Graece, *delictis.* Quod quia hic solum ponitur, accipiendum non ut a peccatis distinguitur, quemadmodum supra, sed generali significatione. Conjunctio *et* non est superflua, ut cuipiam videri potest. Nam, secundum eos, qui mortuos peccatis interpretantur de morte animae per peccata, vult Apostolus commendare misericordiam Dei dupliciter, et ex parte ipsius Dei multum nos diligentis, et ex parte nostra, qui jacebamus mortui et sepulti in peccatis. Juxta sensum vero superius versu 1. a nobis ex Cajetano allatum, *et* pro *inquam* positum est. Repetit enim post hyperbaton id, quod illic dicere coeperat, ac si dicat: Nos, inquam, mortuos jam peccatis per baptismum. Haeret utrivis intellectui id quod sequitur:

Convivificavit nos in Christo. Graece tantum est, *convivificavit Christo.* Nam pronomen *nos* paulo ante expressum est. Multa vero Latina exemplaria legunt absque praepositione, *convivificavit nos Christo,* quibus et volunt Hieronymus ac Primasius. Et Hieronymus quidem clare sic exponit, *vivificavit nos cum Christo.* Sic etiam legitur Col. 2. *convivificavit cum illo,* nempe Christo: ut sensus sit: *una cum Christo vivere fecit.* Quod intellige de vita justitiae, quae nobis peccato mortuis datur in baptismo; quaeque per Christum ex morte redivivum fuit quodammodo repraesentata. Hoc enim est in typo ac mysterio convivificari Christo (quemadmodum id luculente declarat Apostolus Rom. 6.), *ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Nam, inquit, *si mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.* Ac rursum exemplo mortis et resurrectionis Christi proposito: *Ita et vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato; viventes autem Deo in Christo Jesu.* Nonnulli partem hanc de vita gloriae, quam in spe jam habemus, exponunt, sed de vita justitiae sensus potior est: quem et locus exigit huic similis Col. 2., eundemque confirmat quod sequitur:

(Cujus gratia estis salvati.) Cujus in Graeco non additur, nec est apud Hieronymum; eoque magis haec sententia parenthetica est; quam ut ait Theophylactus ex affectu in medium Apostolus protulit, demiratus ineffabile donum Dei. Sed de hoc plura paulo inferius, ubi plenior habetur eadem sententia. Cur autem dixit, *estis salvati,* non *sumus;* cum caetera in prima persona loqueretur, Cajetanus rationem dat ex eo, quod Rom. 13. Paulus docet, Christum fuisse ministrum circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum; quasi per hoc gentium salus magis gratuita sit quam Judaeorum, utpote non promissa. Verum quia paulo post Apostolus suam sententiam ita explicat, ut sit omnibus, qui salvantur, communis: idcirco potius haec repentina personae mutatio tribuenda videtur affectui ipsius Apostoli

erga Ephesios, quibus, ut discipulis suis, singulariter commendatum esse voluit beneficium gratiae Dei.

6. *Et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu.* Id est, una cum Christo nos resuscitavit: et simul cum eo sedere fecit in coelestibus locis; idque per Christum Jesum. Est enim notandum, quod praeter extremam particulam, *in Christo Jesu,* dativus *Christo* hic repetendus est ex membro superiori sic: *et conresuscitavit Christo, et consedere fecit Christo.* Caeterum haec conresuscitatio et consessio nostra cum Christo bifariam exponitur: aut de resuscitatione et sessione spirituali, quam consequimur in hac vita, ut sensus sit: Sicut Christum resuscitavit a morte ad vitam, et collocavit in coelestibus: ita et nos a morte peccati revocavit ad vitam justitiae, et fecit, ut conversatio nostra in coelis sit, Philip. 3. Aut de resurrectione corporum et habitatione coelesti, quam in consummatione saeculi exspectamus. Ita sensus est, Deum nos una cum Christo, qui jam resurrexit a mortuis et sedet ad dexteram Patris, resuscitasse ad vitam illam immortalem et in coelo collocasse; quia data nobis arrha haereditatis, id est, Spiritu sancto, certissimam spem fecit, aliquando futurum, ut in utroque Christi consortes simus, tanquam membra capitis.

Qui sensus, praeterquam quod illa sententia Apostoli confirmatur ad Rom. 8. *Qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra;* etiam opportunior videtur ad explicationem ejus, quod superiori capite dixit: *et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo* etc. Quod enim ibi dixit, *virtutis ejus in nos;* hic jam tandem explicat. Utramque expositionem legere est apud Hieronymum.

Sunt autem, qui utrumque sensum conjungunt: quod non videbitur improbabile, si considerentur diversa Apostoli loca, quibus in allegoria mortis ac resurrectionis Christi modo huc, modo illuc respicit, ut Rom. 6. et 8. et Col. 2. et 3. Obiter observa, non dixisse Apostolum: *et consedere fecit ad dexteram suam,* sicut supra superiori capite de Christo dixerat; sed tantummodo: *consedere fecit in coelestibus.* Sedere enim ad dexteram patris Christo proprium est, nec cuiquam alteri communicatur: tametsi in throno Christi dicantur sessuri, qui vicerint. Apoc. 4. in fine.

7. *Ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae.* Quidam hoc de saeculis vitae futurae interpretantur, ubi perfectissime declarabitur et cognoscetur magnitudo gratiae Dei in electos; sed magis est ex mente Apostoli, ut de saeculis vitae praesentis intelligatur. Comparat enim hujus saeculi tempora futura et praesentia cum praeteritis, quoad manifestationem mysteriorum Christi et ostensionem gratiae ejus, sicut et facit capite sequenti, ubi loquens de mysterio Christi, *quod,* inquit, *aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus.* Et Col. 1. *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus.* Sensus igitur est: Deum ea, quae dicta sunt, praestitisse ac praestare, ut his extremis ac venturis temporibus manifestaret hominibus *abundantes,* Graece *supereminentes,* Augustinus contra Faustum lib. 11. cap. 8. *superabundantes divitias gratiae suae,* id est, excellentem et exuberantem beneficentiam suam; utque ea manifestata ipse glorificetur; hic enim est finis omnium operum Dei.

In bonitate super nos in Christo Jesu. Graece *in benignitate,* quomodo et Augustinus lib. 11. contra Faustum cap. 8. Declarat Apostolus, quo opere Deus voluerit ostendere supereminentes divitias gratiae suae, nimirum opere bonitatis seu benignitatis suae nobis impenso per Christum. Quo breviter comprehenditur universa justificatio, redemptio et salus nostra, quae tota et omni parte est a

Deo per Christum. Hanc gratiam plenius explicant sequentia verba.

8. *Gratia enim estis salvati per fidem.* Id est, tota salus vestra ab initio usque ad finem est ex beneficentia Dei, quam gratis omnino impendit. Addit autem, *per fidem*, intellige Christi; quia fides, qua in Christum creditur, hujus salutis initium est et fundamentum, et per eam tota reliqua salus impetratur; idque ex ordinatione divina, qua constitutum est, neminem salvum fieri, nisi primum omnium credat in Christum, et ea fide, per modum cujusdam meriti, salutem assequatur.

Quod non ita accipiendum est, quasi Deus ante omnia fidem a nobis exigat, ut per eam nobis incipiat gratiae suae munera conferre; sicque gratiam fides praeveniat, quemadmodum quidam male Apostolum intellexerunt, existimantes, fidem non esse ponendam inter beneficia gratiae Christi, propterea quod gratia salvemur per fidem: quae doctrina prorsus erronea est.

Sed mens Apostoli est, totam salutem nostram, citra exceptionem, esse ex gratia: et eandem salutem haberi per fidem, sed cum exceptione ipsius fidei, quae salutis initium est, et per se ipsam haberi non potest. Quomodo dictum est a poëta: *Tegit omnia coelum;* et, ut aptius exemplum proferàm, quomodo dicitur artifex aliquis totam domum aedificasse super bono fundamento. Hoc enim postremum addendo non negatur, ipsum fundamentum ab eodem artifice aedificatum esse; neque rursum significatur, ipsum quoque fundamentum super fundamento collocatum esse, sed reliquas aedificii partes super illo esse constructas. Denique perversae illi intelligentiae Paulus ipse continuo obviat. Nam ne quis dicat: *si per fidem; quomodo gratia?* subjungit:

Et hoc non ex vobis. Id est, hoc quod dixi *per fidem,* non ita volo accipi, quasi ipsam fidem a gratia excipiam; nam *et hoc ipsum,* scilicet credere, *non est ex vobis,* hoc est ex viribus naturae seu liberi vestri arbitrii; quippe cum circa ea versetur, quae rationem naturalem excedunt, et inter ea bona sit, quibus ad salutem homines ordinantur. Itaque credere, nostrum est quidem, quatenus actus est partim intellectus nostri, partim liberae nostrae voluntatis, sed non est ex nobis.

Dei enim donum est. In Graeco tantum legitur: *Dei donum,* sed sensum explere voluit interpres. Hic locus est eorum, ex quibus Patres docent, fidem esse Dei donum, nominatim Augustinus sub initium lib. de dono persev., epist. 107. ad Vital. et alibi. Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 23. et in epist. ad Rufin. et Arausican. Concil. 2. can. ult. Quam doctrinam non tantum de habitu fidei, sed etiam de actu accipiendam esse, certissime constat, cum ex verbis Patrum, inter quos Anselmus fidem non partim, sed pure Dei donum nominat, et ex canone jam citato, quo dicitur, quod credere in Deum nemo possit, nisi gratia eum et misericordia divina praevenerit; tum ex ipsis Scripturis, quae fere de actu fidei loquuntur, ut Joan. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Et Phil. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis* etc. Quocirca Graecorum hoc loco commentarii, qui non satis plene de dono fidei loqui videntur, caute legendi sunt ac benigne exponendi; ut qui contra Manichaeum pro libero arbitrio diligentius, quam contra Pelagium postea exortum pro gratia Dei vigilaverint.

9. *Non ex operibus.* Pars haec respicit praecedentem: *gratia estis salvati per fidem.* Inde enim sequitur istud: *non ex operibus.* Quomodo et Rom. 11. ratiocinatur Apostolus: *Si gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* Itaque verba media *(et hoc non ex vobis, Dei enim donum est),* quae de fide dicta sunt, recte in plerisque codicibus parenthesi clauduntur; tametsi nonnulli interpretes etiam illa non de sola fide, sed de universa salute nostra exposuerint. Verum contextui potius congruit expositio superius dicta, maxime propter duas voculas *et hoc,* quae alioqui viderentur redundare ac plano sensui ob-

strepere. Quod ait: *Non ex operibus,* ad totam salutem sive salvationem nostram, fide etiam comprehensa, referendum est: quae tota non ex ullis operibus est, id est, non ex meritis, sed tantum ex gratia; scilicet ad eum sensum, quo secundum Scripturas Ecclesia docet, homines non praedestinari ex meritis, sed ex solo Dei beneplacito.

Proinde non est necesse interpretari hanc partem de operibus, quae quis habeat ex seipso, vel quae fidem praecedunt; absolute enim sententia vera est, salutem nostram non esse ex operibus. Nam si qua sint bona opera, ea sub salute nostra, quae tota est ex gratia, comprehenduntur. Non igitur negat Apostolus, vitam aeternam ex operum merito justis provenire, quod haeretici negant; sed ipsa etiam opera, quibus vitam aeternam merentur, gratiae refert accepta, dum totam nostram salutem gratiae adscribit: idque sequentia manifeste declarant. Utitur autem Apostolus praeteriti temporis verbo *salvati estis;* tum quia jam inchoata per justificationem erat illorum salus, tum quia certa spe perficienda exspectabatur. Unde dicit Rom 8. *spe salvi facti sumus.*

Ut ne quis glorietur: in seipso, in viribus naturae ac liberi arbitrii; *sed,* inquit Thomas, *ut tota gloria in Deum referatur;* juxta illud Psalmi: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hic enim finis spectatur ab Apostolo, quasi dicat: Haec vobis scribo et inculco, ne quis in se glorietur. Non enim sensus est, ut quidam volunt, ideo non ex operibus salvare voluit vos Deus, sed ex fide, ne si operibus usus esset ad communicandam vobis salutem, sicut usus est fide, gloriaremini in operibus tanquam merito vestrae salutis. Non est, inquam, hic sensus. Nam et ipsa fides opus quoddam est: de quo proinde gloriari quis potest, sed in Deo. Et, si Deo visum fuisset ex operibus sine fide salvare hominem, sicut imaginantur potuisse; tum de operibus gloriari posset homo, non tamen nisi in Deo, qui dedisset opera. Sic enim etiam illa opera sub beneficio justificationis comprehenderentur sicut ea, de quibus sequitur:

10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Occupatio est secundum Chrysostomum. Ne enim dicendo, *non ex operibus,* videretur opera bona exclusisse; docet, quem locum illa habeant in negotio salutis ac justificationis nostrae: nimirum ea non causam esse gratiae, sed effectum; et proinde non salvari nos ex operibus, sed opera partem esse salutis, quae tota ex gratia est. *Factura,* graece ποίημα, pro quo legit Ambrosianus *figmentum,* aliis placet *creatura.* Quomodo et Syriaca dictio nobis reddita est.

Vocat autem nos Apostolus facturam, figmentum, creaturam Dei, non quatenus homines sumus, id enim hic non agitur, sed quatenus Christiani, nempe quoad universum justificationis ac salutis nostrae negotium; ut patet ex parte sequenti: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis* etc. Priorem partem ita explicat S. Thomas: *Ipsius,* inquit, *factura sumus,* quia quidquid boni nos habemus, non est ex nobis ipsis, sed ex Deo faciente; secundum illud Psalm. 99. *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quem Psalmi versiculum Augustinus quoque serm. 11. de verbis Apost. et Ench. 31. in eundem sensum adducit.

Similiter *creati* dicimur *in Christo Jesu in operibus bonis,* non ad opera bona, ut vertit Erasmus, quasi causa finalis significetur, sed *in operibus bonis,* tanquam effectis Dei creantis. Sensus enim est: creati a Deo per meritum Jesu Christi quantum ad opera bona, quia scilicet ipsa bona opera fiunt in nobis a Deo: juxta illud Jesaiae 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Nec vero per hoc subtrahuntur opera nostra bona libero arbitrio; quemadmodum docent haeretici: sed quidquid boni libero arbitrio agimus, totum Deo auctori, factori, creatori tribuitur, ut ne quis glorietur. Unde Augustinus in explan. Psalm. 144. tractans hunc Apost. locum: *Quid ergo?*

inquit, *nos bene non operamur? Imo operamur, sed quomodo? Ipso in nobis et per nos operante; ipsius enim sumus figmentum* etc. Et infra: *Merita tua nusquam jactes, quia et ipsa tua merita Dei dona sunt.* Videatur idem Augustinus lib. de gratia et lib. arb. cap. 8. et seq.

Non ergo propterea dicimur a Deo creati in operibus bonis, quod sicut mundus ad sui creationem nihil operatus est, ita nec nos ad bona opera quidquam cooperemur: sed quia tam vere, proprie et efficaciter Deus in nobis opera bona producit, nihil quod ex nobis sit praerequirens; quam vere, proprie et efficaciter mundum ex nihilo produxit.

Quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus. Refert opera nostra ad efficaciam divinae praedestinationis, quam vocat praeparationem, sicut et Dominus Matth. 25. *possidete paratum,* id est, praedestinatum, *vobis regnum a constitutione mundi.* Nam praedestinatio non aliud est, inquit Thomas Augustinum secutus, quam praeparatio beneficiorum Dei, inter quae computantur et ipsa bona opera. Dicitur autem Deus nobis illa praeparasse, in quantum disposuit, se nobis ea daturum.

Sed ne quis existimet, bona opera sic nobis a Deo praeparari, ut ipsi per liberum arbitrium nihil agamus, idcirco addidit, *ut in illis ambulemus,* id est, ut nos ea per liberum arbitrium exerceamus. Hoc ipsum enim agit in nobis gratia Dei, dicente Domino per Prophetam: *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini,* Ezech. 36.

Porro totus hic locus continens egregiam gratiae Dei commendationem, sicut haeresim Pelagianam, quae gratiam aut negabat, aut ex meritis quaerebat, penitus destruit: ita et nostri quoque temporis haereticorum dogmata quaedam elidit. Si enim sumus factura Dei, quoad justificationem; igitur faciente Deo vere justi sumus, et non tantum imputative. Et, si creati sumus in operibus bonis, quae Deus praeparavit; igitur falsum est, omnia, etiam justificatorum, opera esse peccata. Neque enim bona opera peccata sunt, neque peccata nobis Deus praeparavit. Denique, si nos in illis ambulamus, igitur vere nostra sunt, a voluntate et libero arbitrio profecta.

11. *Propter quod memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini praeputium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manu facta, qui eratis illo in tempore sine Christo.* Totus hic locus in Latinis codicibus tam impressis quam MSS. varie legitur. Facile est autem veram lectionem deprehendere tum ex Graecis exemplaribus, tum ex Latinis castigatioribus et veterum commentariis. Graeca ad verbum sic habent: *Propterea mementote, quod vos aliquando gentes in carne, dicti praeputium, a dicta circumcisione in carne, manu facta, quod eratis in tempore illo sine Christo.* Igitur verbum *eratis* priori loco redundat: neque illud Hieronymus et Primasius agnoscunt, et in nonnullis abest MSS., nec apparet Ambrosianum legisse.

Quod autem in quibusdam codicibus pro eo legitur, *qui eratis,* cujus lectionis etiam S. Thomas meminit in commentario, recte se habet; est enim explicatio Graecae lectionis. Posteriori autem loco, ubi nostri codices habent, *qui eratis;* legendum, *quod eratis,* ut habent multa MSS., vel *quia eratis,* ut habet Primasius; vel *quoniam eratis,* uti legitur apud Hieronymum et Ambrosianum; haec enim tria idem valent. Jam pro verbo *dicebamini* in aliis est *dicimini,* quomodo mox idem noster interpres vertit in praesenti, nam participium Graecum temporis est praesentis, licet interdum, ubi res postulat, per verbum praeteriti imperfecti sit interpretandum. Veram igitur lectionem hujus loci putamus eam esse, quam nobis exhibet editio Clementina, quae sic habet: *Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini praeputium ab ea, quae dicitur circumcisio in carne, manu facta, quia*

eratis illo in tempore sine Christo. Quibus verbis ac sequentibus revocat Apostolus Ephesios ad considerationem pristini sui status, ut ejus comparatione intelligant et agnoscant magnitudinem gratiae praesentis per Christum sibi praestitae: tanquam breviter eis dicat, semper meminisse debetis, et quid aliquando fueritis, et quid nunc facti sitis. Agit hoc Apostolus toto capite reliquo, ut proinde illud *memores estote* ad omnia, quae sequuntur usque ad finem capitis, referendum videatur.

Porro verborum Apostoli haec est explicatio. Quoniam ad tantam gratiam, sicut jam exposui, sine ullis meritis vestris vocati estis: idcirco memores estote, et gratis animis recolite, quod vos aliquando, qui estis, sive eratis gentes in carne, id est, secundum carnalem generationem gentiles, utpote ex gentilibus progeniti; quique, quod carne incircumcisi sitis, non sine contemptu vocamini sive vocabamini praeputium, idque a Judaeis, qui vocantur aut vocabantur circumcisio, nimirum ob circumcisionem manibus factam, quam gestant in carne: quod, inquam, vos illo tempore eratis sine Christo, id est, sine notitia Christi redemptoris, quem Judaei exspectabant. Non dicit ergo Apostolus, memores estote, vos aliquando fuisse gentes in carne etc., sed vos, qui eratis gentes in carne, quique dicebamini praeputium, fuisse tunc sine Christo. Non enim revera grave erat aut probrosum, esse gentes secundum carnem et vocari praeputium, sed esse sine Christo, et quae sequuntur, quemadmodum hic a Graecis annotatum est.

Observandum quoque, illud *quod aliquando* suspendi per verba sequentia, *gentes in carne* etc., ac demum ad absolvendam sententiam repeti, ubi dicitur *quia* vel *quod, in illo tempore.* Quam rem nos in sensu reddendo expressimus. Erit autem oratio clarior, si media verba parenthesi claudantur, et post eam quadam iteratione legatur: *quod,* inquam, *eratis illo im tempore sine Christo.*

12. *Alienati a conversatione Israël.* Graece: *abalienati a politia Israëlis.* Πολιτείαν Erasmus et Theophylacti interpretes vertunt *rempublicam.* Verum Graeca vox, etsi rempublicam significet, non raro tamen accipitur pro vitae ratione et instituto, quod noster interpres nomine *conversationis* designare voluit, in qua significatione πολιτείαν usurpavit Basilius lib. de vita solitaria, item Gregorius Nazian., Epiphanius, Chrysostomus. De quo vide etiam Budaeum in comment. ling. Graecae. Sensus igitur est: *Abalienati,* id est, *prorsus alieni ab instituto vitaeque ratione populi Israëlitici,* non modo quoad ceremonias religionis, verum etiam quoad ipsam religionem ac Dei cultum: nam illi verum Deum colebant, quem vos ignorantes, idola colebatis.

Et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes. Hujus partis varia est distinctio. Nam genitivum *promissionis,* Hieronymus et Graeci interpretes ad praecedentia referunt, Ambrosianus ad sequentia. Sic enim distincte legit: *Et hospites testamentorum, et promissionis eorum spem non habentes.* Eadem est distinctio apud Primasium et alios Latinos, tam veteres quam recentiores. Quae et nobis magis probatur, quia promissio satis in nomine testamenti continetur, tum quia Apostolus etiam alibi testamenta scripsit absolute, ut Rom. 9., postea subjungens promissa, tum denique quod genitivus *promissionis* cum vocabulo sequente, secundum Scripturam, melius cohaereat. Nam testamenta promissionis nusquam legimus, spem autem et exspectationem promissionis legimus Act. 1. et 26. et 2 Petr. 3., nec dubium, quin spes Theologica sit rerum promissarum, et promissio pro re promissa in Scripturis saepissime ponatur.

Dicit ergo, Ephesios *fuisse hospites,* sive ut legit Hieronymus, peregrinos *testamentorum,* id est, extraneos a pactis, quae Deus pepigit cum Israëlitico populo, quae quidem multa erant, sed illa praecipua, quae promissiones novi testamenti continebant. Hoc declarans, addit, *promissionis spem non habentes,* id est,

bona, quae Deus illi populo promisit, minime sperantes, utpote quibus illorum nulla facta esset promissio. Quas autem promissiones potissimum expendat Apostolus, satis docent Epistolae ad Rom. et ad Galatas.

Et sine Deo in hoc mundo. Graece, *et athei in mundo.* Nam et quaedam Latina MSS. pronomen non addunt, ut nec Hieronymus nec Syriaca editio. Atheos hic vocat Apostolus, non qui nullum esse Deum credunt, quales etiam apud ethnicos infames erant ac detestabiles, sed qui verum Deum ignorant; tales enim licet multos colant Deos, revera sine Deo sunt in mundo, id est, sine Dei notitia et cultu; cum non sit aliud Deus et verus Deus.

13. *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope, in sanguine Christi.* Vel, ut Ambrosianus legit, *per sanguinem Christi.* Memores estote, inquit Apostolus, quod, cum vos, ut jam dixi, tam longinqui atque remoti fueritis a Deo ac religione populoque ejus, ut quibus cum illis nihil esset commune, nunc per Christum Jesum facti estis propinqui, utpote adducti ad Dei notitiam et populo ejus in unum corpus Ecclesiae conjuncti; idque per sanguinem Christi, id est, per meritum passionis ejus. Quod ergo dicit, *in sanguine Christi,* repetitio est et declaratio ejus, quod dixerat *in Christo Jesu.* Quidam sic ordinant et exponunt: vos in Christo Jesu, id est, vos Christiani, sed Graeco textui parum convenienter.

14. *Ipse enim est pax nostra.* Christum metonymice vocat *pacem nostram,* id est, pacificatorem; non ideo solum, quod reconciliaverit nos Deo, sed (quod hic Apostolus praecipue considerat), quia duos populos, Judaeorum et gentium, antea inter se mutuo dissidentes, in unum populum redegit, unamque Ecclesiam fecit. Hoc autem sequitur priorem illam reconciliationem, quae cum Deo est. Hunc sensum explicant sequentia.

Qui fecit utraque unum. Id est, ex duobus populis unum fecit, nimirum juxta Prophetiam Ezechielis 37., qua sub nomine duorum regnorum Juda et Ephraim hanc Judaeorum cum gentibus unionem praenuntiat, dicens: *Et faciam eos in gentem unam, et rex unus erit omnibus imperans, et non erunt ultra duae gentes, nec dividentur amplius in duo regna; et pastor unus erit omnium eorum.* Quod ipsum et Christus Joan. 10. facturum se promisit, illis verbis: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile et unus pastor.*

Et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans. Multi codices habent *inimicitiam* numero singulari, quemadmodum et Hieronymus legit, Graeco et Syriaco textu suffragante; nec Graece est *decretis,* sed *in decretis,* sive ut est apud Hieronymum Graeca voce retenta: *in dogmatibus.* Pro quo rursum commentarius Ambrosio inscriptus, et ipse Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. sine praepositione legunt *edictis.* Sciendum quoque participia *solvens* et *evacuans* in Graeco temporis esse praeteriti, sicut et illud praecedens, quod interpres resolvit in verbum, *qui fecit.* Quod si et in participio *solvens* factum fuisset, plus lucis haberet oratio, *qui fecit et qui solvit.*

Caeterum *edicta,* seu *decreta,* seu *dogmata,* hoc loco tam Graeci quam Latini commentatores, magno consensu, interpretantur praecepta novi testamenti, quae sunt de fide, charitate et moribus, quae nimirum Christus in Evangelio tradidit. Unde et Syriacus interpres vertit *in praeceptis suis.* Hanc expositionem valde probabilem faciunt alia loca Apostoli, quibus docet nos per Christi legem veteri legi mortuos esse, ut Rom. 7. *Mortificati estis legi per corpus Christi,* et Gal. 2. *Ego per legem legi mortuus sum.* Quo etiam pertinet, quod Rom. 3. *gloriationem,* quae erat in lege factorum, exclusam esse dicit per legem fidei; haec autem est lex gratiae, non nuda conti-

nens agendorum praecepta, sed etiam et maxime, amplissima tam gratiae quam gloriae promissa, quae utraque novi testamenti sunt propria.

At vero nonnulli recentiores, ut Faber, Erasmus et Cajetanus malunt illud, quod in Graeco legitur, *in decretis,* connectere cum eo, quod praecedit *legem mandatorum,* et ita exponere, *legem mandatorum in decretis sitam,* id est, legem Mosis, qua parte comprehendebat multitudinem decretorum seu praeceptorum ceremonialium. Movet illos auctores praepositio *in,* quae sensum hujusmodi videatur postulare. Sed mirum est, eos non animadvertisse proprietatem Hebraici sermonis, quo passim ablativum instrumenti, et, in genere, causae efficientis, exprimunt praefixa praepositione *in,* ut Luc. 22. *Domine num percutimus in gladio?*

Sensus igitur est: *Et qui medium parietem maceriae,* vel ut Theophylacti vertit interpres, obturationis, id est, septum medium, quo obstruebatur accessus unius ad alterum, *nempe inimicitiam,* hoc est inimicitiae causam, *solvit ac diruit in carne sua;* hoc est, per passionem et crucem, quam in carne sua sustinuit. Solvit, inquam, *evacuata et abrogata lege Mosaica constante innumerabilibus praeceptis; idque per evangelica decreta sive praecepta, quae ipse in locum Mosaicae legis substituit.* Pro hac expositione illius particulae *decretis,* facit etiam locus Col. 2., ubi dicitur *Christus delevisse, quod adversus nos erat chirographum decretis* (sic enim et ibi legitur in Graeco), id est per decreta. Quomodo locum illum antiqui interpretes exponunt.

Quapropter Erasmi temeritatem, qua suam conjecturam Scripturae miscuit, ita vertens: *legem mandatorum in decretis sitam,* merito reprehendunt Adamus Sasboldus in commentario, et Barth. Medina 1. 2. q. 107. art. 2. Ac sane mirum est, doctissimum virum Hentenium tantum Erasmo tribuisse, ut hanc ejus versionem in transferendis Oecumenii commentariis sequendam sibi putaverit; cum satis appareat, eam esse ab Oecumenii mente, sicut et Chrysostomi, quem ille sequitur, alienam.

Quaeritur, quis Apostolo sit medius paries maceriae, quo gentiles a Judaeis dividebantur; utrumne *inimicitia,* an *lex mandatorum,* haec enim duo nominat. Respondeo, secundum datam expositionem ac mentem Apostoli legem mandatorum esse inimicitiam, id est, causam inimicitiae ac dissensionis; ac proinde nihil diversum dici, sive inimicitiam, sive legem mandatorum interpretemur parietem medium.

Sunt autem, qui medium parietem duplicent; alterum statuentes ex parte Judaeorum, scilicet legem; alterum ex parte gentium, scilicet idololatriam; tam enim idololatria gentium offendebat Judaeos, quam legis jugum gentiles, ne coirent in unum populum. Verum haec imaginatio gemini parietis, Aquinate teste, praeter intentionen est Apostoli, qui unius tantum meminit, nempe legis mandatorum, quae Judaeos a gentilibus etiam ab idololatria conversis ita devidebat, ut illa stante non posset ex utroque populo unum Ecclesiae corpus constitui.

15. *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. Condat,* Graece *creet;* ne quis *condat* pro abscondat dictum existimet. Idcirco, inquit, medium parietem solvit, id est, legem evacuavit, ut duos homines in semetipso, velut centro quodam, ad quod ex diversis partibus lineae concurrunt, aut velut in capite, a quo diversa membra corporis unitatem accipiunt, conderet seu crearet in unum novum hominem, id est, non ut ex Judaeo gentilem aut ex gentili Judaeum faceret, sed ut ex utroque componeret unum hominem, faciens inter eos pacem, dissidii causa sublata.

De duobus populis Apostolus quasi de duobus hominibus loquitur, veluti conflatis in unum novum hominem, volens significare, quod ita fiat unus populus ex duobus, ut Christo, qui est novus Adam, incorporati, sint etiam ipsi novus homo: Christus quidem, in quem nihil ex veteri

Adam transiit, perfectissime novus homo; membra autem ejus in tantum novus homo, in quantum ex vetusta, in qua nati sunt, per Christum novum Adam reformantur. Sicut enim vetustas corruptionis et vitii significationem habet; ita novitas integritatis et virtutis. Maluit autem dicere *in unum hominem,* quam *in unum populum,* quia etiam in uno populo sunt hominum inter se dissidia, quod in uno eodemque homine non contingit.

16. *Et reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Rursus hic *inimicitiam* singulari numero legunt Graeca, Syra, Hieronymus, et cum his Primasius ac multi Latini codices MSS. Illud autem *in semetipso,* Graece ἐν αὐτῷ *in ipso,* vel ad Christum, vel ad corpus, vel ad crucem, quae Graece σταυρὸς, masculino genere dicitur, referri potest. Ad crucem si referatur, vertendum erit *in ipsa* vel *in ea,* et hoc pacto legit et legi vult Hieronymus. Syri quoque ad crucem referunt. At praeter Hieronymum Latini omnes *in semetipso* legunt, et de Christo exponunt, ut hic sermo, *interficiens inimicitiam in semetipso,* conveniat cum illo superiori, *solvens inimicitiam in carne sua.*

Secundum hos igitur sensus est: *Et ut ambos homines unum corpus effectos reconciliaret Deo per crucem,* id est, restitueret in gratiam et amicitiam Dei patris sui, per meritum suae passionis, videlicet perempta et extincta *in semetipso,* hoc est, in carne sua sive per carnem suam passioni expositam, etiam illa inimicitia, quae ex peccato erat inter Deum et homines. Nec tamen minus commodus aut multum diversus esset sensus, si *in ea,* id est, in cruce, legeretur: quin potius eodem recideret. Per crucem enim, hoc est, per passionem suam, quam in cruce pertulit, Christus nos Deo reconcilians, utique per eandem crucem interemit inimicitiam, qua separati eramus a Deo.

17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope.* Graece *pacem vobis, qui longe, et iis, qui prope.* Id interpres, supplendo verbum et repetendo *pacem,* dilucidius reddere voluit; cum nec in Ambrosiano textu verbum exprimatur. Sensus: Et cum venisset in mundum per incarnationem, etiam verbo seu doctrina annuntiavit pacem futuram, vobis, qui longe eratis a Deo, sicut supra dictum est, id est, gentilibus; et iis, qui prope erant, id est, Judaeis Deo propinquis per ejus notitiam et legem ab eo acceptam, qua in Dei cultu continebantur.

Pacem intellige reconciliationem cum Deo, et consensum mutuum inter ipsos, scilicet Judaeos et gentiles. Utriusque enim pacis in praecedentibus meminit Apostolus, et utramque Christus evangelizavit etiam iis, qui longe erant, non quidem praedicando gentilibus Evangelium (quantum ad hoc enim circumcisionis tantum minister fuit Rom. 1.), sed annuntiando, tam gentiles quam Judaeos per fidem ipsius Deo reconciliandos, et utrumque populum in unam Ecclesiam congregandum.

Priorem pacem annuntiavit etiam gentilibus eo sensu, quem dedi, quando dixit, multos ab Oriente et Occidente venturos et recubituros cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum Matth. 8., et quando dixit, praedicandum esse Evangelium regni in universo orbe Matth. 24., et quando occasione gentilium, qui videre eum cupiebant, dixit: *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Joan. 12. Denique, quando post resurrectionem praecepit Apostolis *docere omnes gentes,* Matth. ult., seu *praedicare Evangelium omni creaturae,* Marci ult., vel *praedicare in ipsius nomine poenitentiam et remissionem peccatorum,* quae est reconciliatio cum Deo, *in omnes gentes,* Lucae ultimo.

Posteriorem autem pacem annuntiavit utrisque, quando loquens de ovibus ex gentilitate adducendis dixit: *Et fiet unum ovile et unus pastor* Joan. 10., et quando dixit: *Lapidem, quem reprobaverunt*

aedificantes, hic factus est in caput anguli. Matth. 21.

Porro alii interpretantur, Christum iis, qui longe erant, evangelizasse, non in sua persona, sed per Apostolos, quibus ut evangelizarent praecepit. Sic Ambrosianus et glossa interlinealis, eamque secuti S. Thomas, Liranus et Cajetanus. Quem sensum etsi non improbamus, illud tamen, quod prius dixi, quodque ab Anselmo bene explicatum reperio, probabilius apparet.

Postremo, non est praetereundum, quod Hieronymus admonet, Apostolum hic usum esse verbis Jesaiae Prophetae tanquam suis, quibus ille pacem hanc utriusque populi praenuntiavit. Sic enim apud Jesaiam legitur cap. 57. *Creavi fructum labiorum pacem ei, qui longe est, et qui prope, dicit Dominus.*

18. *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.* Exponit modum reconciliationis. *Quoniam,* inquit, *per ipsum* tanquam mediatorem et pacificatorem nostrum, *ambo,* scilicet vos, qui longe fuistis, et nos, qui prope, *habemus aditum ad patrem,* ut recepti ab eo in gratiam et pro filiis agniti, *clamemus orantes, Abba, pater,* et dicere audeamus: *Pater noster, qui in coelis,* idque *in uno Spiritu sancto,* qui non solum Spiritus est pacis et concordiae, qua inter nos uniti simus, verum etiam Spiritus adoptionis filiorum, qua Deo ut patri conjungimur. Graeca dictio προσαγωγὴν, quam interpretes accessum vel aditum vertunt, proprie significat adductionem sive introductionem; est enim allusio ad mores principum, ad quos aditus non patet, nisi per aliquem illis amicum et familiarem quis introducatur.

19. *Ergo jam non estis hospites et advenae.* Graece: *Igitur non amplius estis peregrini et accolae.* Hieronymus quoque *peregrinos et accolas* legit. Ambrosianus ordine commutato, *advenas et peregrinos.* Neque enim Graecum vocabulum, quod interpres vertit *hospites,* videtur aliter accipiendum hoc loco, quam superius, ubi dictum est, *hospites testamentorum.* Concludit Apostolus ex praecedentibus, gentiles, et in his Ephesios, jam non esse, quod olim, scilicet peregrinos sive extraneos a promissis, populo, civitate ac domo Dei, neque accolas, subaudi ex eo, quod sequitur, *sanctorum* quod alii vertunt *incolas,* id est, juxta vel inter cives domicilium habentes, sed ita, ut ad eorum numerum non pertineant. Hoc modo peregrinum et incolam conjunxit Cicero lib. 1. Offic., ubi peregrini atque incolae officium esse dicit, nihil praeter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimeque esse in aliena republica curiosum, et hanc Graecae vocis significationem esse constat.

Non ergo videntur Apostoli mentem explicare, qui partem hanc, *et advenae,* putant additam propter gentiles proselytos, qui per circumcisionem transibant in rempublicam et legem Judaeorum, praesertim cum tales pauci essent, iidemque nullo pariete medio divisi a Judaeis. Sed accolas fuisse dicit gentiles, quatenus multi ex illis morabantur inter Judaeos, ac vicissim Judaei inter illos, non tamen iisdem legibus aut moribus aut religione utentes.

Sed estis cives sanctorum et domestici Dei. Cives, Graece *concives,* tametsi bene vertit interpres, et quidem melius, quam Erasmus ac caeteri, qui transtulerunt *concives.* Siquidem Latine civis ad civem refertur, sicut popularis ad popularem, aut frater ad fratrem, *concivis* autem non est Latinum, uti nec *confrater. Sanctos* plerique intelligunt coelestis patriae cives, sive angelos, sive patriarchas et prophetas, ut locus hic similis sit illi Heb. 12. *Accessistis ad civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et spiritus justorum perfectorum.* Quibus verbis utique significatur accessus et conjunctio cum ecclesia, quae triumphat in coelis.

Verum contextus magis exigit, ut sancti in genere intelligantur, quicunque per

baptismum mundati sunt a peccatis, ut sunt omnes fideles, qui passim in omnibus epistolis Paulinis sancti vocantur. Vult enim docere Apostolus, gentiles suscepto Christi Evangelio jam non esse peregrinos et alienos a civitate ac domo Dei, in qua Judaei fideles erant, sed esse eorum cives, id est, in eandem cum illis civitatem adscriptos, ac Dei domesticos, id est, una cum illis pertinentes ad domum, cujus paterfamilias est Deus. Hunc sensum tradunt Ambrosianus et Anselmus. Quod vero ex epist. ad Heb. adferebatur, non est huic loco simile, nam illic ad Judaeos est sermo, qui a sensu carnali revocandi erant ad spem bonorum coelestium: hic vero agitur de conjunctione gentilium cum Judaeis in unum collegium fidelium, ut S. Thomas loquitur, id est, in unam ecclesiam, quae est civitas sanctorum, et domus Dei. Qua autem ratione et civitas et domus vocetur ecclesia, docte idem sanctus Doctor explicat.

20. *Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum:* sive ut cives sanctorum, sive ut domestici Dei, nam et civitas et domus super fundamento exstruitur. Non potest hoc loco per fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipse Christus intelligi, de quo 1 Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Verbis enim sequentibus Christum vocat summum angularem lapidem, tanquam ab hoc fundamento diversum. Igitur fundamentum Apostolorum et Prophetarum intransitive exponendum, id est, fundamentum, quod sunt Apostoli et Prophetae. Unde et Apoc. 21. duodecim Apostoli vocantur duodecim fundamenta coelestis Jerusalem.

Nec pugnant hae scripturae cum illa ad Cor., quae negat aliud a Christo fundamentum poni posse, nam, ut eo loco declaravimus, aliter Christus, aliter Apostoli et Prophetae fundamentum vocantur. Ille primiarium fundamentum: isti, secundarium. Christus enim fundamentum est ecclesiae, quatenus per ejus fidem in fundamento collocatam solidatur et sustentatur universum ecclesiae aedificium. Quod quidem soli Christo competit, quia *non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri* Act. 4. Apostoli vero et Prophetae sunt fundamenta, vel, ut hic dicitur fundamentum, ejusdem ecclesiae, per suum ministerium, quatenus doctrinam salutis, quae in solo Christo est, divinitus acceptam hominibus annuntiarunt, Prophetae quidem obscurius, Apostoli autem manifestius ac plenius. A quorum numero minime removemus Apostolum Paulum, ut qui et ipse Christum vidit jam immortalem, 1 Cor. 9. et 15., et per ejus revelationem evangelium suum accepit et didicit Gal. 1.

Porro, quamvis Apostoli et Prophetae multi fuerint, non tamen hic dicuntur plurali numero fundamenta, sicut in Apoc., sed fundamentum, quasi unum, ut per hoc consensus et concordia doctrinae Apostolicae cum ea, quam olim tradiderant prophetae, significaretur. Quod enim nonnulli prophetas hic intelligunt novi testamenti, quales fuere de quibus Act. 13. et 1 Cor. 12. et 14., sumpto fortassis argumento ex eo, quod Prophetae post Apostolos nominantur, praesertim cum et in hac ipsa epist. cap. 3. et 4. legamus eodem ordine Apostolos et Prophetas, ubi sane Prophetas novi testamenti, saltem quarto capite, constat intelligi: illud, inquam, prorsus improbabile est; nam super hujusmodi prophetarum doctrina fundatam esse ecclesiam, nusquam legitur, quin potius talium prophetiae juxta regulam Apostolicae et propheticae doctrinae ab ecclesia dijudicandae erant, secundum illud 1 Cor. 14. *Prophetae duo aut tres dicant, et caeteri dijudicent.* Quod profecto de Apostolis a Christo missis, qui hic cum prophetis junguntur, non diceretur.

Quare dubium non est, veteris testamenti prophetas, utpote praenuntios ejusdem Evangelii, quod Apostoli praedicaverunt, hic intelligi, nimirum eos, de

quibus Paulus Rom. 1. *Vocatus Apostolus,* inquit, *segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis*, et de quibus Petrus 2. epist. 1. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes.*

Nominantur autem Apostoli ante Prophetas, non temporis, sed dignitatis habita ratione, eaque multiplici. Primum, quia Apostoli Christum praesentem ac docentem viderunt et audierunt, quod prophetis etsi desiderantibus non fuit concessum, Domino dicente ad suos Apostolós: *Multi prophetae et justi cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt, et audire, quae auditis, et non audierunt,* Matth. 13. Deinde, quia Apostoli dona gratiae majora, quam prophetae acceperunt, adeo ut B. Thomas lect. 3. super cap. 1. hujus epist. reprehendat eorum temeritatem, *ut non dicam,* inquit, *errorem,* qui praesumunt, aliquos sanctos post Christum et Virginem Matrem, comparare cum Apostolis, in gratia et gloria. Denique, quod ad rem praesentem maxime facit, quia Apostoli sunt fundamenta ecclesiae propinquiora, ut qui non tantum doctrinam verae fidei, qua fundaretur ecclesia, post se reliquerunt, sicut Prophetae, sed et sua praedicatione multitudines ex Judaeis et gentibus convertendo, fundarunt et aedificarunt ecclesiam secundum statum novi testamenti.

Hinc est, quod ab illis, tanquam ejusmodi fundatoribus et plantatoribus, ecclesia in Symbolo fidei vocatur apostolica, non item a Prophetis, prophetica. Verumtamen sicut solus Christus est primarium ecclesiae fundamentum, ita soli Apostoli et Prophetae, ratione doctrinae traditae ac fide tenendae, agnoscuntur ab ecclesia ut fundamentum ejus secundarium. Unde consequens est, fidem Christianam et catholicam, etsi per alios ecclesiae praelatos et doctores explicari possit ac debeat, augeri tamen omnino non posse, sicut nec minui.

Ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Graece, *existente summo angulari,* scilicet lapide, *ipso Jesu Christo:* ut pronomen *ipso* adjungatur ad Jesum Christum. Sensus est: Ita superaedificati estis super Apostolos et Prophetas tanquam fundamentum, ut tamen summus sive extremus angularis lapis, qui illi ipsi fundamento firmitatem praestat, sit ipse Christus, et non alius. Summus angularis lapis, quem Graeci uno vocabulo nuncupant ἀκρογωνιαῖον, quasi dicas summangularem, is dicitur, qui in extremo angulo fundamenti positus duos parietes ex diverso venientes conjungit et continet. Itaque per hujus nominis metaphoram non solum significat Apostolus, Christum esse praecipuum fundamentum totius Ecclesiae, verum etiam, in illo velut in angulari lapide conjungi duos populos, Judaicum et gentilem, eosque sic conjunctos consurgere in unum aedificium Ecclesiae. Respicit autem haud dubie Apostolus ad illud Psalm. 117. *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Quem locum et Christus ipse citat Matth. 21. et Petrus 1. epist. 2.

21. *In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Constructa,* Graece participium est praesentis temporis, significat autem id, quod congruenter et apte certaque ratione construitur aut coagmentatur. Hieronymus legit *compaginata:* Ambrosianus *compacta,* quomodo et noster vertit infra cap. 4. Sensus est: Super quo summangulari lapide totum aedificium congruenter apteque constructum, id est, dum super eo construitur, *crescit* et in altum consurgit, ita ut fiat *templum sanctum in Domino,* id est, domus Deo sanctificata, quaeque omnem sanctitatem habeat ex Christi Domini merito. Vel, *crescit in Domino,* quia omnis ejus profectus est ex Christo.

Minus recte verterunt Erasmus et Hentenius: *In quo quaecunque structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in Domino.* Non tantum enim dicere vult Apostolus, omnem structuram, quaecunque superstruitur Christo lapidi

angulari, crescere in templum sanctum, sed, totam Ecclesiae structuram super illo lapide rite construi et componi: atque ita totam et universam crescere in templum sanctum. Nam omne, pro toto, perfecto, universo, frequens est in sacris literis. Atque hoc modo non solum a nostro interprete, verum etiam ab Erasmo et aliis exponitur infra cap. 4., ubi haec sententia diversis verbis et sub alia metaphora reperitur. *Ex quo,* inquit, *totum corpus compactum* etc., pro eo, quod Graece est, *omne corpus.* Construitur autem hoc aedificium fide, spe et charitate, atque earundem virtutum profectu crescit, quemadmodum loco memorato aperte significatur, nominatim de charitate.

At dices, si totum aedificium Ecclesiae construitur et crescit charitate: mali igitur, qui charitatem non habent, ad aedificium Ecclesiae non pertinent. Respondeo, totum non complecti omnes omnino, qui quocumque modo sint partes Ecclesiae, sed eos tantum, qui plene participant rationem partium hujusmodi, utpote professioni suae ac nomini respondentes: tales autem soli sunt boni. Cum enim omnes, qui in Ecclesia sunt, vitam Christianam profiteantur, aut professi sint: soli boni eam praestant. Responsionem hanc confirmat et exigit locus jam citatus cap. 4. hujus epist.

22. *In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Hoc est, super quo lapide angulari, tamquam diversos parietes conjungente, etiam vos Ephesii, qui gentiles estis, una cum fidelibus, qui ex Judaeis sunt, aedificamini, ipsaque aedificatione efficimini habitaculum Dei, id est, templum, in quo Deus habitet, idque per operationem Spiritus sancti. Graece quidem tantum legitur *in spiritu:* consentientibus Latinis Hieronymo, Ambrosiano et Primasio, sed per spiritum non alius, quam Spiritus sanctus est intelligendus, sicut et paulo inferius, ubi dicit, *mysterium Christi revelatum esse Apostolis ejus et Prophetis in spiritu.* Illud observandum est, hanc toto cap., imo passim tota epistola inculcationem Christi, dum toties repetit: *Ipso Christo, in Christo, in quo,* esse contra Simonis magi scholam, de qua in argumento epistolae dictum est.

CAPUT TERTIUM.

Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus[1]), 2. si tamen audistis dispensationem gratiae Dei[2]), quae data est mihi in vobis: 3. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi[3]): 4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: 5. quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum[4]), sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu, 6. Gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu[5]) per Evangelium: 7. cujus factus sum minister, secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis ejus[6]). 8. Mihi omnium sanctorum minimo[7]) data est gratia haec, in Gentibus evangelizare

---

[1]) Act. 28, 16. 21, 27. 28. 33. [2]) 1 Cor. 3, 10. [3]) Cap. 1, 9. 10. [4]) Vers. 9. Rom. 16, 25. 1 Cor. 2, 7. Col. 1, 26. [5]) Cap. 2, 11.—22. [6]) 1 Cor. 15, 10. 2 Cor. 3, 5. 6. 12, 12. 13. [7]) 1 Cor. 15, 9. 10.

investigabiles divitias Christi[1]), 9. et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo[2]), qui omnia creavit; 10. ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus[3]) per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, 11. secundum praefinitionem saeculorum[4]), quam fecit in Christo Jesu, Domino nostro: 12. in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia[5]), per fidem ejus. 13. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quae est gloria vestra[6]). 14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 15. ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur[7]), 16. ut det vobis secundum divitias gloriae suae[8]), virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem[9]), 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris[10]): in charitate radicati, et fundati, 18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: 19. scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus[11]), secundum virtutem, quae operatur in nobis: 21. Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Mysterium vocationis gentium profitetur sibi divinitus revelatum, ejusque praedicationem sibi concreditam: et propter eam se in vinculis teneri. Rogat Deum, ut Ephesios corroboret in fide, charitate et rerum divinarum scientia.

1. *Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus.* Hoc capite usque ad eum locum, *propter quod peto* etc., commemorat Apostolus et commendat ministerium sibi demandatum a Deo ad praedicandum gentibus Evangelium Christi. Est autem oratio Pauli vel imperfecta, ut supplendum aliquid sit, vel hyperbato suspensa, nam verbum, quod reddatur illi nomini, *ego Paulus vinctus,* nusquam apparet. Igitur quidam, ut Erasmus, Cajetanus et Gaignaeus, perficiunt orationem addito verbo *sum*, ut hic possit esse sensus: *Hujus rei gratia,* scilicet ut vos coaedificemini in habitaculum Dei, *ego Paulus sum vinctus Christi Jesu* pro vobis gentibus. Sed huic supplemento, quod alioqui maxime in promptu erat, resistit articulus praepositus vocabulo *vinctus* in Graeco: utpote trahens suum nomen in partem subjecti. Sic enim sonat ac si Latine diceretur: *Ego Paulus ille vinctus* etc. Commentarius Ambrosianus videtur ita supplere: Ego Paulus vinctus Jesu Christi legatione fungor pro vobis gentibus. Sumptum hoc est ex ult. cap. hujus epist., *pro quo,* inquit, *legatione fungor in catena.*

Hieronymus hanc partem refert ad illam post paululum sequentem: *secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum*, et soloecismum esse

---

1) Act. 9, 15. Rom. 15, 16. 2) Cap. 1, 9. 3) 1 Petr. 1, 12. 4) Cap. 1, 4. 5. 11. 5) Cap. 2, 17. 18. 6) Phil. 1, 12. 14. 7) Rom. 8, 14. 8) Cap. 1, 19. 20. 9) Act. 20, 32. 2 Thess. 2, 16. seq. 10) Joan. 14, 23. 15, 4. 5. 11) Rom. 16, 27. 11, 33. 36.

putat in verbis Pauli, quasi dixisset: *Ego Paulus vinctus Christi Jesu, notum mihi factum est sacramentum*, pro eo, quod diceret: Ego Paulus cognovi sacramentum, vel: mihi Paulo notum factum est sacramentum. Sed obstat huic constructioni vocula *quoniam* interposita; nisi quis eam redundare dicat. Oecumenius hoc exordium suspendit usque ad illam partem vers. 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec* etc., commutationem autem recti in obliquum excusat exemplis etiam summorum oratorum, Thucydidis et Domesthenis.

At vero alii longius adhuc hyperbaton faciunt, nimirum usque ad illa verba vers. 14. *Hujus rei gratia flecto genua,* illic enim videtur Apostolus resumere sententiam et absolvere, quam hic imperfectam reliquerat, dum alia interim, divino spiritu suggerente, tanquam per parenthesim dicenda occurrebant. Ita Theodoretus et quidam recentiores, quod quidem et nobis prae caeteris placet. Ac ne quis miretur, non minus longum hyperbaton est in 1 Cor. 7., ubi cum dixisset: *Nam caeteris ego dico, non Dominus,* multis aliis interpositis, tandem repetit intermissum sermonem, cum dicit: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo* etc.

Sensus igitur verborum Apostoli est: *Hujus rei gratia*, quia videlicet estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati etc., ego Paulus incarceratus et vinctus pro nomine Jesu Christi, et quidem vestri causa, eo quod Evangelium Christi vobis gentibus annuntiaverim: *flecto genua mea. Vinctus.* Graece δέσμιος nomen est, non participium, quasi dicat: captivus Jesu Christi.

2. *Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis.* Graece *in vos*, Ambrosiano suffragante. Quia dixerat *pro vobis gentibus,* occasionem inde capit digrediendi ad commemorationem Apostolatus sui inter gentes, et revelationis sibi divinitus factae de mysterio Christi gentibus annuntiando. Nec illud *si tamen*, vel ut in Graeco εἴγε *si quidem,* dubitantis est, sed potius affirmantis, neque enim ignorare, quod hic dicitur, poterant Ephesii, quibus Paulus ipse Evangelium plusquam biennio praedicaverat. Pro *dispensatione* Graecis est οἰκονομία, qua voce etsi proprie significetur prudens dispensatio rei domesticae; solet tamen extendi ad quamcumque legitimam et ordinatam administrationem; qualis inprimis est gratiae Dei.

Jam illud *quae data est,* ad gratiam, non ad dispensationem referendum esse, Graeca manifeste docent. Itaque sensus est: Si tamen audistis vos Ephesii (sicut audisse vos constat), quemadmodum dispensatione ac providentia divina mihi concreditum sit Apostolicum munus Evangelii vobis gentilibus annuntiandi. Munus hoc *gratiam Dei* vocat, quia gratuito collatum ei fuerat a Deo, quod et alibi inculcat, et hic paulo post repetit.

3. *Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum.* Explicat dispensationem gratiae Dei, quam dixerat. In Graeco sic legitur: *quod secundum revelationem notum fecit mihi mysterium;* ex proximo subaudi, *Deus.* Sensus enim est: nempe quod per revelationem mihi Deus patefecit mysterium, sive arcanum. Quodnam fuerit hoc arcanum aperit in sequentibus, ibi maxime, *gentes esse cohaeredes* etc. *Revelationem* autem intelligit eandem, quam refert Gal. 1., ubi de Evangelio suo loquens: *neque enim,* inquit, *ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Videtur autem revelatio fuisse potissimum de tribus. Primum, de mysterio redemptionis ac justificationis hominum per Christum. Secundum, de vocatione gentium, ac tertium cum mandato conjunctum, scilicet de ipsius Pauli legatione ad gentes. De secundo et tertio peculiariter agitur hoc loco, nam primum mysterium toti doctrinae Apostolicae commune est.

Sicut supra scripsi in brevi. Graece *sicut ante scripsi in modico.* Noster quoque interpres Act. 26. vertit *in modico.* Id hoc loco exponunt plerique, bre-

viter et paucis verbis. Nam supra fecit mentionem vocationis gentilium: non enim ad revelationem mysterii factam Apostolo referendum est hoc, quod dicit: *sicut supra scripsi*, cum de ea nihil prorsus supra dictum sit, sed ad ipsum mysterium revelatum, de quo egerat in superioribus. Verum, quia non breviter, sed pluribus in utroque capite praecedente de eo mysterio egit: idcirco et aliter exponit Oecumenius illud: *sicut ante scripsi in modico*, id est, sicut scripsi paulo ante, videlicet in fine capitis superioris. Ibi enim clarissime locutus est de gentibus in unam Christi Ecclesiam colligendis. Quae expositio conferenda est cum illis verbis Act. 26. *in modico suades me Christianum fieri.* Quae a quibusdam sic exponuntur, parum abest, quin persuadeas etc., propemodum persuades. Ab aliis sic: Aliquantulum commovisti me sermone tuo, ut Christianus fiam. Quod autem nonnulli praesentem locum intelligunt de alia quapiam Epistola prius ad Ephesios scripta, merito rejicit Theodoretus.

4. *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. Prudentiam,* Graece σύνεσιν, *intellectum,* sive *intelligentiam:* pro quo Hieronymus legit sensum, et interpretatur sapientiam, nimirum secundum rem subjectam. Sic enim alibi de ea Apostolus: *Loquimur,* inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est,* 1 Cor. 2. Dupliciter autem haec pars exponitur. Uno modo: Prout potestis ex iis, quae supra scripsi, perlectis, intelligere ac percipere, quam scientiam habeam de mysterio Christi, quod dico per revelationem me didicisse. Aliter: Scripsi vobis non secundum rei magnitudinem, sed juxta quod potestis legentes capere intelligentiam meam, id est, id, quod ego intelligo et capio, de mysterio Christi. Haec Graecorum expositio est, pro qua nonnihil facit particula Graeca πρὸς ὅ, *ad quod* vel *juxta quod*, cujus loco nos legimus, *prout*, tametsi possit et ad priorem sensum, qui simplicior est, facile accommodari.

5. *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum,* Graece: *Quod in aliis generationibus non fuit notificatum filiis hominum.* Ambrosianus legit hoc modo: *Quod in aliis saeculis non fuit notum filiis hominum.* Et recte *saeculis*, pro quo alii vertunt *aetatibus,* non enim de aliis nationibus, sed de aliis temporibus loquitur Apostolus: et per *generationes* saecula, vel aetates solere significari in Scripturis, nemo vel mediocriter in iis versatus ignorat. Igitur sensus est: Quod mysterium aliis retro saeculis non fuit notum factum hominibus.

Laborant hic commentatores, ut explicent, quomodo verum sit, mysterium hoc vocationis gentium (nam de eo sermonem esse, liquet ex sequentibus) non fuisse olim notum hominibus: quandoquidem nec illum latuit, cui dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes,* nec caeteros Prophetas, a quibus multipliciter praenuntiatum fuit hoc mysterium. Hieronymus et alii quidam urgent, quod dicitur: *filiis hominum*, et dicunt sanctos Patriarchas et Prophetas, quibus illud mysterium revelatum fuit, consuetudine Scripturae magis filios Dei, quam filios hominum vocari.

Verum hoc pacto non consistet discrimen, cum eadem ratione nec illi, quibus tandem revelatum esse dicitur mysterium, id est, Apostoli et Prophetae novi testamenti, numerandi sint inter filios hominum. Adde, quod haec de filiis hominum violenta est et coacta interpretatio. Quod cum Hieronymus ipse animadvertat: aliam quaerit explicandae difficultatis viam. Et quidem in eo ferme omnes conveniunt, quod dicant, veteres illos aliquid ignorasse in hoc mysterio vocationis gentium, quod Apostolis revelatum sit. Non enim simpliciter negat Paulus, olim filiis hominum fuisse cognitum hoc mysterium, sed certa comparatione: *Sicut,* inquit, *nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus* etc.

Proinde relinquitur quaerendum, quomodo vel qua parte mysterium hoc non

fuerit antiquis cognitum, sicut Apostolis revelatum et cognitum fuit. Hic autem variae existunt sententiae. Ambrosianus existimat, latuisse Prophetas antiquos, quod sine observatione legis Mosaicae gentes futurae essent gratiae Dei participes. Alii putant eos nescivisse, quod gentiles futuri essent eodem prorsus loco cum Judaeis, quantum ad consortium gratiae Dei. Sic Primasius et Graecorum nonnulli, ponderantes illud, quod dicit Apostolus: *Gentes esse cohaeredes* etc., scilicet ex aequo.

Sed hi duo commentarii ex ipsis Prophetis refelluntur. Prior quidem ex Jeremia et aliis, qui de veteris legis abrogatione prophetaverunt: posterior autem ex illis, quorum testimoniis Paulus Rom. 10. probat, non esse distinctionem Judaei et Graeci.

Rursus alii dicunt, antiquis non fuisse cognitum hoc mysterium corporaliter, id est, ipsarum rerum exhibitione, quomodo coeptum est agnosci, quando gentes coeperunt Apostolorum praedicatione converti ad fidem. Ita Hieronymus et Chrysostomus cum aliis nonnullis.

Alii vero negant, olim fuisse palam et publice cognitum, quomodo cognoscitur tempore novi testamenti. Verum nec hi commentarii soliditatem habent, non enim dicit Apostolus: *Sicut nunc per experientiam et publice cognoscitur a fidelibus,* sed: *sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis.*

Restat igitur eorum sententia, quantum mihi videtur, caeteris anteponenda, qui dicunt antiquos non ita clare, plene et perfecte mysterium hoc vocationis gentium cognovisse, sicut per revelationem cognitum est Apostolis Christi: utpote quibus multae, singulares ac determinatae circumstantiae hujus mysterii, partim a Christo cum ipsis adhuc conversante, partim a Spiritu sancto post Christi ascensionem in coelum, revelatae sunt, quas vel obscure tantum et sub velamine cognoverant olim Prophetae, vel omnino non cognoverant. Unde Petrus de illis dicit 1 Epist. 1. *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi.* Apostolis autem factas fuisse revelationes de particularibus illius mysterii circumstantiis, quoad modum, tempus, locum, personas etc., probant exempla Petri et Pauli et Philippi diaconi in Act. 8. 10. 13. 16. 18. et 23. Hoc modo difficultatem expedit B. Thomas in comm. et 1. q. 57. art. 5. ad 3. Item Cajetanus, aliique recentiores, hunc sensum colligentes ex eo, quod sequitur:

Sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in spiritu. Id est, eo modo, quo nunc idem Christi mysterium per Spiritum sanctum revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis, qui sunt in Ecclesia. Manifeste enim hic loquitur de Prophetis novi testamenti, de quibus et capite sequenti et in prima ad Cor. epist., quales Agabus et alii, qui nominantur Act. 13. Verisimile est autem hos Prophetas non solum novas accepisse revelationes ad hoc Christi mysterium pertinentes, verum etiam in exponendis Scripturis antiquorum Prophetarum instructos fuisse a spiritu divino, ut ea clarius explicarent, quae ab illis dicta vel etiam intellecta fuerant obscurius. Jam sequitur mysterium:

6. *Gentes esse cohaeredes, et concorporales et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium. Cohaeredes,* id est, una cum Judaeis ejusdem haereditatis coelestis consortes, tanquam Dei filios. Et *concorporales,* id est, ejusdem corporis membra sub uno capite Christo. Et *comparticipes promissionis,* hoc est, promissae benedictionis *ejus,* scilicet Dei, vel Spiritus sancti, idque *in Christo,* id est, per meritum Christi, et *per Evangelium* gentibus annuntiandum, id est, per Evangelii praedicationem in omnes gentes. Porro benedictionem promissam intellige, de qua dictum est ad Abraham, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quae quidem benedictio comprehendit omnia bona novi testamenti, breviter significata nomine gratiae et gloriae.

7. *Cujus factus sum minister secundum donum gratiae Dei.* Redit ad commemorationem Apostolatus sui, quo fungebatur inter gentes. Cujus, inquit, Evangelii gentibus annuntiandi factus sum ego minister et praeco, non meis meritis, sed ex liberali et gratuito dono Dei, qui me indignum ad tantam dignitatem assumpsit.

Quae data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Graece: *Quod datum est mihi.* Refertur enim participium Graecum ad donum, tametsi sensus eodem recidit, hoc enim est, quod dicit: Quod gratuitum donum Apostolici muneris ita mihi concessum est a Deo, ut etiam, ad ejusdem doni administrationem, efficax sit in me divinae virtutis operatio. Nam hujusmodi operationem significat Graeca vox ἐνέργεια. Quam quidem a Deo sibi adfuisse in Evangelio gentibus praedicando, etiam alibi testatur. *Qui,* inquit, *operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Gal. 2. Intelligit autem efficaciam operationis divinae non solum quoad interiorem mentium conversionem eorum, quibus praedicabat, de qua Dominus ait in Evangelio: *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae.* Matth. 3. Verum etiam quoad miracula pro confirmatione Evangelii foris exhibita, juxta illud, quod de Apostolis dicitur Marc. ult. *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* De qua cooperatione divina sibi facta praeclare loquitur Paulus ad Rom. 15.

8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec.* Repetitio est ejus, quod dixerat, *quae data est mihi,* sed cum incremento rhetorico, tam ex parte pronominis, *mihi,* quam ex parte *gratiae sibi* datae. Utrumque enim exaggerat, alterum hic, alterum subsequentibus verbis. Nec quaerenda est conjunctio, qua connectitur haec periodus cum superiori, quasi enim sic dicit: *Mihi,* inquam, *omnium sanctorum minimo* etc. Ut autem intelligatur, quanto cum affectu humilitatis, ac sui depressione, dictum hoc sit a Paulo, conferatur hic locus cum illo 1 Cor. 15., ubi vocat se minimum Apostolorum, et ex collatione aestimari poterit, quantum post illam ad Corinthios scriptam epistolam, postque tam multos interea labores pro Christo susceptos, in humilitate profecerit. Nam illic se postponit omnibus Apostolis; hic vero omnibus sanctis, id est, Christianis. Et illic quidem se minimum vocat, Graece ἐλάχιστον, hic autem, ut ita dicam, minimissimum. Nam in Graeco comparativus est ex superlativo formatus, ἐλαχιστότερον, ac si dicas, *mihi infimiori omnium sanctorum.* Similia extant apud alios multos maximae sanctitatis electos Dei, inter quos B. Ignatius in epist. ad Smyrnenses: Omnes saluto, et non sum dignus esse ultimus eorum. Sed secundum Dei voluntatem dignus effectus sum, non ex mea providentia, sed ex gratia Dei.

Jam quo sensu minimum, sive ut legit Hieronymus, infimum omnium sanctorum seipsum vocet Apostolus, idque non mendaciter, neque enim in mendacio consistit humilitas, sed veraciter: discimus ex eodem loco ad Cor., ubi rationem hanc ejus, quod dixerat se minimum Apostolorum, subjungit: *Quoniam,* inquit, *persecutus sum Ecclesiam Dei.* Nam ea ratio quadrat etiam in hunc locum, ut propterea se dicat omnium sanctorum minimum, quia si considerentur ejus merita fidem praecedentia, causam non habebat se praeferendi cuiquam Christiano, sed omnibus postponendi, quia nimirum persecutus fuerat Ecclesiam Dei, quod nullus alius Christianus tanto animo et studio fecerat. Eadem ratione se vocat primum inter peccatores 1 Tim. 1.

Sic autem de se loquitur Apostolus, tum ut ex comparatione suae indignitatis, magnitudinem divini erga se beneficii commendet, tum ut seipsum, ad tantum excellentiam gratiae, de qua hic disserit, vocatum, muniat adversus tentationem superbiae. Jam vero cum hujusmodi sermo veritate nitatur, ut ex dictis patet; illud etiam manifestum est, Apostolum

hic non incurrere in vitium, quod morales Philosophi ironiam vocant, dum quis dicit de seipso minora, quam animo sentiat. De quo S. Thomas 2. 2. q. 113.

Quaeritur autem, an similiter unusquisque Christianus de se loqui ac sentire debeat, se minimum esse omnium sanctorum, vel etiam omnium hominum. Respondeo debere; non quidem ea ratione, qua hoc dixit Apostolus, scilicet ex consideratione pristini status; sed eo sensu, quo Dominus in Evangelio praecipit unicuique, dicens: *Vade, recumbe in novissimo loco,* Luc. 14. et quo dictum est a Paulo Phil. 2. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes:* cujus praecepti sensus explicabitur suo loco. Porro quod ait: *Data est gratia haec;* munus Apostolicum gratuito sibi collatum intelligit, de quo sequitur:

In gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. Investigabiles dixit interpres negative, non vestigabiles, sicut Rom. 11., pro quo Hieronymus *ininvestigabiles,* Ambrosianus autem, *incomprehensibiles.* Sic enim, et quidem explicatius, legit: *Ut in gentibus evangelizem incomprehensibiles divitias Christi, et illuminem* etc. Per *investigabiles* sive *incomprehensibiles divitias Christi* significat immensitatem beneficiorum Christi, id est, eorum, quae per Christi meritum abundantissime, velut ex infinito thesauro, nobis a Deo conferuntur. Alii interpretantur investigabiles, eo quod superent omnem naturalem inquisitionem.

9. *Et illuminare omnes.* Quamvis Christo proprie et principaliter competat illuminare homines, juxta illud Joan. 1. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem,* qui et de seipso praedicat: *Ego sum lux mundi,* Joan. 8., attamen participatione ac ministerio etiam Apostoli, sicut lux mundi vocantur a Domino Matth. 5., sic et illuminare dicuntur hoc loco. Unde et Dionysius, coelestem et ecclesiasticam describens hierarchiam, docet, tam angelos, quam homines Ecclesiae ministros, alios purgare, alios illuminare, alios perficere.

Notanda sunt haec contra haereticos, qui quoties aliquid tale sanctis tribuitur, Christi interpretantur injuriam. Quare nec placet improba cura Erasmi, qui vertere maluit: *Et in lucem proferam omnibus;* quique in annotationibus suis ita scribit: neque Paulus illuminat homines, sed in lucem profert, et perspicuum facit omnibus, quod antea reconditum erat. Non placet, inquam, quia Paulus diserte affirmat se illuminare omnes, usus eodem verbo Graeco, quo Joannes evangelista scribens de Christo: *Qui illuminat omnem hominem.* Quare negandum hoc de Paulo non erat; nec in textu quidquam mutandum, sed in commentario exponendum. Vere enim Paulus illuminat, non quomodo Christus, fidem operando in cordibus hominum; sed ut dictum est, externo ministerio praedicationis evangelicae. Dicit autem *omnes,* quia sic jussus erat Evangelium gentibus praedicare, ut nullum genus hominum, nec ullum omnino hominem ab Evangelio repelleret.

Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo. Pro *dispensatione* Erasmus *communionem* vertit, secutus codicem Graecum mendosum, ut arbitror, in quo legebatur *κοινωνία,* pro *οἰκονομία,* nam codices emendatiores, et interpretes omnes tam Graeci, quam Latini *οἰκονομίαν, dispensationem,* legunt: quam et supra nominavit, dicens: *Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei* etc. Atque ex hoc loco videtur sumptum, quod Theologi veteres Christi incarnationem passim vocant oeconomiam, ac sub eo nomine comprehendunt quaecunque in carne assumpta gessit aut passus est Christus; quod nimirum ea omnia pertineant ad sapientissimam procurationem salutis humanae, quae per Christum est. Unde Hieronymus in epist. ad Pammach. et Oceanum, de Apollinari loquens, qui Christo adimebat animam rationalem, quae est altera pars humanae naturae, dicit eum dimidiatam Christi introduxisse oeconomiam.

Porro sensus Apostoli est: Ut omnibus

manifestem, quomodo visum fuerit Deo in hoc tempore exsequi mysterium sive arcanum illud admirabile, quod apud ipsum a saeculis, id est, toto superiori tempore, erat absconditum, hoc est, ei soli notum. Quod intellige quoad notitiam particularium circumstantiarum; quomodo supra interpretati sumus illud: *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum.*

Qui omnia creavit. Omnia, nulla re prorsus excepta, quae vel sit, vel fuerit in rerum natura. Hoc adjectum putant propter scholam Simonis magi, quae docebat, mundum corporeum factum esse ab angelis. Graeci codices hic addunt: *Per Jesum Christum.* Quod si referatur ad particulam proxime praecedentem, intelligi debet de Christo, ut Deo, ac Dei filio; sicut illud in Evangelio: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ita de Christo loquitur Apostolus Col. 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa* etc. Si quis autem propter expressa nomina: *Jesum Christum,* magis putet significari meritum passionis Christi, ut fere in similibus; poterit referre ad illa verba: *Quae sit dispensatio sacramenti,* nam illius mysterii executio fit per meritum Christi hominis.

10. *Ut innotescat principibus et potestatibus in coelestibus, per ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Graece: *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus* etc., nec secus legit Hieronymus. Cum his, in vocabulo *principatibus,* consentiunt Latina quaedam manuscripta, quibus et Clementina suffragatur editio: vox etiam Syriaca principatus, non principes significat. Certe Apostolus et hic et alibi nomina hujusmodi recensens, semper ἀρχὰς, id est, principatus, scribit, ut 1. et ult. cap. hujus epist. Rom. 8. Col. 1. 2. Principatus autem et potestates esse nomina ordinum angelicorum, et sub iis caeteros angelorum ordines comprehendi, ex aliorum locorum collatione facile patet.

Sed quaeritur, boni an mali intelligantur hoc loco, nam haec nomina principatus et potestates etiam malis spiritibus aliquando tribui, constat ex ult. cap. praesentis epistolae, et ex Col. 2. nec non ex 1 Cor. 15. Itaque commentarius Ambrosio inscriptus etiam hunc locum de malis exponit. Didicerunt enim et illi per experientiam mysteria sapientiae Dei, de quibus hic sermo, tunc quando completa sunt: quemadmodum satis declarat evangelica et Apostolica historia. Verum quod in eodem commentario additur, ideo malignis spiritibus hanc Dei sapientiam innotescere, ut exemplo Ecclesiae per Christum salvatae, etiam ipsi ab errore resiliant, et assensum tyrannidis diaboli deserant: id nullo modo recipiendum est; utpote Catholicae doctrinae contrarium, atque in Origene damnatum. Hieronymus quoque commentarium de malis angelis absolute rejicit.

Porro de bonis cum Hieronymo locum hunc interpretantur alii pene omnes tam Latini, quam Graeci, nisi quod Chrysostomus ad utrosque referre videtur. Similis est apud Apostolum locus 1 Tim. 3., ubi de hoc eodem mysterio verba faciens, dicit ipsum angelis apparuisse, id est, innotuisse. Sed et illum locum, etsi communiter de bonis angelis intellectum: auctor memorati commentarii de angelis errore imbutis, id est, malis interpretatur. Neque ex loci circumstantia certo colligi potest praecise de bonis intelligendum esse; sed pro his manifestior locus est in prima epist. Petri 1., ubi de mysteriis per Apostolos annunciatis dicit: *In quae desiderant angeli prospicere,* id est, quorum mysteriorum cognitione angeli mirifice delectantur, cum desiderio, quo adhuc amplius et plenius ea cognoscere cupiant. Quod sane ad malos angelos, qui ob illa cognita dolent et cruciantur, referri nullo modo potest. Igitur et hunc locum de solis bonis accipi consentaneum est; tametsi generalem commentarium utrosque comprehendentem non omnino rejicimus; non obstante eo quod additur, *in coelestibus,* nam et malos esse in coelestibus, ex ult. cap. hujus epist. manifestum est.

Quaerendum, quomodo multiformis sapientia Dei bonis angelis innotuerit demum tempore Apostolorum, cum dubitari non possit, angelos omnia cognovisse quaecunque de mysterio Christi fuerunt antiquis patribus revelata, et quidem eo tempore quo revelabantur, nam ut docent Dionysius lib. coelestis Hierarchia cap. 4. et 7. et Augustinus l. 7. de civit. cap. 32., non aliter quam per angelos divina mysteria hominibus innotescunt. Unde non consistit eorum opinio, qui simpliciter affirmant, incarnationis Christi mysterium angelos in universum latuisse, donec reipsa compleretur; ut nec eorum, qui dicunt, angelos ignorasse mysterium gloriae gentium, de qua supra, *gentes esse cohaeredes* etc., quae videtur esse sententia Graecorum. At ea facile refellitur ratione jam dicta, quia memorata mysteria Prophetis revelata fuerunt, utique non nisi per angelos.

Alii respondent, angelis superioribus haec mysteria cognita fuisse, quatenus per eos erant hominibus revelanda; inferioribus autem prorsus incognita. Ita sentiunt Haimo scribens in hunc locum, et Petrus Lombardus l. 2. Sent. dist. 11. Sed haec responsio textui repugnare videtur. Non enim dicit Apostolus, ut innotescat angelis et archangelis, sed *principatibus* et *potestatibus,* qui sunt ordines superiores. Quod et a Graecis tractatoribus observatum est: qui quidem Pauli verba sic accipiunt, ut nec superiores angeli mysterium vocationis gentium cognoverint, priusquam inciperet impleri; et hujus suae sententiae auctorem citant Gregorium Nyssenum hom. 8. interpretationis Canticorum; sed hoc jam improbatum est.

Dicendum igitur omnes angelos ab initio, quo beati facti sunt, cognovisse mysterium incarnationis Christi, quoad ejus substantiam: ac deinde progressu temporis accepisse cognitionem multorum mysteriorum ad Christum et Ecclesiam pertinentium (nominatim ejus, quod de gentium vocatione), prout ea per ipsorum ministerium innotescere debebant hominibus. Quod profecto de quibusdam angelis negari non potest, scilicet iis, per quos revelationes fiebant: licet et de caeteris omnibus valde probabile sit. Non enim homines, quamvis Prophetae, mysteriorum scientia superabant angelos.

At vero quoad particulares rationes et circumstantias, multa de mysteriis Christi et Ecclesiae nescierunt angeli tam superiores quam inferiores, donec ea rebus ipsis jam compleri inciperent. Quemadmodum et supra de Prophetis veteris testamenti diximus, multas mysteriorum circumstantias Apostolis postea cognitas eos latuisse. Haec sententia est B. Thomae in hujus loci comment., quam et plenius explicat in summa p. 1. q. 57. art. 5., de qua nos etiam pluribus egimus in 2. Sent. dist. 11. Atque hanc sententiam, antea ab Hieronymo indicatam, plerique posteriores sequuntur.

Restat exponendum, quomodo dicat Apostolus sapientiam Dei angelis innotescere *per Ecclesiam.* Hinc enim opinati sunt quidam, angelos ab hominibus, qui in Ecclesia sunt, id est, ab Apostolis, edoctos fuisse quaedam mysteria, ut hoc pacto Apostoli non tantum hominum, sed etiam angelorum doctores ac magistri fuerint. Sed hoc bene refellit S. Thomas in comment. et p. 1. q. 117. art. 2. Item Cajetanus et alii. Nonnulli illud, *per Ecclesiam,* jungunt sequentibus, hoc sensu, ut multiformis Dei sapientia per Ecclesiam sparsa vel declarata, innotescat principatibus etc. Verum huic constructioni obstat articuli collocatio in Graeco, dicendum enim fuisset: ἡ διὰ τῆς ἐκκλησίας πολυποίκιλος σοφία. Quare non alio quam ad verbum *innotescat,* referri posse videtur particula, *per Ecclesiam:* non ut significetur, Dei sapientiam angelis innotescere per Ecclesiam docentem, sed per ea, quae in Ecclesia geruntur, sive per exsecutionem mysteriorum in Ecclesia.

Tota igitur Apostoli sententia sensum hunc habet: Mihi data est haec gratia praedicandi et manifestandi omnibus dispensationem sacramenti absconditi in

Deo: unde fit, ut etiam principatibus ac potestatibus, caeterisque ordinibus angelicis, quorum habitatio est in locis coelestibus, nota fiat illa multiplex ac varia Dei sapientia quoad arcana mysteria Christi et Ecclesiae per eam disposita: fiat (inquam) nota per Ecclesiam, dum in ea quotidie complentur tot et tanta, tamque multiplicia divinae sapientiae opera, prius in Dei mente recondita. Particulam *ut* consecutive, non causaliter exponimus, Thomam secuti: non enim praedicationis Apostolicae finis est, ut angelis innotescant mysteria, sed hoc bonum inter alia ex illa praedicatione consequitur. Liquet etiam, quo sensu *Dei sapientia*, quae in se una est et simplicissima, vocetur *multiformis*, Graece, multivaria: nimirum propter operum, sive effectuum ejus multiplicem varietatem: in quibus illa relucens quodammodo multiplex et varia apparet.

11. *Secundum praefinitionem, saeculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Graece, *secundum propositum saeculorum:* sicque Hieronymus et Ambrosianus legunt. Sensus est: Innotescere et aperiri mysteria suis temporibus, quibus implentur; idque secundum propositum Dei, quo ab aeterno constituit ac praefinivit in Christo certa saecula seu tempora, quibus illa mysteria exsequeretur. Dicitur autem haec saecula *praefinivisse in Christo*, quia sicut tota salus nostra per Christum est, ita et tota salutis dispositio, quantum ad loca, tempora, modum, ordinem etc. Sciendum est autem, textum, quo Hieronymus utitur, sic habere: *Secundum propositum saeculorum, quam fecit in Christo.* Juxta quam versionem relativum *quam* non potest ad *propositum* referri, genere repugnante, sed vel ad *Ecclesiam*, vel ad *sapientiam* referri debet. Atque hoc posterius eligit Hieronymus: qui existimat significari, quod multiformis sapientia Dei, non illa increata, sed quam Deus fecit, id est, creavit in Christo homine, innotescat angelis.

At aliis plerisque magis placet, ut relativum Graecum referatur ad πρόθεσιν, sensu jam dato: ut potius vertendum fuerit, *secundum propositum saeculorum, quod fecit in Christo.* Noster interpres cum vertit: *Secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit,* ambiguitatem Graecae lectionis consulto retinuit, ut liberam expositori electionem trium sensuum, quos enumerat Hieronymus, relinqueret. Quod si Paulus scripsisset, *quae fecit in Christo,* nempe saecula, quomodo Chrysostomum legisse Theophylactus affirmat, unus et expeditus esset sensus, quo similiter de Christo dictum est ad Hebr. 1. *Per quem fecit et saecula.*

12. *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* Id est, per quem Christum nos fideles habemus audaciam accedendi, seu liberum ac intrepidum accessum (Graece προσαγωγὴν, admissionem) ad Deum, cum fiducia impetrandi, quam fides in nobis parit. Parit autem fides Christi fiduciam impetrandi: quia per fidem cognoscimus Christum nobis a Patre datum ut mediatorem ac propitiatorem nostrum: quae res fiduciam divinae propitiationis in nobis excitat. Ex hoc loco sequitur, fidem et fiduciam non idem esse, quod volunt haeretici: sed hanc ex illa oriri. Nonnulli *fiduciam* priori loco interpretantur libertatem et audaciam praedicandi Evangelii apud quoscunque; nam Graeca dictio παῤῥησία, libertatem loquendi significat, quam interpres modo fiduciam, modo constantiam vertit, ut Act. 4. et hujus epist. ult. cap. Quibus locis sermo est de Evangelio libere atque intrepide praedicando apud homines.

Verum huic loco magis congruit illa loquendi libertas, qua Deum sine trepidatione ac metu servili orantes alloquimur, confisi meritis intercessoris Christi filii ejus; facitque hic sensus ad perstringendos Simonianos, qui per angelos tanquam mediatores purgari nos oportere dicebant, officium, quod soli Christo competit, in illos transferentes, sicut expressius indicatur in epist. ad Col. 2.

Quaeres, cur non in eandem reprehen-

sionem incidant catholici, dum sanctos invocant? Respondeo, catholicos nequaquam aliis sanctis tribuere, quod Christo proprium est: sicut Simoniani faciebant: sed sanctos invocando tantum adhibent eos ut comprecatores, quorum orationes, perinde ut nostrae, non valeant, nisi per Christum, qui solus per seipsum gratus est Deo. Sic Paulus aliorum fidelium pro se orationes passim flagitat, absque injuria Christi mediatoris. Id autem faciendum nobis est, tum ne quis vultu Dei indignus, non cum fiducia, sed cum impudentia accedat, tum ut per orantium multitudinem et merita crescat nobis apud Deum impetrandi per Christum fiducia.

13. *Propter quod peto, ne dificiatis in tribulationibus meis pro vobis.* Cum igitur, inquit, ad tantam dignitatem vocati sitis, ejusque consequendae fiduciam habeatis per Christum: rogo vos, ne animo deficiatis propter afflictiones meas et vincula, quae patior vestri causa, scilicet ut, pro munere mihi delegato, vos gentiles adducam ad participationem tantorum bonorum in Christo. Hieronymus annotat, infinitivum Graecum μὴ ἐκκακεῖν, *non deficere,* posse etiam reddi verbo primae personae, *ne deficiam in tribulationibus meis.* Quod etsi ita sit, et Hieronymus etiam de prima persona exponat: ipsa tamen sententia ac loci contextus, sicut Hieronymus fatetur, secundam personam magis exigit: quomodo et Graeci omnes interpretantur.

Quae est gloria vestra. Id est, quae tribulationes cedunt in gloriam vestram: tantum abest ut vinculorum meorum vos pudere debeat. Afflictiones et vincula Pauli erant gloria eorum, pro quibus patiebatur, quia inde apparebat, quanti Deus eos faceret, qui non modo Filium suum, sed et Apostolos ejus pro salute illorum pateretur affligi. Huc usque hyperbaton. Nunc redit ad absolvendam sententiam, quam initio capitis suspensam reliquerat.

14. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi.* Hujus, inquam, rei gratia, quia scilicet *estis cives sanctorum et domestici Dei* etc. Rursum, *quia cohaeredes estis et concorporales et comparticipes promissionum: ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus, flecto genua mea ad patrem,* id est, humiliter oro *Deum patrem Domini nostri Jesu Christi,* nam genuflexio humilitatem significat orantis. Quid autem oret, paulo post dicet.

15. *Ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur.* Multi codices habent, *coelo,* sed *coelis* germana lectio est, quam et Clementina probat editio. Porro Graeca vox πατριὰ, quam interpres vertit *paternitatem,* significat familiam seu cognationem eorum, qui ab uno patre, ceu principe generis, orti sunt. *Parentelam* quidam dicere malunt. Idipsum autem etiam vocabulo *paternitatis* apud Latinos significari, satis indicat Hieronymus in comm. et libro contra Helvidium. Vulgata versio pro Graeca dictione aliquando familiam, aliquando patriam reponit: ut Psalm. 21. et 95. et alibi: sed eadem semper significatione, quam dixi.

Illud *ex quo,* licet ad Christum referri possit: multo tamen convenientius, quod omnes interpretes faciunt, ad patrem refertur, ut sensus sit: Ex quo patre omnis familia sive angelorum in coelis, sive hominum in terra, quantumcunque ea magna sit ac celebris, existit, et originem accipit: ad quem, ut patrem et caput, omnes familiae, etiam nominatissimae revocandae sunt. Dictum hoc contra scholam Simonis, qui plura principia, velut plures Deos introducebat, ubi vicissim cavendus error Valentini, qui, teste Hieronymo, saeculorum suorum parabolas atque conjugia ex hoc vel maxime loco confirmanda putavit. Non enim *familias in coelis* carnaliter intelligere debemus, ut ex conjugiis ortas: sed metaphorice pro certis ordinibus seu classibus, in quas velut illustres familias angeli pulcherrimo ordine distributi sunt: quorum tamen omnium princeps et pater est Deus. Sequitur nunc, quid oret patrem:

16. *Ut det vobis secundum divitias*

gloriae suae. Id est, secundum immensam largitatem ac bonitatem suam, in qua glorificatur. Nonnulli *gloriam* interpretantur gratiam, parum solide.

Virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine. Veram lectionem arbitror casibus commutatis: *Virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem.* Sic enim habent Clementina Biblia, suffragantibus manuscriptis et Graeco textu, a quo nec Latini Hieronymus et Ambrosianus dissentiunt. Primasius quoque *virtute* legit ablativo casu. Sensus autem est: Oro, det vobis, ut virtute seu fortitudine ab eo accepta corroboremini adversus omnes tentationes, per spiritum ipsius, ad profectum interioris hominis: scilicet ejus, qui dum exterior homo corrumpitur, renovandus est de die in diem, 2 Cor. 4. Est enim interior homo, quemadmodum eo loco declaratum est, mens hominis vel ipse homo, secundum mentem et eas potentias, quae sunt animae rationali propriae.

17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Item oro det vobis, inquit, ut Christus habitet per fidem in cordibus vestris, id est, ut Christus internum hominem vestrum inhabitet, et in eo maneat, ut sitis habitaculum ac templum Christi: idque per fidem, qua in eum creditis, non quod fides sine caeteris virtutibus sufficiat hominem constituere templum Dei: sed quia fides fundamentum est caeterarum, et professionem habet totius justitiae. Per fidem ergo sic demum Christus in nobis habitat, si fundamento structura, et professioni opera respondeant: hoc autem praestat charitas, de qua sequitur:

In charitate radicati et fundati. Ut oratio constet, supplendum aliquid, hoc aut simili modo: *Ut sitis in charitate radicati et fundati,* id est: Det etiam vobis, ut in charitate sitis bene firmati, ut charitas vestra firma sit et constans. Quae firmitas radicationis et fundationis nomine per tropum significatur. Theophylactus hanc partem cum ea, qua proxime antecedit, ita connectit, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: quod assequemini, si in charitate radicati sitis et fundati. Alii per hyperbaton particulam *ut,* quae continuo sequitur, huc transferunt: *ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere* etc. Sic Cajetanus, eandemque constructionem, post alias, adfert Oecumenius. Quin et ipsum textum Apostoli legit ad hunc modum Ambrosianus. Sed quod primum posui, simplicius est ac probabilius.

18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis.* Hoc inquit, etiam oro, det vobis, ut possitis, sive quod Graeca vox sonat, valeatis animo comprehendere et assequi, maxime quoad affectum, id est, serio perpendere, ac digne aestimare cum caeteris omnibus fidelibus, seu Christianis, hos enim ubique sanctos vocat:

Quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum. Duo postrema commutant ordinem in Graeco, nec non apud Hieronymum: *Et profunditas et altitudo.* Videtur autem Apostolus his verbis significare mysteriorum Christi magnitudinem sub typo quodam quatuor extensionum corporalium ac sensibilium. Quas easdem, sed contrario ordine enumeratas, Deo tributas legimus Job. 11. his verbis: *Excelsior coelo est, profundior inferno, longior terra, latior mari;* quod est uno verbo dicere: immensus est et infinitus; ad quem locum S. Thomas arbitratur Apostolum hic allusisse. Breviter ergo sensus hic reddi potest: Ut possitis comprehendere, quae sit et quanta ejus mysterii, quod vobis praedicavi, magnitudo, dignitas, majestas. Atque ita fere Graeci commentatores.

Caeterum existimandum est, Apostolum, sicut alibi mysterium baptismi, mortis, sepulturae, ac resurrectionis Christi tractat allegorice, ut Rom. 6. Col. 2. et 3., ita hoc loco innuere voluisse quandam allegoriam fundatam in figura crucis dominicae: cujus longitudo consideratur in ligno erecto a terra sursum usque ad lignum transversum, latitudo in ipso ligno transverso, sublimitas, sive altitudo in ea parte, quae ligno transverso supereminet,

et cui affixa erat tabella causam crucifixionis Domini indicans: profundum denique in ea parte ligni, quae infixa terrae videri non poterat.

Porro juxta mysterium longitudo temporum est, latitudo locorum, altitudo gloriae, profunditas discretionis. Comprehendit ergo *longitudinem* crucis, qui didicit ab initio mundi usque ad finem neminem justificari aut salvari nisi per crucem et passionem Christi. Comprehendit ejus *latitudinem*, qui cogitat Ecclesiam toto orbe diffusam processisse ex latere Christi in cruce mortui; velut Evam aedificatam ex latere viri dormientis. Comprehendit ejus *altitudinem*, qui secum reputat, quanta sit coelestis gloriae sublimitas et excellentia, ad quam nos provehit humilitas crucis Christi. Denique comprehendit ejus *profundum*, qui considerans arcanum divinae electionis ac discretionis hominum e massa communi, et signum Tau paucorum frontibus inscriptum, cum Apostolo exclamat: *O profunditas divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!*

Hanc crucis allegoriam paulo aliter explicat Augustinus in epist. 112. de videndo Deo cap. 14. *Ego*, inquit, *haec verba Apostoli sic intelligere soleo: in latitudine, bona opera charitatis: in longitudine, perseverantiam in bonis usque in finem: in altitudine, spem coelestium praemiorum: in profundo, inscrutabilia judicia Dei, unde ista gratia in homines venit: et hunc intellectum coaptare etiam sacramento crucis* etc., quae latius ibi prosequitur, ac similia tradit epist. 120. cap. 26. et 36. De doct. Christian. lib. 2. cap. 41. et supra Joan. tract. 118. Augustini interpretationem sequuntur Anselmus et Thomas in comment., licet tam apud hos auctores, quam apud Hieronymum Oecumenium Cajetanum et alios aliis adhuc modis non improbandis hujus loci mysterium explicatum inveniatur.

19. *Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi.* *Scientiae* genitivus est in Graeco; unde alii tollendae causa ambiguitatis vertere malunt cognitionis. Nihil tamen obstat, quo minus vocabulum genitivi casus in Graeco per dativum reddatur in Latino, servata nimirum utriusque linguae proprietate: quomodo genitivus per dativum redditur Jacob. 2. *Superexultat misericordia judicio,* secundum citationem veterum. Hoc modo sensus est: Et ut possitis *scire*, id est, animo complecti, ac pro dignitate aestimare *charitatem Christi,* qua nos dilexit; eamque *supereminentem scientiae*, id est, excedentem notitiam nostram ac majorem, quam ut penitus a nobis intelligi possit. Ita paulo inferius dicitur, *Deum posse omnia facere supra quam intelligimus.* Et Phil. 4. *Pax Christi, quae exsuperat omnem sensum.* Haec Graecorum expositio est, eademque facilis et perspicua, ut non sit opus aliorum duriores ac minus probabiles interpretationes huc adferre.

Videri autem potest Apostolus respicere ad Gnosticos, qui hoc superbo nomine sese nuncupaverunt a scientia, quam sibi peculiariter vendicabant. Utitur enim vocabulo γνώσεως, unde γνωστικοὶ. Atqui longe majus est scire charitatem Christi: utpote quae universam Gnosticorum, omniumque Philosophorum scientiam excedit: quia mysterium charitatis Christi, qua semetipsum pro nobis tradidit, in cor hominis cujusquam non ascendit: sicut in genere de hujusmodi mysteriis sapientiae Christianae testatur Apostolus 1 Cor. 2.

Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Cohaeret cum proxime dictis. Refertur autem ad omnia simul sumpta, quae jam dixit se pro Ephesiis Deum orare; per illa enim fiet, ut impleantur etc. Sensus est: Ut omnium donorum Dei perfectione repleamini: ut omnibus Dei donis abundetis. Hoc accipiendum juxta modum et profectum hujus vitae: quomodo dicit ad Cor. 1. Epist. 1. *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil*

vobis desit in ulla gratia. Nam et initio hujus Epistolae dixit: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.*

20. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus.* Concludit superiorem sermonem hac coronide glorificationis Dei. In Graeco est: *Super omnia facere superabundanter.* Similiter Hieronymus, nisi quod comparative legat, *abundantius,* quomodo et Graeca verti possunt. Sensus est: Ei, qui potens est, superabundanter et cumulate facere ultra omnia, quae petimus aut mente concipimus.

Secundum virtutem, quae operatur in nobis. Graece, *secundum potentiam operatam in nobis,* id est, quam Deus operatur in nobis. Itaque *operatur* in nostra versione passivum est. Refertur autem haec pars ad verbum *facere:* et significatur virtus seu potentia, quae in nobis est effectus potentiae divinae, et per quam ipsi etiam agimus.

21. *Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.* Explet sententiam: *Ei, qui potens est* etc. Ipsi, inquam, sit gloria in Ecclesia, id est, ipsum glorificet universa Ecclesia tantis beneficiis ab eo affecta; idque per Christum Jesum, et in omnes aetates omnium saeculorum usque in aeternum. Conjunctio *et,* licet in Graecis non addatur, Latini tamen veteres eam legunt: quanquam ad sensum non est necessaria.

CAPUT QUARTUM.

Obsecro itaque vos ego vinctus[1]) in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2. cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, 3. soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. 4. Unum corpus[2]), et unus spiritus[3]), sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 6. Unus Deus et Pater omnium[4]), qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. 7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi[5]). 8. Propter quod dicit[6]): Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? 10. Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia[7]). 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores[8]), 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerii[9]), in aedificationem corporis Christi[10]): 13. donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum[11]), in mensuram aetatis plenitudinis Christi[12]): 14. ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem

---

1) Act. 28, 16. 21, 27. 28. 33. 2) Rom. 12, 4, 5. 3) 1 Cor. 12, 12.—27. 4) Cap. 3, 14. 5) 1 Cor. 12, 11. 6) Psalm. 67, 19. 7) Cap. 1, 19. 20. 8) Act. 11, 27. 1 Cor. 12, 28. 9) 1 Cor. 14, 3.—5. 10) Cap. 2, 20.—22. 1 Petr. 2, 5. 11) 1 Cor. 14, 20. 12) Phil. 2, 5.

erroris. 15. Veritatem [1]) autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: 16. ex quo totum corpus compactum [2]), et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. 17. Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum [3]), alienati a vita Dei [4]) per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, 19. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam [5]). 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu; 22. deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris [6]). 23. Renovamini autem spiritu mentis vestrae [7]), 24. et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. 26. Irascimini, et nolite peccare [8]): sol non occidat super iracundiam vestram. 27. Nolite locum dare diabolo [9]): 28. qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti [10]). 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat [11]): sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus [12]). 30. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei [13]): in quo signati estis [14]) in diem redemptionis. 31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia [15]). 32. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis [16]).

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Hortatur Ephesios ad unitatem spiritus in vinculo pacis. Ostendit, varia esse dona Spiritus sancti collata ad aedificationem Ecclesiae. Monet, ut relictis gentilitatis vitiis, induant novum hominem et deponant mendacium, iram, furtum, aliaque peccata.

1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino.* Ab hoc loco usque ad finem Epistolae doctrina moralis est, ita tamen, ut hoc capite paulo post initium, ex occasione, quaedam valde utilia interponantur de unitate fidelium, deque donis a Christo in Ecclesiae membra ad ejus utilitatem distributis. Graecum verbum, quod

---

[1]) Joan. 18, 37. [2]) 1 Cor. 12, 12. 15.—27. [3]) Rom. 1, 21. [4]) Cap. 2, 1. Rom 8, 13. [5]) Rom. 1, 24. seq. [6]) Rom. 12, 2. Col. 3. 9. [7]) Joann. 3, 3. 5. 6. [8]) Psalm. 4, 5. [9]) Rom. 14, 16. 1 Petr. 2, 12. [10]) Luc. 19, 8. 9. [11]) Matth. 12, 36. [12]) Col. 4, 6. Psalm. 44. 9. [13]) Jes. 63, 10. [14]) Cap. 1, 14. [15]) Col. 3, 8. [16]) 1 Joann. 4, 10. 11.

interpres vertit, *obsecro,* significat etiam hortari. Utraque significatio convenit huic loco. Quod ait, *in Domino,* referri potest ad verbum, *obsecro,* sive *exhortor,* hoc sensu: Obsecro vos per Dominum Christum, sicut dicit ad Rom. 15. Sic enim alibi accipitur *obsecrare in Domino,* ut 1 Thess. 4. et 2. Thess. 3. Verum magis apparet, referendum esse ad proximum nomen, *vinctus;* ut eo sensu vocet se Paulus *vinctum in Domino,* quo superiori capite et in aliis Epistolis vocat se *vinctum Jesu Christi,* id est, captivum et vinculis constrictum propter Evangelium Christi Domini, quod praedicabat. Meminit autem vinculorum suorum ad excitandum affectum, quo sit efficacior exhortatio.

Ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Verti etiam potest, *ad quam vocati estis.* Sensus: Ut vitam et actiones vestras instituatis, ita ut dignum est vestra vocatione. Quasi dicat: Cum tanta sit excellentia vocationis vestrae, quanta declarata est in praecedentibus: ideo cum obsecratione vos exhortor, ut mores et studia vocationi vestrae conformetis, id est, ut sancta sit et impolluta conversatio vestra. Id enim explicat post medium capitis. Hic interim subjungit, quid conjunctum esse velit sanctae conversationi, qua quis sic, ut vocatione sua dignum est, ambulat. Estque locus hic similis aliis, in quibus spirituales ac firmiores admonet, ut infirmos sustineant, ut Rom. 14. et 15. et Gal. 6.

2. *Cum omni humilitate et mansuetudine.* Sensus plenior, si suppleas: *Idque cum omni,* id est, multa *humilitate et mansuetudine,* qua nimirum erga proximos humiliter et mansuete se gerat homo spiritualis: humiliter quidem, ut propriae vilitatis ac fragilitatis sibi conscius nemini se anteponat ac neminem judicet; mansuete vero, ne facile aliorum infirmitatibus offendatur et ad indignationem provocetur. Est enim mansuetudo iracundiae contraria, sicut humilitas superbiae. Nam humilitatem hoc loco virtutis esse vocabulum, non conditionis, ex Graeco perspicuum est.

Cum patientia supportantes invicem in charitate. Graece, *cum longanimitate sustinentes* etc. Id est, cum lenitate animi, si quid in aliorum moribus asperum aut vitiosum est, tolerantes per charitatem. Nam aliorum infirma tolerare ac dissimulare, proprie ad virtutem μακροθυμίας pertinet: charitas autem, qua proximum diligimus, imperat actus hujusmodi: juxta illud, quod in laudibus charitatis primum ponitur 1 Cor. 13. *Charitas patiens est,* Graece, *longanimis est:* ut hoc loco.

3. *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Soliciti,* Graece, *studentes:* et ita legit August. lib. 2. contra literas Petil. cap. 78., cum ejusdem lib. cap. 69. legisset *solicite agentes.* Ambrosianus vero, pro quo interpres noster vertit *soliciti servare,* eodem servato sensu, legit *solicite servantes.* Sensus enim est: Studiose ac solicite operam dantes, ut *servetis unitatem spiritus,* id est, animorum inter vos conjunctionem, *in vinculo,* seu Graece colligatione, *pacis,* id est, pace velut vinculo quodam animos vestros in unum colligante. Pax enim, justitiae filia, quae ab Augustino definitur, tranquillitas modi, speciei et ordinis, unitatem et concordiam animorum parit. Vide S. August. de civit. lib. 19. cap. 13. *Spiritum* intelligimus humanum, id est, animos hominum inter se consentientium, secuti commentarium S. Thomae et Ambrosiani; non autem, ut Graeci, Spiritum sanctum: quia quod mox sequitur: *Unus spiritus,* de spiritu humano convenientius accipi putamus. Hieronymus utrumque proponit intellectum: sed ita ut de humano spiritu probabiliorem faciat, ex aliarum Scripturarum collatione.

4. *Unum corpus et unus spiritus.* Subauditur a communi sensu, *existentes:* vel *ut sitis* unum corpus et unus spiritus. Vel hoc modo: *ut cum sitis unum corpus, sitis etiam unus spiritus.* Erant Ephesii fideles unum corpus propter ex-

ternam, visibilem et ordinatam conjunctionem, quam in Ecclesia sua habebant, tanquam membra in corpore. Sic Rom. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Vult autem, ut perinde sint *unus spiritus:* id est, animo ac spiritu inter se consentientes, tanquam essent unus spiritus. Loquitur enim de unitate Ecclesiae, tanquam unius hominis, constantis corpore et spiritu: rogatque, ut sicut unum corpus Ecclesiae constituebant externa professione, sic et animis conjuncti sint et uniti. Sic ergo vult Ephesios esse unum spiritum, quomodo dixit 1 Cor. 6. *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* Et quomodo de primis fidelibus scriptum est Act. 4., quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una.*

Sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Quidam Manuscripti codices interposita conjunctione legunt: *Sicut et vocati estis.* Quae quidem Graecorum lectio est, et ipsius Hieronymi. Subtilius autem observandum est, Apostolum ad unitatem spiritus servandam Ephesios hortari, a septemplici unitate, quae illis jam aderat. Primo, quia erant unam corpus, ut jam dictum est. Secundo, ab una spe vocationis, ut hic dicitur. Tertio, quia unus erat omnium Dominus. Quarto, quia una fides. Quinto, quia unum baptisma. Sexto, quia unus omnium Deus. Septimo, quia unus omnium pater. Quod ergo hic dicit, tale est: Hortor vos, ut sitis unus spiritus: sicut et ad unam spem gloriae coelestis vocati estis. Quasi dicat: Merito exigitur a vobis unitas spiritus, qui ad eundem finem aeternae felicitatis sperando tenditis. *Spes* enim pro re promissa ac sperata consueto more Scripturae ponitur.

5. *Unus Dominus.* Christum hominem intelligit: qui unus ac solus jure redemptionis Dominus noster est. Ideoque hoc nomine passim eum Paulus vocitat. De quo etiam 1 Cor. 8. dixit: *Unus Dominus Jesus Christus.* Petrus quoque sic de eo loquitur Act. 2. *Certissime sciat omnis domus Israël, quia Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Quod de Christo secundum assumptam naturam certum est intelligi. Jam si unus omnium fidelium Dominus, a quo redempti sunt: justum est, ut in unitate spiritus illi serviant.

Una fides. Scilicet objecti ratione, quatenus unum et idem omnes credunt. Atque hoc modo unam esse fidem non modo Christianorum inter se, verum etiam antiquorum, qui Christum venturum exspectabant, et nostram, qui cum venisse credimus; recte tradunt Theologi cum Magistro Sent. lib. 3. dist. 23. Quod si una est omnium fides; debet et unus esse spiritus. Turpe est enim, eadem credentes animis et studiis esse divisos.

Unum baptisma. Argumentum est ab unitate sacramentorum, velut signorum quorundam visibilium, quibus inter se fideles in unam religionem colligantur; inter quae primum est baptisma. Sic alibi ab unitate sacramenti eucharistiae, quod inter sacramenta sanctissimum est, argumentatur, cum ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus,* 1 Cor. 10. Cyprianus et post eum Donatistae sic locum hunc acceperunt, quasi significetur in sola Ecclesia verum baptisma conferri; et proinde, quod ab haereticis extra Ecclesiam confertur, verum baptisma non esse. Contra catholici quidam hinc statui putant, baptismi sacramentum sic esse unum, ut a quocunque et ubicunque collatum fuerit, repeti non debeat.

Verum sicut Donatistae perperam ex hac scriptura petiverunt erroris sui patrocinium; non enim aliud baptisma confert haereticus, formam Ecclesiae servans, aliud catholicus, sed uterque unum et idem baptisma Christi: sic quod catholici tradunt de baptismo non repetendo, licet verissimum sit, non tamen in hoc Apostoli loco fundatum videtur. Sicut enim unum baptisma dicit, sic et unam fidem; quae tamen et amitti potest, et amissa recuperari. Sic quoque de eucharistia loquens, *unum panem* dixit; quem tamen iidem fideles frequenter accipiunt.

Unum igitur baptisma est ex mente Apostoli, quia sicut eadem credunt omnes fideles, ita et iisdem utuntur sacramentis, velut externis fidei symbolis, et ut S. Thomas loquitur, Ecclesiae insignibus; ac nominatim baptismate, quod propria ac peculiari ratione fidei sacramentum a patribus appellatur. Hanc baptismatis unitatem significavit 1 Cor. 1. dicens: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* quasi dicat, minime: cum Ecclesia praeter unum baptisma Christi, quod omnibus Christianis commune est, nullum aliud agnoscat. Unde August. lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 27. unum baptisma interpretatur, quia baptisma Christi est, non hominis. Nam si hominis esset baptisma, tot essent baptismata, quot sunt baptizantes.

6. *Unus Deus et pater omnium.* Scilicet vestrum. Haec pars dupliciter suadet Ephesiis et omnibus fidelibus servandam unitatem spiritus: et quia unus est omnium Deus; et quia unus est omnium pater. Idem Deus exigit cultores unanimes: idem pater, filios fraterno amore conjunctos. Utitur hac duplici ratione etiam propheta Malachias apud Judaeos, cum ait cap. 2. *Nunquid non pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

Qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Graece in multis codicibus *vobis*. Hieronymus tantum *in omnibus* legit, non addito pronomine. Commentarius Ambrosiani nostrae lectioni subscribit, ut et Graeca Complut. cum quibusdam aliis. *Omnes* et *omnia* genitivi sunt in Graeco, *πάντων*, communes masculino et neutro generi. Hinc quatuor emergunt diversae Latinae versiones. Prima, quae nostri est interpretis, *super omnes, et per omnia.* Secunda, *super omnia et per omnes:* quomodo legit et exponit Ambrosianus. Tertia, *super omnes et per omnes:* quae lectio apud Hieronymum est, atque a Fabro et Cajetano probatur. Quarta, *super omnia et per omnia;* quomodo vertit Erasmus.

Quam vero lectionem ex his omnibus poscant Graecorum commentarii, non potest ex iis certo colligi; tametsi satis appareat, eos stare pro tertia; maxime quod illud extremum, *et in omnibus vobis,* masculinum genus secum adferat, a quo priora membra genere discrepare, non est a quoquam illorum annotatum. Nec sane quadrabat, aliud genus in prioribus intelligi, quam in postremo; quum sit sermo continuus. Quin et circumstantia loci masculinum genus expetere videtur, idque relatum ad ipsos Ephesios; tanquam eis diceret: *Unus Deus et pater est omnium vestrum, qui est super omnes vos et per omnes vos, et in omnibus vobis.* Quod ita brevissime Theodoretus exponit, *super omnes,* dominio; *per omnes,* providentia; *in omnibus,* justificatione.

Caeterae tres lectiones generaliorem exigunt commentarium; quo nimirum *omnes* personarum, et *omnia* rerum universitatem comprehendat. Ubi denique notandum cum Hieronymo et Aquinate, tres praepositiones, quibus hic utitur Apostolus, sigillatim ad tres in Deo personas, per appropriationem, referri posse: ut *super omnes,* vel *super omnia,* Patri congruat, qui est auctor omnium, et, ut S. Thomas loquitur, fontale principium divinitatis; *per omnes* vel *per omnia,* Filio, per quem omnia facta sunt, quique est *sapientia attingens a fine usque ad finem fortiter,* Sap. 8.; *in omnibus* autem, Spiritui sancto, cujus habitaculum ac templum sunt fideles, quique replevit orbem terrarum, Sap. 1.

7. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Hoc quoque pertinet ad commendandam unitatem spiritus inter fideles. Unicuique nostrum, inquit, gratiam aliquam habenti, data est ea gratia a Deo, non pro ratione dignitatis aut meritorum cujusque, sed prout Christo placuit unicuique liberaliter elargiri. Non est igitur, ut quis insolescat adversus alterum, quod plus aliquid habeat: totum enim quod habet, donum est, non pro meritis datum, sed secundum mensuram,

quam ei gratuito admensus est donator Christus. Sermo est de gratia, quam Theologi vocant gratis datam; ut patet ex consequentibus.

8. *Propter quod dicit.* Id est, ad significandam gratuitam hanc donationem Christi, dicit Propheta David Psalm. 67. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Graecum participium ἀναβὰς tempus praeteritum significat, ideoque videri posset Latine reddendum hoc aut simili modo: cum ascendisset in altum. Quodque sequitur, *captivam duxit captivitatem,* Graece est, *captivavit captivitatem;* quomodo legit August. serm. 43. de verbis Domini. Porro captivare captivitatem Hebraea phrasis est, pro eo, quod Latine dicitur, capere, seu ducere captivos. Sic enim Hieronymus vertit Deut. 21. et alibi. Quod autem in tertia persona citat Apostolus, apud Psalmistam in secunda dicitur: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Qua in re nulla discrepantia est, cum sit alterum ex altero consequens.

Jam quod ad intelligentiam versiculi attinet, qui literalem sensum Psalmorum curiosius scrutantur, volunt, totum Psalmum esse epinicion quoddam pro victoria de Syris habita, qua multi ex illis captivi ducti fuerint a populo David; quae victoria describitur 2 Reg. 8. Alii ad alias referunt victorias veteris populi. Quamvis autem hujusmodi sensus non sit contemnendus: dubitare tamen non debemus, quin verus sensus versiculi ab Apostolo citati sit ille, quem Spiritus sanctus hoc loco per Apostolum ostendit; sive literalis sit, sive mysticus.

Quidam sic exponunt: postquam ascendit Christus in altum, id est, postquam elevatus est in crucem, captivos cepit, ac sibi proprios fecit omnes, quos redemit. Juxta illud, quod de se Dominus ait: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* Joan. 12. *Hoc autem dicebat,* inquit Evangelista, *significans, qua morte esset moriturus.* Sed hunc sensum, etsi pium, non esse praesentis loci, manifestum est, cum ex eo, quod Apostolus dicit, Christum, priusquam ascenderet in altum, descendisse in inferiores partes terrae: tum quia diserte versiculum interpretatur de ea ascensione, qua Dominus ascendit supra omnes coelos.

Alii proinde sensum hunc reddunt: Christus cum ascenderet in coelum, una secum adduxit et in coelum subvexit inferni spolia, id est, animas justorum, quae prius apud inferos velut captivae tenebantur.

Rursus alii per *captivitatem* intelligunt Satanam, et mala per eum invecta, peccatum, mortem, maledictionem. Haec enim Theophylactus, captivitatem exponens, enumerat. Neque his commentariis obstat ordo temporis, quem inter ascensionem et captivitatem statuat Apostolus, qui Graece scripsit. Nam non necessario ita reddas Graeca: *Postquam ascendit in altum, captivam duxit captivitatem,* scilicet, ut prius sit ascendisse, quam captivos ducere: sed participium ἀναβὰς potest reddi per praeteritum imperfectum. Qui sensus probe consistit: quoniam justorum animae simul cum Christo ascendente subvectae sunt in coelum. Satanas autem captus est et alligatus non proprie per ascensionem Christi, sed per crucem, quae praecesserat: ideoque horum commentariorum posterior non recte habet.

Alii mentem Apostoli sic explicant: Christus postquam gloriosus in altitudinem coelorum ascendit, multos homines ex omni gente cepit captivos: idque per Apostolos suos, *quos fecit hominum piscatores,* et quorum principi dixerat: *Ex hoc jam eris homines capiens,* Luc. 5., captivos, inquam, cepit, felici captivitate: quando tyrannide diaboli liberatos sic illos sibi subjecit ac in potestatem redegit, ut non modo sancta libertate per charitatem ipsi servirent, sed et filios ac fratres suos eos faceret, atque in spem haereditatis assumeret. Hunc sensum suggerunt Thomas in comment. et Jansenius in mystica paraphrasi Psalm. 67.

Dedit dona hominibus. In Psalmo tam secundum veritatem Hebraicam, quam juxta versionem LXX. legitur, *ac-*

cepisti dona in hominibus. Quaeritur ergo, quomodo citatio Paulina congruat cum eo, quod in Psalmo scriptum est, cum accipere et dare non modo diversa sint, sed etiam oppositionem habeant inter se. Respondet August. Psalmi versiculum enarrans, Apostolum secundum hoc locutum esse, quod Deus filius cum patre fecit, mittens hominibus Spiritum sanctum, qui spiritus est Patris et Filii: Psalmistam vero secundum illud, quod idem Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, intelligitur: sic enim et ipsum in hominibus, tanquam membris suis, dona accepisse. Verum sensus hic in litera fundamentum non videtur habere.

Aliis itaque magis placet Hieronymi responsio, dicentis, quod in Psalmo Christus dicitur accepisse, non dedisse, quia nondum factum hoc erat, sed futurum promittebatur. Hic autem dedisse dicitur, quia jam per omnes Ecclesias toto orbe fundatas dona sua distribuerat. Videtur Hieronymus, ut breviter dicam, hunc sensum indicare: Accepit dona danda seu distribuenda hominibus, quasi dicat: accepit dona in homines: sicut dicimus, ducem accepisse stipendia in milites, utique distribuenda. Certe Petrus utrumque explicat Act. 2., quum de Christo, ferme in eandem cum Paulo sententiam, ita loquitur: *Dextera Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis.* Ubi *promissionem Spiritus sancti* ipsum Spiritum sanctum promissum intelligit, hoc est, ejus dona, quae Christus a Patre accepta effudit in homines.

Confirmant hanc expositionem alia Scripturae loca, in quibus accipere videtur idem valere, quod dare, dum videlicet accipitur quippiam, ut detur, velut Exod. 25. *Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias,* Hebr. *accipiant:* id est, dent; et 3 Reg. 17. *Da mihi paululum aquae,* Hebr. *cape.* Christus igitur accepit dona in hominibus, non tam quod dona, de quibus hoc loco, susceperit in seipso, quamvis alioqui plenus omni gratia: quam quod potestatem elargiendi dona in homines acceperit. Accepit autem, non solum a Deo, ut homo: verum etiam a Patre, ut filius.

Est et alia responsio, quam late explicat Jansenius in annot. Psalmi Davidici, ut ideo dicatur Apostolus mutasse verbum *accepisse* in *dedisse,* quod significare voluerit, Deum non accipere dona in hominibus, nisi sua prius illis det: imo non aliud accipere, quam hoc ipsum, quod dat: ut proinde Deum accipere, non sit diversum existimandum ab eo, quod est, Deum dare. Sensus hic pius et catholicus est: sed is, quem secundo loco adduximus, magis mihi videtur germanus. Tropus sermonis mutuatus videtur a principibus, qui dum regno inaugurantur, pro laetis auspiciis pecuniam spargunt in populum.

9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?* Philosophatur Apostolus in verbo *ascendit.* Graece enim est: τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν. *Illud autem ascendit, quid est* etc. Porro quas dicat inferiores partes terrae, discrepant interpretes. Alii terram ipsam intelligunt, ad quam descendit Christus per incarnationem: ut sensus sit, Christum e coelo descendisse in infimam mundi partem, quae est terra. Sensum hunc S. Thomas non rejicit, Cajetanus etiam amplectitur, et cum eo Catharinus et Arias. Pro his facere videtur consequentia, quam Apostolus indicat, hujusmodi: Christus ascendit in coelum, ergo prius descendit in inferiores partes terrae. Quae consequentia promptior est, si terram absolute intelligas, quam si quid aliud: nam ascensio Christi e terra in coelum intelligitur. Alii de sepulchro exponunt, juxta illud, quod Dominus de se dicit Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus,* id est, in sepulchro, secundum probabilem expositionem.

Porro Hieronymus, Ambrosianus, et plerique alii tam Graeci quam Latini, infernum intelligunt, ad quem Christus se-

cundum animam descendit, ut sanctorum animas, inquit Hieronymus, quae ibi tenebantur inclusae, secum ad coelos victor abduceret. Qui sensus, etsi non certus, probabilitatem tamen prae caeteris habet. Primum ex ipsa phrasi, qua utitur Apostolus: nam *inferiores partes,* id est, infima *terrae,* nihil aptius quam quod nos infernum dicimus, significant: ut in Psalm. 62. *introibunt in inferiora terrae.* Deinde, quia descensus Christi ad inferos paulo ante praecesserat ipsius in coelos ascensionem: tum ex loco Ecclesiastici 24., ubi sapientia divina sic loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quae verba descensionis Christi ad inferos continent illustrem Prophetiam. Denique ex eo, quod hic sequitur, *ut impleret omnia,* de cujus intellectu paulo post agemus.

Hoc igitur est, quod dicit Apostolus: Illud, quod de Christo dictum est, *ascendit,* quid aliud nobis insinuat, ac tacite intelligendum relinquit, quam quod idem ipse prius descendit in terram usque ad infimas ejus partes? Sed notandum, sequelam argumenti ab Apostolo indicati pertinere tantum ad descensum Christi in terram; neque enim Christus in coelum ascendere potuisset elevatione humanae naturae, quam de terra acceperat; nisi prius, assumptione humanae naturae, in terram descenderet. Quae quidem consequentia supponit in Christo naturam divinam, qua cum Patre etiam ante incarnationem in coelis erat.

Caeterum Apostolus dicere voluit *inferiores partes terrae,* ad majorem expressionem humilitatis Christi, qua non contentus e coelo in terram descendisse, etiam infima terrae loco, consolandi suos causa subire voluit: simul ut plenius ostenderet id, quod statim subjungit, Christum implesse omnia. Utrum autem usque ad inferos damnatorum penetraverit, idque ex Scriptura probari possit; pendet ex vero sensu verborum Petri 1 epist. 3. et 4., ubi dicit *Christum etiam mortuis, qui in carcere erant, Evangelium praedicasse.* Quod quidem arbitramur de iis, qui poenis purgatoriis tenebantur, potius esse intelligendum; ut proinde ad purgatorii locum, non autem usque ad infernum gehennae, Christi descensum extendere nos oporteat.

10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos.* Utrumque verbum praeteriti temporis est, sicut et in parte praecedenti: quod ex Graeco liquet. Significat autem hic meritum humilitatis Christi; quasi dicat: Qui tam profunde descendit, ut non potuerit profundius (neque enim decebat, aut ad oeconomiam assumptae carnis pertinebat, ut ad infernum damnatorum descenderet), idem ipse, merito tantae humilitatis ac demissionis sui, quam utique in voluntate sua habuit, antequam daret effectui, tam alte ascendit, ut non potuerit altius: ascendit enim super omnes coelos. Locus notandus contra Calvinum, qui negat, Christum quicquam sibi meruisse. Nec minus contra veteres haereticos Ebionem et Photinum, qui negabant, Christum ante Mariam fuisse. Itemque contra eos, qui duos filios (ut ait Hieronymus Nestorianos quasi digito praemonstrans) insano errore confingunt, filium videlicet Dei, et filium hominis: cum hic apertissime dicatur, quod idem ipse sit ascendens atque descendens. Haec eadem a Graecis commentatoribus contra utramque haeresim pari diligentia sunt annotata.

Restat explicandum, quo sensu dicatur *Christus ascendisse super omnes coelos.* Et quidem recte post Hieronymum docet Thomas, non solum significari, quod ascenderit super omnes coelos corporales, sed etiam super omnem creaturam spiritualem: secundum id, quod supra cap. 1. legitur a Patre constitutus *supra omnem principatum et potestatem* etc. Sicut enim dignitate, sic et loco superior est omnibus Christus homo. Verum idem Thomas 3. q. 57. art. 4. sic intelligit Christum ascendisse super omnes coelos corporeos, ut nulla pars coeli sit eo superior, sed extra totam continentiam coe-

lestium corporum corpus Christi locatum sit.

Hanc Thomae sententiam defendunt ejus commentatores, Cajetanus et Medina. Rursumque Cajetanus in hunc locum scribens, quamvis (inquit) supra omnes coelos non sit vacuum neque plenum: est tamen ibi Christus homo, qui non eget vacuo aut pleno continente. Proferunt autem praeter locum praesentem etiam alias Scripturas, Hebr. 4. *Qui penetravit coelos*, et 7.: *Excelsior coelis factus.* Et in Psalmis: *Elevata est magnificentia tua super coelos.* Item: *Psallite Domino, qui ascendit super coelum coeli ad Orientem.* Quas voces Ecclesia in divino officio refert ad Christum. Cui etiam canit in haec verba: *Qui triumphator hodie super omnes coelos ascendisti.*

Sed profecto, tam recepta est apud omnes fideles, omniumque animis impressa sententia, Christum corporaliter esse in coelo, non autem extra aut supra coelum: ut periclitetur explodi, qui contrarium dixerit. Didicerunt enim ex symbolo fidei Christum ascendisse in coelum: nec aliud interrogati de Christo, ubi nunc sit secundum corpus, respondebunt, quam eum in coelo esse, et in altari. Unde et Christi ascensionem in coelum, non supra coelum, celebrat Ecclesia: et de eo canit ex Psalmis: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes ejus, Dominus in coelo paravit sedem suam.* Et ut de novo testamento Scripturas proferam, Marci ult. et Act. 1. legitur assumptus in coelum. Et Petrus de eo Act. 3. *Quem oportet coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Et Paulus Phil. 3. *Nostra conversatio in coelis est, unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Et Hebr. 8. *Qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis.*

De eodem sic Augustinus sub finem Epist. 57. ad Dard., Christum, inquit, et ubique totum praesentem esse ne dubites, tanquam Deum; et in loco aliquo coeli, propter veri corporis modum. Et lib. de fide et symbolo cap. 6. Christum in coelo esse credendum est. Et serm. 43. de verbis Domini, Christum in altum, id est, in coelum, ascendisse dicit, quia nihil altius coelo. Gregorii quoque verba sunt hom. 9. super Evang. Caro nostra per redemptorem nostrum in coelo collocata est.

His accedunt rationes. Nam extra coelum esse, nullius est dignitatis, et, si supra extimum coelum esset Christus, esset extra regnum suum. Non enim regnat extra coelos. Atqui plane condecet, ut rex in regno suo resideat. Item quamvis Christus descenderit in inferiores partes terrae: non tamen usque ad centrum mundi descendit. Sicut ergo descendit usque ad eum locum inferiorem, ad quem descendere eum conveniebat: ita ascendit usque ad supremum locum corpori ejus glorioso congruentem: qui non extra universum corporeum, sed in aliqua ejus parte ponendus est. Sic enim institutum est hoc universum a Deo, ut extra ipsum nihil esset. Ac sane desinet esse universum, si extra ipsum Christus homo vel quippiam aliud ponatur. Quod, puto, considerans Hieronymus in comment. sententiam, quae facit Christum omnes coelorum sphaeras transcendisse, atque in summo coeli fornice, quam nostri circumferentiam vocant, constitisse, proponit quidem, sed non probat. Eandem Liranus simpliciter improbat ac rejicit. Quin ipse Thomas scribens in 3. distinct. 22. quaest. 3. art. 3. quaesito primo scribit, non dici Christum ascendisse super omnes coelos, quasi sit extra coelum empyreum, sed quia in altissimam partem coeli empyrei ascendit, utpote exaltatus usque ad supremum locum corporalium.

Igitur ex ipsius S. Thomae sententia priori, quam veriorem putamus, *super omnes coelos ascendisse Christus* dicitur, quia coelos omnes penetravit ascendendo usque ad summum coelum, ejusque supremam partem: quomodo Pontifex Aaronicus penetrabat singulis annis usque ad intima sanctorum, sed non ultra progrediebatur. Huc enim alludit Apostolus

Hebr. 4., cum dicit, nos *habere Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum filium Dei.* Quoniam autem locus dignitati respondet: ex consequenti intelligit, quod est in aliorum commentariis, Christum hominem ascendisse super omnem altitudinem coelestium virtutum, velut accepta possessione regni ac dominii, quod secundum assumptam naturam habet super omnem creaturam.

Ut impleret omnia. De se scripta, ut quidam exponunt. Alii *omnia* hominum genera spiritualibus donis implenda significari putant. Alii vero ad omnia loca referunt, idque probabilius. Nam de locis sermo praecessit. Itaque videtur hic esse sensus: Ita denique factum, ut idem ipse Christus homo potentia dominationis suae repleat omnia; terram, inferos, coelum; postquam omnia ea loca ipse adivit. Loquitur enim Apostolus de Christo, quasi de rege, qui totius regni sui possessionem capit, non singula quaeque loca regni per seipsum accedendo, sed principalia tantum. Quod quum fecerit, dominatum habet in omnia regni loca, et ubique rex agnoscitur.

11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.* Verba praecedentia ab eo principio: *Quod autem ascendit,* quidam notis parentheticis includunt, quo haec pars cum illa superiori: *Dedit dona hominibus,* continuetur; hic enim jam incipit Apostolus illa dona recensere. Quanquam et sine parenthesi sermo bene cohaeret; ut sensus sit: Et idem *ipse,* tanquam rex inauguratus regno suo, jamque potestate implens omnia, liberaliter in homines sparsit ac distribuit dona sua. Nam *alios* quidem *dedit* Ecclesiae, id est, posuit in Ecclesia, *Apostolos.* Sic enim loquitur 1 Cor. 12., ubi similis est donorum seu charismatum enumeratio. Cum autem illic dicatur Deus posuisse in Ecclesia, primum quidem Apostolos etc., hic autem Christus dicatur eosdem dedisse; non obscura significatio est, Christum esse Deum. Qui vero per Apostolos intelligantur, in ejusdem Epist. ad Cor. comment. satis explicatum est. Nec enim assentiendum Ambrosiano, qui praeter morem Scripturae Apostolos interpretatur Episcopos.

Sed quaeres, cum Apostoli a Christo electi et ordinati fuerint, non modo ante ipsius in coelos ascensionem, verum etiam ante passionem et mortem: quomodo verum est, quod Paulus scribit, Christum posteaquam in altum ascendit, dedisse dona hominibus Apostolos? Nam quomodo post illud tempus dederit Prophetas, quaestionem non habet, si intelligamus, de quibus Prophetis hic loquatur Apostolus; id quod statim explicabitur. Forte aliquis respondendum putabit, Paulum loqui de Apostolis post Christi ascensionem excitatis, qualis ipse imprimis, tum Barnabas, Silas, Judas, quorum in Actis fit mentio, et alii nonnulli. Sed non est ad eos arctandus Apostoli sermo, nec ullo modo excludendi sunt, qui in Apostolis primi fuerunt, et Christum in carne viderunt.

Dicendum ergo, Christum postquam ascendit in coelum dedisse Apostolos, non eos eligendo, quod fecerat ante passionem; nec praecipiendo, ut Evangelium praedicarent per omnes gentes, quod fecit antequam in coelum abiret: sed per Spiritum sanctum, quem post ascensionem suam misit, docendo eos, et aliis gratiae muneribus Apostolatui necessariis cumulando; insuper eos impellendo ad opus Apostolicum, cui jam ante destinati erant, exsequendum. Hoc enim est, quod hic vocat, *dare Apostolos.* Quod quidem Christus facere coepit a die Pentecostes.

Quosdam autem Prophetas. Novi testamenti *Prophetas* intelligit; de quibus in capite praecedenti dixit: *Sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis.* Sed plura de hoc Prophetarum genere diximus ad 1 Cor. 11. 12. et 14.

Alios vero Evangelistas. Id est, eos, qui singulari dono praedicandi Evangelii praediti erant; quales in Actis Apost. Stephanus et Philippus diaconi, quorum posterior etiam *Evangelista* appellatur Act. 21. Nam quibus, et quo successu

praedicaverit Evangelium, luculente docet ejusdem libri historia cap. 8., quales etiam Apollo Alexandrinus, et secundum Chrysostomum Priscilla et Aquila. Minus recte per *Evangelistas* Ambrosianus diaconos, Oecumenius eos, qui scripserunt Evangelium, intelligunt: tametsi contingat, ut in Stephano et Philippo, eundem esse Evangelistam et diaconum, nec dubitandum sit eos, qui Evangelia conscripserunt, fuisse etiam Evangelistas officio praedicandi, de quo Paulus ad Tim. 2. Epist. 4. *Opus fac Evangelistae.*

Alios autem Pastores et Doctores. Idem Ambrosianus *Pastores* interpretatur lectores; *Doctores* autem seu magistros intelligi vult exorcistas, aut certe eos, qui literis et lectionibus pueros solebant imbuere. Sed utrumque absurde, licet ille conetur rationem aliquam suae interpretationis reddere. Vera et indubitata expositio est, quam alii fere omnes tradunt, *Pastores* esse, quorum officium est pascere, id est, regere populum Dei; quales praecipue sunt Episcopi, quos Act. 20. Paulus admonet hujusmodi verbis: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* *Doctores* autem, qui gratiam habent docendi populum Dei ea, quae sunt Christianae religionis.

Observa, non dicere Paulum alios pastores, alios doctores, sed *alios pastores et doctores;* cujus ratio est, quia quicunque pastores sunt, iidem esse debent et doctores, cum primum ac potissimum munus pastoris sit, populum pascere verbo Dei. Quocirca nemo, quamvis sanctus sit, inquit Hieronymus, pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere, quos pascit. In eandem sententiam locum hunc Apostoli tractant Augustinus epist. 59. et Gregorius homil. 19. super Ezech. Sic idem Apostolus 1 Tim. 3. vult Episcopum esse doctorem: quod plenius explicans ad Tit. 1. sic ait: *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.*

Nec enim sufficit, Episcopum ita doctum esse, ut rudes instruere possit in fide Christiana, sed exacta quaedam in eo doctrina requiritur, ut et solidum cibum provectioribus praebeat, et adversarios sanae fidei potenter redarguere valeat. Hinc est, quod Timotheum, quamvis jam Episcopum, et in sacris literis ab infantia institutum, adhuc hortatur Apostolus, ut attendat lectioni 1 Tim. 4. et 2 Tim. 3.

Dixi, praecipue significari Episcopos nomine pastorum, nam generaliter huc etiam Parochi pertinent, qui sub Episcopis, tanquam eorum opitulatores, animarum curam gerunt; quod Theophylactus innuit, dum scribit, per *pastores* intelligi posse presbyteros et episcopos. Nam et presbyteros curam animarum habentes pro ratione ac modo sui officii *doctores* esse oportet; magis, minusve, juxta conditionem plebis sibi commissae. Certo enim Parochi debent ea tradere, quae a multitudine capi possunt, et quae omnibus necessaria. Non est autem necesse omnes eos esse Prophetas, id est, qui sublimiora ac secretiora queant tradere. Vide, quae diximus ad illud 1 Cor. 14. *aut in prophetia, aut in doctrina.* v. 6.

Sed quaeres, sintne aliqui in Ecclesia doctores, non pastores? Certe tales agnoscit ipsa Ecclesia, quando in Litaniis distinguit: *Omnes sancti Pontifices, orate pro nobis. Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.* Tales fuere Clemens Alexandrinus, Pantaenus, Origenes, Beda, Bernardus, Aquinas et alii multi Doctores non Episcopi neque Parochi. Nam et de hujusmodi canit Ecclesia: *O Doctor optime.* Adde, quod etiam ex illis, qui fuerunt Episcopi seu Pastores, multi fuere Doctores eorum, quorum non erant Pastores; ut Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus et alii permulti, qui multos fideles scriptis suis doctissimis docuerunt, et adhuc docent, ad quos pastorale eorum munus non extendebatur.

Obiter animadverte cum Cajetano, diversitatem membrorum, quae hic enumerantur ab Apostolo, formaliter intelligendam esse. Non enim ita Christus quos-

dam dedit Apostolos, ut non iidem ipsi fuerint et Prophetae, et Evangelistae, et Pastores, atque Doctores; sed officia ac dona distincta sunt, licet in easdem personas vel omnia, ut in Apostolos, vel aliqua concurrant.

Argumentatur ex hoc Apostoli loco sectarius contra Primatum Romani Pontificis, inquiens: Hic non audimus Papam, qui sane praetermitti non debuit, si prima est ejus dignitas inter gradus Ecclesiae. Respondeo, nec audimus episcopos, presbyteros, diaconos. Neque enim Paulus instituit hic recensere gradus hierarchicos Ecclesiae; sed adferre in medium aliquot charismata Spiritus sancti, data a Christo ad doctrinam et gubernationem Ecclesiae. De illis enim praemiserat: *Dedit dona hominibus.* Nam ejusmodi quoque enumerantur 1 Cor. 12. Quanquam Papa sub nomine *pastorum ac doctorum* comprehenditur: est enim summus Ecclesiae pastor et doctor. Pertinet etiam ad Apostolos, primo loco nominatos, quatenus usque hodie munus Apostolicum exercet Romanus Pontifex, dum ad infideles mittit Evangelii praecones, et novas apud eos fundat Ecclesias.

12. *Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Docet cujus rei gratia dona fidelibus data sint; scilicet non ad privatum commodum, sed ad publicam utilitatem; ut haec consideratio reprimat fastum eorum, qui donis quibusdam praediti, alios prae se contemnebant. Pro *consummatione,* Hieronymus legit *instructionem:* in commentario autem utrumque conjunxit, dicens, *ad perfectionem, instructionemque sanctorum.* Erasmus vertit, *ad instaurationem.* Verti etiam potest, *ad compositionem.* Haec enim omnia significat Graeca dictio καταρτίσμος, deducta a verbo, quod habetur Gal. 6., ubi nos legimus, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Sed pro nostra versione, quae eadem est apud Ambrosianum, faciunt Graecorum scholia, et contextus Apostoli. Quam proinde et Erasmus in annotationibus maxime probat, et in paraphrasi secutus est.

Dicit ergo Paulus, Christum dedisse Apostolos et caeteros, quos enumeravit, ut quisque eorum diligenter incumbat in opus sui ministerii, ad aedificationem, id est, spiritualem profectum corporis Christi; quod est Ecclesia; idque totum ad hunc finem, ut universa sanctorum, hoc est fidelium, societas perfecta, consummata, omnibusque partibus absoluta reddatur. Hoc ordine construenda esse Apostoli verba, probat ordo rerum. Nam primum est opus ministerii, cujus effectus aedificatio, quam denique sequitur aedificii consummatio. Quo facit etiam praepositio πρὸς, primo tantum membro apposita, quae servit causae finali significandae.

13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Explicat perfectionem, ad quam ordinantur praedicta ministeria. Quod dicit, *occurramus,* alii non male vertunt, *perveniamus;* nam verbum Graecum etiam alibi pro eo, quod est, pervenire ponitur; ut Act. 16. et 18., quemadmodum et ab Oecumenio annotatum est.

Quaeritur autem, quando fiat occursus iste, sive perventio, cujus hic meminit Paulus; utrum in hoc saeculo, an in futuro. Latini fere de futuro saeculo interpretantur; in eo tamen diversi, quod nonnulli verba illa, *in virum perfectum, in mensuram aetatis* etc., referunt ad resurrectionem corporum, alii vero ad perfectionem spiritualem, quam tunc habituri sumus.

Secundum priores sensus est, donec omnes electi per unitatem fidei et cognitionis Christi filii Dei, tandem in resurrectione consequamur virilem perfectionem, quoad aetatem et robur corporale, dotesque gloriosas illi corporis perfectioni respondentes; videlicet provehendi ad mensuram plenae ac perfectae aetatis Christi, tanquam exemplaris nostri, cujus quidem corpus provectum fuit usque

ad aetatem plenam virilem, nempe triginta trium annorum, in qua et resurrexit.

Ex hoc loco sic intellecto, probant, omnes electos in aetate et statura virili resurrecturos; non tamen, ut quidam voluerunt, omnes in sexu virili, quia quod hic dicitur, *in virum perfectum,* non ad sexum referendum dicunt, sed solum ad aetatem et robur, quae sunt utrique sexui communia. Pluribus hunc sensum prosequitur Anselmus ex Augustino lib. 22. de civit. cap. 15. et sequentibus. Eundem adfert et Thomas priori loco. Hieronymus quoque in epitaphio Paulae cap. 12. hac scriptura utitur, ut doceat, omnes in aetate perfecta resurrecturos.

Porro secundum posteriores, sensus est: Omnes electos per unitatem fidei et agnitionis filii Dei tandem *evasuros in virum perfectum et mensuram aetatis plenitudinis Christi;* quia in futuro saeculo totum corpus Ecclesiae, quod est corpus Christi mysticum, ad exemplum veri corporis Christi omni ex parte perfectum erit, ut jam nec membrum ullum desit, nec ulla perfectio amplius in eo desideretur.

At vero Graeci interpretes locum hunc, perinde ut ea quae praecedunt et sequuntur, intelligunt de eo, quod agitur in praesenti saeculo, ut hic sit sensus: Christus tam varios, ut dictum est, ministros instituit in Ecclesia, *ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis sui,* eosque tantisper laboraturos, *donec omnes* ad vitam destinati, alii post alios, durante hoc saeculo, perducamur et *perveniamus in unam eandemque fidem, et veram cognitionem Christi filii Dei,* cum eo profectu, *ut evadamus in virum perfectum;* id est, ut virile robur et constantiam in fide et cognitione Christi assequamur, tanquam *mensuram plenae et perfectae aetatis Christi* in corpore suo mystico, ut in vocabulo viri etiam sexus intelligatur, sed spiritualiter.

Sensum hunc, praeter Graecos Chrysostomum, Theophylactum et Oecumenium, tradit etiam Hieronymus in comment., item Ambrosianus, Haimo et Sasboldus, denique S. Thomas posteriori loco, dicens, posse verba haec intelligi de fructu ultimo praesentis vitae, in qua suo modo perficitur corpus Christi mysticum, spirituali perfectione, ad similitudinem corporis Christi veri. Sed et Augustinus lib. 22. de civit. Dei post explicatum priorem sensum tandem cap. 18. hunc quoque adducit, magisque probat. Certe ipsa Apostoli verba, sicut ostendimus in 4. Sent. dist. 44., prorsus exigunt hujusmodi intellectum. Nam *occurrere,* seu *pervenire in unitatem fidei,* non est futuri saeculi, in quo, fide cessante, *videbimus facie ad faciem* 1 Cor. 13., sed praesentis; in quo *per fidem ambulamus, et non per speciem.* 2 Cor. 5. Quod autem alii exponunt, *in unitatem fidei,* id est, per unitatem, coactum est, et praeter usum Graecae praepositionis. Optime vero quadrat huic intellectui, quod sequitur.

14. *Ut jam non simus parvuli, fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* Id est, *ut non amplius* puerorum more, quibus imperfectum et instabile judicium est, *fluctuemur,* id est, inconstantes simus, in diversas opinionum partes *jactati et circumacti quovis vento doctrinae;* utpote nescientes dijudicare, quae doctrina vera sit, quae falsa, sed tantum probabilitate quadam et apparentia, velut flatu quodam, modo in hanc sententiam, modo in illam leviter impulsi. Hoc, inquam, ne nobis contingat, praestatur illorum ministerio, quos Christus Ecclesiae dedit Apostolos, Prophetas etc. Metaphora sumpta a navigantibus; qui si rectore careant, temere feruntur quocunque ventus impulerit.

In nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Pro *nequitia* Hieronymus *fallaciam* legit, Augustinus *illusionem.* Graece est *κυβεία,* qua voce, ut annotant Graeci commentatores, proprie significatur ludus aleae, vel tesserarum; in quo qui potest, collusorem circumvenit et fallit calculorum transposi-

tione; inde transfertur ad fallaciam in genere significandam. Cohaeret autem sententia praecedentibus, hoc modo: Ut non amplius jactemur et circumagamur quovis vento doctrinae per fallaciam hominum, sive philosophorum, sive Judaizantium, sive haereticorum, perque versutiam eorum, qua nos adoriuntur, atque in errorem inducunt. Huic sensui convenit, quod Augustinus pro *circumventione* legit *machinationem;* hoc enim propius exprimit vim Graecae dictionis, μεθόδειαν.

15. *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Particula, *in charitate,* quibusdam videtur jungenda cum sequenti verbo *crescamus,* sicut eandem in extremo periodi hujus repetitam, construendam putant cum illo: *augmentum corporis facit. Autem,* adversative positum est, quasi dicat: *Sed ut veritatem facientes* etc. Item pro duobus vocabulis, *veritatem facientes,* in Graeco unum et simplex est participium, quod Erasmus vertit, *veritatem sectantes;* Hentenius, *veritatem servantes;* Theophylacti interpres, modo *veritatem loquentes,* modo *veritati studentes.* Sensus Apostoli est: Quin potius ut veram Christi doctrinam, quam Apostoli, pastores et doctores Ecclesiae praedicant, amplexi, per omnia membra in charitate crescamus, et augeamur *in ipsum,* sic enim Graece est, scilicet Christum, qui est caput totius corporis. Hoc est, ut hujusmodi incrementis proficientes, tandem respondeamus capiti nostro, cujus membra sumus, id est, Christo, qui omnino perfectus est. Illud *per omnia* Graeci interpretantur, per omnia nostra, vitam nimirum et doctrinam; sed ut membra subintelligantur, sicut nos exposuimus, invitat, quod sequitur:

16. *Ex quo totum corpus compactum et connexum.* Augustinus converso ordine legit, *connexum et compactum;* idque Graeco textui convenientius. Est autem priori loco idem verbum, quod sub finem capitis tertii vertit interpres *constructa,* de cujus significatione ibi diximus.

Per omnem juncturam subministrationis. Haec pars ordinanda cum praecedentibus, ut patet ex loco simili Col. 2., qui sic habet: *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Quod autem ibi *nexum,* et hic *juncturam* reddit interpres, alii *commissuram* vertere malunt.

Secundum operationem, Graece ἐνέργειαν. *In mensuram uniuscujusque membri.* Graece, *in mensura uniuscujusque partis.* Augustinus quoque et Ambrosianus legunt *partis.* At in Graeco minima differentia est inter μέλους et μέρους, membri et partis; nec admodum refert utrum legatur, nisi quod metaphorae Apostolicae magis congruit nostra lectio, quae eadem est Hieronymi et Theophylacti.

Augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. Hebraismus est in eo, quod dicit corpus facere *augmentum corporis,* id est, sui ipsius; quod nisi observetur, absurdus videbitur sermo. Porro tota sententia, quae non parvam habet obscuritatem, cum loco jam citato Col. 2. conferenda est. Videtur autem sic commode explicari: Ex quo, scilicet Christo capite, dependens totum corpus, quod nos sumus, per connexionem omnium inter se membrorum, ex quibus constituitur, apte compositum et coagmentatum, per efficacem ejusdem capitis operationem, pro mensura ac ratione cujusque membri augescit, aedificatur et proficit in charitate, id est, per charitatem. Quod postremum addidit, sicut et paulo ante, simili sensu; quia corpus hoc mysticum ac spirituale proprie non aedificatur nec proficit, nisi per charitatem; cum sine ea nihil sint caetera 1 Cor. 13.

Sentit ergo Apostolus, sicut in corpore naturali atque organico caput influens in membra non easdem omnibus operationes communicat, sed alias aliis; et his quidem plures, illis autem pauciores, pro natura

uniuscujusque: sic et in Ecclesia Christum, qui caput ejus est, non eadem nec aequalia charismata membris omnibus infundere; sed singulis distribuere prout locus cujusque, quem in corpore habet, postulat; et hac ratione totum Ecclesiae corpus crescere, dum membra variis donis instructa in communem utilitatem ea conferunt: quod non fit nisi per charitatem. Loquitur autem non de omnibus omnino membris; ne quis hinc colligat, omnia Ecclesiae membra charitatem habere, et per hoc nullos esse malos in Ecclesia, quod haeretici volunt, sed tantum de iis, quae digna sunt nomine membrorum, hoc est, de membris vivis et spiritu Christi capitis animatis; quemadmodum et loquebatur cap. 2., ubi similis habetur sententia.

17. *Hoc igitur dico et testificor in Domino.* Pro *testificor,* Hieronymus et Ambrosianus legunt *contestor.* Redit Apostolus ad inchoatam et huc usque intermissam exhortationem, qua dixerat initio capitis: *Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Id enim, quasi repetens, nunc explicat ac latius prosequitur. Sensus: Hoc igitur est, quod dicere coeperam, quod et obtestor vos per Christum Dominum, quem volo hujus exhortationis meae esse testem.

Ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui. Graece *mentis suae.* Sic et Ambrosianus legit, eodemque modo paulo post ipse noster interpres Graecam vocem transtulit. Non recte igitur quidam *sensum* interpretantur sensualitatem. Rectius sane Thomas *sensum* exponit vim apprehensivam, per quam judicamus singularia. Qui sensus, inquit, vanus est, quando devians a recta regula, finem debitum non assequitur. Dicit ergo Apostolus: obtestor vos, ne posthac vivatis et conversemini quomodo gentes, vel ut in Graeco est *reliquae gentes,* id est, gentiles adhuc alieni a Christo, vivunt et conversantur; nimirum sequentes judicium mentis suae pravum et erroneum: de quibus Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.*

18. *Tenebris obscuratum habentes intellectum.* Graece tantum est, *obtenebrati intellectu,* quod interpres velut paraphrasi explicuit. Significantur autem tenebrae erroris et ignorantiae; quamvis enim multa cognovissent gentiles philosophi, non solum de natura et moribus, verum etiam de Deo: tamen propter superbiam et ingratitudinem suam a Deo derelicti, *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum;* denique *stulti facti sunt, et in reprobum sensum traditi,* sicut dicitur Rom. 1.

Alienati a vita Dei. Hujus particulae tres expositiones adfert Thomas; quarum tertia caeteris probabilior *a vita Dei,* id est, a vita, quae secundum Deum est, et quam Dei leges praescribunt. Ea autem est vita sancta et immaculata. Potest etiam auctore Cajetano, intelligi tota vita spiritualis, quae in hoc saeculo per fidem et justitiam inchoatur, et in futura beatitudine perficitur, quae tota peculiariter vita Dei est, quatenus a Deo per gratiam datur. Hanc vitam gentiles prorsus ignorabant.

Per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum. Ex Graeco utrobique vertendum erat, *propter;* quomodo etiam legunt Hieronymus et Ambrosianus. Itaque sensus est: gentiles a vita Dei abalienatos fuisse propter ignorantiam veritatis, qua laborarunt, et propter caecitatem, vel ut in Graeco est, *propter excaecationem,* cordis ipsorum; id est, propter ignorantiae tenebras, in quas merito suorum peccatorum incidere permissi sunt. Est enim posterior pars declaratio prioris; nisi quod in posteriori parte non solum ignorantia veri, sed et errorum tenebrae, quas Apostolus Rom. 1. exponit, possint intelligi. Confer, quae diximus in comm. ad Rom. 11. ibi: *caeteri vero excaecati sunt,* et: *Caecitas ex parte contigit in Israël.*

19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem*

immunditiae omnis in avaritiam. Vox Graeca, pro qua nos habemus, *desperantes,* teste Hieronymo longe aliud significat; nimirum eos, qui postquam peccaverint non dolent; ut verti possit, *indolentes.* Eandem significationem explicant Graecorum commentarii, secundum quos sensus est: Qui posteaquam eo pervenerunt, ut dolere desinerent, velut sensu mali carentes, sese pronos ac praecipites dederunt in omne genus impudicitiae et immunditiae quolibet modo exercendae. Dolor autem intelligitur, quem animus patitur ex turpitudine admissi peccati; et quo stimulante solet a peccando postea retrahi. Convenit hic sensus cum iis, quae de philosophis scribit Apostolus Rom. 1.

Verum quia Latini veteres constanter legunt, *desperantes;* suspicari licet cum Erasmo, quod et innuit Hieronymus, interpretem Latinum in Graeco pro ἀπηλγηκότες legisse ἀπηλπικότες, duarum literarum mutatione. Quod verbum etiam apud Lucam est cap. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Hoc modo sensus perspicuus est. Qui spe futurorum bonorum, quae nos Christiani credimus et exspectamus, destituti, utpote animarum immortalitatem et corporum resurrectionem non credentes: totos sese tradiderunt praesentis vitae voluptatibus, etiam turpissimis. Quomodo differant impudicitia et immunditia, quae ab Apostolo saepe conjunguntur, dictum est ad 2 Cor. 12.

Porro quod additur, *in avaritiam,* Graece est, *in avaritia:* quam lectionem in aliis codicibus haberi glossa interlinealis admonet: eandem reperiri in duobus pervetustis codicibus manuscriptis; sicque etiam legunt Hieronymus et Thomas. Neque avaritia, Graece, πλεονεξία, significat pecuniarum cupiditatem; sed in genere vitium, quo quis eo quod habet non contentus, semper amplius expetit, nec modum nec terminum ponens cupiditati, in quacunque tandem re id accidat, sive in pecuniis, sive in honoribus, sive in voluptatibus corporis; hic autem sermo est de avaritia turpium voluptatum; ut sensus sit, ipso etiam S. Thoma exponente, *in avaritia,* id est, ardenter et insatiabiliter, juxta illud 2 Pet. 2. *Oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti: pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes,* vel ut Graece, *avaritiis,* plurali numero. Sensum hunc habet Theodoretus et late explicat Hieronymus collatione alterius loci, qui est Thess. 4. De eadem plura cap. proximo. Vide etiam quae dicta sunt ad 1 Cor. 5.

20. *Vos autem non ita didicistis Christum.* Ac si dicat: Talia non docet Evangelium Christi, sed schola Simonis et Gnosticorum, qui hac parte cum gentilibus conveniunt. Ad hos enim videtur Apostolus ex obliquo respicere: Simonianos, dico, et eorum varios discipulos ac successores, inter quos et Gnostici fuerunt, quos extremis verbis prioris ad Timotheum satis designavit Apostolus. Vide Epiph. haer. 25. 26. 27.

21. *Si tamen illum audistis et in ipso edocti estis. Si tamen,* Graece, *siquidem.* Non enim dubitans hoc dicit Apostolus, sed magis rem confirmans, uti post Chrysostomum annotat Theophylactus. Nam et alias interdum vim confirmandi habet conjunctio *si,* ut 2 Thess. 1. *Si tamen justum est apud Deum retribuere* etc. Quanquam recte monet Oecumenius, posse etiam modo dubitantis accipi, quo terreat Ephesios. Non ita, inquit, Christum didicistis: si tamen illum vobis annuntiatum audistis, ejusque doctrinam percepistis: scilicet ad eum modum, qui sequitur.

Sicut est veritas in Jesu. Id est, ita ut, sicut in Christo Jesu nulla est ignorantia, nullus error, nihil injustum, sed pura veritas et justitia, sic et vos, Christi doctrina imbuti, rejectis tenebris ignorantiae, veritatem et justitiam Christi sectemini.

22. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem.* In multis codicibus legebatur, *deponite,* modo imperativo, sed ex melioribus infinitivum *deponere* nobis restituit editio Sixtina. Sic enim et Graeca habent et

Syriaca: sic etiam legunt Hieronymus et Primasius: nec dissonat Ambrosianus, qui infinitivum resolvit: ut deponatis. Igitur haec pars pendet a superioribus, et infinitivus regitur a verbo: *Edocti estis,* ut sensus sit: Si tamen per Christum docti fuistis deponere atque exuere veterem hominem, qui intelligitur in pristina, seu priori, ut in Graeco est, conversatione, nempe ea, qua vivebatis, priusquam crederetis in Christum. Est enim vetus homo, aut vetustas et corruptio peccati in homine ex veteri Adam contracta, aut potius ipse homo, quatenus hujusmodi vetustate affectus est: quemadmodum hanc Apostoli phrasim exposuimus ad illud Rom. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est;* et consentit locus ad Col. 3. Atque hunc intellectum explicat, quod sequitur:

Qui corrumpitur secundum desideria erroris. Id est, qui in vetustate et corruptela proficit, obsequendo pravis ac turpibus desideriis: quod fit ex mentis errore ac coecitate, quemadmodum supra dictum est. His enim verbis explicat Apostolus, in quo consistat illa vetustas, qua veterem hominem dixerat.

23. *Renovamini autem spiritu mentis vestrae.* Rursum infinitivus in Graeco, *renovari:* dependens adhuc a verbo, *edocti estis,* et ex adverso respondens verbo *deponere,* hoc modo: *Siquidem edocti estis deponere veterem hominem, et renovari spiritu mentis vestrae.* Ubi Spiritum sanctum nonnulli intelligunt, minus recte: nam Spiritui sancto non convenit renovari; sed spiritui ac menti nostrae. Multo rectius Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 16. ita scribens: Quod ait spiritu mentis vestrae, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis: sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est; spiritum mentis dicere voluit eum spiritum, quae mens vocatur. Haec ille; quem alii plerique sequuntur; ut proinde sensus sit: *Spiritu mentis vestrae,* id est, secundum mentem, secundum interiorem hominem; de quo 2 Cor. 4. sic ait: *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.*

24. *Et induite novum hominem.* Hic quoque Graecis infinitivus est, *induere,* referendus ad idem verbum, *edocti estis.* Quem vero dicat novum hominem, exponit:

Qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Quidam novum hominem Christum intelligunt, sicut veterem hominem ipsum Adam. Christo enim homini maxime competit, secundum Deum creatum esse in justitia et sanctitate veritatis, id est, vera justitia et sanctitate; unde Rom. 13. et Gal. 3. Christum induere dicimur. Alii novum hominem significari putant, primum hominem Adam, qualis a Deo creatus est, nimirum rectus et integer. Verum consideranti phrasim Apostolicam et alia loca, quae sunt Rom. 6. et Col. 3., cum isto conferenti, magis apparet, novum hominem ab Apostolo dici unumquemque hominem, quatenus renovatus est per gratiam Dei. Quae renovatio hic et alibi nomine creationis intelligitur.

Exponit igitur Apostolus novum hominem, qui per regenerationem creatus est secundum Deum, id est, divinae legi conformatus; creatus inquam in vera justitia, quoad proximos; et in vera sanctitate, seu munditia, quoad seipsum. Quae duo conjunguntur etiam in cantico Zachariae Luc. 1. *Ut serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso.* Unde apparet, veram justitiam et sanctitatem vocari, quae coram Deo sit talis. Sic autem dixit, novum hominem creatum in justitia et sanctitate; sicut supra cap. 2. dixerat, nos creatos in operibus bonis; quia nimirum in his gratuitis Dei donis ipsa nova creatio consistit.

Observandus totus hic locus et alii similes contra sectarios, qui non aliam in nobis justitiam agnoscunt, quam externam et imputativam. Hic enim audimus renovationem mentis, novum hominem, justitiam et sanctitatem veritatis; quae

intelligi nullo modo possunt in eo, cui justitia tantum imputatur.

25. *Propter quod, deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Duo dixerat, justitiam et sanctitatem. Et quia sanctitatis, id est, munditiae praecepta jam superius dederat; transit nunc ad alterum membrum, ac justitiae praecepta, quibus erga proximum quisque ordinetur, deinceps tradit, ad priora tamen paulo post rediturus. Sensus est: Quoniam ergo sic edocti estis: deposito et abjecto mendacio loquimini quisque, quod verum est cum proximo suo. Utitur verbo deponendi, quia dixerat veterem hominem deponendum esse; ad quem utique pertinet omne mendacium. Hortatur autem ad loquendum cum proximo veritatem, verbis Propheticis, quae habentur Zach. 8. Proximi nomine omnem hominem intelligi, constat ex Christi doctrina Luc. 10. Quod et docte explicat Hieronymus tam in Zachariae, quam hujus loci commentario.

Quoniam sumus invicem membra. Ut haec ratio quadret, supplendum aliquid videtur hoc modo: Loquimini quisque veritatem cum proximo suo, praesertim Christiano; quia nos Christiani sumus invicem membra sub capite Christo. Nimis autem absurdum est, si membra ejusdem corporis mentiendo ac fallendo se invicem laedant; cum nihil tale contingat in corpore naturali, nisi per insaniam. Quanquam et infideles membra sunt, spe ac desiderio nostro.

26. *Irascimini et nolite peccare.* Non praecipit ut irascamur: sed hypotheticus sermo est, quo per imperativum uti solent Hebraei, quale illud Ecclesiastici 30. *Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum illo, et contristabit te.* Id est, si lactaveris eum, si luseris cum eo. Proinde sensus Apostolici praecepti est: Si contingat irasci, cavete ne in opus ira erumpat, id est, ne facite quod ira suggerit, ne sinite eam progredi usque ad injuriam. Loquitur enim de ira, qua quis praeter ordinem justitiae movetur ad vindictam: cum alioqui ira sit affectus medius, etiam in sacris literis; nam alioqui non toties in illis per metaphoram Deo tribueretur.

Sumsit hoc praeceptum Apostolus ex Psalm. 4., in quo juxta versionem LXX. totidem verbis habetur, ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, *irascimini et ne peccate.* Caeterum in Hebraeo textu pro *irascimini,* legitur *rigsu,* quod alii vertunt pavete, alii contremiscite, alii commovemini. Verum Hieronymus non solum ex Graeco, sed etiam ex Hebraeo, vertit *irascimini.* Verbum enim Hebraeum non tantum significat contremiscere, verum etiam irasci, maxime apud Syros et Chaldaeos, quorum verba et significationes, Genebrardo teste, saepe usurpant David, Salomon, Job et reliqui Hebraeorum poëtae. Sunt autem haec affinia, tremere, fremere, commoveri, irasci. Quae omnia, sicut in lexicis suis Hebraeae linguae docti ostendunt, Hebraea voce significantur. Quanquam, ut idem Genebrardus annotat, in Psalmo bene etiam congruit hic sensus: contremiscite, supple, Dominum, ut ne peccetis, quasi dicat, timor Domini vos a peccato retrahat.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Figuratus est sermo, quo prohibetur diuturnitas irae, quasi dicat: Iram commotam abrumpite quamprimum et opprimite, ne si diutius duret, in actum vindictae exeat, aut in odium vertatur. Ratio schematis est, quia solis occasus apud Judaeos initium erat diei: quare si quem irascentem nox occuparet, is iram retinebat usque in alterum diem. Porro qui solem Christum interpretantur, deflectunt a proprio ac literali sensu hujus loci. Pro cujus explicatione licebit videre B. Augustinum 2. in Psalm. 30.

27. *Nolite locum dare diabolo.* Haec pars in Graeco copulative conjungitur praecedenti; quod exprimit textus, quo Hieronymus et Ambrosianus usi sunt, sic enim legunt: *Neque locum detis diabolo.* Significat Apostolus, eum, qui sinit iram diutius apud se morari, dare locum diabolo: parit enim ira reservata odium aut vindictae consensum, per quem diabolus

jam incipit in homine dominari. Potest hoc accommodari ad omnem delectationem morosam, id est, eam, cui animus immoratur: talis enim delectatio periculum habet consensus: consensus autem mortem generat in materia mortali. Caeterum Erasmus pro *diabolo, calumniatorem* vertit: existimans hoc Apostolum dicere: Fraenate iram, ne praebeatis ansam calumniandi infidelibus, dum videmini vindictae cupidi. Verum idem auctor in paraphrasi communem omnium interpretationem, quam dedimus, sequitur, quae sine dubio melior est. Potest tamen iste locus sic intelligi: Nolite locum dare diabolo, tanquam accusatori. Semper enim quaerit, de quo nos apud Deum possit accusare: et locum faciunt accusationi ejus quicunque peccatum mortale committunt: verae accusationi nimirum, quum ipse et calumniose pios accuset. Unde Apoc. 12. nominatur *accusator fratrum.*

28. *Qui furabatur, jam non furetur.* Graece: *non amplius furetur.* Furari generaliter positum videtur, pro fraudare, subtrahere, et quocunque titulo injuste auferre vel detinere alienum. Quomodo etiam accipitur in decalogo: *Non furtum facies.* Et hoc modo etiam apud Pindarum κλέπτειν usurpatum legitur. Neque vero restitutionem hic tacet Apostolus; continetur enim in eo, quod dicit, *jam non furetur.* Nam qui non restituit, cum possit, is adhuc in furto, id est, alienae rei voluntaria detentione perseverat.

Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est. Graece, *operans bonum manibus.* Opus manuum posuit pro omni opere utili ad victum parandum; ut ex specie genus intelligatur. Addit autem, *quod bonum est,* ut artes victum quaerendi inhonestas excludat.

Ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Quasi dicat: Operetur manibus non solum, ut pellat otium, *quia multam malitiam docuit otiositas,* Ecclesiastici 33., nec solum ut ablata restituat, aut ut sibi necessaria comparet, ne cogatur adhuc furari, sed etiam ob hoc, ut habeat, quod largiatur indigentibus. Valde enim Deo grata est ex proprio labore eleemosyna. Simul observa cum Theophylacto, hic innui quandam actionem poenitentiae pro furto commisso, tum in eo, quod dicitur, *laboret,* nam labore corpus affligitur, tum quia ei, qui aliena abstulit, injungitur, ut sua tribuat.

29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Graece σαπρὸς, id est, putris, corruptus, spurcus, aut quomodocunque vitiosus. Idem vocabulum apud Matthaeum et Lucam, ubi de arbore mala loquuntur. Generatim ergo hic linguae peccata prohibentur.

Sed si quis bonus ad aedificationem fidei. Graece: *Ad aedificationem utilitatis* sive *necessitatis,* sive *opportunitatis.* Quo postremo modo Hieronymus se vertisse significat, his verbis: Pro eo, quod nos posuimus *ad aedificationem opportunitatis,* in Latinis codicibus propter euphoniam mutavit interpres et posuit, *ad aedificationem fidei.* Castigationem Hieronymi nonnulla adhuc vetusta exemplaria Manuscripta referunt; quidam utramque conjungunt, *ad aedificationem fidei opportunitatis.* Syriaca versio sic habet: *Sed is, qui decorus et utilis ad aedificationem;* tanquam sit hypallage in verbis Apostoli, ad aedificationem utilitatis, id est, ad usum aedificationis. Quod et Fabro placuit usque adeo, ut verterit ad aedificationis utilitatem. Nobis hic sensus esse videtur: Sed si quis bonus est sermo, procedat ex ore vestro, non temere tamen, sed ad promovendam utilitatem et salutem proximorum, vel (juxta vulgatam versionem) ad promovendam fidem et doctrinam Christi. Monet igitur Apostolus, sermonem etiam per se bonum opportune proferendum esse, ne nostro vitio vertatur in malum. Concordat illud Sapientis: *Sermo opportunus, optimus.* Prov. 15.

Ut det gratiam audientibus. Sermo dat gratiam audientibus, quando Deus homine atque ipsius sermone utitur ad largiendam audientibus suam gratiam. Quod fit, quoties auditor ex sermone

aedificatur, vel in fide, vel in moribus Christianis. Jam si recte dicit Apostolus, quod sermo loquentis dat gratiam audientibus; absurdum profecto videri non debet, si dicantur sacramenta a Christo instituta conferre gratiam suscipientibus, uti docet Ecclesia catholica.

30. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Impropria locutio est; constat enim Spiritum sanctum Dei, qui et ipse Deus est, proprie contristari non posse. Potest autem trifariam exponi; uno modo, ne quid facite, propter quod Spiritus sanctus a vobis recedat, velut offensus et contristatus. Ac breviter: Nolite offendere Spiritum sanctum. Qui enim peccat, offendit, et quantum in ipso est, contristat Spiritum sanctum. Alio modo, congruentius ad ea, quae praecesserunt: Nolite per obscoena, vel qualitercunque scandalosa verba Spiritum sanctum e cordibus audientium expellere. Noli tu, quisquis es, verbo tuo proximum perdere, pro quo Christus mortuus est, sicut de cibo dicit Rom. 14.

Tertia expositio est apud S. Thomam, qua Spiritus sanctus intelligitur contristari, quando contristantur homines pii, in quibus est Spiritus sanctus, quomodo Deus interdum dicitur aliquid velle, quod ipso inspirante pii homines volunt. Hoc modo sensus est: Nolite dicere aut facere quippiam, per quod merito pii et sancti homines contristentur. Juxta illud: *Quis scandalizatur, et ego non uror?* 2 Cor. 11.

In quo signati estis in die redemptionis. Graece et Syriace *in diem.* Quam lectionem in multis etiam Latinis Manuscriptis repertam, editio Clementina restituit. Qui legunt *in die,* referunt ad tempus baptismi, per quem redemptio Christi nobis applicatur. Et quia solebat olim adultis baptizatis statim eodem die, si praesens esset Episcopus, conferri sacramentum consignationis, sicut et factum legimus a Paulo Act. 19., putant hunc esse sensum: Quo Spiritu sancto per sacramentum obsignati estis (hoc enim in Graeco verbum est) eo tempore, quo per baptismum estis e peccati servitute redempti.

Caeterum, juxta veriorem lectionem sensus est: Quo Spiritu sancto obsignati estis, id est, quem velut impressum vobis sigillum accepistis, servandum usque in diem redemptionis, id est, resurrectionis et retributionis, ut tunc per illud agnoscamini, et redemptionis fiatis participes. De hac redemptione loquitur Dominus Luc. 21. *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra;* et Apostolus Rom. 8. *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri.* Utroque sensu respicit hic locus ad sacramentum confirmationis, quod et signaculum, sive sigillum, Graece σφραγὶς, a patribus appellatur. Deterret igitur Apostolus a contristando Spiritu sancto magnitudine peccati, velut sacrilegii cujusdam, quod est violare sacratissimum sigillum, cum etiam profana sigilla temerare non liceat. Confer cap. 1. vers. 13. 14. et 2 Cor. 1, 22.

31. *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Amaritudo,* sive amarulentia definiri potest animi dolor in invidiam aut malevolentiam exacerbati. Pro *ira et indignatione* Graece est θυμὸς καὶ ὀργὴ, Latine furor et ira, quomodo habet textus Hieronymi, quemadmodum et ex Graeco legimus in Psalm. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Quae duo tamen idem Hieronymus ita distinguit, ut furor sit ira incipiens et fervescens in animo indignatio. Ira vero, quae furore restincto desiderat ultionem, et eum, quem nocuisse putat, vult laedere. Quare, etiam secundum Graecam lectionem, gravius aliquid est ira quam furor, seu tumor, ut moderatiori vocabulo vertunt Erasmus et Hentenius. *Clamor* est, in quem erumpunt homines irati, ut est *racha* in Evangelio.

Blasphemia Latine maledicentia est, ut cum fratri dicitur: fatue. Neque enim blasphemiae nomen eam solum comprehendit injuriam, qua Deo maledicitur;

quamvis ut ait Augustinus lib. de moribus Man. cap. 11. vulgo blasphemia sic accipi soleat. Cujus dat rationem, quia blasphemia dicitur, cum aliqua mala dicuntur de bonis; nam de hominibus dubitari potest, Deus autem sine controversia bonus est. Addit Apostolus generaliter, *cum omni malitia,* nempe ea, qua proximus laeditur; quia longum erat enumerare singula peccata, quae solent in proximos committi. Repetuntur haec fere eadem in Epist. ad Col. 3. Qui locus proinde cum isto conferendus est.

32. *Estote autem invicem benigni.* Id est, comes, suaves. Sic enim potius verti posse Graecam vocem, censet Hieronymus, ut opponatur amarulentiae, quam inter vitia a nobis tollenda primam Apostolus nominaverat. Alioqui benignitas proprie ad dandum pertinet.

Misericordes. Graeca vox sonat, quasi dicas, *bonorum viscerum,* id est, boni affectus; nam viscera, pro affectibus, in sacris literis frequens est. Itaque potest hac voce omnis affectus benignitatis erga proximum intelligi: qualis praecipue est affectus misericordiae, qua juxta ejusdem Scripturae phrasim viscera hominis super alienis malis ita commoventur, ut ea velit ac studeat removere.

Donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Donantes et *donavit* etiam in Graeco vocabula sunt generalia, quamvis donationem sive largitionem significantia. Unde et Hieronymi textus habet *donantes vobismetipsis,* sic enim verti etiam potest, tanquam significetur, ut ille exponit, eum, qui benefacit alteri, ipso bono opere in seipsum esse beneficum. Quocirca et Erasmus retinere volens generalem hanc verbi Graeci significationem, vertit, largientes et largitus est.

Verum specialiter pertinere praeceptum Apostoli ad condonationem injuriarum, satis aliunde potest intelligi. Nam in 2. ad Cor. 2. repetit aliquoties donandi verbum, pro eo, quod est condonare et ignoscere. Et cap. 12. *Donate mihi,* inquit, *hanc injuriam,* id est, condonate. Lucas quoque cap. 7. sui Evangelii sic loquitur: *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.* Et iterum: *Aestimo, quia is, cui plus donavit.* Denique ipsum Apostolum habemus sua ipsius verba exponentem. Quod enim hic ambigue dictum videri poterat, clarioribus verbis expressit ad Col. 3. dicens: *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* Liquet ergo, sensum hunc esse, quem communiter omnes tradunt tam Graeci quam Latini, et cum his tandem ipse etiam Hieronymus: Condonantes invicem injurias et offensas, sicut et Deus per Christi filii sui meritum vobis condonavit omnia vestra delicta. Sic enim idem Apostolus loquitur Col. 2. *Donans vobis omnia delicta.* Ad hanc plenam offensarum condonationem, exemplo Patris coelestis faciendam, etiam hortatur et impellit nos evangelica parabola de servo ingrato et immisericorde; quem Dominus iratus tradidit tortoribus, quoad usque redderet universum debitum, quod ei jam ante remiserat. Ibi enim subjungitur haec terribilis comminatio: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Matth. 18.

CAPUT QUINTUM.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi [1]): 2. et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos [2]), et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam [3]) Deo in odorem suavitatis. 3. Fornicatio

---

[1]) 1 Joan. 4, 7. [2]) Joan. 13, 34. 1 Joan. 3, 16. [3]) Joan. 15, 13.

autem, et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; 4. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet[1]; sed magis gratiarum actio. 5. Hoc enim scitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus[2], non habet haereditatem in regno Christi et Dei[3]. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis[4]: propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae[5]. 7. Nolite ergo effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino[6]. Ut filii lucis ambulate: 9. fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate: 10. probantes quid sit beneplacitum Deo: 11. et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 12. Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. 13. Omnia autem, quae arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur[7], lumen est. 14. Propter quod dicit[8]: Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis[9]: non quasi insipientes, 16. sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 17. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino[10], in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, 19. loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino[11], 20. gratias agentes semper pro omnibus[12], in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. 21. Subjecti invicem in timore Christi[13]. 22. Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino[14]: 23. quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiae: ipse, salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, 26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae[15] in verbo vitae, 27. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata[16]. 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam[17], sicut et Christus Ecclesiam: 30. quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus[18]. 31. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una[19]. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego

---

1) Cap. 4, 20. 2) Matth. 6, 31. 32. Col. 3, 5. Gal. 5, 21. 3) 1 Cor. 6, 9. 10. 4) Rom. 1, 23. seq. 5) Rom. 1, 18. 6) 1 Petr. 2, 9. 7) Joan. 3, 20. 8) Jes. 60, 1. 9) Col. 4, 5. 10) Luc. 21, 34. 11) Col. 3, 16. 12) Col. 3, 17. 13) Joan. 13, 14.—17. 14) 1 Mos. 3, 16. 1 Cor. 14, 34. Col. 3, 18. 1 Petr. 3, 1. 15) Tit. 3, 5. Marc. 16, 16. 16) Col. 1, 22. Tit. 2, 14. 17) 1 Cor. 12, 25. 26. 18) 1 Mos. 2, 23. 19) 1 Mos. 2, 24.

autem dico in Christo et in Ecclesia. 33. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

SUMMARIUM CAPITIS QUINTI.

Hortatur ad imitationem Dei: avocat ab operibus tenebrarum, et provocat ad opera lucis. Exemplo Christi et Ecclesiae admonet mulieres viris subjectas esse; viros autem, ut uxores suas diligant.

1. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi.* Graece, *dilecti.* Quod ait *ergo*, respicit ad capitis praecedentis illud postremum: *Sicut et Deus in Christo donavit vobis*, quasi dicat: Cum accepta remissione peccatorum facti sitis Dei filii, Deoque dilecti, debetis Deum patrem vestrum imitari; ut sicut ille vobis in Christo peccata condonavit, ita et vos invicem offensas condonetis.

2. *Et ambulate in dilectione.* Id est, sicut estis a Deo dilecti, sic et vos exercete opera mutuae dilectionis. Confirmat eandem exhortationem exemplo Christi, dum subjicit: *Sicut et Christus dilexit nos;* non tantum ut Deus, dilectione communi cum Patre, sed etiam ut homo, charitate creata et infusa; cujus magnitudinem declarat, quod sequitur:

Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. Non omnis oblatio etiam hostia est; ideo non satis habuit dicere *oblationem*, sed addidit *et hostiam.* Qua voce sacrificium significatur, nec qualecunque, sed animalis oblati. Phrasis illa metaphorica: *In odorem suavitatis*, vel ut Graeca vox sonat, *bonae fragrantiae* (sic enim et Hieronymus legit in praefatione commentarii in Zachariam) sumpta est ex veteri testamento, ubi de legalibus ac fumosis sacrificiis saepissime dicitur, ea acceptari a Deo *in odorem suavitatis*, id est, instar rei suaviter olentis. Igitur sensus est: Dilexit nos, adeo ut sponte semetipsum tradiderit pro redemptione nostri, seque obtulerit hostiam Deo acceptissimam, quando in cruce mortem pro nobis subiit. Non exprimit Apostolus, sed cogitandum relinquit, nos etiam, ubi res postulat, debere Christi exemplo tradere nosmetipsos in mortem pro fratribus. Quod quidem expressit Joannes 1. Epist. 3. dicens: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

3. *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis.* Redit ad praecepta sanctitatis. *Fornicatio* complectitur omnem sexuum commixtionem extra conjugium. *Immunditia* ad caeteras pertinet libidines seu pollutiones, quae contra naturam sunt, et ad generationem ordinari non possunt, ut bene S. Thom. exponit. De quo genere Hieronymum contra Cynicos philosophos aliosque nonnullos saeculi sapientes graviter et christiane scribentem in comment. videat lector castimoniae studiosus. *Avaritiae* nomen quid Paulo significet, ubi eam annumerat immunditiae peccatis, jam ad cap. 4, 19. dictum est ex Hieronymo. Qui et hoc loco repetit, Apostolum non de ea loqui avaritia, quae studet coacervandae pecuniae, sed qua quis insatiabilis et inexpletus per omnia turpitudinum genera lasciviaeque discurrit. Si quis autem, inquit, arbitratur avaritiam non hoc sensu accipiendam, reddat causam, cur Apostolus inter impudicitiae peccata mediam avaritiam extraordinarie posuerit.

Porro S. Thomas, cum prius vulgatam expositionem adduxisset, qua per avaritiam immoderatus amor pecuniae intelligitur, postea subjungit, intelligi posse eam luxuriae speciem, quae justitiae opponitur, id est, adulterium; quod est injustus usus uxoris alienae: sicut avaritia

est injustus usus pecuniae. Verum hic sensus ad locum superioris capitis minus potest accommodari. Sed et hoc loco sub generali nomine fornicationis adulterium, sicut alibi, facile comprehenditur.

Jam quod dicit Apostolus: *nec nominetur in vobis*, sive *inter vos*, ita intellige: Tam alienos esse vos volo ab his vitiis, ut si fieri potest, ne quidem audiantur aliquando nominari ex ore vestro, ne forte (quod proclive est in hujusmodi peccatis) ex ipso auditu concepta cogitatio carnem commoveat ad concupiscendum. Tale est, quod alibi praecipit: *Fugite fornicationem*, 1 Cor. 6. Et hinc quoque sumitur argumentum, ad idem genus peccatorum avaritiam, quam dixit, pertinere, quemadmodum et ex eo, quod sequitur:

Sicut decet sanctos. Sancti professione sunt omnes Christiani, sancti (inquam) vera sanctitate, quae est munditia Deo oblata: qua generaliter quidem a peccatis, per eorum remissionem, specialiter autem a sordibus carnalium peccatorum puri sunt et mundi.

4. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Subaudi ex parte praecedenti, *nec nominetur inter vos*, longe absit a vobis. *Turpitudo*, sive obscoenitas secundum S. Thomam consistit in tactibus, amplexibus et osculis libidinosis. Potest tamen hoc loco ad verba pertinere turpitudo, ut ad Col. 3. turpiloquium. *Stultiloquium* teste Hieronymo pertinet ad fatuas et ineptas fabulas, praesertim eas, in quibus sit aliquid obscoenitatis. Pro scurrilitate Graecis est εὐτραπελία, quae vox proprie urbanitatem seu comitatem significat, quam Philosophus 4. Eth. 8. in bonam partem accipit, et virtutem facit mediam inter duo vitia, scurrilitatem et rusticitatem.

Non est autem putandum, Apostolum hanc εὐτραπελίαν damnare voluisse, licet ita sentire Chysostomus videatur in parte morali sui commentarii: cum juxta ipsum Chrysostomum urbanitate usus sit Paulus, quando dixit: *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant*, Gal. 5. Sed eam vocem pro scurrilitate Apostolus posuit, quod plerumque, qui urbanitatem affectant, a medio virtutis aberrantes, ad scurrilitatem declinent. Qua in significatione etiam Pindarus Poëta Graecam vocem usurpasse legitur. Itaque recte noster interpres *scurrilitatem* vertit, quam nos, inquit Hieronymus, jocularitatem alio verbo possumus appellare. Ea est, quum in jocis et facetiis modus exceditur, praesertim admiscendo turpia. Et haec omnia S. Thomas affirmat esse mortalia peccata, in quantum ad mortalia ordinantur; ut saepe contingit in hujusmodi. Confer Cajetanum in 2. sec. q. 148. ad fin.

Quae ad rem non pertinet. Rectius in nonnullis codicibus plurali numero, *pertinent:* suffragantibus Hieronymo et Ambrosiano. Graece et Syriace, *quae non conveniunt*, id est, quae omnia dedecent Christianos, et sanctum eorum nomen dehonestant. Refertur enim ad tria praedicta, turpitudinem, stultiloquium et scurrilitatem.

Sed magis gratiarum actio. Scilicet nominetur, audiatur, sonet ex ore vestro. Id est, loco facetiarum et scurrilium jocorum, quibus homines carnales in congressibus et conviviis suis oblectare se solent, vos, semper memores beneficiorum Dei, potius ea loquimini, quae sonant gratiarum actionem, et talibus colloquiis vos oblectate. Sic enim et infra monet, ut *canentes et psallentes Domino, gratias agant semper pro omnibus.*

Hieronymus existimat Graeco nomine εὐχαριστία, propter consequentiam Apostolici contextus, hoc loco convenientius intelligi eam virtutem, qua grati, hoc est gratiosi apud homines appellantur. Nam ut stultiloquum et scurram non decet esse Christianum; ita decet sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. Confirmat hunc sensum ex eo, quod apud Hebraeos gratiosus et gratias agens uno vocabulo dicatur, id quod ex materna lingua putat imitatum Apostolum etiam in Graeco sermone, ut Eucharistiam, quae proprie gratiarum actionem significat, pro gratiositate posuerit.

Quae Hieronymi conjectura non est prorsus improbanda: quandoquidem et Graeci auctores εὐχάριστον vocant eum, qui jucundus, gratiosus et amabilis est. Atque ejus rei exemplum secundum LXX. profert idem Hieronymus ex Proverb. 11. cap., ubi nos legimus: *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Contendit enim, et aliorum interpretum collatione probat, legendum in Graeco εὐχάριστος, pro eo, quod in exemplaribus legitur εὔχρηστος. Sed haec non ita commemoramus, ut propterea priorem sensum, qui et pius et percommodus est, ac primum obvius, putemus posthabendum esse: licet hic posterior etiam Cajetano et Stapulensi magis arrideat. Certe vocabulum hoc εὐχαριστία nec apud Apostolum nec usquam alibi in tota Scriptura reperitur in alia significatione quam gratiarum actionis.

5. *Hoc enim scitote intelligentes.* Graece est: *Hoc enim estis*, vel *estote cognoscentes.* Ac magis placet modus praeceptivus, verba enim sunt denuntiantis malum, quod cavere debeant: sicut 1 Cor. 6., ubi similiter denuntians ait: *Nolite errare, neque fornicari etc.* Et Gal. 5. *Quae praedico vobis, sicut praedixi.* Jam vero idem est: *Estote intelligentes,* et: *scitote;* quod solum legit Hieronymus. Unde conjicere licet, remoto verbo: *Estote*, duas diversas interpretationes conflatas in unam. *Scitote, intelligentes.* Tametsi non rejicio, quod Erasmus annotat, quosdam codices non ἐστὲ, sed ἴστε legere; id est, *scitote;* quemadmodum et apud Oecumenium legisse videtur interpres ejus, dum vertit: *Scitote cognoscentes.* Nam et Hebr. 12, 17. pro *scitote* Graece scriptum est ἴστε. Sed quia hoc in sacris codicibus rarissimum est, ac fere semper pro *scitote* Graeca habent γινώσκετε: idcirco verisimilius arbitror, quod prius dixi.

Quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus. Graece et Syriace: *Qui est idololatra,* id est, idolorum cultor ac servus. Hieronymus legit: *quod est idolis serviens.* Videri potest in Latinis jam olim mutatam fuisse lectionem occasione loci Col. 3., ubi de avaritia dicitur: *Quae est simulacrorum servitus.* Quanquam nostra lectio facile sic accipitur, ut relativum *quod* non ad *avarum,* sed ad vitium eo nomine significatum, id est, avaritiam, referatur.

Illud majoris quaestionis est, quem hic avarum dicat Apostolus: et quo sensu avarum, idololatram: et avaritiam, idololatriam nominet. Eadem quaestio est de loco jam citato ad Col. 3. Et quidem plerique omnes avarum intelligunt usitato more eum, qui per fas et nefas studet opibus acquirendis; et hunc idololatram dici, quia unam eandemque rem colunt avarus et idololatra: scilicet aurum et argentum, alter in simulacris, alter in nummis. Unde Theophylactus opinatur, Paulum ad Davidem alludere. Quod enim ille dicit Psalm. 113. *Simulacra gentium argentum et aurum;* hoc Paulus ad avaros transferens invertit, tanquam diceret: argentum et aurum sunt avarorum simulacra, idola, Dii.

Quod tamen non ita intelligendum, quasi avarus proprie sit idololatra. Non enim aurum aut pecuniam proprie colit pro Deo suo, sed talis recte dicitur quadam similitudine: quia sicut paganus idolum veneratur ut Deum, ita avarus nummos quasi rem sacram ac divinam diligenter asservat, reverenter habet, forma delectatur, usu consumere non audet, iisque, secundum poëtam, tanquam parcere sacro cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis. Unde et Joannes Cassianus lib. 7. inst. mon. cap. 7. de avaritia: Cernis, inquit, ad quantam labem rabies haec per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum servitus Apostoli voce pronuntietur: eo quod figura Dei et imagine praetermissa, quam devote serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit et tueri.

Quanquam fortasse rectius cum S. Thoma dixerimus, idcirco avaritiam vocari

cultum idolorum: quia sicut paganus in idolo, sic avarus in idoli materia, quae est aurum et argentum, suam fiduciam collocat ejusque gratia omnia facit. Qua ratione et Dominus in Evangelio Matth. 6. homines avaros dicit servire mammonae, id est, divitiis.

At vero S. Hieronymus, licet hanc etiam expositionem, quam vulgatam esse fatetur, adferat: ipse tamen, sibi constans, eandem hic avaritiam significari putat, de qua jam semel et iterum superius Apostolum exposuit. Nec arbitratur sibi obstare, quod avarus hic appelletur idolorum servus. Nam sicut passim apud Prophetas idololatria fornicatio vocatur; ita vicissim, inquit, fornicatio per idololatriam potest intelligi. Rationem hujus appellationis explicant alii, ut Sasboldus in comment. et Galenus noster catechesi 82., nempe quod Simoniani (quos ab Apostolo notatos existimant) infandas libidines ita exercebant, ut eas referrent in Dei honorem, et tanquam sacrificium acceptissimum offerrent Patri universorum. Talia namque de Gnosticis, e schola Simonis exortis, scribit Epiphanius haeresi 26. Vide etiam Theodoretum lib. 1. haeret. fabul. cap. 2. Hunc igitur execrabilem cultum existimant ab Apostolo vocari idololatriam.

Non habet haereditatem in regno Christi et Dei. Habet, pro habebit. Nam alibi loquitur in futuro: *Non haereditabunt regnum Dei,* 1 Cor. 6. et Gal. 5., vel certe, in praesenti, *non habet haereditatem,* id est, jus haereditatis aliquando percipiendae: quod jus habetur in hac vita per gratiam adoptionis. Unde intelligitur, vitia jam dicta gratiam, qua quis haeres est regni coelestis, excludere, proindeque gehennae obnoxium facere. Sed quaeritur, an hoc extendendum sit ad caetera paulo ante memorata, turpitudinem, stultiloquium et scurrilitatem. S. Thomas extendere videtur; facit enim ea mortalia, ut supra indicavimus. At Hieronymus eodem suo comment. sic extenuat, ut in iis locum non habeat ista Apostoli denunciatio. Probabile est, quod dicit Cajetanus, Apostolum haec tria non repetivisse, eo quod secundum genus suum non sint peccata mortalia. Quod sequitur, *in regno Christi et Dei:* non ita dictum quasi Christus non sit Deus, aut aliud sit regnum Christi, aliud Dei; sed unum idemque regnum coeleste significavit; quod Dei est, ut regis naturalis; Christi autem hominis, ut regis a Deo constituti Psalm. 2. et hac ratione Deo subjecti, juxta doctrinam Apostoli 1 Cor. 15.

6. *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Id est, ne sinite vos decipi quorumdam vanis et fallacibus sermonibus, quasi hoc, quod dixi, non ita se habeat. *Inania verba* vocat, quibus veritas non subest, id est, falsa. Unde mendaces, vani vocantur.

Propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Particula *propter haec* non est referenda ad illud postremum, *inanibus verbis;* nam genus non convenit in Graeco, sed ad vitia prius enumerata, fornicationem, immunditiam et avaritiam. Idque clarum est ex simili loco Col. 3. *Propter quae venit ira Dei* etc., cum proxime recensuisset membra mortificanda, fornicationem, immunditiam etc. Verbum *venit* tam hic quam ad Col. praesentis temporis est, ἔρχεται. Unde Erasmus, nimia licentia usus, utrobique vertit, venire solet. Neque enim sensum Apostoli assecutus est: nam verbum illud Graecum non significat veniendi consuetudinem; sed praesentem veniendi actum cum quadam adsignificatione futuri, ut 1 Joan. 2. Antichristus venit. Hinc illud aliquoties in Evangelio ὁ ἐρχόμενος, qui venturus est.

Respicit igitur Apostolus ad futurum Dei judicium in impios, ut sit sensus, propter haec et hujusmodi peccata superventuram esse iram, id est, vindictam Dei, in eos qui talia committunt, sicut dicit 2 Thess. 1. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Christi; qui poenas dabunt in interitu aeternas* etc.

Estque notandum, Apostolum adversus

vaniloquos et seductores munire volentem Ephesios, gravem illam denuntiationem hic repetere, cum exaggeratione poenae, quasi dicat: Qui talia facit, non solum excludetur ab haereditate regni coelestis, verum etiam incurret in poenas gravissimas, quae pro talibus peccatis ab irato Deo exspectandae sunt. Porro quod interpres hoc loco transtulit, *in filios diffidentiae*, id ad Coloss. 3., ubi eadem verba ab Apostolo repetuntur, vertit, *super filios incredulitatis;* cum in Graeco utrobique sit ἀπειθείας. Qua voce significatur vitium contumacis ac praefracti animi, non admittentis suasionem rationabilem. Hieronymus vocat *insuasibilitatem;* Cypr. epist. 64., quae ad Epictetum, legit: *In filios contumaciae;* alii hic vertunt, *in filios inobedientes.* Sunt enim iidem illi, de quibus ad Thess. *Qui non obediunt Evangelio.*

Vocantur autem filii insuasibilitatis aut incredulitatis Hebraea phrasi, id est, homines impersuasibiles et increduli. Sic alibi *filius iniquitatis,* et hoc capite paulo infra *filius lucis.*

7. *Nolite ergo effici participes eorum.* Scilicet filiorum diffidentiae. Hieronymus *comparticipes legit,* ut est in Graeco. Sensus est: Proinde cavete, ne sitis consortes et socii eorum in peccatis supra dictis: id est, nolite similia facere, ne vos una cum illis involvat ira Dei.

8. *Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Tenebras* fuisse eos dicit propter ignorantiam Dei et rerum agendarum, quae tanta in eis fuerat, ut lapidem pro Deo colerent, et illa paulo ante enumerata non putarent esse peccata. De talibus capite superiori: *Tenebris obscuratum habentes intellectum;* et quae sequuntur. Nunc autem lucem in Domino eosdem esse affirmat, quia per Christum ab illis tenebris purgati, fide et justitia lucebant. Notandus est hic locus adversus imputatores, pro justitia inhaerente. Nam quomodo lux, in quibus verum justitiae lumen non inest? Id vero tale esset, ac si quis aërem tenebrosum imputatione vocet lucidum.

Ut filii lucis ambulate. Sensus exhortationis est: Recolite, quid fueritis, et quid nunc sitis; fuistis aliquando tenebrae, perinde ut illi diffidentiae filii: nunc autem estis lux in Domino. Igitur ostendite moribus et conversatione vos esse filios lucis, id est, vos ad lucem pertinere. Quae lux est gratiae, in fide et sanctitate consistens, et bonis operibus declaratur, juxta quod sequitur:

9. *Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate.* Hoc est, fructus, quem profert lux gratiae, situs est in omni genere virtutum ac bonorum operum; sive pertineant ad beneficentiam proximis impendendam, sive ad justitiam erga proximos servandam. *Veritas* ad utrumque praecedens videtur referendum, id est, ad bonitatem et justitiam; quod utriusque generis opera oporteat esse vera, recta, sincera, quaeque Dei judicio probentur. Nam sensu non dissimili cap. 4. nominavit justitiam et sanctitatem veritatis. Graeci codices habent: *Fructus enim spiritus* etc., sed refragantibus omnibus Latinis. At nec Hieronymus, Graecae lectionis meminit; nec dubium, quin Latina contextui magis quadret, quia de luce sermo erat, non de spiritu; fierique potest ut Graecis ansam mutandi textum dederit alius locus similis, qui est Gal. 5. *Fructus autem spiritus est charitas* etc.

10. *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* Graece *Domino.* Pars haec ordinanda cum illa superiore, *ut filii lucis ambulate;* nam quod sequitur, *fructus enim lucis* etc. parenthesi claudendum. Probantes, inquit, hoc est in morem prudentissimi trapezitae, qui sculptum numisma, Hieronymi verba sunt, non solum oculo, sed et pondere et tinnitu probat, solicite explorantes, quae sint opera Deo placita; ut ea sola faciatis. Sic Rom. 12. *ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.*

11. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Fructui lucis opponit opera tenebrarum, sicut ad Gal. 5. fructui spiritus, opera carnis. Et quo

manifestior sit antithesis, addit, *infructuosis.* *Opera tenebrarum* appellat, quae ex ignorantia Dei et verae justitiae procedunt: cujusmodi quaedam superius enumeravit. Eadem *infructuosa* vocat, non solum, quod fructum vitae non pariant operantibus, sed quia fructus illorum mors est Rom. 6., minus enim dicens, plus vult intelligi. Communicat autem hujusmodi operibus, qui ea facientibus consortem se praebet, similia faciendo.

Magis autem redarguite. Graece, *magis autem et arguite,* quemadmodum et Hieronymus habet. Sed et noster interpres paulo post vertit, *arguuntur,* verbo simplici, Caeterum Ambrosianus legit, *et objurgate;* et infra, *objurgantur.* Conjunctionem *et* habent etiam manuscripta quaedam Latina. Verbum, *arguite,* dupliciter accipi potest. Arguit enim et qui reprehendit ac revincit: et qui prodit ac manifestat. Aut igitur sensus est: Nec vobis satis sit similia non facere, nisi et, dum ab aliis fiunt, reprehendatis ac doceatis non esse facienda: quem commentarium postulant verba nostri textus et Ambrosiani: *redarguite, objurgate.* Aut hic sensus est: Quin potius vos, quia lux estis, illa tenebrarum opera lumine operum vestrorum prodite, detegite, manifestate: ut omnibus appareat illorum turpitudo. Nam contraria juxta se posita magis elucescunt. Utrumque sensum adfert Oecumenius: sed hunc posteriorem magis exigit metaphora lucis, in qua hactenus versatur Apostolus: quam et mox explicat.

12. *Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* Hoc quamvis ad filios diffidentiae, de quibus ante locutus fuerat, id est, ad infideles, referri possit, de quibus et capite superiori tale quid dixerat: alii tamen probabilius existimant hic notari familiam Simonis Magi, quae erat infandarum libidinum magistra. Ac sane eo refert hunc locum Epiphanius, de Simonis et sectactorum ejus haeresibus disserens. Possunt autem et illi sub filiis diffidentiae seu contumaciae comprehendi.

13. *Omnia autem, quae arguuntur, a lumine manifestantur.* *Lux* et *lumen* eadem est vox in Graeco, ne quis frustra in discernendo laboret. Illud *a lumine,* medium inter duo verba, potest cum utrolibet construi: sed convenientius cum sequenti; ut sensus sit: Dixi, vos, qui estis filii lucis, arguere debere opera tenebrarum. Sic enim habet rei natura, ut quaecunque tenebrosa arguuntur, id est, produntur, ea manifestentur a lumine. Nam argui, seu prodi, non aliud est, quam in lucem proferri.

Omne enim quod manifestatur, lumen est. Graecum participium φανερούμενον, cum sit medium, potest etiam active exponi: *Omne quod manifestat;* aut ut Syrus interpres transtulit, *omne quod revelat, lux est.* Nam certe passiva acceptio obscuritatem habet et lumine indiget. Eam plerique quidem sic exponunt, *omne quod manifestatur,* id est, peccatum, dum a lumine proditur ac redarguitur, *fit lux,* id est, in justitiam convertitur per poenitentiam: et proinde debetis omni studio opera tenebrarum arguere, ut qui ea faciunt, relictis tenebris ad lucem veniant, et lux fiant. Quem sensum in paraphrasi diligenter prosequitur Erasmus. Sed ut taceam, quam absurde sonet peccatum, quod manifestatur, esse lucem, quaero, quomodo secundum hunc sensum universaliter dicat Apostolus: *Omne quod manifestatur, lumen est?* cum plurimi hoc modo manifestati maneant in tenebris; et lumen, quo manifestantur, oderint, dicente Evangelista: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt,* Joan. 1. Et ipso Domino attestante: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus,* Joan. 3.

Quocirca multo probabilior est activa participii acceptio, quam et Cajetanus amplectitur, quamque consequentia textus Apostolici prorsus exigere videtur. Prae-

ceperat enim Ephesiis, ut tanquam filii lucis ambularent, et opera tenebrarum arguerent; quandoquidem, inquit, omnia quae arguuntur, a lumine manifestantur. Et hoc probat, quia omne manifestans lumen est, id est, nulla res potest manifestare et in apertum proferre aliquid obscurum, nisi sit lux, aut lucis particeps. Quod quidem veritatem habet universalem, tam de luce spirituali, quam corporali. Ad quem intellectum potest et nostri interpretis versio aptari, si sic intelligatur: omne id, quod per se ac primo manifestatur, lux est; ut proinde nihil aliud queat manifestari nisi beneficio lucis. Porro verisimile est Apostolum, euphoniae gratia, potius φανερούμενον, quam φανεροῦν dicere voluisse. Ac forte minus in usu est hoc participium neutrum, eo quod coincidat cum infinitivo.

14. *Propter quod dicit: Surge qui dormis.* Graece, *expergiscere qui dormis. Et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Codex Laudensis pro *te* habet *tibi.* Graece: *Et illucescet tibi Christus,* quemadmodum et S. Ambrosius legit lib. 3. de Spiritu sancto cap. ult. Pro quo Hieronymus in commentario vertit: *Orietur tibi.* Commentator autem Ambrosiaster legit: *Et continget te Christus.* Sic et Augustinus in enarr. Psalm. 3. Cujus lectionis etiam Hieronymus meminit. Sed quisquis ita vertit, non legit in Graeco ἐπιφαύσει, ut nunc omnes codices habent, et quomodo Graeci commentatores legerunt, sed ἐφάψεται, ut observat idem Hieronymus.

Quod autem ab eo narratur de quodam, qui testimonium hoc exposuerit tanquam dictum a Christo pendente in cruce, ad Adam sub ea sepultum, qui sanguine redemptoris contactus vitam receperit: id nec ipse Hieronymus probat, et alibi velut fabulosum rejicit ac refellit, ut in comment. super Matth. 27. Quanquam idem Hieronymus epist. 17. admittit, Adamum illic fuisse sepultum, ubi Christus fuit postea crucifixus, quod idem a multis veteribus traditum est, quos refert Baron. anno Christi 34. sect. 112.

Quaeritur, ubi scriptum sit hoc testimonium a Paulo citatum. Existimat Hieronymus, nusquam in sacris literis exstare, sed vel sumptum ex apocrypho quopiam, sicut alibi etiam ex Poëtis ethnicis versiculos usurpat Apostolus; vel ipsum Spiritu sancto plenum, more prophetarum dicentium: *Haec dicit Dominus,* repente in verba, quae Christus in se loquebatur, erupisse, quasi dicat: Haec Christus, sive Spiritus sanctus per me loquitur: *Surge qui dormis* etc. Verum haec, inquit S. Thomas, non est consuetudo Pauli. Quocirca putat referendum esse ad locum Jes. 60., ubi Propheta mysticam Jerusalem, id est, Ecclesiam, sic alloquitur: *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos: super te autem orietur Dominus.* Hanc S. Thomae sententiam pluribus verbis probabilem reddit Cajetanus, eamque multi alii sequuntur, ac merito.

Videtur enim Apostolus, agens de tenebris peccatorum et lumine gratiae, verba prophetae generaliter ad Jerusalem dicta, in quibus luminis ac tenebrarum fit mentio, mutatis et additis quibusdam per accommodationem assumere pro exhortatione peccatoris, ut e somno ac morte, quae tenebrarum sunt, exurgens, a Christo illuminari mereatur. Ut sensus sit: Huc facit illud, quod scriptura dicit: Tu qui detineris somno peccatorum, expergiscere, et qui mortuus es in peccatis, resurge a morte: et Christus, qui est verum lumen, per gratiam suam super te orietur, teque illuminabit. Quibus verbis excitatur quidem liberum arbitrium peccatoris, ut a peccatis resurgat: verum certe, ait S. Thomas, hoc ipsum habet liberum arbitrium a gratia praeveniente; sicut et postea meritorie operari, a gratia subsequente. Vel ut idem Doctor ait. 1. 2. quaest. 109. art. 7. ad 1. hanc scripturam explicans: Cum homo per liberum arbitrium a Deo motum surgere conatur a peccato, recipit lumen gratiae justificantis. Igitur haec illuminatio, quae pec-

catori surgenti a peccatis promittitur, ad gratiam pertinet, vel justificantem, vel subsequentem.

15. *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis. Fratres,* non est in Graeco, et pro *caute,* Graece est, *diligenter, accurate,* quod in re praesenti ferme idem est, quod caute et circumspecte. Vos, inquit, qui estis filii lucis, ideoque errare, quasi in tenebris, non debetis; *videte,* id est, utimini luce vestra ad videndum, quomodo bene et circumspecte conversemini, maxime cum iis, qui foris sunt, id est, infidelibus; hoc enim expressit Col. 4. *Non quasi insipientes, sed ut sapientes.* Explicatio est ejus, quod dixit, *caute.* Nam insipientes incaute et imprudenter ambulant, sapientes, caute et prudenter.

16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Tempus,* Graece καιρὸν, quod proprie temporis occasionem, sive opportunitatem significat. Et ita verterunt Erasmus et Theophylacti interpres. Sed sciendum, Apostolo plerumque idem esse καιρὸν, quod χρόνον, ut recte Sasboldus annotavit. Atque isto modo tam Graeci, quam Latini interpretes, tempus intelligunt hoc loco, sensum hujusmodi reddentes: *Quoniam dies mali sunt,* id est, quia tempus hujus vitae plenum est tentationibus et laqueis peccatorum, juxta illud: *Tentatio est vita hominis super terram,* Job. 7. secundum LXX., idcirco vos adhortor, ut redimatis tempus, id est, ut quovis pretio tempus hoc salutare faciatis vobis liberum ad serviendum Deo. Potius patimini bonorum temporalium dispendia, quam ut ea cum aliquo salutis aut Evangelii dispendio velitis retinere.

Potest etiam sic recte accipi: *Dies mali sunt,* hoc est, viget adversum Christianos persecutio: ideo tempus redimite, id est, potius aliquod rerum vestrarum dispendium patimini, quam ut adversariis relinquatur occasio persequendi fidem Christi. Confer cum loco Col. 4, 5. Parent huic Apostoli praecepto non solum, qui relictis omnibus Christum sequuntur; verum etiam, qui cum res postulat, amittere aliquid de suo malunt, quam jus suum prosequendo temporis et tranquillitatis, quam in Deo habent, jacturam facere.

Alibi tempus redimere dicuntur, qui moras trahunt ad evadendum, ut Dan. 2. rege dicente ad Chaldaeos: *Certe novi, quod tempus redimitis.* Gregorius quoque lib. 5. Mor. cap. 38. tempus redimere nos dicit, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. Sed hae significationes non conveniunt praesenti loco, ut nec alteri illi, qui est Col. 4., ubi idem hoc praeceptum repetitur. Porro *dies malos* vocat Apostolus non a temporis vitio, sed hominum, qui in tempore vivunt. Interdum vero mali dicuntur dies, propter afflictionem et miseriam, quae hominibus in tempore accidit. Sic enim Jacob patriarcha Gen. 47. dies vitae suae malos appellavit.

17. *Propterea nolite fieri imprudentes.* Alii vertunt: *Ne sitis imprudentes.* Utrumque recipiunt Graeca. *Sed intelligentes, quae sit voluntas Dei.* Graece: *Sed intelligentes voluntatem Domini.* Sensus Apostoli est: Cum dies mali sint, et omnia peccandi periculis plena; ne sitis imprudentes et incauti in conversatione vestra, ne tempus bene agendi vobis effluat; sed date operam, ut intelligatis, quid Deus a vobis velit fieri; et sicut supra dictum est, *probate diligenter, quid sit beneplacitum Deo.*

18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hic quoque Apostolus, ut aliquoties supra, ad scripturam respicit; partim Prov. 23., ubi pro eo, quod nos ex Hebraeo legimus: *Ne intuearis vinum;* LXX. verterunt, sicut hic in Graeco habetur: *Ne inebriemini vino,* partim Prov. 20., ubi secundum eosdem LXX. potius quam secundum Hebraicam veritatem legitur: *Luxuriosa res vinum.* Quam vero Apostolus ebrietatem, et quos ebriosos intelligat, alibi diximus. Neque enim hoc vitium restringit usque ad deliquium rationis. Illud *in quo* vel ad vinum referri potest, ut conveniat cum memorata sententia Sapientis, vel ad totum

istud, *inebriari vino.* Quo quidem posteriori modo dictum Apostoli non habet ambiguitatem. Sed etsi, quod magis apparet, ad vinum referatur, nulla continetur hic injuria creaturae Dei.

Non enim in vino luxuria esse dicitur, ut in causa ejus vitii proprie effectiva, sed agente dumtaxat per modum occasionis; quae tantum improprie, et, ut ita dicam, abusive, causa vocari potest: ut in vino luxuria esse dicatur, eo quod ex vino largiter hausto corpus ita solet affici, ut tentante concupiscentia facile provocetur ad luxuriam. Nec dissimilis locutio Dan. 13. *Species decepit te.* Quod tamen ne male intelligeretur, continuo additum est: *Et concupiscentia subvertit cor tuum.* Sic Ecclesiastici 19. *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Simile et illud, quod Ecclesia canit in festo sanctae crucis, *fructus arboris seduxit nos.* Ita et medici sine reprehensione loquuntur: Haec herba bilem provocat, illa Venerem ciet. Vide etiam, quae diximus ad illud 1 Cor. 8. *Scientia inflat.*

Luxuria, Graece ἀσωτία, non ad sola peccata libidinis pertinet; sed ad universum genus intemperantiae, lasciviae et prodigalitatis extenditur: quemadmodum et ἀκόλαστον, qua voce usi sunt LXX. in Proverbiis, generaliter dicitur de prodigo, lascivo et intemperante. Hoc generali modo luxuriam hic accipiunt Hieronymus et Graeci: tanquam sensus sit, ex vino immoderate sumpto homines velut impelli ad quodvis genus intemperantiae ac temeritatis.

Alii vero non male putant ab Apostolo peculiariter significatam esse luxuriam, quae in libidine venerea consistit. Ad hanc enim incitari homines vino potos, experientia testis est. Unde illud verissime ab Hieronymo dictum: Venter mero aestuans facile despumat in libidinem. Facit quoque sensus hic ad taxandos Simonianos, qui, ut inter alia refert Epiphanius, solent peregrinis fratribus convivia extruere, et mero calefactis, praetextu fraternae charitatis, uxores suas communes facere.

Sed implemini Spiritu. Opponit hoc ei, quod dixit, *inebriari vino,* quasi dicat: Nolite repleri vino, unde ebrietas et luxuria: sed potius implemini Spiritu sancto, id est, gratia et laetitia spirituali, atque in universum bonis spiritualibus. Quaerit hic S. Thomas post Chrysostomum, an Spiritus sanctus sit in nostra potestate. Ad quod breviter respondetur, non esse, nisi quatenus per Dei gratiam libere exercemus opera bona, quae sunt Spiritus sancti dona, et per quae Spiritu sancto magis magisque replemur: ut explicat Chrysostomus. Nam ipsum secundum se Spiritum sanctum, qui Deus est et Dominus omnium, in nostra potestate esse, nullo modo fatendum est.

19. *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus. In* praepositio non additur in Graeco; quemadmodum nec Col. 3., ubi haec fere eadem repetuntur. *Psalmus* et *hymnus* Graeca vocabula sunt. Quamvis apud auctores profanos *psalmus* in genere cantionem significet, praesertim eam, quae fit citharae pulsu; *hymnus* vero Deorum laudibus accommodari soleat: in sacris tamen literis utriusque non nisi sacrum argumentum est; ut *Psalmi* sint sacrae cantiones in genere, quales omnes Psalmi Davidici: *Hymni* vero, qui proprie Dei laudes continent. *Cantici* nomen prorsus generale est, ideoque addidit *spiritualibus.* Hoc enim ad solum proximum vocabulum referendum est, non ad duo priora: quia, ut dictum est, *Psalmus* et *Hymnus* consuetudine scripturae tantum in sacris et spiritualibus intelliguntur.

Jam quod ait: *Loquentes vobismetipsis,* quidam sic exponunt, meditantes interna ac tacita locutione. Sed illi Graecam phrasim non considerarunt, qua significatur allocutio mutua; quemadmodum annotavimus ad illud capitis praecedentis, *donantes invicem.* Praecipit igitur Ephesiis Paulus, ut impleantur Spiritu S., idque futurum docet, si pro lascivis et amatoriis cantionibus, quas in suis

symposiis cantare solent ebriosi, recitent et canant inter se mutuo psalmos et hymnos et cantica spiritualia.

Videtur autem significari modus alternatim cantandi, qui usque hodie per universam Ecclesiam frequentatur. Simul observa veterem Christianorum morem, quo Psalmos et hymnos cantabant, non solum in conventibus Ecclesiae, verum etiam in domibus privatis, aliisque in locis. Sic Paulus et Silas in carcere constituti Deum hymnis laudabant, ita ut ab aliis captivis audirentur, Act. 16.

Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Graece, *in corde vestro;* quemadmodum et Coloss. 3., per quod expressius insinuatur cantantium unitas et consensus, juxta illud Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Sentit autem Apostolus, non summis labiis tantum, aut ad mulcendas aures cantandum et psallendum esse Deo, si Spiritu sancto repleri volumus; sed ex intimo cordis affectu. Audiant haec, inquit Hieronymus, illi quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum. Et iterum: Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quae leguntur; ut spiritus malus, qui erat in Saule, ejiciatur ex his, qui similiter ab eo possidentur. Addo, quod intendit Apostolus: et ut ipsi qui cantant, sancto Spiritu repleantur.

20. *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Semper,* idem quod alibi dicit, *sine intermissione,* id est, quam frequentissime, et quavis occasione, quemadmodum et semper orandum esse Christus docet Luc. 18. Quod ait, *pro omnibus,* dubium, rebus an hominibus. Cajetanus ad homines refert: Theophylactus de utrisque exponit. Verum multo rectius alii plerique ad res, non ad personas referunt. Non enim vult Apostolus, ut Deo gratias agamus pro omnibus hominibus, sunt enim quamplurimi adhuc infideles, et nondum gratiae Christi participes, pro quibus Ecclesia orare didicit, non gratias agere. Dicitur quidem 1 Tim. 2. *pro omnibus hominibus,* sed hoc refertur magis ad *orationes,* quam ad *gratiarum actiones:* ut patet ex verbis sequentibus: *Ut quietam et tranquillam* etc. Nam gratiarum actiones pro fidelibus proprie fiebant.

Jubemur autem gratias agere pro omnibus rebus, utique bonis, quaecunque nobis accidunt, aut quaecunque a nobis habentur, seu prosperae sint, sive adversae: maxime vero pro bonis ad pietatem et salutem nostram pertinentibus. Quanquam electis omnia Deus in salutem facit provenire. Sic alibi de rebus aeque generali sententia praecipit: *In omnibus gratias agite,* 1 Thess. 5. Quod si pro omnibus bonis agendae sunt Deo gratiae: certa consequentia est, omne bonum nostrum, quod sumus, quod habemus, quod agimus, quod patimur, esse a Deo.

Nam et adversa, per quae Deus electis suis cooperatur in bonum, hic comprehendi, diserte monent interpretes Graeci et Latini: nominatim Hieronymus, cujus inter alia lectu digna, quae scribit, haec sunt verba: *Christianorum virtus est, etiam in his, quae adversa putantur, gratias referre creatori.* Et infra: *Sed juxta Apostolum haec virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiae referantur, et semper dicamus: Benedictus Deus: minora me scio sustinere, quam mereor. Haec ad mea peccata, parva sunt. Nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est* etc. Porro Chrysostomus ad ipsam etiam gehennam extendit, quatenus gehennae metu velut fraeno retrahuntur homines a peccatis.

Quod sequitur: *In nomine Domini nostri Jesu Christi,* significat gratias pro omnibus bonis agendas Deo per Christum, utpote cujus nomine, respectu ac merito nobis omnia proveniunt: idque vel absolute, ut est omne bonum pietatis; vel in quantum ordinantur ad nostram salutem, etsi secundum se indifferentia; inter quae sunt adversitates et miseriae, et mors ipsa. Quo sensu verissimum est,

quod Oecumenius adscribit pro ratione hujus particulae; nam per Christi nomen omnia nobis contingunt. Pulchre vero Theophylactus ex hac generali sententia Apostoli colligit ac docet, ipsam quoque nostram gratiarum actionem inter ea bona, quae per Christum habemus, et pro quibus agendae sunt Deo gratiae, numerandam esse. Ex quibus liquet, graviter falli quosdam, qui nomen suum ponunt inter Theologos, qui fidem aut aliud quodcunque bonum nostrum salutare subtrahunt merito Christi.

Jam quod dicit Apostolus: *Deo et Patri,* sic accipiendum, quomodo dixit 2 Cor. 1. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi.* Ut vocabulum Patris, non ad filios adoptivos referatur, sed ad Filium naturalem, quem proxime nominaverat. Ideo autem solum Patris expressit personam, quia Pater omnium bonorum est auctor sine auctore, et principium sine principio.

21. *Subjecti invicem in timore Christi.* Divertit ad informationem disciplinae domesticae; quam et prosequitur ferme usque ad medium sequentis capitis. Pendet vero sententia adhuc ab illo verbo, *implemini spiritu.* Non est autem sensus, omnes omnibus subjectos esse debere, quomodo Cajetanus videtur intellexisse, sed alios aliis, hoc enim significat Graeca vox ἀλλήλοις, id est, inferiores superioribus; quemadmodum patet ex praeceptis particularibus, quae subjungit. Monet igitur, ut subditi obedientiam, quam debent, praestent superioribus; idque *in timore Christi,* hoc est, cum timore, qui convenit Christianis, quorum est non ad oculum obedire, sed ex animo et propter Deum, sicut infra praecipitur servis. Plerique Graeci codices legunt: *In timore Dei,* id est, ut Theophylactus exponit, Dei timorem prae oculis habentes, et non solum spectantes temporale commodum. Oecumenii commentarius nostrae favet lectioni; quae eadem est apud omnes Latinos et in Graecis Complutensibus.

22. *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino.* Graece, *propriis subditae estote,* tametsi Hieronymus negat, in Graecis codicibus omnino verbum haberi hoc loco, utpote ex praecedenti parte repetendum, ubi dictum est, *subjecti invicem.* Quod addit, *sicut Domino,* non hunc habet sensum, tanquam dominis, non enim viri jus habent dominorum in uxores velut ancillas; licet Sara virum suum Abraham, honoris causa, dominum vocasse legatur Gen. 28., sed, *sicut Domino,* Christo, id est, in viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput et sponsus Ecclesiae. Qui sensus explicatur in sequentibus.

23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.* Similitudo est in generali ratione capitis analogici, id est, superioris ac praefecti. Sicut enim Christus praeest Ecclesiae suae, eamque gubernat ac protegit, ad ipsius Ecclesiae utilitatem; ita maritus uxori suae praeesse debet eamque regere ad bonum ejus ac totius familiae. Unde sequitur:

Ipse salvator corporis ejus. Graece: *Et ipse est, salvator corporis.* Nam pronomen *ejus* additum non habet non solum Graecus textus, sed nec Syriacus. Hieronymus quoque et multa manuscripta Latina non agnoscunt. Graeci de marito sententiam exponunt, hoc modo: Idemque vir salutem dat corpori, hoc est, cujus ipse est caput; nam capitis est, salutem totius corporis procurare. Ideo justum est, ut sicut corpus capiti subjectum est, ita et uxor viro. Sed hoc multo magis in Christum competit, de quo Latini interpretantur. Christus enim, qui caput est Ecclesiae, idem et salvator ejus est, tanquam corporis sui; quia derivans in eam omne genus bonorum spiritualium, certissime et efficacissime eam ad salutem aeternam perducit. Per hoc autem insinuatur, extra Ecclesiam frustra sperari salutem: quemadmodum olim extra arcam. Est enim cum exclusione intelligendum, quod dicitur Christus salvator sui corporis. Non enim caput facit influere vitam et salutem in corpus alienum, sed tantum in suum, cujus est caput. De vo-

cabulo *salvatoris*, pro quo neoterici quidam servatorem malunt, dicemus aliquid, cum exponenda nobis erunt illa verba Phil. 3. *Unde etiam salvatorem exspectamus.*

24. *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* Subaudi, subjectae sint. Vocula *sed* vim habet subsumptionis; quasi diceret: Atqui Ecclesia subjecta est Christo, velut corpus capiti: sic igitur et mulieres viris suis subjectae esse debent. Quod addit, *in omnibus,* ad utrumque membrum videtur referendum. Nam Ecclesia quidem Christo subjecta est in omnibus sine exceptione: mulieres autem viris suis subditae esse debent in omnibus, ad quae viri potestas, sive superioritas sese extendit. Ea autem sunt quaecunque ad gubernationem domesticam pertinent.

Sed dicet aliquis: Multi in Ecclesia mali sunt, non Christi, sed diaboli voluntatem facientes; quomodo igitur absolute dicitur, Ecclesiam Christo subjectam esse in omnibus? Respondeo id absolute de Ecclesia verificari, quod ei competit secundum partes praecipuas magisque proprias, id est, eas, quae eundem cum capite spiritum participant. Hujusmodi autem sunt soli boni. Qua ratione etiam sancta vocatur Ecclesia in symbolo fidei.

25. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Vicissim viros admonet officii erga uxores; scilicet ut benignos erga eas sese exhibeant, amorem ostendant, studeantque earum saluti, nec ullis immunditiis eas polluant, aut pollui sinant. Huc enim spectare videtur comparatio subjuncta de Christo, Ecclesiam suam sanctificante. Sic etiam Thessalonicenses admonet, ut vasa sua possideant in sanctificatione et honore 1. Epist. 4. Jam quod ait: *Sicut et Christus dilexit etc,*, non aequalitatem dilectionis exigit, sed imitationem. Respicere enim viri debent in Christum Ecclesiae sponsum, tanquam exemplar, quod in amandis uxoribus imitentur.

Et seipsum tradidit pro ea. Id est, adeo dilexit eam, ut semetipsum pro ea daret in mortem; ad hoc nimirum, quod sequitur:

26. *Ut illam sanctificaret.* Id est, mundam Deo redderet ab omni impuritate peccati. Cujus sanctificationis etiam modum subjungit: *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Quod in multis codicibus addebatur *eam, mundans eam,* merito Romani correctores omittendum censuerunt. Jam enim expressum erat, *ut illam,* *αὐτήν; eam* nec Graeca hic agnoscunt. Porro genitivus *vitae* nec in Graecis est, nec apud Latinos veteres, nec in antiquioribus Manuscriptis apud nos repertis. Catechismus quoque Romanus hunc locum citans, ubi de baptismi fructibus agit, non addit *vitae.*

Cum autem per lavacrum aquae omnes uno consensu baptismi sacramentum intelligant: quaeritur, de quo *verbo* loquatur Apostolus. Et quidem Chrisostomus ac caeteri Graeci, Latinique posteriores referunt ad verba mystica baptizantis: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti;* Augustinus autem tract. 80. in Joan. potius videtur intelligere verbum doctrinae evangelicae, quatenus fide suscipitur. De hoc enim verbo, non autem, ut quidam volunt, de verbo sacramenti, Augustinum loqui, apparet tum ex Evangelii loco, quem tractat: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis;* tum ex aliis, quae citat, testimoniis, uno Pauli Rom. 10. *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus: quoniam si confessus fueris* etc., ac duobus Petri, altero Act. 15. *Fide purificans corda eorum,* et altero 1. Epist. 3. *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* Quae omnia de verbo fidei ejusve confessione loquuntur.

Haec denique *verbi* acceptio valde consentanea est consuetudini Scripturae: quae formulam verborum sacramenti nusquam legitur verbum appellasse; sed passim eo nomine, etiam solitarie posito,

sicut hic ponitur, Evangelii doctrinam significat: ut patet ex Actis et Epist. apostolicis. Imo et effectum baptismi, scilicet regenerationem, mundationem, salutem, perinde ut Paulus hoc loco, etiam alii Apostoli tribuunt verbo fidei: ut Petrus in verbis jam citatis, et ejusdem Epistolae cap. 1., cum ait: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum.* Quod mox exponens subjungit: *Hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vobis.* Et Jacobus cap. 1. *Genuit nos,* inquit, *verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus.* His adde, quod si Paulus verbum sacramentale voluisset intelligi, potius hoc modo dixisset: *Mundans eam lavacro aquae et verbo,* id est, per aquam et verba simul cum lotione prolata. Cum Augustino sentiunt Hieronymus, Primasius et Sedulius in commentariis; et inter neotericos Catharinus aliique nonnulli.

Est autem observandum, quod, cum Scriptura alibi diversis locis nunc sacramento, nunc fidei tribuat mundationem et regenerationem nostram; hoc loco utrique simul eam adscribit, *lavacro et verbo,* id est, sacramento simul et fidei. Quod nota contra haereticos, qui ita fidem extollunt, ut sacramenta deprimant: solam signi ac sigilli rationem eis concedentes.

Sensus igitur Apostoli est: Tradidit semetipsum Christus pro Ecclesia, ut eam ex immunda mundam sanctamque redderet: dum videlicet aquae baptismo per verbum Evangelii creditum ac fide susceptum mundat eam a peccatis. Juxta hunc sensum plenior est Apostoli sermo, quam si verbum sacramenti intelligeretur. Quod utique in lavacro aquae, quatenus est Christi sacramentum, comprehenditur. Si quaeras, quomodo Christus Ecclesiam mundet lavacro aquae, breviter respondeo, velut instrumento virtutis divinae, id est, signo efficaci ex ipsius Christi institutione et promissione. Qua de re accuratior est disputatio in 4. Sent. dist. 1.

27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta et immaculata. Ipse,* Graece, ipsam, quomodo et in Latinis nonnullis legitur. Secundum quam lectionem ita distinguitur sententia, ut post *gloriosam* hypostygme ponatur hoc modo: *Ut exhiberet eam sibi gloriosam;* nempe Ecclesiam non habentem maculam etc. Quo etiam facit articulus dictioni *Ecclesiam* praefixus in Graeco. Quanquam et Latinorum lectio simili modo distinguenda videtur.

Quaeritur autem quando Christus Ecclesiam sibi talem exhibeat, qualis hic describitur, scilicet gloriosam et macula rugaque carentem, denique sanctam et immaculatam, sive, ut in Graeco est, irreprehensibilem. Graecorum commentarii totum hoc referunt ad tempus vitae praesentis, in quo Christus Ecclesiam suam ab omnibus peccatorum maculis baptismi sacramento mundatam, sibi exhibet pulchram et omni genere virtutum exornatam. Eodem referunt glossa tam ordinaria, quam interlinealis. Item Liranus et Cajetanus, et ante hos Ambrosianus lib. 1. in Luc. ad illud cap. 1. *Erant autem justi ambo ante Deum.* Et lib. 4. in caput Luc. 4., ubi dicit, Ecclesiam per baptismum esse virginem immaculatam et sine ruga; nec secus hunc locum intellexisse videtur Gregorius lib. 2. Mor. cap. 29. Quo pertinet et illud Nicolai Pap. I. ad consulta Bulg. cap. ult. Sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit, et sine ruga. Pro hoc intellectu potest adferri, quod Apostolus per lavacrum aquae testatur Ecclesiam mundari: utique in hoc saeculo; quodque credimus Ecclesiam non modo triumphantem, verum etiam hanc militantem, esse sanctam.

Sciendum est autem, ex hoc loco Pelagianos quaesivisse patrocinium sui dogmatis, quo docebant, hominem posse vivere sine peccatis, idque a multis etiam praestari. Contra quos disputans Augustinus ita eis respondet, ut doceat, Apostoli verba non ad Ecclesiam, qualis nunc

est, sed qualis in consummatione saeculi ac beata resurrectione futura est, pertinere. Tunc enim et gloriosa erit, et prorsus omnique ex parte sancta et immaculata. Agit id ex professo toto fere libro de perfect. justit. Alia ejusdem loca sunt lib. 1. Retr. cap. 7., lib. 1. de nupt. et conc. cap. 34., lib. 4. contr. 2. epist. Pelag. cap. 7. et lib. de pecc. origin. cap. 40. Eadem expositio est apud Hieronymum lib. 3. dialogi contra Pelagian., nec non apud Primasium et Thomam in commentariis: licet hic etiam priorem sensum adducat. Augustini sententiam probabilem reddit alius Apostoli locus 2. Corinth. 11. *Despondi vos,* inquit, *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ubi manifeste tempus virginis desponsatae, ut praeteritum, distinguit a tempore ejusdem Christo exhibendae, tanquam adhuc futuro. Sic enim et hoc loco tempora distinguere videtur, quasi dicat: Nunc mundat, ut aliquando gloriosam et immaculatam exhibeat. Nam et utrobique idem in Graeco verbum est *exhibere.*

Igitur in hoc saeculo mundatur et sanctificatur Ecclesia per baptismum et fidem; sed non perficitur haec ejus mundatio et sanctificatio, ut gloriosa, perfecte sancta et prorsus immaculata dici possit, donec finiatur hoc saeculum. Quo finitio, Christus Ecclesiam sponsam suam, haec enim est constructio verborum Apostoli, totam macula, ruga et omni deformitate carentem, adeo ut sit omni ex parte sancta et irreprehensibilis, ipse sibi exhibebit, adducet, sistet gloriosam, id est, pulchritudine et gloria refulgentem, tam in corpore quam in anima; copulaturus eam sibi vinculo ac foedere nuptiarum insolubili. De quibus futuri saeculi nuptiis, inter Christum et Ecclesiam celebrandis loquitur ipse Christus in parabola decem virginum Matth. 25. Loquitur et Joannes in Apoc. 19. dicens: *Quia venerunt nuptiae agni: et uxor ejus praeparavit se.* Qui et de gloria sponsae subjungit: *Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido etc.*

Haec omnia sententiam Augustini plurimum confirmant: et per haec liquide evanescit objectio Pelagianorum. Tametsi nec prior commentarius illis favet. Dicitur enim Ecclesia praesentis saeculi non solum sancta, verum etiam immaculata, non quod omni prorsus macula careat, sed quod in praestantioribus suis membris nullam habeat ejusmodi maculam, a qua simpliciter quis appellari possit maculatus. Tales enim solae sunt maculae mortalium peccatorum. Et idem judicium de ruga, et si quid hujusmodi.

Ut autem in verbis Apostoli *macula et ruga* distinguantur: potest in macula intelligi deformitas operis, et in ruga duplicitas intentionis. Sic enim Anselmus et S. Thomas post Augustinum distinguunt. In eo autem, quod additur, *aut aliquid hujusmodi,* possunt intelligi reliquiae peccatorum; ut pravae inclinationes, et motus involuntarii et multiplices ignorantiae: quae omnia cessabunt in Ecclesia glorificata. Dicuntur autem haec a similitudine mulierum, quae propter maculas et rugas displicere solent viris suis: ideoque, ut ait Hieronymus, omni studio agunt, ut quod foedare videtur, abstergant, et exhibeant maritis corporum venustatem.

28. *Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.* Digressus nonnihil Apostolus ad mysterium, nunc ad institutum revertitur. Nec est in Graeco conjunctio *et,* sed absolute legitur: *Sic debent viri diligere suas uxores, ut sua corpora:* ut illud *sic* referatur ad sequentem particulam, *ut sua corpora.* Juxta nostram vero lectionem, quam habent etiam veteres Latini, sermo refertur ad praecedentia, quasi dicat: Quemadmodum igitur Christus Ecclesiam suam ut corpus suum dilexit: ita et viri debent uxores suas deligere, tanquam corpora sua: hoc est, exemplo Christi ea, quae salutaria sunt, illis providere, sicut caput providet corpori. Vel novo argumento hic utitur Apostolus ad suum propositum, nempe quod quia prima mulier ex primo viro est: uxor est quodammodo pars ma-

riti. Et hic sensus non male quadrat sequentibus.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Efficax hortatio est ad diligendam uxorem, a sui ipsius dilectione. Qui enim diligit uxorem suam, corpus suum diligit, et proinde seipsum: inquantum caput et corpus unum quid constituunt. Exhortationem confirmat sequentibus verbis:

29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam.* Sententia absolute vera. Sicut enim nemo potest seipsum simpliciter odio habere: ita nec corpus aut carnem suam, quae aliquid est sui. At sicut seipsum quis odisse potest secundum quid, scilicet, ut peccatorem, miserum, imbecillem; ita et carnem suam multi oderunt, ut vitiosam, morbidam, spiritui rebellem. Quidam etiam occidunt, non odio carnis, nec odio sui, sed odio miseriarum, quas sic se putant effugere. Quomodo mater interdum occidit filium, non odio filii, quanquam id etiam fieri potest, sed ut se ab onere egestatis vel ab ignominia liberet: aut ut ejus morte se ulciscatur de eo, quem odit: ut olim Progne et Medea: aut ut ipsum filium morti acerbiori eripiat, sicut illae de quibus Jeremias Threnorum 4. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.*

Potest et sic intelligi: nemo sanae mentis carnem suam odio habet, neque extinguere eam vult: sed nutrit et fovet quoad usque potest. Hoc enim nobis omnibus dictat lex naturae; contra quam obnitebantur insani Manichaei, docentes corpus odio habendum, quod ortum haberet a malo principio. Secundum priorem sensum late et docte partem hanc explicat S. Thomas in comment. Caeterum recte unusquisque nutrit et fovet carnem suam, si carnis curam non faciat in desideriis: quod vetat Apostolus Rom. 13., sed curam impendat sustentationi ejus necessariam, quatenus serviat spiritui. Atque hoc modo viri uxores suas diligere debent.

Sicut et Christus Ecclesiam. Scilicet ut carnem suam nutrit ac fovet, omnia suppeditando, quae ad ejus salutem pertineant. Quomodo autem Ecclesia sit caro Christi, consequenter ostendit.

30. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.* Graeca habent praepositionem ἐκ, sed eadem significatio est. Unde Hieronymus in sua versione Gen. 2. (ad quem locum respicit Apostolus) utramque praepositionem scripsit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quomodo nos simus membra corporis Christi, manifestum est, quia quotquot fideles sumus, membra sumus Ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum. Sed quomodo simus *de carne ejus et de ossibus ejus,* non perinde liquet, potius enim e contrario dicendum videbatur, Christum esse de carne nostra et de ossibus nostris, quia nostram assumpsit naturam, et sicut dicitur Hebr. 2. *ideo quia pueri communicaverunt carni et sanguini, etiam ipse communicavit eisdem, ac semen Abrahae apprehendit.* Propter hanc difficultatem quidam, inter quos Ambrosianus, totum hoc spiritualiter, ut ille loquitur, intelligunt, quasi non aliud significetur, quam habitudo capitis analogici ad membra, et vicissim membrorum ad caput. Quae quidem membra secundum eandem analogiam esse dicantur ex carne et ossibus sui capitis: quia ex eo dependent.

Cajetanus refert Apostoli verba ad formationem Ecclesiae ex carne Christi et ossibus ejus in cruce, in qua nimirum Christus secundum humanam naturam, carne et ossibus constantem, patiens ac moriens Ecclesiam vivificavit.

Porro secundum alios probat Apostolus, Ecclesiam esse carnem Christi, quia Christus est caput Ecclesiae tanquam corporis sui; cujus nos membra sumus, non quomodocumque secundum analogiam, sed ita, ut simus de carne ejus, scilicet Christi, et de ossibus ejus, inquantum sumus ejusdem cum illo naturae humanae participes: nec tamen ille potius de carne et ossibus nostris, propter assumptam ex nostro genere naturam

humanam, sed nos de carne et ossibus ejus, quia in hac natura ipse caput est, nos membra. Hic sensus planus est et perspicuus, eumque tradunt Hieronymus et Aquinas; et his vetustior Irenaeus, qui lib. 5. contra Haereses, citatis hujus loci verbis: Non (inquit) de spirituali alioqui et invisibili homine dixit haec Apostolus: *Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet:* sed de ea dispositione, quae est secundum hominem, qui ex carnibus et nervis et ossibus consistit, qui de calice, qui est sanguis Christi, nutritur, et pane, qui est corpus ejus, augetur. Haec ille aliquanto post initium libri 5.

31. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Graece quidem est, ἀντὶ τούτου, sed Hieronymus in comment. monet, hoc dictum esse ab Apostolo pro ἕνεκεν τούτου, quod apud LXX. legitur Gen. 2. Prosequitur Apostolus id, quod versu 28. ex Genesi indicaverat, secundum posteriorem illius expositionem, deinde verbatim recitaverat versu praeced., quae ibi cap. 2. huc pertinentia leguntur; pauculis, quae media sunt, omissis. Et quia de Christo et Ecclesia loqui coeperat, insinuare vult, etiam haec verba, quae dicta sunt ad literam de viro et uxore, ad Christum et Ecclesiam mystice pertinere. Plerique putant, esse verba Adae, cujus erant praecedentia: *Hoc nunc os* etc. Alii, Scriptoris, id est, Mosis verba esse volunt ex eo, quod Adam dixerat, inferentis, insolubilem esse nexum matrimonii inter virum et foeminam, idque significasse videtur Dominus apud Matth. 19. referens ista ad Deum, sive quod idem est, ad Scripturam. Sic enim habet: *Qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: propter hoc etc.*

Sed sensum dicamus. Propter hoc, inquit, id est, quia mulier formata est ex ossibus et carne viri; relinquet vir patrem suum et matrem quoad cohabitationem et conversationem domesticam: *et adhaerebit uxori suae,* Graece *agglutinabitur ad uxorem suam,* id est, firmissimo vinculo uxori suae conjungetur: *eruntque duo in carne una,* vel ut Graece et Hebraice, *in carnem unam;* hoc est, duo erunt velut una caro, unum corpus, unus homo: carnis enim nomine totum hominem Moses significasse videtur ex usu linguae Hebraicae, tametsi cum respectu ad copulam carnalem, qua conjuges quodammodo fiunt una caro. Nam de commixtione carnali sententiam hanc intellexerunt summi Pontifices Benedictus et Gregorius apud Gratianum 27. quaest. 2. cap. Lex, et cap. sunt. Item Alexander III. cap. Verum, de conversione conjugatorum. Et Innocentius III. cap. Ad apostolicam ibidem. Nec secus commentatores hujus loci.

Ut autem et hoc obiter admoneamus, in Hebraeo quidem non exprimitur numeralis vocula *duo,* tantum enim ibi legitur: *Et erunt in carnem unam* (quod nonnulli male retulerunt ad corruptelas Hebraici textus): sed ex circumstantiis manifestum est satis intelligi. Qua de re egit vir eruditus Franciscus Lucas in suo Tract. de usu paraphraseos Chaldaicae. Porro quod verba jam recitata etiam ad Christum et Ecclesiam pertineant, docet Apostolus, dum proxime ait:

32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Graece: *In Christum et in Ecclesiam.* Quomodo et veteres quidam Latini legunt, nominatim Tertullianus lib. de anima cap. 11. et 21. et lib. 5. contra Marcionem cap. 18. Et Augustinus in Psalm. 138., Beda etiam citante in commentario. Pro *sacramentum* Graece *mysterium* est; atque ita legit Ambrosianus. Itaque sensus Apostoli est: Sacramentum seu mysterium praecedentibus verbis significatum, magnum est. Arctissima illa conjunctio viri et mulieris, de qua dictum est: *Relinquet homo patrem et matrem* etc., magnae alicujus sacrae et arcanae rei signum est. *Ego autem dico,* id est, mysterium hoc explico, et intelligendum doceo de Christo et Ecclesia. Per hoc enim, quod homo relictis parentibus ad-

haeret uxori, et cum ea una caro efficitur: mystice significatur filium Dei e sinu patris, et quasi patre relicto, matre etiam, id est, synagoga (vel coelesti Jerusalem) derelicta, in terras descendisse: et per assumptam carnem humanam Ecclesiae, quae ex hominibus constat, conjunctum esse, unumque cum ea corpus effectum, et per hoc indissolubili amoris vinculo conglutinatum. *Matrem* synagogam interpretatur Prosper sententia 328. ex Augustino; Hieronymus autem in comment. coelestem Jerusalem. Quam quidem, sicut et Patrem, Christus reliquisse dicitur, non quod absens ab illis esse coepit, sed figurato sermone et quadam similitudine nostri: quia apud nos, quae alibi esse incipiunt, priorem locum relinquunt.

Ex hac Apostoli sententia manifestum est, conjugium non solum duorum primorum hominum, sed etiam, ac pleniori ratione, posterorum (nam primi homines non habuere parentes, quos relinquerent) esse sacramentum, id est, signum magnae cujusdam rei sacrae.

Sed neque dubitandum est, quin juxta Catholicae Ecclesiae definitionem, matrimonium sit unum ex sacramentis novae legis, quae signa sunt ejus gratiae, quam significant, efficacia. An autem hoc ipsum ex praesenti loco Apostoli doceri possit, quaeritur. Certe Cajetano non videtur. At neque veteres hanc efficaciam probant ex isto loco, sed magis eam solent statuere ex facto Christi, qui nuptiis in Cana Galilaeae benedixit, utique benedictione spirituali. Quod etsi Scriptura non expresserit, in Concilio tamen Ephesino, tanquam traditione acceptum, et apud multos Patres legitur. Atque haec sententia nobis etiam probatur: et quam revera probabilis sit, late ostendimus scripto in 4. dist. 26. Quod enim ad hunc locum attinet, sententia Apostoli, qua dicit: *Sacramentum hoc magnum est,* veritatem habuit ab initio, quo dictum est, *propter hoc relinquet homo* etc. Nec tamen ab eo tempore coepit matrimonium esse sacramentum efficax gratiae, sed tale demum est a Christo novae legis auctore institutum.

33. *Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat.* Graece, *sic diligat, sicut seipsum.* Sensus est: Quod de Christo secundum mysterium dico, id secundum literam ad vos conjugatos pertinet. Itaque sicut Christus Ecclesiam diligit, ut corpus suum: ita et vos singuli quisque suam uxorem sic diligat tanquam seipsum, id est, velut eam, cum qua est una caro et unus homo. Non jubetur aequalitas dilectionis erga se et uxorem: quia nec Christus aequaliter se et Ecclesiam diligit: sed hoc repetit Apostolus, quod supra dixit, viros debere uxores suas diligere tanquam corpora sua, quodque is, qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Vide S. Thom. 2. sec. quaest. 26. art. 11. ad 2. et 4.

Uxor autem timeat virum suum. Graece: *Uxor autem ut timeat virum.* Sic quoque multa Manuscripta Latina, suffragante etiam Hieronymo. Praeceptum hoc non excludit amorem uxoris erga virum, sed timorem amori vult esse conjunctum, quasi dicat: Praecipio, ut uxor non tantum diligat virum suum, verum etiam timeat et revereatur ut superiorem et caput suum, cui debet subjectionem, caveatque, ne eum offendat. Nam ut mulieres viros suos ament, alibi praecipit Tit. 2.

CAPUT SEXTUM.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.
2. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum

in promissione[1]): 3. ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram. 4. Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros[2]): sed educate illos in disciplina et correptione Domini[3]). 5. Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: 6. non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate servientes[4]), sicut Domino, et non hominibus: 8. scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber[5]). 9. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis[6]): et personarum acceptio non est apud eum[7]). 10. De caetero fratres confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus[8]). 11. Induite vos armaturam Dei[9]), ut possitis stare adversus insidias diaboli[10]). 12. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus[11]). 13. Propterea accipite armaturam Dei[12]), ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, 15. et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis[13]): 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere[14]): 17. et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei[15]), 18. per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu[16]): et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis: 19. et pro me[17]), ut detur mihi sermo[18]) in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii: 20. pro quo legatione fungor in catena[19]), ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. 21. Ut autem et vos sciatis, quae circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus[20]), charissimus frater, et fidelis minister in Domino: 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis, quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra. 23. Pax fratribus, et charitas cum fide, a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

---

1) 2 Mos. 20, 12. 2) Col. 3, 21. Prov. 19, 19. 3) 5 Mos. 6, 7. 4) Col. 3, 23. 24. 5) Col. 3, 24. 6) Col. 4, 1. 7) 1 Petr. 1, 17. 8) Col. 1, 11. 9) Rom. 13, 12. 10) 1 Joan. 4, 4. 5, 18. 11) Cap. 2, 2. 12) 2 Cor. 10, 4. 13) 1 Petr. 1, 13. 14) 1 Joan. 5, 4. 15) Hebr. 4, 12. 16) Matth. 26, 41. Luc. 18, 1. seq. 17) Rom. 15, 30. Col. 4, 3. 2 Thess. 3, 1. 18) Act. 4, 29. 31. 12, 5. 19) Act. 28, 20. 20) Act. 20, 4. Col. 4, 7.

SUMMARIUM CAPITIS SEXTI.

Docet filios et parentes, servos et dominos, quomodo erga se reciproce debeant sese gerere. Deinde describit armaturam militis Christiani adversus spiritus nequam. Rogat pro se orari. Tychicum ad ipsos mittens, dona salutaria iis precatur.

1. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino.* Ab officio conjugum transit ad mutua officia filiorum et parentum; deinde servorum et dominorum. Illud, *in Domino,* quidam construunt cum eo, quod proxime praecedit, *parentibus vestris,* ut parentes in Domino dicantur, qui Christiani sunt. Sed hoc modo videretur significari, quod parentibus non Christianis non sit obediendum, quod est alienum ab Apostolica doctrina. Quare rectius ordinatur cum verbo *obedite,* ut *obedire in Domino* sit obedientiam praestare, quatenus Christi Domini lex et doctrina permittit. Nam si quid praecipitur legi Christianae contrarium, omnino tenendum illud Petri Act. 5. *Magis oportet obedire Deo quam hominibus. Hoc enim justum est:* ut a quibus vitam acceperimus, obedientiam iis reddamus.

2. *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Repetit praeceptum de honorandis parentibus ex veteri lege, Exod. 20. et Deut. 5., quod lex illa Christianos obliget, quoad moralia, quae decalogo comprehenduntur; quum is contineat praecepta legis naturalis. Honor est testimonium excellentiae: quod quidem testimonium variis modiis ac signis perhibetur, pro varietate personarum, quas honoramus. Tria sunt autem, per quae specialiter honorandi sint parentes: reverentia, quae eis debetur, ut majoribus, obedientia, ut instructoribus, et rerum necessariarum liberalis suppeditatio, ut iis, a quibus et nati et educati sumus. Atque hoc postremum verisimile est Apostolum praecipue hic spectare, cum jam ante de obedientia locutus fuerit, ad quam reverentia facile reducitur. Nam et Christus Matth. 15. et Marc. 7. de sustentatione parentibus debita praeceptum hoc interpretatur. Et notum est, etiam alibi honorem in subministratione victus intelligi, ut 1 Tim. 5. *Viduas honora, quae vere viduae sunt.* Et iterum: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Quod est mandatum primum in promissione. Non primum absolute. Est enim hoc praeceptum numero quartum in decalogo, sed primum in promissione, seu cum promissione, id est, primum, cui adjuncta sit expressa et specialis promissio. Sic Hieronymus et Graeci. Proinde impertinens est huic loco, an praeceptum hoc sit primum in secunda tabula. De qua re disputant Theologi in 3. Sent. disp. 37.

3. *Ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram.* Verba sunt promissionis, quae Deut. 5. leguntur hoc ordine ex Hebraeo: *ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Sed Apostolus ordinem et verba, quae apud LXX. tam in Exodo, quam in Deut. leguntur, secutus est. Quidam hanc partem ita conjungunt cum illa superiori: *Honora patrem tuum et matrem,* ut verba media: *Quod est mandatum primum in promissione,* parenthesi claudant, propterea quod haec promissio in verbis decalogi proxime sit adjuncta praecepto. Verum aliis magis placet, ut continue et absque parenthesi Apostoli verba legantur, in hunc modum: *Quod mandatum in promissione primum est,* hac nimirum, quae sequitur, *ut bene sit tibi* etc., hoc est, ut feliciter ac diu vivas super terram. Haec autem promissio terrena fuit, ad veterem populum pertinens, ut liquet ex verbis utroque loco jam citato subjunctis: *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi,* vel, ut in Hebraeo, *dat tibi.*

Habet autem haec promissio longaevitatis magnam ex ratione congruentiam. Est enim congruum et justum, ut qui eos honorat, a quibus vitam temporalem accepit, illi vita temporalis prorogetur. Neque vero ab hujusmodi promissione Christiani alieni sunt. Quamvis enim

multi parentibus obsequentes, eosque honorantes, cito rapiantur ex hac vita; non tamen hac promissione fraudari eos existimandum est, quia melius aliquid recipiunt ab eo, qui novit, quid cuique electorum, secundum ordinem providentiae suae expediat. Nam bona temporalia Christianis non absolute promittuntur, sed quatenus ad spiritualia conducunt. Sed et in bonis temporalibus, quae veteri populo promissa fuerunt, spiritualia et aeterna bona nobis promissa figurabantur; ut in terra Chanaan possessio regni coelestis; et in longaevitate vitae felix aeternitas. Ita fere docent Hieronymus et S. Thomas in hujus loci comment.

Notandum obiter, voculam *ut* non tam finalem causam servati praecepti designare, quam eventum et bonum quoddam consequens, quod honoranti promittitur, quasi dicat legislator: Honora parentes; ita fiet, ut bene sit tibi, et sis longaevus; tametsi nihil vetat, hoc consequens bonum esse finem secundarium observationis praecepti, velut in similibus.

4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Vicissim a patribus exigit, ne nimia severitate ac duris imperiis exacerbent animos filiorum. Rationem praecepti adjicit Apostolus Col. 3. *Ne pusillo animo fiant;* id est, ne per impatientiam despondeant animum et jugum obedientiae prorsus abjiciant, aut etiam religionem deserant. Potest hoc praeceptum accommodari etiam ad principes et praefectos saeculares, qui monendi sunt, ne suos subditos iniquis legibus et duris exactionibus provocent ad animorum acerbitates: unde seditiones et rebelliones consequi solent. Item ad praefectos ecclesiasticos, ne plus justo jubeant subjectis sibi fidelibus. Ad eos enim accommodat Gregorius p. 5. curae past. admon. 5.

Sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Pro *disciplina,* Graece est, παιδεία, et pro correptione νουθεσία. Utraque Graeca vox anceps est ad institutionem, eruditionem, admonitionem, et ad castigationem, correptionem, sive objurgationem. Quae ambiguitas etiam est in Latino nomine *disciplinae,* praesertim apud Ecclesiasticos scriptores et sacrae Scripturae interpretes. Priorem significationem mavult Hieronymus, eamque attenderunt in suis comment. Chrysostomus et Theophylactus, docentes ex hoc loco, parentes etiam de Scripturis debere instituere liberos suos.

Aliis magis probatur posterior significatio, praesertim vocabuli prioris, nec immerito; nam in Scripturis frequentissime ac fere semper sic accipitur, etiam apud LXX., pro quo nos assidue habemus vocabulum *disciplinae.* Praecipit ergo patribus Apostolus, ut filios suos educent, non dure et aspere tractando, quando peccent; sed adhibendo castigationem moderatam et salutarem. Hanc enim vocat *disciplinam et correptionem Domini,* id est, Christianae fidei ac doctrinae consentaneam.

5. *Servi obedite Dominis carnalibus.* Graece *Dominis secundum carnem;* id est, quibus secundum corpus ac temporalia ministeria obnoxii estis, et servitutem debetis. *Cum timore et tremore.* Id est, cum magna solicitudine. Sic enim et alibi utitur hac phrasi; ut 1 Cor. 2. et 2 Cor. 7. et Phil. 2. Unde non recte quidam hic annotavit, Apostolum praecipere servis, non solum ut timeant jussa dominorum suorum, sed ut etiam ad ipsorum imperia tremant. Non aliud enim Apostolus quam solicitam et liberalem exigit servitutem.

In simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Id est, recto et simplici corde, tanquam serviatis Christo, qui omnia videt, etiam occulta cordis, vel potius, *sicut Christo:* id est, in dominis vestris, quibus servitis, Christum Dominum, per illos quodammodo repraesentatum, prae oculis habentes, ut ea consideratio vos moveat ad bene et ex animo dominis vestris serviendum. Ita enim supra dixit: *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino,* cap. 5, 22.

6. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes.* In Graeco compo-

sita vocabula sunt, quae Latine similiter reddi nequeunt. Prior pars verti potest: *Non secundum ocularem servitutem.* Sensum bene reddidit interpres, nisi quod illud, *hominibus placentes*, clarius verti potuit, *hominibus placere studentes*, quomodo nonnulli verterunt. Ad oculum servire dicuntur, quibus satis est, in conspectu et praesentia dominorum facere officium; atque his tantum studium est hominibus placere, qui occulta cordis et ab oculis remota non vident.

Sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo. Hoc est: Sed, quemadmodum decet servos Christi, sincere et ex animo facite ea, quae Deus praecipit. Nam voluntas praecepti intelligitur, non ea, quam vocant beneplaciti. Est autem praeceptum Dei, ut servi dominis suis obediant.

7. *Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus.* Pro *bona voluntate* Graece composita dictio est, εὔνοια, id est, *benevolentia;* pro qua *benignitatem* legit Ambrosianus, *fidelitatem* Hieronymus; admonens tamen etiam benevolentiam Graeca voce significari. Et quidem recte; nam pro fidelitate vix legitur. Proinde sensus est: Non coacte, sed libenter, ac propensa erga dominos vestros voluntate, iis servite; perinde quasi Christo Domino serviretis, et non hominibus. In eo, quod ait: *sicut Domino, et non hominibus,* tacite significat Christum esse Deum, et non hominem tantum; sicut ad Gal. 1., cum ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum.*

Porro totus hic locus ostendit, praecepta hominum legitima potestate praeditorum, ut parentum, dominorum, principum, magistratuum, subditos obligare in conscientia; iisque parendum, ut Dei praeceptis; ideo nimirum, quod illorum omnis potestas a Deo sit, sicut dicitur Rom. 13. Notandum in Graecis codicibus multis non addi adverbium *sicut.* Verum sensus haud dubie clarior est, si legatur: *sicut Domino* etc., faciuntque nobiscum omnes Latini interpretes tam veteres quam recentiores, et nonnulli codices Graeci, inter quos Complutensis. Et ad Col. 3, 23. etiam Graeci libri sine varietate addunt.

8. *Scientes quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* Hoc est, cum didiceritis ac scire debeatis, quod unusquisque, tam servus quam liber, pro omni bono, quod fecerit, recepturus sit mercedem ab omnium judice Christo Domino. Id intelligendum, sicut aliae similes sententiae, de bono quodcunque fecerit quis ob finem, quem monstrat fides Christiana, eodemque permanente. Nam boni operis per peccatum mortificati merces perit.

9. *Et vos Domini eadem facite illis.* Graece *erga illos*, nempe servos vestros secundum carnem. *Eadem* autem dicit non opere aut officio, sed modo et proportione. Nam mutua servorum ac dominorum officia diversa sunt. Itaque sensus est: Sicut oportet servos ex animo et liberaliter servire dominis suis; ita vos domini, vicissim ne tractate servos vestros serviliter, sed humaniter ac benigne vos erga illos gerite.

Remittentes minas. Id est, sed etsi offendant interdum, ut punitione digni sint, remittite poenas, quas comminati estis. Poenae servorum erant flagra, carcer, pistrinum etc., ad quas remittendas Leo Pontifex identidem hortatur dominos, in sermonibus de passione Domini. Plerique interpretantur *remittentes minas,* id est, ne sitis minabundi in servos. Verum id non est proprie minas remittere. Quocirca prior sensus, quem et Cajetanus tradit, magis placet.

Scientes, quia et illorum et vester Dominus est in coelis. Graeca multa sic habent: *Scientes, quod et vester ipsorum,* sive ad verbum: *vestrum ipsorum Dominus est in coelis.* Quae lectio non prorsus eumdem facit sensum cum nostra versione, sicut existimat Cajetanus, qui supplet conjunctionem *vester* et *ipsorum,* sed de solis dominis loquitur; et convenit

cum eo, quod Ecclesiastes dicit cap. 5. *Quia excelso excelsior est alius* etc. Juxta quam lectionem (quae congruit cum Col. 4, 1.) sensus est: Scientes, quod etiam vos ipsi, quamvis domini, habeatis dominum superiorem in coelis, Christum scilicet, a quo estis judicandi. Sicut ergo vos ab illo domino vestro misericordiam exspectatis et remissionem peccatorum; ita et vos servis vestris poenas comminatas remittite, secundum illud ipsius Domini praeceptum, *dimittite, et dimittetur vobis* Luc. 6. Ad hunc modum etiam Hieronymus exponit, tametsi textus ejus consentiat cum vulgata versione. Quae quidem etiam commodum habet sensum hujusmodi: Scientes, quod communem Dominum ac judicem habetis vos et illi. Nam qui agnoscit et cogitat se habere communem dominum cum alio, licet inferiore; clementius utique cum eo agit, nec severe poenas exigit. Cum Vulgata consentiunt quidam Codices Graeci, et inter eos Complutensis.

Et personarum acceptio non est apud eum, nempe Dominum Christum. Quasi dicat: Judex ille non personas respicit, sed merita; non ideo quemquam absolvet, quia dominus fuit, aut puniet, quia servus, sed opera cujusque expendet; hoc est, quod jam dixit: *unumquemque recepturum a Domino quodcunque fecerit, sive servus sit, sive liber.*

10. *De caetero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.* Graece *fratres mei.* Postquam sigillatim instruxit eos, ex quibus, velut partibus, familiae constant; nunc Epistolam clausurus, iterum redit ad generalem doctrinam, qua omnes in universum fideles, tanquam Christi milites, hortatur ad pugnandum viriliter adversus diabolum, suggerens eis arma ad ejusmodi militiam opportuna et necessaria. Quod superest, inquit, fratres mei, curam adhibete, ut ad pugnandum fortes sitis *in Domino,* id est, per potentiam ac fortitudinem ejus, sive quam ille suppeditat, seu potius, qua ille vos adjuvat: haec autem est potentia et virtus divina. Quae duo non est necesse distinguere: nam pleonasmus est, emphasim habens.

11. *Induite vos armaturam Dei.* Pro *armatura,* Graece est *πανοπλία,* quae vox significat totam sive integram armaturam, hoc est, quidquid ad militem armandum in pugnam pertinet, tum ad defendendum se, tum ad hostem feriendum. Eadem vox infra repetitur. Hieronymus utrobique legit, *omnia arma Dei.* Ambrosianus priori loco *arma Dei;* posteriori: *universitatem armorum.* Vocat autem hanc Apostolus armaturam Dei, quia per haec arma tanquam manu Dei fabricata pugnamus; imo Deus ipse in nobis pugnat.

Ut possitis stare adversus insidias diaboli. Id est, ut possitis in fide et rectitudine vitae Christianae persistere adversus insidiosos assultus et machinationes diaboli, quas scilicet ille vobis struit per ministros suos, Haereticos, Philosophos, Judaeos ac caeteros impios. Quod interpres hoc loco vertit *insidias,* cap. 4. verterat *circumventionem,* Hieronymus et Ambrosianus *versutias* legunt.

12. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Graece, *lucta adversus sanguinem et carnem.* Hieronymus quoque *sanguinem carni* praeponit. Quanquam mutatus ordo sensum non variet. *Sed adversus principes et potestates.* Graece, *sed adversus principatus, adversus potestates.* Atque ita Hieronymus, quod paulo significantius dicitur. *Adversus mundi rectores tenebrarum harum.* In Graeco una composita dictio est κοσμοκράτορας, ut si dicas mundipotentes; quomodo Deum confitemur παντοκράτορα, id est, omnipotentem: putatque Hieronymus ab Apostolo compositum esse vocabulum, ut quod alibi nusquam legatur.

Augustinus quidem serm. 8. de verb. Dom. et in enarrat. Psal. 54. atque alibi (quo longius, ut opinor, ab haeresi Manichaeorum recederet) *mundum* interpretatus est amatores hujus mundi; *tenebras* autem eos, qui, sicut Apostolus loquitur superius cap. 4., *tenebris obscu-*

ratum habent intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam et caecitatem cordis sui, de quibus dixit cap. 5. *Eratis aliquando tenebrae.* Etenim horum omnium principem esse diabolum, nemini dubium est. Atque hunc commentarium alii plerique secuti sunt, a quo nec Graeci multum recedunt, dum mundum et tenebras interpretantur mundanas et tenebrosas actiones, id est, mala opera, quorum auctores ac duces sunt daemones. Quem sensum etiam commentator Ambrosianus tradit.

At vero, si conferatur hic locus cum eo, qui est cap. 2. hujus ejusdem Epist., ubi diabolum vocat *principem potestatis aëris hujus;* sane videbitur alius sensus probabilior ac magis germanus: quo nimirum daemones sub principe diabolo mundi rectores appellentur, eo quod, cum per naturam et ab initio suae creationis principes et gubernatores essent totius mundi corporei, eaque potestate mox ob culpam superbiae privati sint; postea tamen iterum, idque in poenam hominis transgressoris, uti dictum est, potestatem acceperint (tametsi divino arbitrio limitatam) in mundum hunc inferiorem, sive ad tentandum homines, sive ad nocendum eis per creaturas humanis usibus servientes. Ad quod significandum additur, *tenebrarum harum;* ut haec pars sit expositio *mundi,* qua declaretur cujus mundi rectores vocet daemones: ne putentur significari rectores seu principes totius universitatis rerum corporearum, quae generalius nomine mundi solet intelligi.

Igitur daemones vocat mundi rectores, scilicet tenebrarum hujus saeculi, hoc est, mundi hujus caliginosi. Sic enim vocatur turbulentus hic mundus inferior, comparatione superioris, qui perpetua semper et purissima luce refulget. Vocatur autem non hic solum, sed etiam ab Apostolo Petro 2 Epist. cap. 2. vers. 4. in Graeca lectione, et a Juda Apostolo suae Epist. v. 7. Quin et a Cicerone lib. 1. Tusc. qq. hic aër inferior nebulosum et caliginosum coelum appellatur. Nobiscum sentit Prudentius Poëta Theologus in Hamartigenia. Cujus versus, quibus hunc Apostoli locum reddit, quia luculenti sunt, adscribo.

Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit:
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste,
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, coelum inter et infima terrae,
Quod patet ac vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur praedonibus; ut sacra nobis
Oris Apostolici testis sententia prodit.

Haec Prudentius.

Facit hic commentarius ad illustrandum etiam alia Scripturae loca; velut Joan. 12. 14. et 16., ubi diabolus a Christo vocatur *princeps hujus mundi;* propterea quod, ut ait Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 14., merito suae perversitatis rebus istis terrenis praepositus sit; id est, quod potestas ejus ad res istas terrenas redacta sit et coarctata. Nam alioqui non merito malitiae ejus, sed transgressionis humanae, data est illi hujusmodi potestas. 1 Cor. 2. Daemones vocantur *principes hujus saeculi.* Item 2 Cor. 4. diabolus vocatur *Deus hujus saeculi,* et Luc. 4., ubi diabolus, etsi mendax et pater mendacii, non tamen omnino mendaciter secundum Ambrosium, dicit ea omnia, quae Christo monstrabat, sibi tradita esse. Quae quidem Scripturae testimonia de mundo isto inferiori, quatenus hoc saeculo durante subservit usibus hominum, intellecta, nihil habent difficultatis.

Contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Apostolus praepositionem non mutat. Habet enim emphasim difficilis pugnae praepositio πρὸς, id est, *adversus,* quinquies repetita; sicut et legitur apud Hieronymum. Porro tota hac sententia ab eo loco, *quoniam non est nobis colluctatio* etc., explicat Apostolus id quod dixerat, *adversus insidias diaboli,* ubi statim occurrit quaestio: Si non est nobis lucta contra carnem et sanguinem, quomodo alibi dicit Gal. 5. *Spiritum concupiscere adversus carnem,* laudatque eos, qui *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Unde est et illud vulgatum: *Sunt tria, quae tentant hominem, mundus, caro, daemon.* Adversus quae omnia utique nobis omnibus pugnandum est.

Quidam respondent, supplendam hoc loco particulam, *tantum;* ut sensus sit, non tantum adversus carnem et sanguinem nobis luctandum esse, verum etiam adversus principatus et potestates etc. Sic Cajetanus post Aquinatem; et ante eos Bernardus serm. ultim. de omnib. sanctis.

Alii sic Apostolum exponunt: Non tam contra carnem et sanguinem instituta nobis est pugna, quam contra potestates adversarias, quae per carnem et sanguinem eos infestant. Hunc quoque sensum adfert Thomas ex Hieronymi commentariis.

At idem Hieronym. etiam hunc indicat sensum: pugna, quae nobis est cum potestatibus adversariis, id est, daemonibus, adeo gravis est et periculosa, ut ea, quae contra carnem et sanguinem suscipitur, cum hac collata, facilis ac nullius momenti videatur: tantae sunt daemonum vires, tamque variae fraudes et machinationes. Hunc sensum etiam Prudentius in Hamartigenia aliquot versibus expressit, quos paulo ante recitavimus.

Verum, ut alia praeteream, omnes hi commentarii in eo videntur deficere, quod carnem et sanguinem interpretantur vel carnalem concupiscentiam, vel membra corporis, in quibus hujusmodi concupiscentiae sedes est. Qua tamen significatione *caro et sanguis* in Scripturis non accipiuntur; sed tantum *caro* solitarie posita. Nam carnis et sanguinis nomine significari solet in Scripturis homo mortalis et corruptibilis, ut Matth. 16. *Caro et sanguis non revelavit tibi.* 1 Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Gal. 1. *Continuo non acquievi carni et sanguini,* et Hebr. 2. *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse,* scilicet Christus, communicavit eisdem.

Rectius igitur Theophylactus et Hervaeus atque alii recentiores hunc sensum reddunt: Non est nobis lucta cum hominibus, qui mortales sunt et infirmi; bellum nobis non est cum hostibus corporeis, ut arma corporea hic requirenda sint; sed cum hostibus incorporeis et immortalibus, iisque valde potentibus, id est, daemonibus; ad quod proinde pugnae genus opus est armis spiritualibus; hanc enim, ut dictum est, vocat armaturam Dei. Sed etsi homines mali bonos oppugnant, non tamen ea oppugnatio reputanda est ut corporalis, sed ut spiritualis; quia per illos tanquam instrumenta diabolus electos Dei spiritualiter oppugnat.

Unde et illa solvitur quaestio: Cum non a daemonibus solum, sed etiam a mundo et carne oppugnemur; quare solos spirituales hostes, hoc est, daemones, in hac Epistola nominaverit Apostolus? Ideo nempe, quia diabolus non solum per se suosque ministros angelos apostatas, tentat homines; verum etiam per mundum et carnem, quibus velut instrumentis et auxiliis utitur, ut homines suae potestati subjiciat. Ita docet Augustinus, hoc etiam loco allegato, in sermone 8. de verbis Domini: *Non est,* inquit, *nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est, adversus homines, quos videtis saevire in nos. Vasa sunt, alius utitur. Organa sunt, alius tangit. Immisit se,* inquit, *diabolus in cor Judae, ut traderet Dominum,* Joan. 13. Sic ille.

Et quidem hac ratione omnis peccati tentatio in diabolum a patribus referri solet; sicut ostendimus in 2. Sent. dist.

21. Vocat autem Apostolus daemones nominibus ordinum angelicorum, e quibus ceciderunt, dicens, *adversus principatus et potestates;* quemadmodum et fecit Rom. 8. et 1 Cor. 15., videlicet sub paucis nominatis caeteros ordines comprehendens. Sed idcirco speciatim *principatus et potestates,* ac memoratis locis etiam *virtutes seu fortitudines* nominavit, quod daemonibus propter hominis transgressionem, per quam factus est obnoxius diabolo, multa adhuc potestas in his inferioribus relicta et permissa sit. Eo namque pertinet, quod sequitur.

Itaque *contra spiritualia nequitiae in coelestibus* sic intellige: Contra spirituales nequitias, sive contra spiritus nequam, versantes in hoc aëre: nam et in Evangelio daemones vocantur spiritus nequam. Graeca vox, quam interpres *nequitiam* vertit, malitiam cum versutia conjunctam significat, vitium daemonibus usitatissimum. Adscribitur autem naturae nomen, *spiritualia;* ad insinuandum, quod daemonum tanto major est malitia, quanto natura nobilior; quemadmodum S. Thomas bene explicat.

Per *coelestia* vero propinquum nobis aërem hoc loco intelligi, recte probat Hieronym. ex altero hujus Epist. loco, cap. 2., ubi *principem potestatis aëris hujus legimus.* Idem eodem modo probat Basil. in homil., *quod Deus non est auctor malorum.* Et haec, inquit Hieron., omnium doctorum opinio est, quod aër iste, qui coelum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. Notum quoque est, *coelum* pro aëre in Scripturis frequentissime sumi; unde volucres coeli, pluvia coeli etc.

Nam quod Graeci, Cajetano suffragante, docent, *in coelestibus* idem valere, quod pro coelestibus, seu propter coelestia; quasi significetur hanc colluctationem nobis esse contra daemones, non pro rebus terrenis, sed pro regno coelorum; pia quidem expositio est, at non germana. Neque sane hujusmodi interpretationem Graeca praepositio admittit. Et cum in hac Epistola saepius legatur illud, *in coelestibus,* sicut in primo capite annotavimus; nusquam tamen ita accipitur, ut Graeci hic volunt. Dictum est autem Hebraea phrasi, *spiritualia nequitiae in coelestibus;* id est, spiritus nequam, qui versantur in isto coelo aëreo: sicut dictum est *Gloria in excelsis Deo;* id est, gloria Deo, qui est in excelsis.

13. *Propterea accipite armaturam Dei.* Repetitio est superioris exhortationis. Quoniam, inquit, tanta est hostium nostrorum, cum quibus pugnandum est, potentia atque malitia; propterea assumite armaturam Dei, quam vobis hic subministro, eaque vos induite.

Ut possitis resistere in die malo. Diem malum intelligit diem periculosum, id est, tempus tentationis, praesertim ejus, quae movetur ab hostibus fidei. Sic Psalm. 40. *In die mala liberabit eum Dominus;* id est, periculo eum eripiet, et supra in hac Epistola: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Non potest intelligi dies extremi judicii, quod velle videtur Hieronym., nam ille dies justis non erit malus, sed exoptatus, juxta illud, quod de tempore appropinquantis judicii dicit Dominus: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra,* Luc. 21. Sed neque tunc resistendi tempus erit, quia nec pugnandi; resistit enim, qui patitur adversarium. Repetit ergo diversis verbis, quod ante dixerat: *ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Eodem pertinet, quod sequitur:

Et in omnibus perfecti stare. Graece ad verbum est: *Et omnia perfecti stare;* vel, ut habet Hieronymi textus, *et universa operati stare.* Nam Graecum participium, ut et verbum ipsum, potest active et passive sumi; quemadmodum ex Graecis scriptoribus facile est ostendere. Significationem activam reddunt suis commentariis Graeci interpretes et Hieronymus. Sed et Cyprianus Epist. 6. lib. 4. alias Epist. 56. citat ad hunc modum: *Ut cum omnia perfeceritis stetis.* In eundem sensum vertit Erasmus, *et*

omnibus peractis stare. Nonnulli etiam codices MSS. sic habent: *et omnibus perfectis stare,* id est, cum omnia perfeceritis.

Secundum hos igitur sensus Apostoli est: Et ut posteaquam omnia, quae boni militis sunt, perfeceritis, stare et subsistere possitis, ne parta semel victoria vobis effluat e manibus. Hoc enim posteriori modo Graeci exponunt, sed sensu satis coacto. Hentenius autem vertens Oecumenium, et Theophylacti interpres reddunt: *et omnibus devictis stare.* Hanc enim versionem auctores ipsorum postulant. Sed non videtur rectus commentarius, quoniam istud *devictis* ad personas pertinet; Apostolus autem dicit *ἅπαντα, omnia.*

Caeterum nostram lectionem habent Ambrosianus, Primasius, Haimo: denique uno Hieronymo excepto Latini omnes; cui et Syrus interpres favet, dum ita vertit: *Et postquam praeparati fueritis in omni re, consistatis.* Nec vero obstat, quod in Graeco legitur *omnia,* non *in omnibus:* nam ex consuetudine Graecae linguae in talibus subauditur praepositio *κατὰ*: quemadmodum in illo versiculo Psalm. 38. *universa vanitas homo vivens,* id est, per omnia vanitas est etc. Ita hoc loco *omnia perfecti,* id est, per omnia et in omnibus perfecti; quemadmodum etiam Faber et Sasboldus interpretati sunt. Proinde sensus est: Et ut omni armatura sufficienter instructi ac praeparati, stare possitis in pugna contra hostes, et non cadatis aut loco cedere cogamini. Hic sensus optime quadrat scopo Apostoli et respondet ei, quod jam supra dixerat, *ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Universam armaturam militis Christiani partibus exponit, incipiens a cingulo seu baltheo militari. Igitur, inquit, state in praelio circumcincti lumbos vestros spirituales veritate, tanquam baltheo. Per *veritatem* intelligi videtur fides ac sinceritas in verbis et promissis, quomodo veritas in Scripturis frequenter sumitur; ut allusio sit ad illud, quod de Christo cecinit Jesaias cap. 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus,* ubi pro *fide* LXX. transtulerunt *veritatem.*

Et induti loricam justitiae. Id est, justitia sit vobis pro lorica seu thorace militari. Ut autem *justitiam* a veritate distinguamus; intelligi potest justitia in operibus, sicut veritas in dictis, sic enim in citato Prophetae testimonio videntur distingui. Similis metaphora est 1 Thess. 5. *Induti loricam fidei et charitatis,* et Jes. 59. *Indutus est justitia, ut lorica.* Legitur et Sap. 5. de Deo judice: *Induet pro thorace justitiam,* sed ibi justitia peccatorum vindex intelligitur: quae significatio non convenit huic loco.

15. *Et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis.* Graece, *in praeparatione.* Sicque Hieronymus et Ambrosianus legunt, et codex Laudensis, ac Biblia Sixtina. Subauditur autem, *Evangelii pacis,* annuntiandi, aut quid simile. Sensus est: Et pedes sint calceis spiritualibus muniti, ut parati sitis ad perferendum Evangelium pacis ad infideles. Evangelium Christi vocat *Evangelium pacis;* quia pacem et reconciliationem cum Deo adfert hominibus. Alludit autem Apostolus ad locum Jes. 52., quem et citat Rom. 10. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Per *calceos* ergo studium Evangelii propagandi videtur significare.

16. *In omnibus sumentes scutum fidei. In omnibus,* etiam verti potest, *super omnia;* quemadmodum legunt Ambrosianus et Hieronymus. Atque ita verterunt Erasmus et Hentenius. Juxta nostram versionem sensus est: In omnibus praedictis, scilicet veritate, justitia et praeparatione Evangelii, pro scuto assumite fidem Christianam. Hac enim indigent omnia illa, ut illaesa permaneant. Ita Theophylactus. Alii referunt ad tentationes, ut sensus sit: In omni tentatione scutum fidei opponite adversariis. Si legamus, *super omnia;* sensus erit, ante omnia ac praecipue scutum fidei

sumendum esse ac manu tenendum in hac pugna. Sensum hunc probabilem facit similis locus Coloss. 3., ubi post enumeratas aliquot virtutes subjungit: *Super omnia autem haec charitatem habete.* Nam et ibi Graece est sicut hoc loco, ἐπὶ πᾶσιν. Cur autem super omnia necessarium sit scutum fidei, sequitur:

In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Tela, Graece βέλη, *jacula:* quemadmodum et Hieronymus legit. *Ignea,* Graece participium est *ignita.* Sicque legunt Hieronymus et Ambrosianus. Apud eosdem pro superlativo *nequissimi,* positivus est *maligni,* sicut in Graeco. Noster interpres superlativum maluit, ut vitaret amphiboliam, quae futura erat, si vertisset, *omnia tela nequam ignea.* Quam tamen non evitavit, quando Matth. 13. sic vertit, *zizania filii sunt nequam.* Est enim istud *nequam* utrobique genitivus. Quanquam et alias in similibus superlativum amat interpres loco positivi, qui in Graeco legitur. Unde toties apud eum legimus *carissimum* et *dilectissimum,* pro *caro* et *dilecto.* Subinde vero *pessimum, optimum, maximum,* pro *malo, bono, magno.* Loca annotavimus ad illud Rom. 11. *Carissimi propter patres.*

Porro nequissimus, sive nequam, sive malignus, haud dubie diabolus intelligitur hoc loco: quemadmodum et Matth. 13. verbis jam citatis atque etiam in oratione Dominica, qua dicimus: *Sed libera nos a malo.* Diabolus enim κατ᾽ ἐξοχὴν πονηρὸς, id est, malus idemque versutus, passim in Scripturis appellatur. Sensus Apostoli est: Quo scuto fidei excipere, repellere et extinguere possitis omnia ignita jacula variarum tentationum a diabolo immissa, quibus ille corda hominum incendit, inflammatque ad peccandum.

Recte vim istam extinguendi ignita adversarii tela fidei tribuit Apostolus; nihil enim efficacius ad superandas diaboli, carnis et mundi tentationes, quam si quis fidem suam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat bona nobis in futurum promissa, *quae nec oculus vidit* etc. Quod qui serio facit, facile contemnit omnia praesentia seu bona seu mala, per quae tentator diabolus blanditur aut terret. Hoc modo Sancti per fidem fecerunt ea, quae multa et magna commemorantur in Epist. Heb. 11.

Porro simile illud Petri 1. Epist. 5. *cui resistite fortes in fide,* quasi dicat: fide tanquam scuto repellite adversarium vestrum diabolum.

17. *Et galeam salutis assumite.* Graece: *Et galeam salutaris accipite.* Quoniam autem ipse Christus alibi vocatur salutare, ut in cantico Simeonis: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum;* hinc nonnulli, inter quos Cajetanus, galeam hanc Christum interpretantur, qui est salutare nostrum, quique merito pro defensione capitis assumitur, quia *omnis viri caput Christus est* 1 Cor. 11. Verum alii probabilius ex ipso Apostolo petunt hujus partis interpretationem, dicit enim 1 Thess. 5. *Induti galeam spem salutis.* Quocirca per galeam salutis seu salutaris, spes futurorum bonorum videtur accipienda. Quae qua ratione caput nostrum, a quo principium est actionum, id est, intentionum nostrarum, adversus ictus diaboli muniat et conservet, ex iis, quae proxime de fide dicta sunt, satis intelligitur. Nam illic fides intelligitur spe comitata.

Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hactenus arma defensiva militi Christiano suppeditavit Apostolus; nunc gladium porrigit, quo hostem percutere possit; *gladium,* inquam, *spiritus, quod est verbum Dei.* Ambiguum est in Graeco, num ad *gladium* referri debeat, an ad *spiritum,* vocula relativa neutri generis ὅ, *quod;* mutuatur enim genus suum a nomine postposito ῥῆμα. S. Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. refert ad *spiritum,* probans ex hoc loco, non solum Filium, sed et Spiritum S. esse verbum Dei, illum patris, hunc filii. Verum communis interpretum consensus ad *gladium,* seu potius ad totum istud complexum, *gladium spiritus,* refert, idque convenientius. Ut sensus sit: Et gladium S. Spiritus, id est, a Spiritu S. subministra-

tum accipite ac manu tenete, quem gladium interpretor verbum Dei; ubi Apostolus per verbum Dei non praecise intelligit Scripturam sacram (ne quis hinc perverse colligat, omnibus Christi militibus necessariam esse sacrae Scripturae lectionem), sed more Scripturae ea, quae sunt divinitus ad salutem nostram revelata, quae potissimum symbolo Apostolico continentur: quatenus, inquam, ea creduntur a nobis.

Itaque censet Apostolus ad debellandas adversarias potestates et expugnandas mundi cupiditates, accipiendum esse gladium spiritualem verbi Dei, quod fide tenemus. Eo namque certissime persuasi, quae praemia bonos, quae supplicia malos in futuro saeculo maneant, in pugna fortes efficimur. Quod quidem potentius fiet, si exemplo Christi etiam ex ipsis sacris literis sententias adversus tentatorem proferre noverimus ac dicere: *Scriptum est.* Quidam huc allegant illud Hebr. 4. *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* etc. Sed ille locus, ut ex consequentibus patet, de verbo increato, id est, Filio Dei, debet intelligi.

18. *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.* Postquam armis spiritualibus instruxit Ephesios, docet nunc, a quo fortitudinem et felicem pugnae eventum exspectare et petere debeant; nimirum a Deo per assiduas orationes. Sensus est: Et haec facite, multis orationibus et obsecrationibus Deum assidue precantes, ut vos pugnantes adjuvet et victores faciat; idque non solum voce, sed quod praecipuum est ac per se necessarium, *in spiritu,* hoc est, cum devoto cordis affectu. Sic enim 1 Cor. 14. accipitur: *spiritu orare* et *spiritu psallere.*

Quid Apostolo sit: *semper, omni tempore, sine intermissione orare,* diximus Rom. 1. et alibi. Est enim orare quam frequentissime, nec alio sensu dictum est a Christo Salvatore Luc. 18. *oportet semper orare. Obsecratio* ab *oratione* differt ut species a genere; significat enim orationem cum obtestatione per aliquid sacrum: tametsi discrimen hoc in Graeca dictione minus appareat, ut potius videatur Apostolus inculcatione usus ad vehementiam exhortationis, quam discrimen aliquod istarum vocum attendisse. Nam et alibi fere indifferenter has voces usurpat. De quibus rursum vide nostrum Commentarium Phil. 4, 6. et 1 Tim. 2, 1. Repetitur eadem dictio in sententia proxime sequenti, ac pro ea Hieronymus et Ambrosianus modo precem, modo obsecrationem legunt.

Et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione. Graece, *et in ipsum hoc:* vel mollius, *in hoc ipsum.* Sic enim paulo post eadem Graeca vertit ipse interpres, *quem misi ad vos in hoc ipsum.* Consonat Ambrosiana lectio. Sensus autem est: Et ad hoc ipsum, ut assidue Deum oretis, in spiritu vigilantes magna cum instantia, sedulitate, et, ut Ambrosianus legit, perseverantia. Opus est enim vigilia ad assidue orandum, juxta illud Christi Matth. 26. *Vigilate et orate ne intretis in tentationem.* Vigilare autem non potest, qui cibo potuque repletus est: unde ex consequenti sobrietatem sub nomine vigiliae comprehendit et commendat Scriptura.

19. *Pro omnibus sanctis et pro me.* Referendum hoc vel ad participium *orantes,* vel potius ad proximum nomen, *obsecratione. Sanctos,* intelligit fideles; humilitatis autem est, quod se post alios nominet, uti Theophylactus observat. *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei.* Declarat, quid pro se orari velit, ut inquit, dum os meum aperio, causa Evangelii detur mihi sermo; prout sequitur: *Cum fiducia notum facere mysterium Evangelii.* Id est, quo libere, confidenter et intrepide annuntiem, notumque faciam hominibus Evangelium Christi; quod est mysterium olim absconditum, maxime quoad vocationem gentium, sicut dixit cap. 3. Pro *fiducia* Graece est παῤῥησία, quae vox ingenuam libertatem agendi vel loquendi significat: unde Ambrosianus legit *cum libertate.* Particulam hanc *cum*

fiducia seu *libertate* quidam praecedentibus jungunt, facientes hujusmodi sensum, ut detur mihi sermo, quo os meum aperiam confidenter et libere. Verum aptius cohaerere videtur cum sequentibus sensu jam explicato.

20. *Pro quo legatione fungor in catena.* Potest etiam verti *super quo,* ut materia legationis significetur, quae est ipsum Evangelium. *Pro quo* causam finalem significat. Cujus, inquit, Evangelii gratia fungor hac Apostolica legatione; sed in vinculis propter eandem legationem jam constitutus; ideoque mihi vestris precibus opus est. Hoc nimirum pro se fieri postulat, quod pro Petro in vincula conjecto et periclitante Ecclesiam Jerosolymitanam fecisse testatur Lucas Act. 12. illis verbis: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Simul insinuat, jus gentium, quod legatos vult haberi illaesos, in se, summi principis legato, eoque salutifero, violatum esse. Docet hic quoque locus, e vinculis scriptam esse hanc epistolam.

Ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui. Ita non additur in Graeco, nec apud Ambrosianum. Est autem haec pars ordinanda cum illa superiori, *cum fiducia notum facere mysterium Evangelii;* et sensus est: *Ut in eo,* scilicet Evangelio publicando pro munere meae legationis, audacter et libere agam; sive, ut habet Ambrosianus textus, exserta libertate utar, loquens sicut oportet me loqui. Sentit Apostolus, divini muneris esse, ideoque a Deo petendum, ut quis, prout oportet, verbum Dei loquatur. Unde et Esther Deum orasse legitur, ut tribueret sermonem compositum in ore ipsius, cap. 14.


21. *Ut autem et vos sciatis, quae circa me sunt.* Id est, quae ad me pertinent, quomodo res meae habeant, ut alii verterunt. *Quid agam,* in carcere constitutus, *omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister in Domino. Minister,* Graece διάκονος, et quia addit *in Domino,* id est, in his, quae ad Christum Dominum pertinent, non male hinc colligitur, Tychicum sacra ordinatione diaconum fuisse, sicut habet breve argumentum vulgo praefixum huic Epistolae.

22. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis, quae circa nos sunt.* Id est, quis rerum nostrarum sit status. *Et consoletur corda vestra,* ne animis deficiatis ob tribulationes meas, quas pro vobis et pro Evangelio patior; quemadmodum dixit cap. 3. Pro *consoletur* verti etiam potest *exhortetur.* Ex hoc officio consolandi sive exhortandi recte conjecturam accipit Cajetanus, Tychicum fuisse spiritualem ministrum Ecclesiae. Notandum autem verba haec ab eo loco, *ut autem et vos sciatis,* omnia pene eadem haberi sub finem Epistolae ad Col. Ex quo satis apparet, hanc Epistolam eodem loco et tempore cum illa scriptam simulque missam fuisse; quemadmodum bene colligit Hieronymus.

23. *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.* Subaudi, *sit,* vel *augeatur ac multiplicetur.* Claudit Epistolam imprecatione praecipuorum bonorum ac donorum Dei, quorum tranquilla possessio *pax* est. *Charitas cum fide,* charitas sit fidei conjuncta, fidem informans et ad operationem excitans. Multi enim fidem habent, sed non cum ea charitatem. Quanquam aliis *charitas cum fide* perinde valet, ac si dixisset, *charitas et fides.* Unde ex hoc loco probat Augustinus lib. de dono persever. cap. 17. fidem esse donum Dei per Christum. Quod ait, *a Deo Patre,* intellige, ut auctore et largitore, et *a Domino Jesu Christo,* ut mediatore, qui per crucem suam haec omnia bona nobis promeruit. Loquitur enim de Christo secundum assumptam naturam. Quod autem dicit *fratribus,* et non *vobis;* innuit, se cupere hanc epistolam etiam aliis per Asiam Christianis communicari.

24. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen. Gratia* complectitur omne genus beneficentiae divinae pertinens ad salutem vitae aeternae. Eam precatur omnibus diligentibus Christum

in incorruptione; id est, pure et sancte, cum vitae castimonia, et absque corruptelis libidinum. Hoc enim adjecisse videtur propter discipulos Simonis magi; qui cum execrandas turpitudines exercerent, tamen Christum se diligere profitebantur. Itaque modum ostendit Apostolus, sine quo Christus non vere diligitur. Et hunc sensum probabilem reddit, quod et alibi libidines corruptionis nomine significantur, ut 1 Cor. 3. *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus,* sic enim in Graeco est. Item 2 Petr. 1. *Fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem,* et in Epistola Judae: *Quaecunque autem naturaliter norunt, in his corrumpuntur.* Quae quidem duae epistolae Petri et Judae adversus ejusdem Simonis scholam conscriptae sunt. Hypographe Graecorum codicum huic Epistolae subjuncta sic habet: *Scripta e Roma ad Ephesios per Tychicum.*



IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Philippenses, quorum civitas a Philippo Macedoniae rege conditore suo nomen accepit, Macedones esse, et ex ea provincia primos Apostoli Pauli ministerio fuisse vocatos et conversos ad fidem Christi, idque non sine manifesta significatione voluntatis divinae, docet Actorum apostolicorum liber cap. 16. Cum ergo Paulus Romam profectus ibidem in vinculis teneretur; ea re audita Philippenses, quo in Apostolum suum erant affectu, per Epaphroditum miserunt ad eum subsidium pecuniarium, quo se in carcere sustentaret; sicut et ante fecerant Thessalonicae agenti. Quod utrumque Paulus ipse sub finem hujus Epistolae commemorat. Ad eos igitur e vinculis, quorum diserte ac praeclare meminit 1. capite, post primam defensionem suam, secundo quo Romam venerat anno, per eundem Epaphroditum hanc mittit Epistolam, quae multam omnino laudem et commendationem Philippensium continet.

Et quidem statim initio laudat eorum fidem, et ad profectum ac perseverantiam exhortatur. Deinde eos consolatur commemoratione fructus evangelici, qui ex vinculis ipsius provenerat, affirmans, se pro Christo et vivere et mori paratum, simul et ipsos animans ad passionum tolerantiam. Mox ad concordiam hortatur, et Christi humilitate ad imitandum eis proposita, ad studium excitat sanctae conversationis, spem faciens sui adventus, praemisso interim Epaphrodito. Tertio capite monet, ut vitent pseudapostolos judaizantes: in quos Spiritu Dei accensus ita invehitur, ut eos canes, malos operarios et inimicos crucis Christi vocet, quorum Deus venter sit etc., docetque, non ex lege, sed ex fide Christi veram esse justitiam. Postremo traditis quibusdam bene vivendi praeceptis, gratias agit pro ipsorum erga se munificentia.

Sane, quod ad dogmata attinet, convenire videtur argumentum hujus Epistolae cum iis, quae ad Rom. et ad Gal. scriptae sunt. Agitur enim in his omnibus adversus eos, qui in lege Mosaica gloriabantur, observationem ejus ad salutem esse necessariam dictitantes; licet nonnulli ea, quae cap. 3. hujus Epist. contra falsos doctores dicuntur, detorqueant

ad Simonianos haereticos, praeter Apostoli mentem, ut suo loco videbimus. Hieronymus in comment. Epist. ad Philem. affirmat et ostendere se putat, hanc Epistolam eodem tempore scriptam esse, quo scriptae sunt ad Ephesios, ad Coloss. et ad Philemonem Epistolae. Certe esse scriptam ex priore captivitate, liquet ex cap. 1, 25. et ex cap. 2, 24. Ex eodem 2. cap., ubi dicit: *Spero autem me Timotheum cito missurum ad vos,* constat, non esse missam cum aliqua ad Timotheum Epistola. Nam Timotheus cum ipso erat.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis[1]), cum episcopis, et diaconibus. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri[2]), 4. semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, 5. super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc; 6. confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet[3]) usque in diem Christi Jesu[4]): 7. sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis[5]), et in defensione, et confirmatione Evangelii[6]), socios gaudii mei omnes vos esse. 8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi[7]). 9. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu[8]): 10. ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, 11. repleti fructu justitiae per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei. 12. Scire autem vos volo fratres, quia quae circa me sunt[9]), magis ad profectum venerunt Evangelii: 13. ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio[10]), et in caeteris omnibus, 14. et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. 15. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem[11]), quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant: 16. quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum; 17. quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere[12]), existimantes pressuram se suscitare vinculis meis[13]). 18. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. 19. Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem[14]), et subministrationem Spiritus Jesu Christi, 20. secundum

---

1) Act. 16, 12. seq. 2) Rom. 1, 9. Eph. 1, 16. Col. 1, 3. 3) Act. 20, 32. 1 Petr. 1, 5. 4) 2 Tim. 4, 7. 8. 5) Act. 28, 16. 30. 6) Vers. 12.—14. 7) Joan. 13, 34. 8) Eph. 1, 17.—19. 9) Act. 28, 16. 30. 10) Act. 28, 20. 11) Cap. 3, 2. 3. Act. 28, 29. Rom. 16, 17. 12) Gal. 6, 12. 13) Act. 21, 27. seq. 22, 22. 14) 2 Cor. 1, 10. 11.

exspectationem et spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam [1]), sive per mortem [2]). 21. Mihi enim vivere Christus est [3]), et mori lucrum [4]). 22. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. 23. Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius [5]): 24. permanere autem in carne, necessarium propter vos. 25. Et hoc confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis [6]), ad profectum vestrum et gaudium fidei [7]): 26. ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos. 27. Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii: 28. et in nullo terreamini ab adversariis: quae illis est causa perditionis [8]), vobis autem salutis, et hoc a Deo [9]): 29. quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis [10]), sed ut etiam pro illo patiamini [11]): 30. idem certamen habentes, quale et vidistis in me [12]), et nunc audistis de me.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Gratias agit Deo pro fide Philippensium, declarans suum erga eos affectum. Ostendit, etiam vincula sua facere ad profectum Evangelii. Etsi vero cum Christo esse cupiat, se tamen permansurum in carne ad ipsorum utilitatem, quos deinde exhortatur ad patientiam in certamine pro Christo.

1. *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi.* Timotheum in fronte Epistolae sibi conjungit, velut praecipuum atque integerrimum Apostolatus sui cooperarium, de quo cap. 2. scribit, se neminem habere tam unanimem, qui sincera affectione pro Philippensibus solicitus esset. Jam enim Timotheus a Paulo accersitus et festinare jussus, ut est in secunda ad eum Epistola cap. 4., Romam venerat. Jungit autem eum sibi socium, non scribendae Epistolae, sed salutationis dumtaxat. Quod moneo, ne quis hanc a duobus dictatam Epistolam suspicetur. Nomen Apostoli, quod in aliis plerisque Epistolis adscribit, hic omisit, vel ideo secundum Graecos, quod apostolicam auctoritatem in hac Epistola non praetendat, utpote nihil hic ex potestate statuens, vel potius, secundum Cajetanum, quia Timotheum sibi collegam assumens uti voluit epitheto, quod esset utrique commune. Hac enim eadem ratione in utraque ad Thess. Epist. titulum Apostoli praetermisit. Servos igitur Jesu Christi se et Timotheum vocat, non tam quod empti ac redempti a Christo essent pretio sanguinis ejus, quae ratio est omnibus Christianis communis, quam quod in publico ministerio praedicandi Evangelii Christo Domino subservirent.

Omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis. Sanctos vocat fideles, quorum congregatio sancta est, licet non singuli sancti, id est, a peccatis mundi. Quod addit: *in Christo Jesu,* declaratio

---

[1]) 2 Cor. 4, 10. 11. [2]) Act. 6, 15. 7, 55. 58. 59. [3]) Gal. 2, 20. [4]) Vers. 23. [5]) 2 Cor. 5. 8. [6]) Vers. 24. [7]) Act. 12, 16. 17. [8]) Vers. 27. 17. [9]) 2 Thess. 1, 5.—7. [10]) Vers. 6. [11]) Act. 5, 41. Rom. 5, 3. [12]) Act. 16, 19. seq.

est ejus, quod praecedit, quasi dicat: sanctis Christianis. Non est enim vera sanctitas nisi Christianorum. Vel *in Christo Jesu,* id est, per Christum Jesum, cujus merito omnis sanctitas datur hominibus.

Cum Episcopis et Diaconibus, rectius, *Diaconis.* Hic Graeca variant. In quibusdam enim exemplaribus legitur, ut nos habemus: *cum Episcopis,* in aliis vero una composita dictione συνεπισκόποις, *Coepiscopis.* Quo posteriori modo legerunt Chrysostomus et Theophylactus, nec non Oecumenius, ut ex ejus commentario apparet, licet interpres ejus verterit *cum Episcopis.* Ut sensus sit: Paulum et Timotheum, velut Episcopos, sribere omnibus sanctis Coepiscopis et Diaconis Philippensium. Quomodo Petrus e diverso presbyteros compellans 1. epist. 5. se vocat eorum compresbyterum, seu conseniorem, ut nostra versio habet, Graece συμπρεσβύτερος.

Igitur secundum istos auctores haec Epistola non ad omnes fideles, qui Philippis erant, scribitur; sed ad solos in ecclesiastico munere constitutos, Episcopos scilicet et Diaconos, quos iidem clericos appellant. Id autem factum existimant, propterea quod non universa Philippensium Ecclesia, sed clerus eorum, literas et munera ad Paulum per Epaphroditum Episcopum suum misisset.

Verum ab hac sententia manifeste recedit Theodoretus Graecus, docens, non ad solos eos, qui praeerant, sed simul ad omnes Philippenses, missam esse hanc Epistolam. Idque satis res ipsa loquitur. Nam laudes, exhortationes, consolationes, doctrina, praecepta, quae in hac Epistola leguntur, communia sunt omnibus. Sed et liberalitas Philippensium erga Paulum non solius cleri erat, sed totius Ecclesiae.

Quocirca vulgata lectio, quae et in Graecis codicibus obtinuit, tanquam verior retinenda est. Habet tamen haec lectio difficultatem, eamque duplicem. Una est: Quomodo non praeter decorum agat Apostolus, dum ita scribit: *omnibus Sanctis, cum Episcopis et Diaconis;* quandoquidem et civilitatis ratio, et rectus ordo postulat, ut primum Episcopi et Diaconi nominentur, deinde fidelium multitudo. Altera difficultas, etiam priori lectioni communis: Quomodo Paulus ad unam civitatem scribens, dicat: *cum Episcopis* vel *Coepiscopis,* plurali numero; cum secundum canones apostolicos et antiquissimum Ecclesiae morem una civitas plures Episcopos non habeat. Utrumque nodum Ambrosianus dissolvit una responsione, quum illam partem *cum Episcopis et Diaconis* retrahit ad salutantes, Apostoli verba sic ordinans et exponens: *Paulus et Timotheus una cum Episcopis et Diaconis, qui Romae sunt* (ad Paulum enim vinctum etiam aliunde officii gratia confluxerant Episcopi), *scribunt omnibus Sanctis, qui sunt Philippis.* Sed haec expositio ut nimium coacta non immerito ab aliis exploditur.

Et ad priorem quidem scrupulum facile respondetur, Apostolum in sua salutatione Episcopos et Diaconos non postponere plebi, sed cum generaliter dixisset: *omnibus Sanctis,* in quibus utique sunt etiam Episcopi et Diaconi; honoris causa subjecisse peculiarem et expressam istorum mentionem, quasi dicat: omnibus sanctis Philippensibus ac nominatim Episcopis eorum et Diaconis. Simile illud in Actis Apost. 7. et 22. *Viri fratres et patres.* Quanquam nec incongruum est, prius nominare populum et postea regem aut magistratum; ac similiter, prius Ecclesiam et postea Episcopum ejus: quandoquidem non populus sit propter Episcopum aut Regem, sed Rex et Episcopus propter populum.

Posterioris difficultatis solvendae duplex est via. Una quidem, si cum Chrysostomo et plerisque aliis tam Latinis quam Graecis dicamus, Episcopi nomen Apostolorum tempore fuisse etiam presbyteris commune, sicut et e diverso presbyteri nomen Episcopis. Et hoc quidem posterius ex epist. ad Titum 1. et ex aliis Scripturae locis evidenter apparet. Nam et Apostoli Petrus et Joannes in suis Epistolis seniores, id est, presbyteros

sese vocant. Quod autem Episcopi nomen presbyteris attributum fuerit, ostendi putant ex Act. 20., ubi presbyteri civitatis Ephesiorum (majores natu vocat interpres) mox a Paulo appellantur Episcopi: *Attendite,* inquit, *vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos.*

Altera responsio est, nihil incommodi accidere, si hoc loco episcopi intelligantur proprie, scilicet ii, quorum in ecclesiastica hierarchia supremus est ordo. Nam haec epistola non ad eos solum mittitur, qui Philippis morabantur; sed sic ad eos, ut vicinis etiam civitatibus, quae suos habebant episcopos, communicari debuerit: quemadmodum et eam, quae est ad Col., communicari voluit Apostolus Laodicensibus. Unde ex hoc intellectu non est consequens, in una civitate plures episcopos fuisse. Nec aliter sentiendum videtur de loco Act. 20. Nam et ibi possunt intelligi episcopi civitatum Asiae minoris; idque etiam probabilius: quia ejus metropolis Ephesus erat. Certe Concilii Tridentini Patres sess. 23. cap. 4. locum Actorum referunt ad episcopos, ut a presbyteris distinguuntur. Sed de distinctione horum vocabulorum pluribus actum est a nobis in 4. dist. 24.

Quaeret aliquis: si proprie de episcopis hic loquitur Apostolus, cur de presbyteris tacuit, quos utique potius et ante diaconos salutari oportuit. At idem quaeri potest multo magis de loco 1 Tim. 3., ubi cum ex professo doceatur, quales esse debeant Ecclesiae ministri; nulla tamen est presbyterorum mentio, sed, perinde ut hic, soli nominantur episcopi et diaconi. Quare responsionem opportunius in illum locum differemus. Interim ex eo etiam loco ad Timotheum, quem de episcopis, qui presbyteris superiores sunt, et Canones Ecclesiae et omnes fere expositores intelligunt, probabile fit hic eosdem intelligi.

Porro diaconos non aliter accipi hoc loco, quam in eadem ad Tim. epist., scilicet pro ministris altaris a presbytero proximis, et tam episcopo, quam presbytero subservientibus; extra controversiam est. Nec auscultandum cuidam audaculo Neoterico, qui non alios in Scriptura sacra diaconos agnoscit, quam mensarum, ut loquitur, ministros. Cujus opinionis refutatio non est hujus loci. De ea re diximus in quartum Sent. ubi supra.

2. *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo,* supple multiplicetur. De gratia et pace, quid Apostolo Paulo significent, et quomodo differant, in praecedentibus epistolis satis dictum est. Nomen *Patris* hic respicit filios adoptivos, sicut in oratione Dominica, quia additur *nostro.* Et quamvis hac consideratione sit tribus personis divinis commune, tamen personae patris appropriatum est. Nam hic sermo, quo dicitur *a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo,* personas distinguit. Caetera ad hujus partis intellectum pertinentia, vide in comment. epist. ad Rom.

3. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.* Id est, quoties vestri recordor. Quum dicit: *Ago,* et *Deo meo;* satis significat, se solum scribere hanc epistolam, licet Timothei nomen in salutatione adscripserit. Recte autem *Deo meo,* quia Deus est eorum omnium et singulorum, a quibus colitur. Unde dicit Act. 27. *Astitit mihi angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio.*

4. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.* Graece, *semper in omni deprecatione mea* etc. Bis enim deprecationis vocabulum ponitur; pro quo alii *precationem* vertunt. Multi codices haec verba claudunt parenthesi, nec id quidem incommode: nam quae proxime sequuntur, aptissime cum superioribus cohaerent. At commentatores non videntur hujus rei rationem habuisse; sensum enim faciunt continuum, quasi dicat Apostolus: quoties subit vestri memoria, hoc est, semper in omni oratione mea, gratias ago Deo meo de omnibus vobis. Quod addit, *cum gaudio deprecationem faciens,* quaedam superiorum repetitio est,

per quandam metalepsin: tanquam diceret, cum gratiarum actione Deum orans. Eadem enim erat Apostolo gaudii et gratiarum actionis materia, nempe ea, quae sequitur.

5. *Super communicatione vestra in Evangelio Christi, a prima die usque nunc.* Graece *in Evangelium* vel *ad Evangelium;* nec additur *Christi,* tametsi per se intelligitur. Haec pars referenda est ad illud, *gratias ago,* vel ad particulam *cum gaudio,* vel ad utrumque; non autem ad istud proximum, *deprecationem faciens,* quia pro praeteritis non est praecatio, sed gaudium et gratiarum actio. Porro secundum quosdam hic sensus est: Gaudeo et Deo gratias ago de eo, quod sitis facti participes Evangelii Christi, nimirum credendo, et fidem operibus exercendo; idque perseveranter ab initio, quo credere coepistis, usque in hunc diem: ita ut nec pseudapostolis aurem accommodaveritis; nec ad pristinam gentilitatem relapsi, nec persecutionibus turbati fueritis.

Sic exponunt Ambrosianus, Aquinas, Cajetanus, aliique Latini. Graeci vero ad hunc modum: Gaudeo et Deo gratias ago, pro eo quod communicaveritis, id est, subsidium contuleritis ad Evangelium Christi praedicandum et propagandum; videlicet ministris ejus, mihique inprimis, suppeditando vitae necessaria; nec id tantum semel aut iterum, sed continuo ab eo tempore, quo recepistis Evangelium, usque nunc, quando mihi in vinculis constituto necessaria per Epaphroditum misistis. Sensum hunc pulcre explicant Chrysostomus et Theophylactus eumque omnino postulare videtur Graeca lectio et consuetudo sermonis apostolici.

Passim enim Apostolus subventionem hujusmodi vocat communicationem, ut 2 Cor. 8. et 9., ubi et Macedones hoc nomine mirifice laudat, quod liberaliter et prompte tribuerint. Et in hac rursus epist. cap. 4. Philip. laudans: *Bene fecistis,* inquit, *communicantes tribulationi meae.* Et iterum: *Nulla Ecclesia mihi communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli.* Eodem pertinent illa Apostoli praecepta: *Necessitatibus sanctorum communicantes,* Rom. 12. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci,* Hebr. 13. *Communicet is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis,* Gal. 6. Denique quod divitibus praecipi vult, *facile tribuere, communicare,* 1 Tim. 6. Jam ex eo, quod gratias agit Deo pro hujusmodi Philippensium communicatione, certum argumentum est, totum hoc opus a Dei gratia profectum esse; quemadmodum expressius declaratur per id, quod sequitur.

6. *Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Confidens,* Graece *persuasus, persuasum habens.* Et quamvis Graeco verbo Apostolus interdum utatur pro eo, quod est certa fide persuasum esse; alibi tamen in ea voce tantum moralem attendit certitudinem, uti clare ostendimus ad illud Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors* etc. Ita hoc loco voluit significare probabilem et quodammodo certam persuasionem atque fiduciam, ex justa ratione profectam. Quod si de omnimoda certitudine quispiam hunc locum accipiendum putet: is conformiter intelligat Apostolum haec dicere electis. Confer 1 Cor. 1, 8. Unde male ex Graeca lectione hujus Scripturae colligunt haeretici, Deum omnibus, quibus dedit initium bonae vitae, etiam dare perseverantiam. Loquitur autem Apostolus vel specialiter de opere bono communicationis in Evangelium Christi; hoc enim proxime commemoraverat: vel, ut a specie ad genus transiens, de bona conversatione in genere.

Porro *diem Christi* more suo intelligit diem adventus Christi ad judicium, perseverat autem in illum usque diem, quicunque perseverat usque ad mortem suam; sed dicere maluit Apostolus, *usque in diem Christi,* quam usque in diem mortis; ut mentione illius diei cogitationem injiceret praemii a Christo exspectandi. Non dixit autem: confidens, vos qui coepistis bonum opus etiam perfectu-

ros; quod utique vere dicere poterat: sed gratiam Dei commendare volens, dixit: *confidens, eum, qui coepit in vobis bonum opus, perfecturum*, scilicet Deum. Per hoc enim ostendit, bonum opus et sanctam conversationem totam ab initio usque ad finem esse a Deo in nobis operante. Ad quod docendum citat hunc locum Augustinus libr. de correpț et grat. cap. 6. et lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. Citant etiam Patres Concilii Trid. sess. 6. cap. 13. his verbis: *Deus enim, nisi ipsi homines illius gratiae defuerint; sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* Ubi quum addunt, *nisi ipsi illius gratiae defuerint,* non negant quin hoc ipsum sit gratiae Dei, quod quis ejus gratiae non desit; imo hoc significatum voluerunt, per hoc, quod subjungunt, *operans velle et perficere:* sed ea particula interposita contra falsum intellectum haereticorum, de quibus jam dixi, declarare voluerunt, Deum non in omnibus, in quibus coeperit bonum opus, etiam perficere; nimirum in illis, qui gratiae Dei semel acceptae desunt; tametsi et illud ipsum, non deesse gratiae Dei, procul dubio ejusdem gratiae beneficium sit, utpote, pertinens ad ipsius perseverantiae donum.

7. *Sicut est mihi justum, hoc sentire pro omnibus vobis.* Vel *de omnibus vobis.* Id est, de congregatione vestra, de vestra Philippensium Ecclesia, quasi dicat: Justa ratio mihi persuadet, ut ita de vobis sentiam et confidam. Vel, justas habeo rationes, cur vos reputem inter electos, de quibus certus sum, quod Deus in eis perficiet, quod coepit. Ratio sequitur:

Eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. Graeca non habent, *gaudii*, sed *gratiae:* quod etiam liquet ex Graecorum commentariis. Atqui Latini interpretes tam vulgatus, quam alii, quibus usi sunt commentator Ambrosianus, Pelagius, Primasius et Sedulius, *gaudii, non gratiae* vertentes, χαρᾶς non χάριτος in Graeco legerunt, quae duae voces ita affines sunt, ut facile alteram pro altera quis legat aut scribat. Illud autem, *habeam vos in corde,* referri debet ad sequentis polysyntheti singula membra, quemadmodum ex Graeco patet; ut clarius ita reddi possit sententia: Eo quod et in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii, habeam vos in corde; vos, inquam, omnes, qui estis socii seu comparticipes gratiae meae, vel, ut habet textus Ambrosianus, eo quod habeam vos in corde, tam in vinculis meis, quam in defensione et confirmatione Evangelii, quoniam omnes mihi participes gaudii estis.

Habere in corde, est gerere in animo seu memoria, velut rem caram et dilectam. Sic 2 Cor. 3. *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris,* et cap. 7. *In cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum. Defensionem,* Graece ἀπολογίαν, intelligit suam, ut volunt Chrysostomus et Theophylactus, id est, eam qua apud Neronem pro se causam dixit; de quo 2 Tim. 4. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit.* Addit autem, *et confirmatione Evangelii;* vel quod etiam in vinculis Evangelii docendi et confirmandi occasiones non negligeret, vel potius, quod necessario conjunctae essent defensio sui et confirmatio Evangelii. Non enim defendere causam suam poterat adversus objecta crimina, nisi pro Evangelio, propter quod vinctus erat, loqueretur. Id quod etiam ex Actis liquet cap. 24. 25. et 26.

Si quis autem *defensionem* referre malit ad genitivum *Evangelii,* sensus nihilominus commodus erit; ejusdem enim erat et defendere Evangelium adversus falsas criminationes, et idipsum probabilibus argumentis confirmare: favetque huic intellectui, quod paulo infra dicit: *In defensionem Evangelii positus sum.* Significat ergo Apostolus, sibi in omnibus, quae pateretur et ageret causa Evangelii, Philippenses, tanquam carissimos, animo obversari, ut qui gratiae ipsius consortes essent et socii: vel quatenus similia

patiebantur, sicut in fine hujus capitis dicitur; vel quia Paulo necessaria subministrando, participes meritorum ejus efficiebantur; juxta illud Matth. 10. *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* *Gratiam* autem passiones suas vocat, quia pati pro Christo magna gratia est, de qua Philippensibus hoc ipso capite congratulans ait: *Vobis donatum est non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini.* Secundum Latinos autem *gaudium* vocat easdem passiones, id est, gaudii materiam. *Ibant enim Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati*, Act. 5. Porro notandum, in hac postrema parte vim inesse probationis, qua docet sibi justum esse, ut ita sentiat de Philippensibus, sicut ante dixerat.

8. *Testis enim mihi est Deus.* *Mihi*, Graece μοῦ *meus.* Utitur iisdem verbis Rom. 1. Vide, quae illic a nobis annotata. *Quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Confirmat juramento suum erga Philippenses affectum, de quo dixerat: *eo quod habeam vos in corde* etc. Illud enim, *quomodo*, sermonem intendit quasi dicat: Deum testor, quod vehementissime vos desiderem et amore complectar, non carnali, sed Christiano, quo nimirum vobis in Christo optime volo. Per *viscera* methaphorice significari intimum affectum amoris aut misericordiae, notum est ex aliis Scripturis. *Desiderium* autem pro amore amicitiae posuit; quia quisquis hoc modo amat, bonum desiderat aut vult ei, quem amat. Hinc infra cap. 4. vocat eos *carissimos et desideratissimos.*

9. *Et hoc oro, ut charitas vestra magis abundet in scientia et in omni sensu;* Graece *plenius, adhuc magis et magis.* Verbum *oro,* Graece προσεύχομαι, ad Deum refertur. *Sensum* autem pro recto judicio mentis, id est, prudentia, posuit. Et hoc, inquit, Deum oro, ut charitas vestra, quam benefaciendo declaratis, adhuc magis ac magis exuberet per bona opera; idque secundum scientiam Christianam et cum exacto dictamine rectae rationis; ne si temere et sine delectu vos officiosos et largos praebeatis etiam erga pseudapostolos, qui vos seducere nituntur; benignitas vestra degeneret in vitium, et charitas esse desinat.

10. *Ut probetis potiora.* Ambrosianus, *ut probetis, quae sunt utilia:* Graece, *praestantia.* Quod tamen interpres bene vertit, *potiora:* nam potiora dicuntur, quae praestant aliis. Pertinet autem ad rectum mentis judicium, in actionibus probare, hoc est, eligere et amplecti meliora. Itaque particula *ut* expletiva est; sicut et in eo, quod sequitur.

Ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi. *Sine offensa* Graece una composita dictio est ἀπρόσκοποι, pro qua legit Ambrosianus, *inoffensi.* Sumitur autem Graeca vox active et passive, ut vel eum significet, qui non offendit, vel qui non offenditur; tametsi Paulo magis usitata est activa significatio, ut Act. 24. *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper;* et 1 Cor. 10. *Sine offensione estote Judaeis et gentibus.* Quae significatio huic etiam loco quadrat. Sensus enim est: *Ut sitis sinceri,* id est, sinceram et rectam habentes intentionem coram Deo in bonis vestris operibus, et coram hominibus tales, ut nemini sitis offendiculo, et hoc totum perseveranter usque in diem adventus Christi Domini. Graeci paulo aliter. Nam sinceritatem intelligunt in doctrina, atque hunc faciunt sensum: Ut sitis sinceri absque permixtione pravi dogmatis, quo praetextu charitatis possitis infici; sitis etiam sine offendiculo quoad proximos, ut quamvis te forte non laedat familiaritas hominis haeretici, vitandus tamen tibi sit, ne frater scandalizetur.

11. *Repleti fructu justitiae per Jesum Christum.* Graece *repleti fructibus justitiae, qui sunt per Jesum Christum.* Quanquam Graeca variant. Alii enim codices habent, ut dixi, numero plurali: *Repleti fructibus justitiae, qui sunt* etc., ut sensus sit: pleni bonis operibus, quae

non habentur nisi per Christum, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* Joan. 15. Recte enim bona opera *fructus justitiae* vocantur: *fructus* quidem, quia delectationem pariter et salutem adferunt operantibus, *justitiae* vero, tanquam arboris a qua procedunt. In aliis autem codicibus habetur: *Repleti fructu justitiae, qui est per* etc. Ita legerunt et verterunt Faber et Erasmus. Ita quoque legit Oecumenius. Imo verisimile est, ad hunc modum legisse Chrysostomum et Theophylactum, tametsi commentariis eorum textus insertus est, qui pluralem numerum habeat. Non enim de pluribus justitiae fructibus loquuntur, sed de uno, qui est eleemosyna, quae etiam in Evangelio justitia vocatur Matth. 6. Fructum ergo justitiae vocat Apostolus actualem justitiam, quae in bonis operibus consistit. Itaque diversae hae lectiones in eundem sensum concurrunt.

In gloriam et laudem Dei. Refertur ad illud: *repleti fructu justitiae,* quasi dicat: Volo vos abundare bonis operibus, non ut vos glorificemini, aut ego in vobis: sed ut per ea laudetur et glorificetur Deus; secundum illud Salvatoris Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.*

12. *Scire autem vos volo fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii.* Pro *ea, quae circa me sunt,* Ambrosianus legit, quae mihi acciderunt. Ita quoque verterunt Erasmus et Hentenius. Apparet autem, turbatos fuisse Philippenses ob vincula Pauli, metuentes ne per ea cursus Evangelii sisteretur. Consolans igitur eos, dicit: Volo vos scire, quod ea, quae circa me geruntur, quaeque mihi acciderunt, id est, captivitas et vincula mea, adeo non officiunt Evangelio, ut potius cesserint ad illius profectum.

13. *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio.* Graece: *manifesta in Christo fierent in toto praetorio.* Modum exponit, quo vincula ipsius Evangelium promoverint. Videtur autem hic esse sensus: Ita ut in toto praetorio, id est, per totam aulam Caesaris manifestum factum sit, me Christi causa vinctum esse. Quae res non solum effecit, ut rumor Evangelii Christi ad omnes aulicos perveniret; verum etiam occasionem illis obtulit inquirendi, quod et quale esset hoc Evangelium. Apostolus aulam Caesaris, Latino vocabulo usus, praetorium vocat; quia vulgo sic vocabatur etiam a Graecis. Unde et apud Matthaeum, Marcum et Joannem legimus praetorium Pilati; et apud Lucam in Actis praetorium Herodis cap. 23. in fine.

Et in caeteris omnibus. Graece sine praepositione: *et caeteris omnibus,* ut ad personas referendum videatur; quasi dicat: non solum aulicis, qui in praetorio versantur, sed passim omnibus per totam urbem vincula mea in Christo innotuerunt.

14. *Ut plures e fratribus in Domino.* Graece: *Et plures,* Latinis etiam quibusdam consentientibus et in his textu Clementino. *Confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Genitivus *Dei* non additur in Graeco. Sensus est: Et ut multi fratrum in Domino, id est, Christianorum, sumpta ex vinculis meis fiducia, magis etiam quam ante fuerint ausi intrepide loqui verbum, id est, Evangelium annuntiare. Christianos vocat *fratres in Domino,* ad discrimen Judaeorum, qui Paulo fratres erant secundum carnem; tametsi Graeci particulam *in Domino* jungere malunt cum verbo subsequenti: *confidentes.* Sed quomodo vincula Pauli fiduciam excitaverunt fratribus, qua redderentur audentiores ad praedicandum Christum? Nempe, quia videbant Pauli captivitatem et vincula cedere ad profectum Evangelii, sicut supra dixit. Ex hoc enim successu magis animabantur ad loquendum verbum Evangelii.

15. *Quidam quidem propter invidiam et contentionem.* Partitio est. Quamvis enim omnes, de quibus loquitur, fiducia ex Pauli vinculis sumpta, magis quam ante Christum praedicarent, non tamen eodem affectu ad id faciendum moveban-

tur. Erant enim nonnulli, qui videntes Pauli in Evangelio successum, etiam in ea urbe, quae caput erat mundi, gloriae ejus invidebant, et Evangelii Romam invecti laudem ad se transferre cupiebant. Itaque Christum praedicabant, non studio salutis hominum, sed per invidiam et contentionem adversus Paulum: per invidiam quidem, resistentes gloriae Pauli; per contentionem vero, qua suam quaerebant gloriam, volentes prae illo excellere. Hos autem verisimile est Judaeos fuisse.

Cajetanus contentionem refert ad disparitatem doctrinae: putat enim hos una cum Christo legalia servanda praedicasse, idque contentione quadam contra Paulum, qui legem docebat abolitam. Sed improbabilis est hic commentarius. Non enim Apostolus, quod infra dicit, gavisus fuisset, si qui perniciosa et adulterina dogmata tradentes Christum praedicarent, Evangelium ejus invertentes, sicut loquitur Gal. 1. Quos eosdem, etiam hujus Epistolae cap. 3., vocat *inimicos crucis Christi.* Quare hi, de quibus nunc agit, nec cum illis sunt comparandi, adversus quos agit in secunda Epistola ad Cor., dicens eos *adulterare verbum Dei* cap. 2. et 4., et appellans *operarios subdolos ac Satanae ministros* cap. 11. Utique propter doctrinae corruptelam. Sane et Augustinus in Psalm. 115. istos nihil praeter regulam fidei annuntiasse intelligit.

Quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant. Id est, ex benevolentia, qua desiderant hominum salutem. Nam Graeca vox εὐδοκία quae interpres varie vertit, uti annotavimus ad illud Eph. 1. *secundum propositum voluntatis suae;* significat benignam ac propensam voluntatem, qua quis alicui bene cupiat.

16. *Quidam ex charitate.* Partitionem superiorem repetit, et repetendo explicat. Ubi notandum in Graecis codicibus eodem ordine membra repeti, quo supra posita sunt, hoc videlicet modo: *Quidam quidem ex contentione Christum annuntiant, non sincere* etc. *Quidam autem ex charitate, scientes* etc., tametsi nostrum ordinem conspicere est etiam in Ambrosiano textu. *Quidam,* inquit, *ex charitate,* quam scilicet proxime vocaverat bonam voluntatem. Idem est enim charitas et bona voluntas, quemadmodum Augustinus docet compluribus locis.

Scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Defensionem, Graece rursus ἀπολογίαν. Et sensus est: Scientes, quod positus sum in vinculis, ut reddam rationem Evangelii a me praedicati; quasi dicat: cum sciant, me propter Christum et Evangelium ejus in vinculis teneri, ideoque libere per urbem Evangelium praedicare non posse: ex charitate, qua quaerunt hominum salutem, supplent hoc meum impedimentum sua praedicatione. Graeci sic exponunt: Scientes, quod Evangelii ratio mihi reddenda sit apud Deum, a quo positus sum, id est, missus Evangelium praedicare. Pro hoc commentario similis allegatur locus 2 Tim. 1. *Per Evangelium, in quo positus sum ego praedicator et Apostolus et magister gentium.* Verum ibi longe diversum in Graeco vocabulum est, quo decretum seu mandatum in Scripturis solet significari. Quare priorem expositionem, quae Latinorum est, germaniorem putamus.

17. *Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincere.* Explicat alterum membrum. Alii vero, inquit, ex contentione Christum praedicant, gloriae suae studentes, meque deprimere conantes, non autem ex pura et recta intentione. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 48. et lib. 2. contra epist. Parm. cap. 11. et praefat. in Psalm. 115., item tract. 50. in Joannem pro *non sincere,* legit *non caste,* quod idem valet. Est enim Graece ἁγνῶς dictio diversa ab illa superiori, *ut sitis sinceri.* Auctor Ambrosiani textus vertit *non simpliciter,* sed is legisse videtur ἁπλῶς in Graeco, tametsi in eundem sensum redit utraque lectio. Nam eadem est intentio simplex et pura. Quod ergo dicit: *non sincere,* non ad doctrinam pertinet, sed ad animum:

nam uti superius diximus hi, de quibus agit Apostolus, veram de Christo doctrinam praedicabant, ut de ea re merito gauderet Apostolus, sed id faciebant intentione ac studio non recto. Quod declaratur sequentibus verbis:

Existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Suscitare, Graece ἐπιφέρειν, quod est, *inferre* aut *superaddere.* Priori modo illud *vinculis meis* figurate dixit pro eo, quod diceret, mihi vincto. Existimantes, inquit, se mihi vincto pressuram sive afflictionem inferre. Posteriori modo, sine tropo intelligi potest: Existimantes se vinculis meis (quae una afflictio est) aliam superaddere afflictionem, et (ut ita dicam) vincula mea nova afflictione aggravare. Quaeritur autem, de qua pressura loquatur Apostolus. Multi tam Graeci quam Latini eam intelligunt, quam persecutor Christianae religionis inferret. Ut sensus sit: putantes ac sperantes se, praedicando Christum et Evangelium ejus inculcando, Caesarem adversum me amplius exacerbaturos, a quo propter Christum et ejus Evangelium teneor in vinculis: aut certe gravius odium Judaeorum infidelium, qui sunt accusatores mei, adversum me concitaturos.

Alii vero pressuram intelligunt dolorem, quem Paulus esset habiturus ex aliorum evangelizantium gloria, et mentem Apostoli explicant hoc modo: Quidam Christum praedicant contentione quadam et aemulatione atque invidia adversum me; videlicet gloriae meae, quam ex Evangelii praedicatione permagnam consecutus sum, invidentes. Itaque me nunc vinculis astricto et a munere praedicandi Evangelii impedito, illi gloriam Evangelii propagati hac praesertim in urbe mihi eripere, et ad se transferre nituntur. Cumque me sibi similem, hoc est, gloriae cupidum, arbitrentur, existimant se pressuram addere vinculis meis, id est, supra afflictionem carceris et captivitatis hujus etiam hoc malum et hanc pressuram superinducere, quod splendore gloriae suae, quam ex Evangelio quaerunt, me urant, et dolorem ac tormentum animo meo afferant, velut qui gloriae ipsorum invideam. Qua tamen in re vehementer falluntur, quum ego contra (sicut infra dicet) ex animo gaudeam, quocunque modo Christus annuntietur, dummodo fructus Evangelii ad quam plurimos perveniat.

Hic sensus valde congruit ingenio aemulorum Pauli, de quibus et hic et in 2 Cor. cap. 2. et 4. loquitur. Nam gloriae studio certabant adversus eum. Prior sensus minus placet, quod non sit verisimile, fratres istos (sic enim supra vocantur), id est, Christianos, sed tamen Pauli aemulos, illa sua praedicatione necem ejus spectasse; tum quia sic Pauli gloriam non extinxissent, sed magis auxissent, erat enim et habebatur apud fideles gloriosum pro Evangelio pati ac mori; tum quia praedicando Evangelium non potuissent aggravare vincula Pauli quoad mortis periculum, nisi cum suo ipsorum periculo. Nam utique praedicando Christum primum adversus semetipsos concitassent furorem persequentium. Verum illi hoc periculo contempto gloriae studebant. Itaque non ex odio, sed ex invidia cum Paulo contendebant, superare eum gloria cupientes.

18. *Quid enim?* Id est: Quid mea refert? quid mihi curae est? quasi dicat: Non discutio, non multum moror, quo illi animo Christum praedicent; dum tamen Christus vere praedicetur. Negligebat enim Paulus illud malum propter hoc bonum, de quo sequitur:

Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur. Graece: *Attamen omni modo* (vel potius *quovis modo*) *sive occasione, sive veritate Christus annuntietur.* Pro *occasione*, Graece est πρόφασις, quae proprie praetextum significat, licet saepe pro occasione sumatur. Quod etiam convenit huic loco. Sentit enim Apostolus per illos fratres, de quibus superius locutus est, saltem divulgari et crescere Evangelium Christi, quocunque modo, animo et studio illi Christum praedicent: *sive per occasionem,* id est, aliud spectantes, ad quod eis hujusmodi praedicatio con-

ducat, nempe gloriam suam, Paulique depressionem, *sive per veritatem,* id est, vere ac sincere hoc agentes, scilicet ut Christus annuntietur, et non alio detorquentes intentionem. Veritas ergo non opponitur falsae doctrinae, quasi Apostolus significet, non sibi esse curae, verane an falsa et haeretica sub Christi nomine docerentur, quem sensum quorumdam stolidorum bene refellit Theophylactus; sed opponitur pravae intentioni, de qua superius dixerat: *non sincere;* tametsi corruptam intentionem facile, si detur occasio, consequatur etiam doctrinae corruptela. Quod tamen hic factum fuisse, non est existimandum maxime propter id, quod sequitur:

Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. In hoc, scilicet quod Christus annuntietur. Non enim gaudebat Apostolus de perversa quorumdam praedicantium intentione, sed de ipsa praedicatione, quatenus nimirum per eam Evangelii negotium promovebatur. Est autem idem judicium de mercenariis in Ecclesia pastoribus, id est, iis, qui officium pascendi et praedicandi referunt non ad salutem ovium sibi commissarum, sed ad commoda sua terrena. Nam et illorum labor est populo Dei fructuosus, multoque satius est vel mercenarium habere pastorem, quam nullum. Quare et de Christo ab illis praedicato gaudendum est. Idque pulcre docet Augustinus duobus locis supra citatis contra Faust. et contra Epist. Parmen., adducta etiam similitudine de conjugio, ex quo proles consequitur, quacumque tandem intentione conjuges sibi misceantur. Item de agricultura, cujus fructum non impedit agricolarum malitia. Ex quibus liquet, quam falsum sit, quod in suis proleg. scripsit Brentius, eum, qui spiritu Christi caret, cum fructu verbum Dei praedicare non posse. Quod si esset, non Christus Judam cum caeteris Apostolis ad praedicandum misisset, nec Paulus alibi diceret: *Ne forte cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar,* 1 Cor. 9.

Addit autem Apostolus, *sed et gaudebo,* pro quo legit Ambrosianus, *quin etiam et gaudebo;* ut ostendat non inane, sed solidum ac justum esse hoc gaudium, quod sibi velit esse perpetuum; vel quo significet, ex ea re sibi adhuc accessuram novi gaudii materiam, juxta rationem subjunctam.

19. *Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem,* quasi dicat: Illi Christum praedicant, existimantes, per hoc se pressuram suscitare vinculis meis: at multo secus eveniet. Scio namque, quod hoc, scilicet ab illis praedicari Christum, mihi cedet *ad salutem;* sive me liberari contingat e vinculis, sive non. *Ad salutem,* inquam, hoc est, ad bonum meum spirituale in futuro saeculo atque etiam praesenti. Nam ea res augebit gloriam meam, quam illi obscurare conantur. Hunc sensum exigunt sequentia. Scire autem se dicit non per revelationem, sed certitudine bonae spei, quemadmodum infra declarat.

Per vestram orationem, et subministrationem spiritus Jesu Christi. Tacite se commendat precibus Philippensium, quasi dicat: Scio, hoc mihi profuturum ad salutem per vestras ad Deum orationes, quas proinde pro me fieri peto; ut Jesus Christus spiritum suum mihi subministret, qui faciat mihi illud ad salutem provenire. Conjungit Apostolus orationes hominum cum subministratione spiritus Christi, id est, auxilio Dei; et quidem orationes priori loco nominat, non ut rem digniorem, sed quia per eas hoc posterius obtinetur, licet et illae non aliunde, quam a praeveniente Dei gratia proficiscantur.

20. *Secundum expectationem et spem meam.* Pendet haec pars adhuc ab illa superiore, qua dixerat, hoc sibi proventurum ad salutem, nimirum, inquit, *secundum expectationem et spem meam;* id est, prout expecto et spero. Vox Graeca ἀποκαραδοκίαν, quam interpres *expectationem* vertit, non qualemcunque expectationem significat, sed intensam ac vehementem. Qua voce etiam in epistola ad Rom. cap. 8. usus est, ubi Latine legitur: *Nam expectatio creaturae* etc. Atque illam significationem, de qua illic plura,

ponderant etiam hoc loco Graeci interpretes.

Quia in nullo confundar. Potest haec pars cum praecedenti ita connecti: *Secundum spem meam, qua spero, quod in nullo confundar.* Verum rectius secundum proprietatem Hebraei sermonis illud *quia* sic accipitur, ut sit explicantis et fortius affirmantis, tanquam dicat Apostolus: Ita spero, et certe nulla ex parte *confundar,* id est, pudefiam ab expectatione et spe mea, sed integre et plene consequar rem speratam; nempe eam, de qua sequitur.

Sed in omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Pro *fiducia* Graece est παῤῥησία, vox Apostolo frequens, quam interpres Ambrosius hoc loco vertit *exsertam fiduciam,* alibi *libertatem.* Significat autem agendi, loquendive ingenuam et imperterritam libertatem. Quod ait: *sicut semper et nunc,* Hebraismus est, quo reticetur *ita,* quod respondeat adverbio *sicut.* Cui simile est illud orationis Dominicae: *Sicut in coelo et in terra.* Sensus Apostoli est: Sed dum tota fiducia, id est, libere et intrepide versor in Evangelio propagando, sicut semper ex quo factus sum Apostolus, ita et nunc, me vinculis alligato, glorificabitur Christus in corpore meo, seu vivere contingat seu mori. Nam si supervixero, corpus meum, sicut ante, impendam obsequio Christi: si vero mortem inferat persecutor, corpus meum exhibebo hostiam Christo. Utrovis autem modo proveniet mihi salus et gloria, etiam apud homines.

Quod autem per mortem sit Christum magnificaturus in corpore suo velut hostia quaedam, intelligi potest ex aliis locis. Nam sequenti capite dicit: *Sed etsi immolor supra sacrificium* etc. et 2 Tim. 4. *Ego enim jam delibor.* Theophylactus illud *in omni fiducia,* refert ad verbum *magnificabitur,* quod non est rejiciendum. Obiter notandum, illam partem, *sicut semper et nunc,* posse et ad id, quod praecedit, et ad sequentia referri. Sed convenientius ordinatur cum sequentibus, juxta sensum jam datum.

21. *Mihi enim vivere Christus est; et mori lucrum.* Ostendit, seu vitam seu mortem suam sibi cessuram ad salutem. Nam, inquit, mea vita Christus est; id est, vitam meam Christo et Evangelio consecravi: et mors lucrum mihi est, id est, mortem pro lucro deputo; per eam enim consequar, ut sim cum Christo, sicut infra dicit. Quod maxime verum, si mortem intelligas pro Christo illatam, de qua Paulus loquitur: tametsi generaliter omnibus justis mori lucrum est, quia mors omnibus illis est transitus ad vitam; quemadmodum docet Ambrosius lib. de bono mortis; licet eam non statim omnes consequantur, ut qui purgandum aliquid secum auferunt. Id quod in morali doctrina sui commentarii in hunc locum diserte docet Chrysostomus; affirmans inter alia sancitum esse ab Apostolis, ut in celebratione mysteriorum memoria fiat defunctorum.

22. *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est; et quid eligam ignoro.* Graece *hoc mihi fructus* etc. nonnullis etiam Latinis suffragantibus. Bifariam distinguitur et exponitur haec sententia. Uno modo: Quod si contingat adhuc permanere in vita hac mortali, ea res cedet mihi ad fructum operis seu laboris, quem adhuc Evangelii causa subiturus sum, quasi dicat: Si supervixero, multos adhuc opere praedicationis sum lucrifacturus Christo. Deinde sequitur nova sententia: *Et quid eligam ignoro.* Hanc distinctionem amplectitur Erasmus in sua versione, supplendo verbum *contigat.* Eandem sequitur Cajetanus, sed diverso sensu, quem apud ipsum videre est. Alio modo: Quod si permanere in vita hac mortali mihi cessurum sit ad fructum operis, dum labore praedicationis multos adduco ad Christum: *et quid eligam ignoro.* Id est, adeo praesens meum commodum, quod ex morte expecto, non praefero saluti proximorum: ut etiam dubitem, utrum e duobus eligam, vivere an

mori. Hic sensus fere omnium est interpretum, etiam Graecorum.

Quaeres: Quomodo Paulus ignorare se dicit utrum eligat; et quomodo coarctatur e duobus, ut statim subjicit: et tamen continuo post affirmat, alterum esse multo melius, scilicet esse cum Christo, quam vivere hic in terris absentem a Christo? Nam ubi scitur unum esse multo melius altero, non est in eligendo difficultas aut perplexitas. Responsio. Sciebat Apostolus, unum per se esse multo melius. Quis enim nesciat, quod sit melius esse cum Christo, quam vivere hic in terris absentem a Christo? Sed hoc illo melius esse poterat consideratum secundum circumstantias; nimirum ratione permagnae utilitatis, quam vita Pauli in carne mortali esset adhuc allatura Ecclesiae Christi; cum interim lucrum vitae coelestis ei integrum maneret, percipiendum suo tempore. Haec igitur erat Apostolo justa ratio dubitandi.

23. *Coarctor autem duobus.* Graece, *coarctor enim e duobus.* Ambrosianus legit, *ex his duobus;* exprimens vim articuli Graeci. Agitur enim de duobus jam nominatis, vita et morte. Sensus est: Distineor ac trahor in diversa; hinc desiderio Christi, illinc amore fratrum, quibus vita mea in carne adhuc est necessaria. Sensum hunc explicant sequentia. Caeterum de recta distinctione hujus loci vide Augustinum lib. 3. de doct. Christiana cap. 2., quem nos sequimur.

Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. Graeca plenius ita reddes: *Desiderium habens ad hoc, ut dissolvar et sim cum Christo.* Non dicit mori, sed *dissolvi;* ut significet mortem hominis non esse interitum animae, sed partium permanentium, id est, corporis et animae dissolutionem ac separationem; quae tamen per se non erat Paulo expetenda, sed propter illud consequens, *esse cum Christo,* ad quod sine morte media veniri non poterat.

Ex hoc loco clare ostenditur, animas sanctorum ex hac vita sine peccato migrantium statim post mortem esse cum Christo; et sicut Apoc. 20. dicitur, regnare cum Christo. Quod observandum inprimis contra Anabaptistarum errorem, qui animas usque ad resurrectionem corporum dicunt sopore quodam pressas, nec in bonis esse, nec in malis. Nam si Paulus non statim erat futurus cum Christo, sed denique post resurrectionem; cessabat igitur causa, propter quam desiderabat statim dissolvi, et non diutius in carne permanere. Unde Cyprianus in serm. de mortal. huc alludens ait: *Ut cito ad Christum venire contingat, optemus.*

Quoniam vero hoc, quod Apostolus dicit, *esse cum Christo,* significat beatudinem nostram, scilicet esse in bonis Christi atque eorum esse participem; quorum principium est Deum videre, unde et post resurrectionem id ipsum nobis promittitur, 1 Thess. 4. iis verbis: *Et sic semper cum Domino erimus:* hinc recte ac solide etiam ex hoc loco probatur, animas sanctorum ante generalem resurrectionem frui beata Dei visione. Et quidem eo modo locum hunc intellexerunt, non solum Latini patres, verum etiam Graeci Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius in commentariis. Quod notandum propter alia quaedam loca apud eosdem auctores, quae lectori parum attento diversum videntur sonare.

Est autem hic Apostoli locus conferendus cum illo, qui est 2 Cor. 5. ubi dicit: *Audemus et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Est enim utriusque loci eadem sententia. Caeterum quod hic dixit Apostolus: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo;* quomodo non pugnet cum eo, quod dixit 2 Cor. 5. *Nolumus exspoliari:* facile judicabit lector, si cogitet illic Apostolum loqui juxta desiderium naturale; hic autem ex voluntate rationali, qua petebat esse cum Christo, quod sine dissolutione sui non posse fieri sciebat.

Multo magis melius. Augustinus loco paulo ante citato addit *enim: Multo enim magis optimum,* putatque quosdam in-

terpretes particulam *enim* studio abstulisse, ut textum Apostoli suo sensui accommodarent. Qua quidem in re minime fallitur: cum ea particula et in Graecis quibusdam Roberto conspectis, et in Latinis bonis codicibus, veluti Laudensi illo, reperiatur expresse posita. Qua significatur, hic subjici causam desiderii jam dicti. Non tamen Apostolus simpliciter dixit, *multo melius,* sed *multo magis melius;* videlicet comparativum duplicans, ut vehementem excessum significaret, quasi dicat, multo longeque melius; aut, infinitis partibus melius, quam permanere in carne; ut hoc illius respectu ne desiderandum quidem sit. Unde sequitur:

24. *Permanere autem in carne, necessarium propter vos.* In Graeco comparativus est, *magis necessarium.* Comparandi particulam *magis* addunt etiam Latina MSS. bene correcta. Porro non dicit Apostolus, *permanere in carne* minus bonum est, ac proinde minus desiderabile, sed, quasi nec bonum sit nec desiderabile, dicit, *necessarium propter vos,* id est, propter vestram et aliorum fidelium salutem. Nam ut recte monet Augustinus ubi supra, sentit Apostolus e duobus se coarctari, quorum alterum desideret, alterum vero necessarium judicet, non tamen desideret.

25. *Et hoc confidens scio.* Graece *persuasus scio,* tametsi recte vertit interpres, *confidens scio.*

Quia manebo et permanebo omnibus vobis. Graece, *permanebo cum omnibus vobis,* ne quis dativum utilitatis interpretur. Est enim sensus: Quod propter vos necessarium esse dixi, id etiam futurum sperate: nam omnino mihi persuadeo, confido et scio, me mansurum adhuc in vita, et cum omnibus vobis permansurum, id est, non ad horam, sed multo adhuc tempore apud vos mansurum.

Ad profectum vestrum et gaudium fidei. Id est, ut promoveam salutem vestram; et ut afficiam vos gaudio ex fide profecto, hoc est gaudio spirituali, quod proprium est Christianorum. His et superioribus verbis praesentiam suam promittit Philippensibus. Quod idem apertius facit in eo, quod sequitur.

26. *Ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.* Significat aliud bonum ex sua liberatione consecuturum. Pro *gratulatione,* Graece est, *gloriatio.* Videri potest hic sensus: Ut cum liberatus et vobis restitutus fuero, possitis affatim de me Apostolo vestro gloriari, vobisque gratulari; sed hoc *in Christo Jesu,* id est, ita ut totam hanc gloriandi et gratulandi materiam cum gratiarum actione Christo acceptam feratis.

Verum aliter Graeci, qui *gloriationem vestram* passive intelligunt, id est, de vobis, et hunc faciunt sensum: Ut ego de vobis abundantius glorier in Christo, postquam ad vos reversus fuero, ac videro quantum in Christo profeceritis. Sensum hunc probabilem facit locus 1 Cor. 15. *Per gloriam vestram, fratres,* id est, per gloriationem meam de vobis; quemadmodum ibi expositum est. Adde, quod hic sensus modestior est, quo non illos de se, sed se de illis dicit gloriaturum.

Circa hunc locum duae quaestiones occurrunt. Una, quomodo Paulus haec, quae scribit de sua liberatione et reditu ad Philippenses, scire se dicat; utrum ex revelatione, sicut alia multa sibi eventura sciebat, Deo sibi vel aliis Prophetis revelante, quemadmodum testatur Actorum libro; an vero ex humana, sed valde probabili conjectura, quae moralem certitudinem faceret. Sane magis apparet hoc posterius, ex eo quod in superioribus tanquam dubius loquatur, dicens: *sive per vitam sive per mortem.* Et rursus, *quid eligam ignoro,* quam quidem dubitationem tollere debuisset revelatio. Quin et capite seq. subdubitare potest videri, cum ait: *Sed etsi immolor.* Quare quod hic dicit, *confidens scio, quia manebo* etc. et iterum sequenti capite, *confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito:* de ea quam dixi conjecturali scientia ac fiducia est accipiendum. Vox

Graeca, qua utrobique utitur, generalis est, ad persuasionem infallibilem et probabilem; quod et supra annotavimus ad illud: *Confidens hoc ipsum, quia qui coepit* etc.

Altera quaestio: An id, quod dicto modo scire se dicit, impletum fuerit. Ita quidem sentit Chrysostomus. Unde et colligit, hanc Epistolam scriptam esse e prioribus vinculis. Nam ex posterioribus non fuit liberatus Apostolus. In eadem sententia est Oecumenius. Caeterum Theophylactus dubitat et incertum esse dicit. Alii quidam impletum simpliciter negant, existimantes, se satis compertum habere, quod ex posterioribus vinculis, adeoque post secundam ad Timoth. haec scripta sit Epistola. Sed, quod in argumento hujus Epist. attigimus, videtur dubitari non posse, eam esse scriptam ex priore captivitate. Vide Baron. anno Christi 60. §. 1. Facile autem potuisse Apostolum ea captivitate liberatum, redire in Orientem intra octo illos annos, qui priori et posteriori captivitatibus intercesserunt, est videre apud eundem: anno Christi 61. §. 1. et 2. Sed tunc videat lector, quomodo, haec si ita sint, consentiant cum his, quae leguntur Act. 20, 25. Confer quae dicimus infra ad cap. 2, 24. Summa est: Non videri Apostolum, ex priore captivitate liberatum, reipsa in Graeciam rediisse, tametsi id speraverat.

27. *Tantum digne Evangelio Christi conversamini.* Transit ad exhortationem. De me, inquit, ne sitis solliciti: tantum hoc curate, ut vos, sicut dignum est Evangelio Christi, converseminі; id est, ut vita vestra Evangelio respondeat, ut Evangelium ex vestra conversatione honoretur.

Ut sive cum venero et videro vos, sive absens, id est, sive vobis praesens sim, sive absens a vobis, *audiam de vobis.* Graece *audiam ea, quae de vobis,* vel *circa vos,* id est, audiam de rebus vestris; scilicet ea, quae sequuntur: *Quia statis in uno spiritu unanimes colloborantes fidei Evangelii. Unanimes,* Graece, *una anima,* sicut dixerat *uno spiritu;* nec liquet utrum praecedentibus an sequentibus adjungenda sit haec particula. Theophylactus praecedentibus annectit. Sed quia id durius fit, nulla conjunctione media, idcirco magis videtur ad sequentia referendum. Hoc sensu: Ut de vobis audiam, quod perseveretis in uno spiritu, id est, concordes, maxime in doctrina: quodque sitis uno animo et studio *collaborantes,* Graece *concertantes,* id est, una nobiscum certantes, vel secundum Theophylactum vos mutuo adjuvantes, in certamine pro fide Evangelii. Juxta hanc expositionem inter spiritum et animam distinguere non est necesse; tametsi non incommode potest spiritus ad intellectum, anima seu animus ad voluntatem referri.

28. *Et in nullo terreamini ab adversariis,* sive infidelibus, Christi fidem aperte persequentibus, sive judaizantibus haereticis, veritatem fidei corrumpere nitentibus. Incertum est enim, utros significet, nisi quod sequentia priorem glossam magis exigunt. Terrorem autem seu pavorem intelligit efficacem, quo nimirum animi constantia labefactatur.

Quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis. Ambrosianus: *Quae est illis occasio interitus,* vel secundum quosdam codices *ostentatio.* Nam Graeca vox *ostensionem* significat. Et hoc modo Graeci interpretes eam vocem intellexerunt. Sed quia ostendere pro eo, quod est facere, exhibere, inferre, in Scripturis saepissime accipitur, unde illud: *Quis ostendit nobis bona* Psalm. 4., et Alexander aerarius *multa mala mihi ostendit* 2 Tim. 4., hinc etiam potuit pro causa vel occasione sumi. Sensus igitur est: Quod vobis adversantur, quod vos persequuntur propter fidem Evangelii, id argumentum est et indicium aeternae perditionis ipsorum, et vestrae salutis, vel secundum nostram versionem: Id illis causa est perditionis, meritoria; vobis autem occasio salutis. *Beati enim, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

Et hoc a Deo, nempe quod patiamini pro Christo. Hoc enim continebatur in proxima parte: *vobis autem salutis;* vobis, inquam, persecutionem pro Christo patientibus. Confirmant et explicant hunc sensum verba sequentia.

29. *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Quod noster interpres vertit ὑπὲρ Χριστοῦ *pro Christo,* Oecumenius interpretatur *a Christo,* Anselm. et Cajetanus *per Christum,* videlicet ordinantes hanc particulam cum verbo *donatum est.* Ut sensus sit: a Christo, vel per meritum Christi, donatum esse non solum, ut etc. Verum nimis aliena est, ac praeter usum, ista praepositionis interpretatio. Sed et articulus τὸ praefixus repugnat hujusmodi constructioni.

Quare multo rectius alii hyperbaton hic agnoscunt, particulam *pro Christo* referentes ad extremum verbum *patiamini;* ut illud, *non solum ut in eum credatis,* parenthesis quandam speciem habeat: quasi plano sermone dicat Apostolus: *Et hoc ipsum, quod pro Christo patimini, a Deo est: siquidem a Deo vobis donatum est, non solum ut credatis in Christum, verum etiam ut pro Christo patiamini.* Vel brevius hoc ordine: *Vobis donatum est pro Christo pati, et non solum in eum credere.* Manifeste contra Pelagium ostendit hic locus, fidem, qua in Christum creditur, et patientiam, qua pro Christo tolerantur adversa, Dei dona esse. Ac de fide quidem id ex hoc loco probat Augustinus lib. de grat. et lib. arbit. cap. 14. et lib. de dono persev. cap. 2. et alibi. Pelagius vero suo dogmati consentanea scribere volens in hujus loci expositione, Commentarium facit haereticum.

30. *Idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.* Eodem, inquit, in certamine mecum constituti, similia passi, qualia me patientem et vidistis, quum apud vos essem, et nunc longe positi, auditis. Nam Philippis Apostolum Paulum una cum Sila, commota adversus ipsos seditione, virgis caesum et in carcerem missum, dureque tractatum fuisse, testatur Actorum lib. cap. 16. Ac meminit ejusdem rei ipse Apostolus 1 Thess. 2. Dicens autem: *et nunc auditis de me,* de Romanis vinculis loquitur. Porro *certamen* appellat patientiam adversorum; quia qui patitur, certat et pugnat, ne per impatientiam superetur. Ex hoc loco apparet, Philippenses post Pauli discessum Evangelii causa fuisse vexatos et afflictos ab adversariis; licet id alibi scriptum non reperiatur.

CAPUT SECUNDUM.

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: 2. implete gaudium meum[1]), ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, 3. nihil per contentionem, neque per inanem gloriam[2]): sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes[3]), 4. non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu[4]): 6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: 7. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum

---

[1]) Cap. 1, 3. seq. Joan. 17, 21. [2]) Gal. 5, 26. [3]) Matth. 20, 26. 27. [4]) Joan. 13, 34.

factus, et habitu inventus ut homo [1]). 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen [2]): 10. ut in nomine Jesu omne genu flectatur [3]) coelestium, terrestrium, et infernorum: 11. et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. 12. Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate [4]). 14. Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus: 15. ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo [5]), 16. verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi [6]), quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. 17. Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestrae [7]), gaudeo, et congratulor omnibus vobis [8]). 18. Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. 19. Spero autem in Domino Jesu, Timotheum [9]) me cito mittere ad vos: ut ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt. 20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. 21. Omnes enim, quae sua sunt, quaerunt [10]), non quae sunt Jesu Christi. 22. Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio [11]). 23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro, quae circa me sunt. 24. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito [12]). 25. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem [13]), et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos: 26. quoniam quidem omnes vos desiderabat: et moestus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. 27. Nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. 28. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. 29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote [14]). 30. Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret, id quod ex vobis deerat erga meum obsequium [15]).

---

1) Matth. 20, 28. Joan. 13, 14.—17. Rom. 8, 3. seq. 2) Matth. 28, 18. Eph. 1, 20. seq. 3) Rom. 14, 11. 4) 2 Cor. 3, 5. 5) Matth. 5, 16. 6) 1 Thess. 2, 19. 7) Act. 20, 24. 8) Cap. 1, 14. Col. 1, 24. 9) Act. 16, 1. 10) 1 Tim. 6, 5. 10. 2 Tim. 4, 16. Matth. 19, 27. 11) Act. 16, 3. 12. 12) Cap. 1, 25. 13) Cap. 4, 18. 14) Rom. 16, 2. 15) 1 Cor. 16, 17.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Ad mutuam concordiam eos hortatur; item exemplo Christi ad humilitatem et obedientiam. Admonet ut cum timore salutem suam operentur. Timotheum promittit se ad eos missurum: Epaphroditum nunc mittit et commendat.

1. *Si qua ergo consolatio in Christo.* Rursus a laude sermonem transfert ad exhortationem. Est autem oratio vehemens ac mire pathetica. Pro *consolatione, exhortationem* legit Ambrosianus: sequitur enim *solatium* in proximo membro. Sane quidem utrumque Graeca vox significat: verum magis huic loco convenit quod noster interpres vertit, ut sit sensus: Si vultis mihi vincto et afflicto aliquam adferre consolationem in Christo, id est, in negotio Christi, cujus ego sum Apostolus.

Si quod solatium charitatis. Id est: Si quod solatium ex charitate profectum a vobis exspectari potest. *Si qua societas spiritus.* Pro *societate* Graece *communio* est; pro qua *participationem* legit Ambrosianus. Sensus: Si habetis mecum aliquam spiritus communicationem; si mecum estis unus spiritus per consensum et charitatem; *spiritum* intelligit humanum, de quo paulo ante: *In uno spiritu, una anima,* et Eph. 4. *Unum corpus et unus spiritus.*

Si qua viscera miserationis. Graece et Syriace: *Si qua viscera ac miserationes;* ut posterior dictio sit prioris expositio. Consentiunt multi codices Latini MSS. et concordantiae, astipulante etiam Ambrosiano. Si quid, inquit, viscerum, id est, misericordiae, in vobis est. Si vultis aliquam erga me misericordiam ostendere.

2. *Implete gaudium meum.* Id est, facite, unde gaudium meum, quod ex praeclaris vestrae conversationis initiis jamdudum concepi, de quo et supra locutus sum, impleatur ac perficiatur. Quid autem ab eis exigat pro sui gaudii complemento, declarat subjectis vitae Christianae praeceptis. Quorum primum est de concordia animorum. *Ut idem sapiatis.* *Ut* expletive sumitur, quasi dicat: Implebitis gaudium meum, si idem sapiatis etc. *Idem sapere* Apostolo est esse consentientes et similiter affectos, seu voluntate sive intellectu; ut eadem velint, eademque credant. Hoc enim perfectae concordiae est.

Eandem charitatem habentes. Eandem charitatem Graeci interpretantur parem hinc inde, ut qui multum amatur, non remisse, sed pari mensura redamet. Nonnulli sic exponunt: eandem, quam coepistis exercere charitatem retinentes. At simplicior et contextui maxime congruus sensus est: *Eandem,* id est, mutuam erga vos invicem charitatem habentes ac retinentes, velut concordiae matrem.

Unanimes, idipsum sentientes. Posterius interpretatio prioris est; unanimes enim sunt, qui unum idemque sentiunt. Neque hic aliquid diversum dicitur ab eo, quod jam dixit: *ut idem sapiatis,* est enim idem utrobique verbum in Graeco. Sed inculcatio est ejusdem rei, nisi quod expressior est concordiae significatio in vocabulo *unum,* quod hoc loco Paulus scripsit, quam in vocabulo *idem* vel *idipsum,* quod superius.

3. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Supple: *facite,* vel *fiat a vobis.* Pro *contentione,* textus Ambrosianus habet *irritationes.* Eadem est vox in Graeco, quam noster interpres 2 Cor. 12. *dissensiones,* et Gal. 5. *rixas* vertit. Significat autem contentionem, id est, eam verborum pugnam et concertationem, quae non veritatis aut justitiae, sed gloriae studio suscipitur. Unde recte Theophylactus annotat, Apostolum continuo subjungere matrem hujus *inanem gloriam.* Ex hac enim, inquit, illa nascitur.

Sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. In non est in Graeco; *sibi* pro *se* ablativo, quem exigit comparativus *superiores.* Sensus est: Sed per humilitatem alius alium arbitretur, existimet, judicet esse se superiorem, prae-

stantiorem, meliorem. Non enim sermo est de praestantia graduum et honorum, sed probitatis ac virtutum. Et cum humilitas in mendacio non consistat, intelligendum est, quod quisque debeat non simulate praetendere hujusmodi judicium, sed vere et ex animo sic arbitrari, quantumcunque in virtutibus profecerit, aut profecisse se putet. Exempli gratia: Qui donum habet virginitatis, is alium matrimonio copulatum existimet se meliorem. Quod ut ex animo faciat, cogitet se forte ab illo aliis pluribus ac potioribus donis superari, velut patientiae, mansuetudinis, pietatis atque ipsius humilitatis, denique ejus, quae omnium virtutum forma est, charitatis. Quae quidem cogitatio, quia non absolutum habet judicium, sed partim suspensum, partim negativum, quo dicitur: Forte ille melior me est; non me illi praefero, quia nec occulta cordis mei video: vacua est ab omni errore.

Atque hoc ipsum est, quod Christus in Evangelio sub parabola praecepit, unicuique dicens: *Vade recumbe in novissimo loco* Luc. 14. Id est, infra omnes te humilia, omnibus te inferiorem reputa, nempe sensu jam explicato. Sic autem explicat Augustinus lib. 83. q. 71., ubi citatis Apostoli verbis ait: *Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus, sed vere existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.* Haec ille. Consule eundem lib. de sancta Virg. cap. 43. et seq. Et Gregorium homil. 10. in Ezech. et hom. 7. super Evangelia et B. Thomam in comment. Item 2. sec. q. 161. art. 3. Vide etiam q. 60. art. 4.

Sed quaeres, quid si videam alium manifeste graviterque peccare, ipsi mihi nihil mali conscius? Respondeo, quod et illum te meliorem reputare debeas, eo judicii modo, quem superius exposui, maxime quia potest in corde tuo latere vitium superbiae, quo revera sis illo deterior; deinde, quia forte ille te melior est secundum praedestinationem divinam, quae nobis est occultissima. Vide de hac re pulcherima documenta apud Thomam Kempensem lib. 1. de imitat. Christi cap. 3. et 7. et lib. 2. cap. 2.

Potest nihilominus ista Apostoli sententia recte sic intelligi, ut, dum dicit superiores, accipiamus eos, quibus debemus subservire, eorum saluti studendo, et quibus nos libenter velimus submittere, quatenus Dei honor vel illorum salus exigat. Huic sensui quadrat, quod sequitur, non quae sua sunt etc. Quadrat exemplum Christi, quod deinde subjicit.

4. *Non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.* Interpres sensum expressit magis, quam verba. Nam Graeca sic habent: *Non sua quisque spectate, sed et quae aliorum, quisque;* conjunctionem *et* omisit interpres velut redundantem. Nam 1 Cor. 10. idem hoc praeceptum sine conjunctione legitur, in Graeco: *Nemo suum quaerat, sed quod alterius, quisque.* Quo loco etiam de seipso dicit: *Non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis.* Et rursus hoc capite generatim: *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi.* Sed et inter encomia charitatis 1 Cor. 13. posuit, *non quaerere, quae sua sunt.*

Ex quibus satis apparet, hoc quod toties apud Apostolum legitur, *quaerere quod suum est,* absolute tanquam malum ac vitiosum reprehendi; et proinde sententiam hujus loci non esse supplendam hoc modo: *Non tantum quae sua sunt singuli spectantes, verum etiam, quae aliorum;* sed non habita ratione conjunctionis, siquidem et alibi interdum redundat, absque hujusmodi supplemento particulae exclusivae interpretandum esse. Quanquam et sic accipi potest conjunctio, ut vim habeat intensivam; quasi dicas, *quin potius ea, quae sunt aliorum.* Graeca vox, quam interpres vertit, *considerantes,* significat spectare et prae oculis habere, velut scopum; quod alibi dicit quaerere. Breviter, sensus est: Nemo studeat privatis commodis, sed

omnium saluti. Nemo communi utilitati rem privatam anteponat.

5. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Sentite,* Graece *sentiat* aut *sentiatur.* Est enim verbum medium. Priori modo si interpreteris, subauditur *quisque* ex superiori sententia: *quisque vestrum hoc sentiat.* Posteriori modo completus est sermo: *Hoc sentiatur in vobis,* id est, hoc ipsi in vobis sentite. Est autem verbum idem cum eo, quod paulo ante verterat modo *sapere,* modo *sentire.* Locus hic exhortatorius est ab exemplo Christi, quem imitandum proponit, tam in eo, quod praeceperat de humilitate erga omnes servanda, quam de salute proximorum anteponenda privatis commodis. Utrumque enim Christus praestitit, modo quodam excellentissimo, qui in filium Dei competere poterat. Igitur sensus est: Is affectus sit in vobis erga vos invicem, qui et in Christo fuit erga nos; ipsum imitamini. Sic Rom. 15. *Etenim Christus non sibi placuit,* et 2 Cor. 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.*

6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Esset,* poterat verti, *sit:* nam Graece est participium praesentis temporis. Sensus est: Qui cum esset ac sit in natura Dei, id est, cum esset ac sit verus Deus; non existimavit aequalitatem Dei sibi esse rapinam, hoc est, rem alienam et ex rapto usurpatam, ut propter hoc tantopere semet humiliaverit, velut agnoscens usurpasse se aliquid non suum, quod humiliando se deponere voluerit, quasi dicat: Non haec est causa humilitatis Christi; quippe qui non usurpative, sed vere Deus esset. Ubi latenter taxatur diaboli et hominis superbia, qui divinitatem appetendo quodammodo eam rapuerunt; et propter hoc humiliati sunt vel inviti.

Formam accipi pro natura, non autem, ut Erasmus vult, pro specie seu figura et habitu externo; bene probat in suo commentario Chrysostomus. Cui et caeteri tam Latini, quam Graeci consentiunt. Nam quod Cyprianus ab Erasmo allegatur ita locum hunc citare lib. 2. contra Judaeos cap. 13. *Qui cum in figura Dei esset;* interpretis est, non Cypriani citantis dumtaxat, quod in Latino codice reperit, non autem exponentis. Nec dubium est, improbandam esse eam versionem; quam nec Erasmus nec quisquam alius ausus est imitari. Naturam autem *formae* nomine intelligi, patet etiam ex eo, quod mox adversative sequitur de forma servi, quemadmodum ibi ostendetur. Facit ergo dupliciter hic locus ad astruendam divinitatem Christi: et in eo, quod contra Arianos veram ac proprie dictam formam, id est, naturam Dei Christo tribuit; et quia docet eum esse Deo Patri aequalem.

7. *Sed semetipsum exinanivit,* quasi dicat, non alienum deposuit, sed semetipsum, qui verus erat Deus, ad imum usque dejecit, ac divinitatem quodammodo exuit. Vide Augustinum libr. 2. contra Maximinum Arianorum episcopum cap. 5. Per quod autem Christus semetipsum exinaniverit, sequentia declarant:

Formam servi accipiens. Id est, per hoc, quod *formam servi* suscepit, naturam videlicet humanam, quae utique respectu Dei, totius creaturae Domini, servilis est. Neque enim *formam servi* considerat Apostolus in eo, quod naturam mortalitati ac miseriis obnoxiam Christus suscepit; nam et in tali natura alii domini sunt, alii servi; sed in eo, quod ipse, Deo aequalis, et per naturam rerum omnium Dominus, factus est homo, qui qualiscumque sit, per naturam servus est. Unde et Christus propter assumptam naturam saepissime servus vocatur in sacris literis: ut Jes. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Quod de Christo dictum ostendit Matthaeus cap. 12. sui Evangelii. Item Ezech. 34. *Et suscitabo super eas pastorem unum, servum meum David.* Zach. 3. *Ecce ego adducam servum meum, orientem.* Et passim in Psalmis. Quale est et illud, quod de Christo jam immortali et glorioso dictum est Act. 4. *Convenerunt adversus sanctum puerum*

tuum Jesum. Nam *pueri* nomine servum intelligi, vel ex eodem ipso capite liquet, ubi dicitur: *Per os patris nostri David pueri tui.* De hac re vide Thom. 3. p. q. 20. art. 1. et 2.

In similitudinem hominum factus. In Graeco dativus est casus, ablativo numero reddendus, *in similitudine.* Quidam sic interpretantur, fuit similis aliis hominibus; non autem unus ex illis, quia non fuit homo purus, nec peccator. Ita fere Graeci. Secundum alios sensus est, Christum factum esse hominibus similem, quia factus est verus homo: sicut aequalis est Deo, quia verus est Deus. Prior intellectus fit probabilis ex aliis locis, in quibus est similis phrasis, nominatim ex eo, quod dicitur Rom. 8. filius Dei missus *in similitudinem carnis peccati.* Non enim erat in eo caro peccati; sed tantum similitudo carnis peccati. Sic homo factus dicitur ad similitudinem Dei; minime Deus factus. Ac sane similitudo semper ad aliud refertur. Per utrumque tamen sensum occurritur errori Marcionitarum et Manichaeorum, qui hoc Apostoli loco abutebantur, ut Christum non vere, sed apparenter tantum, assumpto corpore phantastico, incarnatum fuisse docerent. Quae doctrina universum incarnationis et redemptionis Christi mysterium evacuat.

Et habitu inventus ut homo. Latini quidam *habitum* interpretantur indumentum; ut sensus sit, Christum indutum humana carne versatum fuisse inter homines. Sic Augustinus intellexit libr. 83. q. 71. et 73. Quam sententiam etiam Thomas in commentario refert secundo loco; eandemque simpliciter approbat, 3. p. q. 2. art. 6. ad 1. Non tamen significant hi Doctores, humanam naturam Christo accidentaliter advenisse, sicut vestimentum advenit homini, et proinde Christum non esse hominem substantialiter; quae fuit erronea quorumdam opinio, concepta ex his Apostoli verbis male intellectis, quam quidem S. Thomas in comment. bene refellit. Sed sentiunt, filium Dei absque ulla sui mutatione factum esse hominem, sicut qui vestem induit nulla re mutatur, sive substantiam ejus spectes, sive accidentia absoluta. Quod etsi vere et Catholice dicatur: non tamen ille est Apostoli sensus hoc loco. Nam pro *habitu* Graece est σχήματι, id est, *figura.* Commentator Ambrosius nec non verus Ambrosius libr. 2. de fide cap. 4. et lib. 3. cap. 5., itemque de initiandis cap. 4. speciem legunt eodem sensu.

Dicit ergo Apostolus Christum habitu inventum ut hominem, quia secundum figuram et speciem exteriorem oculis hominum expositam *inventus est ut homo,* id est, agnitus est verus homo. Non enim significat, Christum tantummodo specie et imagine externa, non autem veritate naturae similem hominibus fuisse; sed ita similem, ut verus esset homo. Sicut enim nihil tam ovo simile est, quam ovum; ita nihil tam simile est homini, quam homo. Igitur particula *ut,* veritatis est nota, non nudae similitudinis. Quod et Theophylactus annotavit, adducens locum similem, ubi Joannes de Christo dicit: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre,* cum vere esset unigenitus; sicut ibidem dicit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Porro veritatem humanae naturae in Christo probare evidenter possunt, quae subjungit Apostolus de morte ejus.

8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Non solum, inquit, cum Deus esset, naturam assumsit humanam; verum etiam in ea se vehementer humiliavit atque dejecit, utpote factus obediens Patri usque ad perpessionem mortis. Loquitur autem de morte violenta et ab impiis hominibus inferenda; qualem Deus, pro salute generis humani, voluit filium suum pati. Nam in morte naturali, quam subire aliquando necesse est, non sic elucet obedientia. Meminit autem obedientiae Apostolus; quia sicut superbiae est subjici nolle, ita humilitatis, obedire.

Porro, quamvis omnes humanae Christi actiones ex obedientia processerint, juxta illud quod ipse ait Joan. 6., *quia descendi de coelo, non ut faciam volunta-*

tem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, peculiariter tamen obedientiam ejus commendat Apostolus in morte subeunda; tum quia actus ille fortitudinis omnium difficillimus est, tum quia per mortem executus est Christus opus nostrae redemptionis. Intelligitur autem obedientia, qua voluntatem suam humanam perfecte conformavit aeterno decreto Patris. Quae conformatio voluntatis erat obedientia; vel formaliter ac proprie, vel, ut aliis videtur, eminenter. Idque significatur omnibus illis Scripturae locis, quae docent, Christum venisse, ut faceret voluntatem patris sui.

Mortem autem crucis. Id est, mortem supplicio crucis inferendam, quod quidem supplicium non modo gravissime cruciabat, unde et cruciare a cruce deductum est, verum etiam quam maxime probrosum erat et infame; perinde ut hodie patibuli supplicium. Unde dicebant apud Sapientem adversarii ejus: *Morte turpissima condemnemus eum.* Sap. 2. Vide quae diximus ad 2 Cor. 5. in fine. Et quae Baron. in Notis ad Matyrol. die 7. Apr.

9. *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Deinceps ostendit meritum humilitatis Christi; ut similiter futurae exaltationis spe Philippenses ad humilitatem excitet. Sensus est: cujus tantae humilitatis et obedientiae merito vicissim Deus exaltavit, vel ut expressius ex Graeco habet textus Ambrosianus, *superexaltavit eum,* id est, in summam extulit sublimitatem; nam praeter gloriam resurrectionis: *donavit illi nomen* etc. prout sequitur. Hic locus docet apertissime, Christum per passionem et crucem suam non nobis tantum, sed et sibi meruisse. Quod dum negat Calvinus, contra sensum et interpretationem omnium Patrum vim facit huic Scripturae, dicens illam particulam, *propter quod,* non causam, sed consequentiam et ordinem rei gestae significare; quasi sensus sit: Post tantam ejus dejectionem et obedientiam Deus illum exaltavit. Sed ut dixi, violenta prorsus est haec interpretatio; nec eam Graeca dictio διὸ ullo modo recipit. Ac sane frustra sudat in hoc loco nobis eripiendo Calvinus, cum sint et aliae Scripturae complures, quae meritum istud clarissime edoceant, ut Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem* etc. Heb. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.* Jes. 53. *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur.* Et alia loca passim in Psalmis. Verum prolixior hujus doctrinae probatio pertinet ad 3. Sent. dist. 18.

Et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Nemo existimet, Apostolum loqui de nomine Christi proprio, quod est *Jesus;* nam illud nomen multo ante exaltationem et impositum ei fuit, et ab hominibus agnitum; idemque multis aliis commune. Sed *nomen* intelligit Dei, aut filii Dei: de quo archangelus ad B. Mariam: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei,* et de quo Jes. 7. et Matth. 7. *Vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Et ad Heb. 1. *Quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Hoc enim est nomen, quod infinite superat omne aliud nomen. Unde est apud Graecos epitheton Dei ὑπερώνυμος, id est, quo nihil excelsius nominari potest.

Dicitur autem Deus hoc nomen ei donasse, quando rem nominis fecit innotescere; scilicet post ejus resurrectionem et ascensionem in coelum. Tunc enim coepit ab hominibus agnosci verus Dei filius, verusque Deus; et ut talis honorari ac glorificari. Haec Graecorum expositio est. Alii per *nomen, quod est super omne nomen,* intelligunt famam, gloriam ac celebritatem nominis excellentiorem gloria cujuscumque alterius. Sed eodem recidit hic intellectus: nam illa gloria est fama divinitatis ejus. Rursus autem ex hoc loco monstratur, Christum esse Deum, Patri aequalem; nam si minor esset Patre, ut volebant Ariani, non haberet nomen, quod est super omne nomen.

10. *Ut in nomine Jesu omne genu*

flectatur. Ut non causaliter accipitur, sed expletive: *ita ut in nomine Jesu* etc. *Nomen* hoc loco pro re seu persona positum videtur. *Genuflexio* metonymice subjectionem et humiliationem sui significat. Itaque sensus est: adeo ut omnes quicunque usquam sunt, cognoscentes hominem illum, qui Jesus vocatur, esse Dei filium ac verum Deum, sese illi tanquam Deo et omnium Domino submittant, eumque adorent. Unde in hujus rei protestationem quandam, veteri more Christianorum, soli nomini Jesu, quando nominatur, reverentia fit, teste S. Vincentio de Valentia, serm. 2. dom. 18. post Trinitatis.

Coelestium, terrestrium et infernorum. Coelestes, sunt angeli et animae beatae: *terrestres,* homines in terris agentes. Sed quos *infernos,* sive ut Graece est subterraneos vocet, non perinde liquet. Sunt enim nonnulli, inter quos Innocentius tertius serm. 1. de omnibus sanctis, qui putent significari animas, quae in infernis locis purgantur; quas utique constat in nomine Jesu cum omni humilitate genu flectere. Probabilem hunc commentarium facere conantur ex Apoc. 5. ubi dicitur: *Et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et agno, benedictio et honor et gloria* etc. Non enim alii sub terra videntur esse, qui benedicant et glorificent Deum et Agnum, quam animae, quae sunt in purgatorio. Nam daemones non benedicunt, sed maledicunt; non glorificant, sed blasphemant. Caeteri vero damnati aut blasphemant, aut certe non diligunt Deum, ut glorificare et benedicere possint, cum sint ab eo aversi. Nec audiendus Origenes, qui putavit aliquando futurum, ut daemones omnesque damnati per salutarem poenitentiam correcti, Christo subjiciantur; quam ejus sententiam Ecclesia damnavit.

Atqui communis expositio pene omnium interpretum est, per *inferos* quidem significari daemones caeterosque damnatos, quorum supplicii locus infernus est, sed subjectionem, genuflectionis nomine significatam, intelligi generaliter; qua nimirum quis alicui subjicitur, sive licenter ac spontanee, quomodo coelites omnes in nomine Jesu tota mentium humilitate genu flectunt; sive coacte, quatenus ita subjectus est, ut resistere non possit. Qui modus daemonibus, et in universum damnatis, competit. Huic sensui favet imprimis ejusdem Apostoli locus Rom. 14., ubi cum dixisset: *Omnes stabimus ante tribunal Christi,* id probat, quia scriptum est apud Jesaiam: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam flectetur mihi omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Cum enim mali quoque sistendi sint ante tribunal Christi, consequens est, ad eos quoque pertinere testimonium Prophetae.

Igitur et mali flectent genu et confitebuntur Deo. Et quidem hoc loco ad eadem Prophetae verba respexisse Apostolum, plusquam probabile efficitur ex eo, quod sequitur: *Et omnis lingua confiteatur* etc. Sed et alibi Scriptura malis ac Dei inimicis hujusmodi coactam et extortam submissionem, imo et benedictionem et confessionem adscribit. Submissionem quidem, ut Psalm. 109. *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quem versiculum Apostolus 1 Cor. 15. citat, ut doceat omnia fore Christo subjecta. Item Psalm. 71. *Inimici ejus terram lingent,* id est, in potestatem ejus redacti, ore in terram depresso adorabunt eum vel inviti. Confessionem vero seu benedictionem, ut in eo, quod Dominus Matth. 23. et Luc. 13. dixit ad Scribas et Pharisaeos: *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Hoc enim non modo Graeci commentatores, verum etiam Augustinus lib. 2. de cons. Evang. cap. 75. dictum accipiunt de adventu Christi ad judicium, quando omnes omnino, volentes, nolentes, Deum ac Dominum eum agnoscent.

Quod ipsum repetit Christus stans in concilio Sacerdotum et Seniorum, dicens eis: *Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.* Matth. 26.

Videbitis, inquit, hoc est, cognoscetis vel inviti me sedentem a dextris virtutis Dei, id est, in summa gloria prae omnibus creaturis collocatum. Tale etiam est, quod in Prophetis toties legitur: *Et cognoscent, quia ego sum Dominus.* Denique illud Jacobi Apostoli cap. 2. *Daemones credunt et contremiscunt.* Nec vero diversum habere sensum videtur id, quod superius ex Apoc. 5. allatum est. Nam omnis quidem creatura dictura est: *Sedenti in throno, et agno, benedictio et honor* etc., sed aliter hoc dicet creatura, quae in coelo est, aliter, quae sub terra, sicut jam explicatum est.

Quod autem Theodoretus infernos sive eos, qui sub terris sunt, interpretatur homines mortuos, non videtur rem assecutus. Nam hoc pacto iidem erunt in numero coelestium et infernorum, videlicet sancti cum Christo regnantes, nisi respondeat, coelestes intelligi solos angelos. Verum absurdum est, animas beatas et Angelis in coelo sociatas cum infernis potius, quam cum coelestibus censere. Si quis autem infernorum nomine comprehendi dicat etiam eos, qui in purgatorio sunt, nihil superioribus adversum dixerit. Non enim solos damnatos hac parte dicimus significari.

Porro quamvis haec Christi exaltatio, quam memorat Apostolus, etiam ante ejus passionem initium habuerit (nam et angeli Christo nato, tanquam Dei filio gloriam cecinerunt; et magi, multique praeterea homines eum adhuc mortalem adoraverunt; et daemones imperio ejus cesserunt ac filium Dei confessi sunt), posteaquam tamen a morte resurrexit et in coelum ascendit, mirabiliter aucta est ejus gloria, per Ecclesiam ubique diffusam. Nec modo per Ecclesiam, verum etiam apud eos, qui vel Ecclesiam non sunt ingressi, vel eam per haeresim aut schisma deseruerunt. Unde Augustinus in enarratione Psalm. 103. ad illud: *Ut exhilaretur facies ejus in oleo: Quoniam,* inquit, *excellentissima in Christo gratia apparuit, totus orbis eum diligit. Qui cum contemptus hic esset, adoratur modo ab omni gente, quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium. Tanta est enim ejus gratia, ut multi, qui in eum non credunt, laudent eum, et propterea dicant nolle se in eum credere, quia nemo potest implere, quae jubet. Amatur tamen ab omnibus, quia excellenter unctus.* Haec ille.

Certe etiam haeretici et schismatici in nomine Jesu genu flectunt, et ejus magisterio gloriantur. Quin et Mahometani ex Alcorani sui doctrina Jesum Mariae filium in magna habent veneratione. Soli Judaei, qui sic in mundo sunt, ut nusquam sint, ei maledicunt. Quamvis ergo Christi gloria toto orbe sit dilatata, quia tamen adhuc non desunt, qui eum blasphement; qui vero agnoscunt et venerantur, non omnes quantus est agnoscunt, nec omnes ei subjecti sunt, et quia daemones quoque eum adhuc in membris suis persequuntur, ut propter haec Apostolus Hebr. 2. dicat: *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei,* utique non prius haec Apostolica Scriptura perfecte complebitur, quam in judicio extremo ac deinceps; quemadmodum idem Apostolus luculente docet 1 Cor. 15. Atque eadem ratio est de eo, quod sequitur:

11. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Haec confessio, sicut jam ostendimus, partim spontanea est, partim ab invitis et malevolis extorta. Nam *omnis lingua* intelligitur juxta distributionem praecedentem, *coelestium, terrestrium et infernorum.* Verba, prout reddita sunt a nostro interprete, sensum hunc volunt: Et omnes confiteantur, Dominum Jesum Christum esse in gloria Dei Patris, id est, habere gloriam eandem cum patre, utpote quem agnoscant verum Deum patri aequalem. Quod nimirum ipse futurum praedixit Joan. 5. *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Sed sciendum, in Graeco verbum *est* non exprimi. Sic autem ibi legitur: *quod Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris,* vel *ad gloriam.*

Proinde Graeci, quos et Cajetanus se-

quitur, sic ordinant et exponunt: Et omnes confiteantur, Jesum Christum esse Dominum, quae quidem ejus dignitas et dignitatis agnitio cedit ad gloriam Dei patris, quia gloria patris est exaltatio filii; sicut contra, dejectio filii patris ignominia est. Quod vero Erasmus illud: *in gloriam Dei patris,* referri posse putat ad verbum *confiteatur,* hoc sensu: et omnis lingua confiteatur ad gloriam Dei patris, quod Christus est Dominus, non consistit cum mente Apostoli generaliter loquentis. Mali enim non confitentur ad gloriam Dei, sed soli boni. Significatur autem, quod omnes Jesum Christum confitebuntur *Dominum,* non cum aliqua limitatione, sed absolute, id est, Dominum totius creaturae, tam secundum humanam naturam, quam secundum divinam.

12. *Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis.* Postquam interposuit exemplum obedientiae Christi et exaltationis ejus, redit ad exhortationem, admonens Philippenses, ut sicut antea semper, ex quo fideles esse coeperant, exemplo Christi obedientes se praestiterant Dei praeceptis ab Apostolo traditis; ita faciant deinceps, si gloriae Christi participes fieri velint.

Non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea. Partem hanc quidam referunt ad verbum praecedens, *obedistis,* quasi dicat Apostolus, sicut semper obedistis, non tantum quum praesens essem apud vos, verum etiam ac multo magis nunc quum absens sum a vobis, ita moneo, ut quod hactenus facitis, facere pergatis. Verum rectius alii partem illam praecedentem: *sicut semper obedistis,* a sequentibus separant et parenthesi claudunt. Haec vero, quae sequuntur, referunt ad subsequens verbum *operamini.*

Cum metu et tremore salutem vestram operamini. Tota sententia construi potest et exponi hoc modo: Itaque fratres mei dilecti (sicut semper obedistis, id est, quod hactenus fecistis) operamini salutem vestram cum metu et tremore; non tantum sicut me praesente fecistis aut facere soletis, sed nunc multo magis me absente. Sic enim vos ostendetis id facere ex animo, propter Deum et non serviliter, quasi nobis placere studentes. *Cum metu et tremore salutem suam operari,* est magna cum solicitudine exercere opera salutis aeternae efficacia. Phrasis illa, *cum metu et tremore,* satis a nobis explicata est in commentariis 1 Cor. 2. et 2 Cor. 7. et Ephes. 6. Respicit autem Apostolus ad versiculum Psalm. 2. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Quae quidem tam Prophetica quam Apostolica exhortatio destruit inanem salutis certitudinem et securitatem, qua perniciose sibi blandiuntur haeretici. Nam ubi timor et tremor exigitur, securitas esse non potest. Ostendit etiam praesens locus, opera, quae per gratiam Dei fideles exercent, ad ipsam salutem promerendam valere: hoc enim est, quod dicit: *Salutem vestram operamini.*

13. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate. Perficere,* Graece ἐνεργεῖν *operari,* nimirum idem verbum cum eo, quod priori loco dicit: *qui operatur.* Atque ita legit passim Augustinus, nominatim lib. de gratia Christi, docens, eam Graecis codicibus esse consentaneam lectionem. Igitur *perficere,* non dicitur respectu operis alicujus praecedentis, cui perfectio desit, sed respectu ejus, quod est *velle;* ut perficere sit facere seu exsequi, quod volebas; non cedere tentationi, ad exsequendum quod volueris. Multi enim habent velle, qui per infirmitatem non habent facere, ut Petrus, quando dixit: *Non te negabo.*

Porro locum hunc prave quondam interpretati sunt Origenes, Pelagius et Vitalis Carthaginensis. Quorum primus lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. docet, Deum in nobis operari velle et perficere, et in universum movere et agere, generali dumtaxat ratione, atque indeterminate ad bonum vel malum. Nostrum autem esse dicit bene aut male velle et facere.

Pelagius vero in suo commentario ita scribit: *Velle operatur Deus, suadendo et praemia pollicendo.* Ejusdem ab Au-

gustino lib. de gratia Christi, cap. 10., haec ex alio loco verba referuntur: *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos et mutorum more animalium tantummodo praesentia diligentes, futurae gloriae magnitudine et praemiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.* Post quae Pelagii verba: *Quid manifestius*, inquit Augustinus, *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem atque doctrinam?* et quae sequuntur.

Porro Vitalis Carthag., ad quem scripsit Augustinus Epist. num. 107., a Pelagii sensu non recedens, dicebat, Deum per legem suam et per Scripturas operari in nobis ut velimus, dum legi aut Scripturis ab eo datis ipsi nostra voluntate consentimus. Quod dum non facimus, operationem Dei in nobis nos irritam reddere. Jam et illa quorumdam interpretatio prorsus est repudianda, qua conditionem supplent hoc pacto: Deus operatur in vobis velle, si velitis. Stulte enim et ridicule quippiam exigitur ut conditio sui ipsius; velut si dicas: Deus facit me vivere, si vivam. Ejusdem generis est, quod quidam sic interpretati sunt Apostolum: Deus, quantum in ipso est, operatur in vobis, ut velitis et operemini. Nam et hunc sensum a memorato Vitali redditum, Augustinus reprehendit; ac merito. Non enim operatio gratiae Dei ab humanae voluntatis assensu dependet, sed eum facit, cum sit per se efficax.

His igitur expositionibus rejectis atque damnatis, sensum Apostoli verum et Catholicum esse dicimus eum, quem ipsa verba liquido prae se ferunt, quemque Augustinus, Thomas, aliique Patres tam Graeci, quam Latini, suis in scriptis et commentariis expresserunt; scilicet: *Deum in hominibus efficaciter per gratiam suam operari hoc, quod est velle bonum salutare,* et hoc, quod est idipsum exsequi. Dico, *efficaciter;* tum quia omnis operatio Dei efficax est, tum quia postulat hoc Graecum Apostoli participium, ὁ ἐνεργῶν, id est, efficaciter agens. Unde manifestus est hic locus et irrefragabilis contra Pelagianos, pro efficaci gratia Dei; quemadmodum id, quod praecedit, *salutem vestram operamini,* palam facit contra Lutheranos pro libero hominis arbitrio. Unde B. Augustinus lib. de dono persev. cap. 13. citatis hujus loci verbis: *Nos ergo volumus*, inquit, *sed Deus in nobis operatur et velle. Nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur et operari.*

Ex dictis patet, quid sentiendum sit de horum verborum Apostolicorum interpretamento, quod quidam neotericus pro novitia quorundam doctrina strenue laborans, iis audacter affingit; sic inquiens, *Deus operatur velle et perficere,* per sanctas inspirationes, illuminationes, affectiones, ostendendo bonum, ad illud alliciendo et trahendo, absque tamen ulla impressione, quae voluntatem praedeterminet.

Quaeritur autem, quomodo per haec verba confirmet Apostolus exhortationem praecedentem. Non enim consequens videtur, si Deus in nobis operatur velle et perficere, nos debere cum metu et tremore salutem nostram operari: sed magis cum securiate et absque metu; cum Deum operantem nulla vis impedire possit. Respondeo, secundum Chrysostomum et ejus sequaces consequentiam sermonis esse talem: Ne terreamini, quia dixi, *cum metu et tremore:* Deus enim vobis in omni bona actione adjutor est, operans in vobis et velle et perficere. Alii sic connectunt: Dum id facitis, quod moneo; id est, dum salutem vestram solicite operamini, ne propter hoc vobis placeatis: Dei enim donum est operantis in vobis et velle et perficere.

Quod si consulamus locum Psalmi, ad quem diximus Apostolum parte praecedenti respexisse, occurret alia ratio consequentiae. Cum enim dixisset Psalmista: *Servite Domino in timore* etc., subjun-

xit: *Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa,* scilicet Domino gratiam subtrahente.

Sic ergo Paulus: *Hortor,* inquit, *ut cum metu et tremore vestram salutem operemini:* quia nec velle nec operari consistit in vestris viribus, sed Deus est, qui per suam gratiam utrumque in vobis operatur. Ideo vobis est timendum, ne gratiam sive operationem hanc suam subtrahat. Haec Cajetani connexio est, eademque valde probabilis. Nam cum metu et solicitudine versari solemus in eo, quod ab aliena gratia dependet, ne forte eam socordia vel ingratitudine nostra amittamus. Et quidem hoc pacto causalem istam Apostoli explicat Augustinus multis locis, ut conc. 4. in Psalm. 103. et rursus in enarr. Psalm. 142. et 149. et serm. 94. de temp. Itemque lib. de nat. et grat. cap. 27. et epist. 208. Nec non Leo Pontifex serm. 8. de epiphan. Domini. Leonis haec sunt verba: *Dicente discipulis Domino, sine me nihil potestis facere; dubium non est, hominem bona agentem a Deo habere et effectum operis, et initium voluntatis. Unde et Apostolus copiosissimus fidelium cohortator: Cum timore, inquit, et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari, pro voluntate. Et haec sanctis causa est tremendi atque metuendi; ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae.* Sic ille.

Restat extrema particula, *pro bona voluntate,* quam nonnulli intelligunt voluntatem hominis, quasi sensus sit: Deus operatur in vobis velle et perficere, pro bona vestra voluntate, id est, prout viderit bonum animi vestri propositum, bonamque voluntatem. Hoc sensisse videtur Erasmus, quando vertit: *pro bono animi proposito.* Nam et in paraphrasi bonam voluntatem exponit ipsorum Philippensium.

Verum multo rectius ac germanius, juxta Patrum tam Graecorum, quam Latinorum interpretationem, intelligas *bonam voluntatem Dei,* id est, divinum beneplacitum et propositum, ut alibi vocatur, secundum quod Deus elegisse nos dicitur, quodque Graece vocatur εὐδοκία. Nam secundum idem propositum, id est, bonam voluntatem suam, ipse in nobis omne bonum operatur. De hoc Dei proposito mentio est ad Ephes. 1. semel et iterum. Et quidem vox Graeca, licet interdum in Scriptura de hominis voluntate dicatur, ut capite superiori: *Quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant:* plerumque tamen et fere semper, ad Dei voluntatem refertur in Psalmis et alibi; adeo ut Hieronymus scribens in Epist. ad Ephes. testetur, eam dictionem a LXX. fuisse primum excogitatam, ad Dei beneplacitum significandum. Sensus igitur est, Deum, non propter ullum meritum nostrum, sed pro suo beneplacito et gratuita voluntate bona erga nos, operari in nobis velle et perficere; ne quis gratiam hanc operantis Dei sibi ex meritis suis provenire existimet.

Graeci paulo aliter hanc partem exponunt, moti praepositione ὑπὲρ, quae genitivo juncta, fini seu intentioni servire solet, velut Joan. 11. *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Faciunt igitur hunc sensum: Ut compleatur in vobis beneplacitum ac bona voluntas ipsius. At, meo judicio, rectius poterit, etiam praepositionis retenta proprietate, sic intelligi: *Pro bona voluntate sua erga nos declaranda,* ut simile sit ei, quod apud Joannem dixit Salvator, *pro gloria Dei.* Atque hic sensus nihilo minus, quam sensus Latinorum, excludit meritum nostrum respectu gratiae.

14. *Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus.* Prosequitur exhortationem, qua dixerat: *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam.* Eodem enim haec pertinent. Pro *haesitationibus,* Graece est διαλογισμῶν, id est, *disceptationibus.* Sic enim eam vocem interpres vertit 1 Tim. 2. *Sine ira et disceptatione.* Hortatur ergo Philippenses, ut quae agenda sunt agant,

nec obmurmurando superioribus, nec disceptando de iis, quae praecipiuntur.

15. *Ut sitis sine querela.* Graece: *Ut sitis inculpati,* pro quo Ambrosianus, *irreprehensibiles,* id est, tales de quibus nemo possit conqueri. *Et simplices,* id est, integri, sinceri, innoxii. Eadem vox Graeca est apud Matth. 10. *Estote simplices sicut columbae.*

Filii Dei sine reprehensione. Graece *irreprehensibiles,* pro quo Ambrosianus *immaculati.* Haec pars commate distinguenda est a praecedenti, ac separatim legenda; secus quam multi Latini faciunt, continue legentes hoc modo, *et simplices filii Dei,* cum in Graeco genus diversum omnino postulet eam, quam dixi distinctionem. Pro qua etiam facit Ambrosiana lectio, quae similitudinis adverbium interponit, hoc modo: *sicut filii Dei immaculati.* Quae quidem additio etiam in Pelagii textu legitur, et Apostoli sententiam illustrat; quasi dicat, ut sitis sine querela et simplices, quemadmodum decet veros Dei filios, id est, ex Dei imitatione vitam ducentes inculpatam, et in quos non cadat reprehensio. Ita enim fiet, ut in vobis tanquam filiis glorificetur pater vester coelestis.

In medio nationis pravae et perversae. Graece *in medio generationis incurvae,* sive ut Augustinus legit in Psalm. 146. *tortuosae, et perversae sive distortae.* Nam in Graeco participium est. Hebraeum idioma *in medio* etc. latinus sermo sic explicat, inter homines pravos atque perversos. Referenda est haec pars ad illud, *ut sitis* etc. Sentit enim Apostolus, eo magis Philippenses integros et inculpatos in sua conversatione esse debere, quod agerent inter malos, qui pro animi sui pravitate etiam bene facta criminarentur.

Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Pro *lucetis,* verti etiam potest, *lucete,* quomodo Cyprianus legit in Epist. ad Rogatianum presbyt., nec non Pelagius in suo commentario. Atque eo modo vertit Erasmus. Quin et Theophylactus profitetur, imperativum sibi magis placere. Verum nihil incommodi habet nostra lectio. Nam Apostolus ex eo ipso, quod Philippenses per fidem et bonam conversationem lucebant inter infideles, sicut luminaria coelestia lucent in mundo; materiam accipit exhortationis, ne quid agant reprehensione dignum, quo splendorem suum obscurent.

Ex hoc loco et aliis similibus intelligitur, quomodo vera sanctitas recte numeretur inter notas Ecclesiae, nimirum quatenus per bona et sancta opera, quasi splendore ac lumine suo, foras se prodit, et conspiciendam praebet oculis hominum etiam infidelium, ut dicere cogantur, *quod vere Deus est in nobis,* 1 Cor. 14. Ita Christus in Evangelio: *Sic,* inquit, *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est,* Matth. 5.

16. *Verbum vitae continentes.* Id est, lumen vivificae fidei vobis praedicatae in vobis habentes, conservantes ac retinentes. Non enim placet, quod Erasmus vertit, *sustinentes,* id est, sursum tenentes. Nam Graecum verbum significat quidem aliquando sustinere, sed acceptum pro eo, quod est morari, aut moram facere. Quae significatio praesenti loco non quadrat. Notandum est autem, participium *continentes* posse etiam referri ad luminaria, quae Graece masculino genere φωστῆρες dicuntur, et ita sensus erit: Inter quos lucetis tanquam luminaria quaedam mundi, continentia lumen fidei. Hoc sensu adverbium *sicut* non similitudinem, sed rei veritatem designat; quemadmodum supra, *habitu inventus ut homo.* Quanquam prior constructio omnium fere interpretum est.

Ad gloriam meam in die Christi. Graece: *Ad gloriationem mihi in diem Christi.* Ambrosianus quoque *in diem* legit. *Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.* Sensus Apostoli est: adeo ut gloriari de vobis possim in illud tempus, quo ad judicium venturus est Christus, me non frustra aut in vanum cum tanta diligentia laborasse in praedicando vobis Evangelio; utpote qui

per meam praedicationem egregie profeceritis ac lumina quaedam mundi facti sitis.

17. *Sed etsi immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestrae.* Graece, *super sacrificio et ministerio fidei vestrae.* Nam et Ambrosianus *ministerium* legit, et ita, ut dixi, vertit Theophylacti interpres. Significatur autem ministerium sacrum, quale est sacrificantis, Graece λειτουργία; quam tamen Latini patres non infrequenter obsequium vocant. Unde illud in Missa: *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meae.*

Gaudeo et congratulor omnibus vobis. Graece, *gaudeo et congaudeo;* tametsi congaudere non aliud est, quam congratulari. In exponendo hoc loco opus est subtili intelligentia: inducit enim Apostolus duo sacrificia, non quidem unum a se offerendum, et alterum a Philippensibus, ut vult Cajetanus, qui locum Apostoli magis obscurat, quam explicat: sed unum quidem sui ipsius tanquam offerentis, Philippensium autem, tanquam oblatorum, quo nimirum ipse Deo ministrans offerebat fidem Philippensium, sive Philippenses ipsos in Christum credentes. Alterum vero, quo ipse insuper immolandus esset per mortem, instar sacrificii cujusdam Deo grati. Sic intelligunt Theophylactus et Oecumenius, itemque Anselmus et Thomas. Ac sane compellit nos ad hunc intellectum similis ejusdem Apostoli locus Rom. 15., ubi sic loquitur: *Ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, santificata in Spiritu sancto.* Hic enim ministrum, Graece λειτουργὸν, se vocat illius oblationis, qua gentes a se conversas ad fidem Christo offerebat.

Est igitur hujus loci sensus: Quin etiamsi me contingat immolari Deo per mortem a persecutore pro Christo inferendam, posteaquam vos ac fidem vestram, velut hostiam, Deo ministrans atque sacrificans, prius obtulero; non id me contristat, sed magis gaudeo spe tanti boni mei, *cupio enim dissolvi, et esse cum Christo,* eique offerri in sacrificium; et vobis congaudeo, qui et ipsi per fidem efficimini sacrificium Deo acceptum.

18. *Idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi.* Graece *congaudete mihi.* Sensus: Volo autem, ut et vos vicissim ob id ipsum, quod dixi, gaudeatis, mihique congratulemini: gaudeatis, inquam, de bono vestro, quod jam habetis; mihi vero congaudeatis, de bono meo, quod expecto. Verba sunt consolantis eos, ne de ipsius morte, si contingat, tristentur, sed potius gaudeant. Quod autem Erasmus vertit *gaudetis et congaudetis,* indicativo modo, quamvis id Graeca permittant, non tamen sensum habet huic loco congruentem. Unde et in paraphrasi ab eo recedit, communem sequens interpretationem.

19. *Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos.* Hoc quoque ad consolandos Philippenses pertinet. Spero, inquit, per Dominum Jesum, me brevi missurum ad vos Timotheum; ob id nimirum, ut rerum nostrarum ac profectus Evangelici certiores vos faciat. Quod utique cedet ad gaudium et consolationem vestram.

Ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt. Rursus bonum suum conjungit bono Philippensium, quasi dicat: Sicut misso ad vos Timotheo cognoscetis res nostras; ita vicissim ego vestrarum rerum statum ex eo ad me reverso cognoscam; et iis cognitis exhilarabor eroque animo fidentiore in adversis, quae patior. Priorem causam mittendi Timothei, quod per se manifesta esset, subticuit Apostolus, solam posteriorem contentus exposuisse. Supponit autem, Timotheum bona ac laeta de Philippensibus renuntiaturum; utpote ex animo solicitum, quo res Philippensium bene se habeant. Unde sequitur:

20. *Neminem enim habeo tam unanimen.* Vocula *tam* in Graeco non additur, nec eam legit Augustinus locum hunc citans lib. 2. contra lit. Petil. cap. 76. Quod autem interpres dixit *unanimem,* Graece est ἰσόψυχον, id est, eum qui aequalis sit animi. Qua voce aut is signifi-

catur, qui idem cum alio sentit eademque vult, ut sit verae et perfectae amicitiae notio; erat enim Timotheus Paulo amicissimus; aut potius, qui pari animo quippiam agit, ut sensus sit: neminem alium habeo, qui pari mecum animo et studio curet ea, quae sunt Jesu Christi. Huic sensui Graecorum commentarii respondent.

Qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Graece: *Qui germane ea, quae circa vos sunt,* id est, res vestras, *curabit.* Nam et Augustinus *germane* legit in Epist. 137. Quanquam interpres unam vocem in duas resolvens bene sententiam reddidit. Convenit hic locus cum eo, quod Apostolus eundem Timotheum in 1. Epist. ad eum scripta cap. 1. secundum Graecam lectionem *germanum filium* vocat. Quae quidem Timothei magna laus est. Porro quoniam in Graeco futurum est indicativi modi, *curabit,* quod cum verbis proxime praecedentibus durius cohaeret, adeo ut interpretes omnes subjunctivum vertant; videri potest haec pars annectenda illi superiori: *Spero autem* etc., hoc modo: Spero me Timotheum cito missurum ad vos; qui cum venerit, sincere ea quae ad vos pertinent curabit: ut verba, quae intercedunt, parenthesi claudantur. Hujusmodi enim hyperbata Paulo non sunt infrequentia.

21. *Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi.* Codex Laudensis minore incommodo, et propius Graeco, ita legit: *Omnes enim sua quaerunt, non quae sunt Jesu Christi.* Dat rationem, cur dixerit: *Qui sincera affectione* etc., simulque declarat, in quo sinceritas illa, quam in Timotheo commendat, sita sit: videlicet in eo, non sua quaerere, sed quae Jesu Christi. Quaerunt autem sua, non quae Jesu Christi, qui privata commoda praeponunt gloriae Christi etiam in eo, quod Christi negotium agere videntur. Nam de Christianis et Evangelii ministris Apostolo sermo est. Putat Cajetanus, non esse mortale peccatum genere suo id, quod hic Apostolus reprehendit; sed esse studium imperfectorum, id est, eorum qui non student, ut ait, ad quaerendum augmenta meritorum in aliis, sed satis habent manere in propriis.

Theophylactus autem post Chrysostomum ad eos refert, qui securitatem et quietem suam nimium amantes, refugiunt pericula et molestias subire pro Christo. Quod etsi magis accedat ad mentem Pauli, verisimile tamen est, sensum ejus generaliorum esse, quomodo nos exposuimus Aquinate suffragante, ut pateat etiam ad eos, qui vel lucrum vel gloriam, vel aliud quodvis suum quaerunt, ac plus aequo ad haec intenti sunt. Sic enim alibi generaliter Apostolus utitur hac phrasi, *quaerere, quae sua sunt* 1 Cor. 10. et 13. et superius in hoc ipso capite.

Verum sive mortale sit hujusmodi peccatum, sive veniale (quod quidem in unoquoque actu, ex subjecta materia et circumstantiis dijudicandum erit), non sentit Apostolus, omnes, qui tunc erant, fideles aut Evangelii ministros uno Timotheo excepto tales esse. Non enim Epaphroditus, quem in consequentibus admodum collaudat, et illi, quos super. cap. dixit ex charitate et bona voluntate Christum praedicare, ponendi erant in eorum numero, qui sua quaererent, non quae Jesu Christi. Sed *omnes* dixit pro eo, quod Latine dicimus, plerique omnes, id est, plurimi, valde multi. Quam signi universalis acceptionem Scripturis usitatam esse docent Hieronymus in comment. Epist. ad Eph. 1. sub. finem, et Augustinus lib. de unitate Ecclesiae cap. 12.

22. *Experimentum autem ejus cognoscite.* Id est, experimento discite, probate, qualis sit, cum apud vos erit, et videbitis, me non vane eum commendasse. Potest etiam verti, *cognoscitis,* indicativo modo; atque hoc Erasmus et Valla magis probant. Consonat et textus Ambrosianus, qui sic habet: *probationem autem ejus nostis.* Graeci quoque in eam sententiam interpretantur. At sane magis congruit ea lectio cum verbis sequentibus:

Quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. Graece *in Evangelium,*

consonantibus nonnullis MSS. Latinis. Et quod nos habemus: *sicut patri filius,* verti commodius ex Graeco potuit, *sicut cum patre filius,* astipulante etiam Ambrosiano. Sensus igitur est: Vos ipsi experimento didicistis ac meminisse potestis, quomodo is, scilicet Timotheus, una mecum, velut filius cum patre, serviverit ac totum se contulerit ad Evangelii negotium promovendum. Nam Timotheum Paulo socium fuisse in praedicando Philippensibus Evangelio Christi, satis ex historia Act. 16. colligitur. Qua ratione etiam Timothei nomen in fronte hujus Epistolae sibi adjunxit Apostolus.

23. *Hunc igitur spero me mittere ad vos.* Graeca non addunt *ad vos,* neque textus Ambrosianus agnoscit, tametsi additum sensum adjuvat.

Mox ut videro, quae circa me sunt. Particula *mox,* ultimo loco habetur in Graeco, sed tamen referendam esse ad verbum *mittendi,* monstrant etiam Graecorum commentarii, ut sensus sit: Hunc igitur spero me ad vos missurum, statim ut videro, qualem sint exitum habiturae res meae, negotia mea, vincula mea. Nonnulli sic exponunt: Mox ut providero seu constituero de rebus meis. Atqui magis placet prior interpretatio, quae etiam Graecorum est. Neque enim Apostolo, qui in vinculis tenebatur, integrum erat, de rebus suis externis disponere.

24. *Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.* Rursus interpres de suo addidit *ad vos.* Hic quaeri posset, an hoc, quod Apostolus dicit: Confido, me ipsum quoque brevi venturum ad vos, impletum fuerit. Sed de ea quaestione, quid nobis probabilius videatur, diximus ad illud capitis superioris: *Et hoc confidens scio, quia manebo* etc., scilicet impletum non fuisse.

25. *Necessarium autem existimavi,* scilicet ad consolationem vestram, interim dum Timothei ad vos profectio differtur, *Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos.* Id est, praemittere ante Timothei adventum. Multis epithetis Epaphroditum honorat, ex quibus ejus erga Philippenses et ipsum Paulum laudabilis affectus et studium comprobatur. *Fratrem* vocat, tanquam fraterna charitate, ob ipsius merita, a se dilectum, aut certe *fratrem,* id est, socium operis Evangelici. Quod evidentius significatur vocabulo sequenti: *cooperatorem,* quem Erasmus collegam vertit. Porro metaphorice *commilitonem* vocat, ob eandem causam; simul ut significet opus Evangelicae praedicationis, in quo versabatur, plenum esse periculis, quorum particeps fuerat Epaphroditus, quemadmodum infra declarat.

Dicit autem: *vestrum Apostolum,* non quod primus apud Philippenses jecisset fundamenta fidei Christianae, quod proprie Apostolorum est; id enim Paulum et Silam apud eos fecisse, testatur Actorum historia; sed secundum aliquos Apostolum eorum vocat honoris causa, significatione nominis extensa, quod Apostolis fidem apud illos fundantibus aliqua ex parte collaborasset. Aut secundum alios eo, quod Episcopus esset Philippensium, atque eos, qui initio hujus Epistolae vocantur Episcopi, hoc est, presbyteros, sibi subjectos haberet. Ita namque sentit Theodoretus, suamque sententiam pluribus exponit ad initium Epistolae. Nec ab eo S. Thomas dissentit.

Alii vero, Philippensium *Apostolum,* id est, legatum dici putant, quod ab eorum Ecclesia missus esset ad Paulum, pecuniam subsidii nomine ad eum perlaturus. Siquidem *Apostoli* nomen communicabatur etiam illis, qui ab Ecclesiis, ob publica negotia, velut legati quoquam mittebantur, ut ad collectas deferendas aut quid simile. Unde est illud 2 Cor. 8. *Apostoli Ecclesiarum gloria Christi.* Haec interpretatio est apud Theophylactum, Oecumenium et Cajetanum, convenitque cum ea id, quod sequitur: *et ministrum necessitatis meae,* id est, per quem publico nomine mihi necessaria subministratis. Nam Graeca voce λειτουργὸν significari publici muneris exsecuto-

rem, Chrysostomus et Theodoretus annotarunt.

Quoniam quidem omnes vos desiderabat. Id est, vestri revisendi desiderio tenebatur.

26. *Et moestus erat.* Graecum verbum significat gravem animi moerorem, ut cum quis pene exanimatur ac prae dolore deficit; Ambrosianus legit: *Impatienter solicitus erat. Propterea quod audieratis illum infirmatum.* Ex Graecis apparet, hanc partem ad duo membra praecedentia referendam esse, ut sensus sit: Epaphroditum idcirco moestum fuisse, ac reditum suum ad Philippenses maturare voluisse, quod non dubitaret eos, intellecta sua infirmitate, vehementer fuisse contristatos. His verbis tacite commendat insignem Epaphroditi erga Philippenses suos amorem, utpote ex quo tam moestitudo, quam desiderium hoc proficiscebatur.

27. *Nam et infirmatus est usque ad mortem.* Id est, ita ut esset morti vicinus. Id quod expressius Graeca significant, quae habent *prope mortem,* sicut et Ambrosianus legit. *Sed Deus misertus est ejus,* scilicet eripiens eum periculo, et sanitati restituens. Quod quidem beneficium *misericordia* vocatur, quatenus est miseriae cujusdam remotio.

Non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Id est, ne dolorem, quem patiebar ob infirmitatem ejus, exciperet novus dolor, idemque acerbior ex ejus morte. Non enim significat, utramque tristitiam simul futuram, sed graviorem successuram leviori. Haec Graecorum expositio est.

Latini vero ad hunc fere modum interpretantur: Ne carceri ac caeteris adversis, quae patior, etiam hoc malum, scilicet mors tanti viri, mihi ad augmentum tristitiae accederet. Tristabatur enim Apostolus de hujusmodi malis naturaliter ac moderate secundum rectam rationem, quomodo et Christum Dominum instante passione contristatum legimus. Nec huic tristitiae gaudium repugnat, cum possit quis de ea re, secundum diversas rationes, simul gaudere et contristari.

Hic quaeret aliquis, cur Apostolus per gratiam curationum, qua praeter alia Spiritus sancti charismata dotatus erat, quique etiam mortuos suscitare poterat, Epaphroditum a morbo non liberaverit. Respondeo cum Ambrosiano, quia sciebat, illud donum sibi concessum, non sui vel Epaphroditi causa, ut nec Timothei, cui medicum consilium adversus infirmitatem stomachi suggessit, sed ad utilitatem publicam Ecclesiae, praesertim propter infideles convertendos. Sed nec utebantur, nec uti poterant eo dono Apostoli, caeterique fideles, nisi quando sentiebant instinctum aliquem divinum ad utendum; praeterquam eo tempore, quo a Christo mittebantur ad praedicandum, cum expresso praecepto sanandi infirmos quoscunque sibi oblatos. Tunc enim illud Christi praeceptum erat loco divini instinctus. Item, non sanabant domesticos, ne suspicio infidelibus oriretur, rem ex composito agi, sed ab aliis oblatos, externos et ignotos, ne qua suspicione obscuraretur divinum miraculum. Verumtamen quod ad Epaphroditum attinet, omnino existimandum est, precibus Apostoli pro ipso orantis fuisse liberatum periculo, ac sanitati redditum.

28. *Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis. Festinantius,* Graece σπουδαιοτέρως, *studiosius,* apud Ambrosianum, *solicitius.* Sed hoc ipsum Graeci interpretes exponunt sine mora et cum omni festinatione.

Et ego sine tristitia sim. In Graeco comparativus est ἀλυπότερος, qui Latine uno vocabulo reddi non potest. Ambrosianus legit: *Et ego meliore animo sim.* Recentiores ita vertunt: *Et ego minus habeam tristitiae;* vel magis vacem moerore seu dolore. Significat Apostolus, sibi molestum fuisse, quod aberat ab eis Epaphroditus atque hac parte doloris se levandum per ejus reditum. Annotant Graeci, Apostolum non absolute dixisse sine tristitia, sed usum comparativo, ut innueret, animum suum nunquam prorsus esse moerore va-

cuum. Unde dicebat Rom. 9. *Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.*

29. *Excipite itaque illum cum omni gaudio, in Domino.* Illud *in Domino,* referendum ad verbum *excipite;* ut sit sensus: Excipite illum affectu Christiano, idque magno cum gaudio. Patet hoc ex ordine verborum in Graeco: *Excipite eum in Domino cum omni gaudio.* Atque ita legit etiam Ambrosianus: *Et ejusmodi cum honore habetote.* Graece: *Et tales honorabiles habete.* Id est: Non eum solum, sed et alios ei similes habete in pretio, ac debito honore afficite, etiam in suppeditandis stipendiis, juxta illud 1 Tim. 5. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

30. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit. Opus Christi* vocat opus factum pro Christi nomine, et ad promovendum ejus Evangelium. Secundum Graecos sensus est: Quia dum mihi ministrat propter Christum in vincula conjecto, et (ut alibi se vocat) vincto Christi Jesu, periculo mortis se exposuit. Etenim periculosum erat, familiarius accedere et secretius colloqui cum eo, cui Nero Imperator infensus erat. Cajetanus et alii nonnulli referunt ad illud, quod superius dixerat: Epaphroditum infirmatum fuisse usque ad mortem, ut sensus sit: Tam diligens fuit circa meum ministerium, ut suam valetudinem neglexerit, eoque in gravem infirmitatem inciderit.

Tradens animam suam. Graece: *Male consulens animae,* id est, non habita ratione vitae, vitam suam negligens. Id quod propius expressit textus Ambrosianus, qui habet: *tradens in interitum animam suam.* Haec pars ad utrumque sensum supradictum accommodari potest.

Ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium. Hoc est, ut quoniam vos longe abestis, et proinde mihi Apostolo vestro non potestis sicut cuperetis obsequium seu ministerium praesentes exhibere; ipse legatus vester hunc defectum suppleret, mihi pro vobis ministrans. Hic rursum pro *obsequio,* Graece est λειτουργία. Qua voce significari ministerium publico nomine debitum, docent Graecorum commentarii, eoque Paulum usum fuisse, ut Philippenses revocaret a fastu et animi tumore, ac ne sibi placerent, velut qui magnum aliquid et indebitum Paulo praestitissent.

CAPUT TERTIUM.

De caetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere [1]), mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. 2. Videte canes [2]), videte malos operarios, videte concisionem [3]). 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes [4]): 4. quanquam ego habeam confidentiam et in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis [5]), 5. circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus [6]), 6. secundum aemulationem persequens Ecclesiam Dei [7]), secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela. 7. Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. 8. Verumtamen existimo omnia detrimentum [8]) esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei:

[1]) Cap. 1, 27.—30. 2, 1.—16. [2]) Jes. 56, 10. 11. [3]) Gal. 5, 12. Rom. 16, 17. [4]) Rom. 2, 28. seq. Gal. 6, 15. 16. Col. 2, 11. 5 Mos. 30, 6. [5]) 2 Cor. 11, 18. seq. [6]) Act. 22, 3. seq. 23, 6. [7]) Act. 8, 3. 26, 3.—11. [8]) Matth. 16, 26. 27.

propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, 9. et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu[1]): quae ex Deo est justitia in fide, 10. ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus et societatem passionum illius[2]): configuratus morti ejus: 11. si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis[3]): 12. non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim[4]): sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu[5]). 13. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quae quidem retro sunt obliviscens[6]), ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum, 14. ad destinatum persequor[7]), ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. 15. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit[8]). 16. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula[9]). 17. Imitatores mei estote fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram[10]). 18. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi[11]): 19. quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt[12]). 20. Nostra autem conversatio in coelis est[13]): unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, 21. qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae[14]), secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia[15]).

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Ostendit se gloriari quidem posse in carne; sed quae fuerant ei lucra, propter Christum arbitrari detrimenta, ut assequatur justitiam, quae ex fide est. Hortatur ad perfectionem et sui imitationem. Deinde in Judaizantes acriter invehitur, ut ab eorum doctrina vigilantius sibi caveant Philippenses.

Toto ferme hoc capite agit Apostolus adversus falsos magistros, graviterque in eos invehitur, ac diligentissime Philippenses admonet, ut ab eorum doctrina sibi caveant. Sed quaeritur, quinam ii sint. Nam ab Apostolo non videntur perspicue designari. Recens quidam scriptor indubitato affirmat, illos significari haereticos, qui Christum vere crucifixum esse negabant, dicentes imaginem solum ejus ea visam esse pati, quae a Judaeis inferebantur: Christum vero se subtraxisse. Cujus quidem haeresis auctorem fuisse Simonem magum, Irenaeus et Epiphanius prodiderunt. Id vero probat ex eo, quod eos Paulus infra vocat *inimicos crucis Christi*, id est, ut ille interpretatur, veritatem crucifixionis ac mortis

---

1) Rom. 3, 21.—24. 2) Rom. 8, 17. 2 Cor. 4, 10. 2 Tim. 2, 11. 3) Vers. 20. 21. 2 Tim. 2. 11. 4) 2 Tim. 4, 7. 8. 5) Act. 26, 13. 14. 19. Gal. 1, 15. 6) Vers. 4.—6. 7) Vers. 20. 8) Cap. 1, 6. 9) 2 Tim. 3, 14. 10) Hebr. 13, 17. 11) 2 Petr. 2, 1. 1 Cor. 1, 13. 12) Rom. 16, 18. 13) 2 Cor. 4, 18. Hebr. 13, 14. 12, 22.—24. 14) 1 Cor. 15, 43. seq. 15) Joan. 5, 21.

Christi negantes, et in figmentum convertentes.

Atqui omnium hujus loci interpretum tam veterum, quam recentiorum sententia est, Apostolum hic agere contra Judaeos pseudapostolos, qui legem Mosaicam Christianis servandam esse docebant: quae Judaizantium haeresis est. Adversus quos et in Epistolis ad Rom., ad Gal., ad Hebr. et alibi stylum dirigit. In hos enim ea competunt, quae hic adversariis tribuit Apostolus, scilicet in carne et circumcisione, et in claritate generis gloriari: et eam, quae ex lege est, justitiam statuere. Quocirca iidem, etsi non verbis, reipsa tamen et doctrinae consequentia monstrabant se inimicos crucis Christi: quia, *si ex lege justitia,* quemadmodum illi docebant, *ergo gratis Christus mortuus est, et evacuatum est scandalum crucis.* Gal. 2. et 5.

Simonianos autem intelligi non posse, vel ex eo liquet, quod in ipsum Simonem minime cadant ea, quae diximus. Nam Simon non Judaeus erat, sed Samaritanus, id est, genere prorsus ignobilis, et a prosapia Patriarcharum alienus, atque ex eo populo, qui Judaeis adeo despectui erat, ut cum eo nec communicandum dicerent Joan. 4., et probri loco nomen Samaritani Christo objicerent, Joan. 8. At nec de Simone legitur, quod justitiam ex lege quaesierit: quin potius de eo scribunt Irenaeus lib. 1. cap. 20. et Theodoretus lib. 1. fab. haer. cap. 2., quod docuerit, homines per gratiam salvari sine bonis operibus.

Porro valde congruit, quod de gloria generis hic dicitur, cum loco 2 Cor. 11., ubi commemorat pseudapostolos jactantes, quod Hebraei essent, quod Israëlitae, quod semen Abrahae. Constat ergo, non de Simonianis, sed de Judaeis, iisdemque Judaizantibus, de quibus alibi toties, etiam hic Apostolum agere, atque adversus eorum perniciosam doctrinam Philippenses instruere ac praemunire.

1. *De caetero, fratres mei, gaudete in Domino.* Consolatione concludit superiora, ut ad novum transeat argumentum. Quod reliquum est, inquit, fratres mei, volo vos abjecto moerore, quem sive ex vinculis meis, sive ex periculo Epaphroditi, sive ex afflictionibus vestris concepistis, gaudere in Domino Christo, id est, eo gaudio, quod et quale Christianos decet.

Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Graece non est *necessarium,* sed ἀσφαλὲς, id est, *tutum* sive *securum.* Sensus est: Ea vobis scribere, quae praesens dixi et inculcavi, vel eadem scribere vobis, quae scripsi aliis, ut Romanis, Galatis, me sane non piget, imo quo magis sitis extra periculum, omnino mihi faciendum censeo.

2. *Videte canes.* Judaei prae contemptu gentiles canes vocabant. Unde Dominus Matth. 15. ex opinione Judaeorum sic loquitur: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Merito igitur Apostolus vicissim Judaeos, tametsi diversa ratione, canes appellat, juxta illud ejusdem Salvatoris Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus. Canes* erant Judaei, quia verbo Dei a veris Apostolis praedicato passim adlatrabant, et praedicatores ejus mordebant, lacerabant et persequebantur ad mortem. Item *canes* erant Judaizantes isti, id est, homines impudentes et improbi, qui ventris causa apud omnes sese ingerebant, et Mosem suum omnibus venditabant: *mare et aridam circumeuntes, ut facerent unum proselytum* Matth. 23. Utramque rationem tradunt Graeci interpretes. *Videte* autem, id est, cavete. Nam et in Evangelio sic aliquoties accipitur videte. Et Ambrosius lib. ad Virg. devotam ita legit hunc locum: *Vitate canes* etc.

Videte malos operarios. Quos eosdem 2 Cor. 11. vocat *operarios subdolos.* Erant ergo mali operarii, tum quia in opere suo non Christi Domini, sed suam spectabant utilitatem, utpote ventri suo, non Christo servientes, sicut dicitur Rom. 16., de quibus et infra: *quorum Deus venter est,* tum maxime, quia videbantur quidem operari in praedicatione Evangelii,

propter quod et ministros Christi se jactabant, ut habetur in eodem ad Cor. loco, sed revera Christi Evangelium sua doctrina pervertebant, sicut de eis dicitur Gal 1.

Videte concisionem. Judaei vocabantur circumcisio, quemadmodum patet ex Epistola ad Rom. 2. et alibi, atque eo nomine ipsi gloriabantur: hic vero non dignatur eos Apostolus nomine circumcisionis, tanquam ea appellatione indignos, sed per contemptum, quadam cum paronomasia, vocat eos *concisionem.* Circumciditur enim id, a quo superfluum aliquid resecatur, conciditur autem, quod in partes minutas scinditur. Et circumcisio quidem arte fit, ad rem purgandam et expoliendam: concisio vero, temere et cum destructione rei. Erant igitur Apostolo Judaizantes illi concisio: et non circumcisio, hoc est, concisi et non circumcisi, quia circumcisionis necessitatem praedicantes, crucem Christi evacuabant, et per hoc non ad salutem, sed ad perniciem eis sua circumcisio velut concisio quaedam proficiebat. Unde de eis infra dicitur: *Quorum finis interitus.*

3. *Nos enim sumus circumcisio.* Sensus est: Illi jactant carnalem circumcisionem, nec agnoscunt ejus usum et significationem; nos autem sumus vera circumcisio, quatenus scilicet in nobis spiritualis significatio circumcisionis impletur. Sic idem Apostolus Rom. 2. *Non qui in manifesto, Judaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio, sed qui in abscondito, Judaeus est, et circumcisio cordis in spiritu, non litera.* Quod autem dixit *nos,* deinceps explicat, quorum in persona dixerit:

Qui spiritu servimus Deo. In Graeco hic est ordo: *Qui spiritu Deo servimus.* Sed interpres verbum *servimus* in medio posuit, ut sensus, quem intendit, esset magis obvius. Potest autem ex Graeco verti: *Qui spiritui Deo servimus,* et ita legendum contendit Ambrosius lib. 2. de Spiritu S. cap. 6. dicens, Latinos codicices partim variare, partim falsatos esse, non tamen exprimens eorum lectionis varietatem. Itaque significari vult hoc loco, Spiritum sanctum esse Deum, cui serviendum sit, ea nimirum servitute et cultu, qui soli Deo debetur. Nam in Graeco verbum est λατρεύειν, quod et Matth. 4. *Et illi soli servies.* Et Rom. 1. *Servierunt creaturae potius quam creatori.* Nec aliter fere in Scripturis usurpatur, quam ad designandum eum cultum, quem sibi soli Deus vendicat. Ambrosium ea in re sequitur Sedulius.

Porro Graeca quaedam, ut Complutensia cum paucis aliis, pro dativo θεῷ legunt genitivum θεοῦ, *Dei.* Cujus etiam lectionis Faber et Erasmus in suis annotationibus meminerunt. Et Faber quidem vertendum putat: *Spiritu Dei.* Quod et Cajetanus sequitur. Sed ea versio, quamvis huic quam diximus Graecae lectioni non repugnet, sensum tamen minus commodum exhibet. Unde ex hac lectione potius vertendum esset: *Spiritui Dei servimus.* Quomodo legit Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. et serm. 15. de verbis Apostol. cap. 3. probans itidem ex hac scriptura, Spiritum sanctum esse Deum eadem ratione, qua Ambrosius. Testatur idem Augustinus, hanc Graecam lectionem haberi in pluribus ac pene omnibus exemplaribus: ac vitiosum existimat, quod in nonnullis, ut ait Latinis, invenitur *spiritu Deo.* Quod sane mirum est: cum ex commentariis Graecorum constet, eos legisse *Deo* non *Dei,* et dativum πνεύματι sic accepisse, ut modum significet, quem Latini reddunt per ablativum *spiritu,* id est, spiritualiter, quemadmodum illi diserte exponunt.

Quaeritur autem, de quo spiritu Paulus loquatur. Non dubium, quin de spiritu sancto, si legamus: *spiritui Dei,* quod vult Augustinus, aut *spiritui Deo,* quod Ambrosius. At si cum vulgato interprete consentienter Graecorum commentariis legamus: *spiritu Deo;* dubium esse potest. Sunt enim, qui sic quoque Spiritum sanctum putent intelligi. Nam, ut patet ex sequentibus, spiritum carni opponit Apostolus: quod dum facit, Spiritum sanctum intelligere solet, sicut ostendi-

mus ad illud Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum* etc. Sed et Rom. 2. commendans circumcisionem cordis, quae in spiritu est non litera, non alium intelligit spiritum, quam illum ipsum, quem literae opponit 2 Cor. 3., ubi sine dubio de Spiritu sancto sermo est. Igitur juxta horum sententiam spiritu servire Deo, est Deum colere per gratiam Spiritus sancti.

At vero Graeci de spiritu hominis interpretantur, id est, de animo seu mente, quem interiorem hominem alibi vocat, ut Rom. 7. et 2 Cor. 4., ut spiritu servire Deo, sit ei servire ex animo et secundum hominem interiorem, id est, cultu interno, quod est spiritualiter servire. Cui opponitur carne servire Deo, id est, carnalem seu corporalem tantum exhibere Deo servitutem, quae est secundum hominem exteriorem et ea, quae foris aguntur: cujusmodi erat cultus Judaicus. Haec Graecorum interpretatio mihi probabilior est. Non enim spiritus hic opponitur carni, prout caro accipitur pro concupiscentia carnali, sed ut substantiam significat, id est, corpus hominis resque corporeas et externas. Nec dissimilis acceptio est utriusque in illa Christi sententia: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Et gloriamur in Christo Jesu, tanquam auctore salutis nostrae, quasi dicat: Omne bonum verae virtutis ac pietatis, et quidquid est, in quo Christianus ut talis recte gloriatur, Christi meritis acceptum referimus: quia *non est in quoquam alio salus* Act. 4.

Et non in carne fiduciam habentes. In Graeco quidem est participium πεποιθότες *confisi,* pro quo dixit interpres, *fiduciam habentes;* sed sicut duo praecedentia participia resolverat per verba, *qui servimus et gloriamur,* ita consequenter et istud resolvendum erat per verbum *confidimus,* aut *fiduciam habemus,* ut legit Ambrosianus. Nec obstat hujus vocabuli praeteritum tempus in Graeco. Nam significationem habet praesentis. *In carne confidunt,* qui in rebus carnalibus sibi placent, tanquam per eas sint Deo commendatiores, ac caeteris hominibus meliores. Hujusmodi res erant, quas deinde Apostolus enumerat: ut esse circumcisum, Israëlitam, Pharisaeum: denique secundum justitiam, quae in lege est, conversatum esse sine querela. Nam et hoc adjunxit. Ex quo intelligitur non solum illa priora, sed et ipsam justitiam, quae ex lege est, carnalem esse.

4. *Quanquam ego habeam confidentiam et in carne.* Ita legendum ex castigatione Romana, videlicet conjunctione *et* suo loco reddita: cum prius in multis legeretur: *Quanquam et ego habeam confidentiam in carne.* Sed vera lectio, ex antiquis MSS. restituta, non solum est in Graecis et Syris codicibus, verum etiam extat apud Ambrosianum et Primasium in commentariis, et apud Augustinum serm. supra citato. Nec secus legit Aquinas, ut ex ejus commentario colligitur. Sciendum praeterea, loco verbi *habeam* Graece legi participium ἔχων, *habens,* quod tamen addito verbo substantivo, *sim habens,* idem valet.

Igitur sensus est: Non ideo rejicio confidentiam, quae in carne est, quod mihi hac in parte gloriandi materia desit: solent enim homines ea contemnere in aliis, quae ipsi nesciunt aut non habent. At ego, inquit, habeo quod in aliis contemno, ac possem si vellem, perinde ut illi, in carne gloriari et confidere: quo magis certe mihi ea contemnenti credendum est. Ut si quis nobilis nobilitatem generis contemnendam doceat, ut rem vanam: facilius ei creditur. Observandum est, in Graeco Apostolum non dicere: *Quanquam ego confidam et in carne,* sicut dixerat, *et non in carne confidimus:* esset enim in verbis repugnantia; sed, mutato sermone, dicit *se habere confidentiam,* id est, confidentiae materiam, qua posset aeque ut alii, vel etiam magis, in carne confidere: secundum id quod sequitur:

Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis. De Judaizantibus loquitur, et sensus est: Si quisquam eorum

videtur merito confidere in carne, eo quod habeat hujusmodi fiduciae materiam; ego vel maxime materiam hujusmodi confidentiae habeo. Non enim supplendum est, *ego magis* confido; sed *ego magis* habeo confidentiam in carne: idque juxta sensum supradictum. Augustinus legit: *Si quis alius putat se habere fiduciam:* nam et ita verti potest verbum Graecum δοκεῖ, sicque interdum vertit noster interpres, ut 1 Cor. 7. *Puto quod et ego spiritum Dei habeam.* Jac. 1. *Si quis putat se religiosum esse.* Atque ea interpretatio bene congruit huic loco.

Sed quaeres quomodo dicat Apostolus: *Ego magis,* cum essent utique inter Judaeos quidam eo nobiliores secundum carnem; ut qui ex tribu Juda et ex genere regio, aut ex tribu Levi et ex genere sacerdotali. Responsio est: Apostolum id non dicere propter singula, quae mox enumerat, sed propter omnia simul. In illis enim, opinione Judaeorum, excellebat zelus legis: qua in re Paulus caeteros superaverat. Item quaeret aliquis, cum hic locus persimilis sit ei, qui est 2 Cor. 11., ubi dicit Apostolus: *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor,* et rursum: *In quo quis audet, audeo et ego. Hebraei sunt, et ego* etc., cur ibi gloriatur secundum carnem; hic autem negat se in carne confidere. Respondeo, rationem esse, quia gloriari secundum carnem licitum est, dum urget justa necessitas; at confidere in carne, semper malum est. Id quod facile intelligitur ex utriusque loci explicatione.

5. *Circumcisus octavo die.* Supplenda dictio causalis, utpote, aut quid simile. Probat enim illud, *ego magis.* Graece est: *Circumcisio octavi diei.* Quod ea phrasi dicit, qua supra: *Nos enim sumus circumcisio:* et qua alibi Judaeos circumcisionem, gentes autem praeputium vocat. Ambrosianus et Augustinus in ablativo legunt, *circumcisione octavi diei;* quod fortassis interpres, qui ita vertit, pro recto casu legerit dativum in Graeco. Nam utriusque casus literae sunt eaedem. Addens autem Apostolus, *octavo die,* significare voluit se non esse proselytum, id est, advenam populi Dei; ut praeter alios observavit Augustinus. Nam proselyti, ex gentilitate ad Judaismum adducti, aetate adulta circumcidebantur. Sed ne saltem ex parentibus proselytis natus videretur, et ab iis octavo die circumcisus, addit:

Ex genere Israël, scilicet oriundus aeque ut illi. Sic 2 Cor. 11. *Israëlitae sunt; et ego.* Male Erasmus, et eum secuti Cajetanus et Sasboldus, suspicantur *Israël* esse nominativum, tanquam sensus sit: Genere Israël, id est: Israëlita: quomodo dixit se circumcisionem, id est, circumcisum: nusquam enim *Israël* pro uno quopiam Israëlita ponitur, sed collectivum nomen est, significans populum ex Israële genitum. Est igitur *Israël* genitivus, sicut et *Benjamin,* in eo quod sequitur:

De tribu Benjamin. In Graeco subauditur *ex* praepositio ex parte praecedenti. De tribu Benjamin jam secundo se nuncupat: prius enim id fecit in Epistola ad Rom. 11. Quippe non parva gloria erat Benjamitam esse; fuit enim haec tribus ex praecipuis: nam et prima regem habuit in illo populo, Saul nomine. Quod idem et Paulo nomen fuerat: sic enim coelitus ei dictum est: *Saul, Saul, quid me persequeris?* ut habetur in Graeco Act. 9. Et quod amplius eam tribum commendabat, neque postea, tempore schismatis, a regno Juda recessit, neque religionem mutavit, sicut decem tribus fecerant; sed tam regiae tribui, quam sacerdotali mansit perpetuo conjuncta. Rationem hanc attendit Augustinus, cui praeterea accedit, quod in sorte tribus Benjamin sita erat Jerosolyma et aedificatum templum.

Hebraeus ex Hebraeis. Quibusdam videtur, Apostolum hac parte significare genus suum non fuisse permixtum aliquando cum alienigenis, id est, gentibus: quomodo permixtum erat genus Samaritanorum, sed ortum se tantum ex Hebraeis parentibus atque majoribus. Huic sententiae Cajetanus accedit. At Graeci putant, Apostolum eo respicere, quod

multi Judaeorum per varias orbis regiones dispersi Hebraicae linguae peritiam amiserant, peregrinis linguis assueti, qui proinde inter Hebraeos merito censeri non debuerint; Paulum vero et parentes ejus nil tale passos, sed characterem gentis, id est, linguam incorruptam retinuisse: ut hoc sit *Hebraeum esse ex Hebraeis.* Quae sententia probabilior est, imo vera omnino, secundum ea, quae diximus ad illud 2 Cor. 11. *Hebraei sunt, et ego.* Cum enim Paulus non ipse solum Pharisaeus fuerit, sed et Pharisaeo patre natus, quemadmodum ipse testatur Act. 23., cura fuit parenti ejus, quamvis in Cilicia moranti, ut tam lingua patria, quam lege et secta filium a primis annis imbueret.

Porro quod in hujus loci commentario scribit titularis Ambrosius, Hebraeos ab Abraham Patriarcha dictos unius literae mutatione, tanquam Abraeos, et hanc generis originem Paulum significare voluisse: recte S. Thomas in suo comment. refellit eo argumento, quoniam et ipse Abraham cognominatus fuit Hebraeus Gen. 14. Existimat autem Thomas, Augustinum in Retract. lib. 2. cap. 16. secutus, Hebraeos esse nuncupatos ab Heber, qui sexta generatione Abraham praecedit, Gen. 11., quod nimirum, facta divisione linguarum, in sola ejus familia prima lingua remanserit: qui proinde et linguae et posteritati suae nomen dederit. At vero aliorum sententia est, *Hebraeum* dici quasi transitorem: eoque cognomine appellatum Abraham ab incolis terrae Chanaan, propterea quod transito flumine Euphrate illuc commigrasset; velut si dicas transfluvialem. Quae quidem sententia verior est, ut pluribus ostendemus in argum. epist. ad Hebraeos.

Secundum legem Pharisaeus. Nunc ad ea venit, quae propriae sunt electionis, ideoque plus habere videntur commendationis. Nam quatuor superiora nativitatis sunt, aut alieni operis. *Secundum legem* se dicit *Pharisaeum* fuisse, non quod lex aliquid praecipiat de Pharisaeis, sed quod, cum duae essent celebres in populo sectae legem Mosaicam profitentes, Pharisaeorum et Sadducaeorum, eam, quae sanior et praestantior erat, id est Pharisaeorum sectam atque institutum, fuerit amplexus. Habebatur enim hoc vitae genus apud Judaeos cumprimis honestum et laudabile, neque ex professione quicquam mali continebat. Unde Dominus ait Matth. 23. *Super cathedram Mosis sederunt Scribae et Pharisaei: quaecunque dixerint vobis servate et facite,* non utique de Sadducaeis id dicturus. Repetit autem hoc ipsum de se Paulus, eoque nomine se defendit Act. 23. dicens: *Ego Pharisaeus sum, filius Pharisaeorum,* aut ut in Graeco: *filius Pharisaei,* et 26. *Secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi Pharisaeus.*

6. *Secundum aemulationem persequens ecclesiam Dei.* Genitivum *Dei* Graeca non habent, nec agnoscit Augustinus; additum suspicor ex Gal. 1. Tantus, inquit, in me fuit zelus et studium legis ac paternarum traditionum; ut quicquid eis adversarium videretur, impatienter ferrem, ipsamque adeo Christi Ecclesiam tanquam apostatricem legis persequerer, per hoc existimans obsequium me praestare Deo.

Secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela. Graece, *factus irreprehensibilis.* Augustinus legit, *qua fuerim sine querela.* Postremo loco reservavit Apostolus, quod praecipuum erat, scilicet exactam legis observationem, quatenus illo in statu observari potuit. Sensus est: Denique quod ad justitiam attinet, quae in lege et per legem habetur; ita conversatus sum coram hominibus, ut nemo de me queri possit, aut objicere, quod legem ulla parte fuerim transgressus. *Justitiam, quae in lege est,* paulo post vocat *justitiam ex lege,* quomodo etiam hoc loco legit Ambrosianus; id est, justitiam ex sola legis cognitione partam, quae cujusmodi sit justitia, mox explicabitur. An autem simili sensu dixerit Apostolus Act. 23. *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum;* et 2 Tim. 1. *Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura:*

suis locis expendendum est. Certe constat, illud non esse simile, quod scriptum est de parentibus Joannis Baptistae Luc. 1. *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Haec enim vera justitia fuit.

7. *Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Graece, *detrimentum* numero singulari. Totum hunc locum Chrysostomus aliique Graeci contra Marcionitas veteris legis calumniatores ita tractant, ut ea, quae Apostolus dicit sibi fuisse lucra, vere talia fuisse intelligant; reputari autem ab eodem damna, detrimenta, stercora, non absolute, sed solum comparatione Christi et donorum ejus. Quod quidem contra veteres haereticos sane recteque dicitur: *Lex enim sancta; et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Rom. 7. Et *lex paedagogus Judaeorum fuit in Christo,* Gal. 3. Nec potuit non esse bona lex a Deo data: sive decalogum spectes, sive ceremonias lege praescriptas.

Verum si Pauli scopus et verba penitus inspiciantur, non de ipsa lege loquitur, sed de justitia, quae in lege est: hoc enim ultimum et praecipuum commemoraverat: *Secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela.* Et hoc ipsum postea repudiat, dicens: *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi* etc. Hanc igitur justitiam et caetera superiora, quatenus huc referebantur, Apostolus postquam a lege transiit ad Christum, reputavit ut detrimenta et stercora. Sic intelligit et exponit hunc locum Augustinus in serm. superius cit. cap. 5. et seq. Videantur et haec ejus loca: lib. 3. contra 2. epist. Pelag. cap. 2. et 7., lib. de grat. et lib. arb. cap. 12. Item lib. de gratia Christi cap. 13. et epist. 106. Censet autem Apostolus, justitiam, quae ex lege est, damnosam et rejectaneam fuisse, tum quia non erat vera, sed falsa justitia: nam *ex operibus legis non justificabitur omnis caro,* Rom. 3. et Gal. 2., tum quia opera sic facta, quomodo fiebant a Judaeis, *Dei justitiam ignorantibus et suam quaerentibus statuere,* ne moraliter quidem bona erant, sed simpliciter mala, propter vitiosam circumstantiam.

Est igitur Apostoli sensus: Sed quae tunc mea et aliorum opinione erant utilia tanquam verae justitiae opera, et pro quibus praemium a Deo exspectabam: ea propter Christum, id est, ut Christum lucrifaciam, sic enim postea seipsum exponit, damni et detrimenti loco duxi; quia a vera justitia, quae non est nisi per Christum, magis me alienarunt, nec potui particeps esse justitiae Christi, nisi sic de illis sentirem.

8. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.* Graece: *Verumtamen etiam,* aut, *quin etiam, existimo.* Similiter Augustinus et Ambrosianus legunt. Nec otiosa est particula *et* vel *etiam.* Servit enim incremento orationis rhetorico. Nam sensus est: Plus aliquid dicam, non solum enim vitam, quam in Judaismo duxi, reputavi detrimentum propter Christum: verum semel omnia, quae tunc magnifaciebam, ut genus, sectam, legisperitiam, quam Gamaliele doctore accepi, et quicquid ad Christum me non promovet, arbitror esse detrimentum: hoc est, non solum inutile, sed etiam damnosum et noxium: idque *propter eminentem scientiam,* sive, ut est in Graeco et apud Ambrosianum, propter *eminentiam scientiae,* id est, ut assequar excellentiam cognitionis Christi et beneficiorum ejus. Ita enim ipse Apostolus paulo post exponit: *Ad cognoscendum illum* etc. Sub cognitione more Scripturae comprehendit perceptionem et fructum rerum cognitarum; simulque significat, se hujusmodi cognitionem nondum plene consecutum esse, sed adhuc in ea proficere. Id quod infra docet expressius. Addit autem, *Domini mei,* ut ardentem animi sui affectum erga redemptorem suum declaret.

Propter quem omnia detrimentum

feci. Quod interpres vertit *detrimentum feci,* in Graeco unum verbum est passivum, quod significat multari, damno affici, detrimentum pati. Quapropter Hentenius et alii nonnulli sic vertunt: *Propter quem omnium feci jacturam.* Quin et Ambrosius in Psalm. 118. serm. 8. sic legit: *Propter quem omnia detrimentum passus sum.* Nec ab eo sensu nostra lectio aliena est: nam sicut *facere jacturam,* sic et *detrimentum facere,* passivam habere potest significationem, ut sensus esse queat, etiam nostra lectione retenta: Propter quem Dominum meum passus sum detrimentum omnium, exui me omnibus, omnia projeci, quae prius magna et pretiosa reputabam. Non hoc erat absolute detrimentum pati; sed juxta rerum aestimationem, quam habuerat in Judaismo.

Et arbitror ut stercora. Graeca majorem adhuc contemptum sonant, *et arbitror esse stercora.* Consonat Augustini et Ambrosiani lectio. Nonnulli Graecam vocem σκύβαλα *quisquilias* interpretati sunt. Atque ita legit Hieronymus lib. 2. dial. contra Pelag. cap. 3. Alii vertunt *rejectamenta,* quod fere idem valet. Et quidem hujusmodi interpretationem exigunt Graecorum commentarii, ne videlicet aequo contemptibilius de lege loqui videatur Apostolus. Sed jam supra dictum est, non haec in contemptum legis, sed justitiae, quae ex lege est, ab Apostolo dici. Constat Graeco vocabulo stercora quoque significari, quemadmodum et Erasmus vertit et legunt omnes Latini veteres: tametsi et ad alias rerum sordes et purgamenta nonnunquam ea vox extendatur.

Hieronymus commentans in Habac. 2. alium quendam hujus loci sensum adfert: *Apostolus,* inquit, *doctrinae veteris errorem dicit se reputasse* σκύβαλα, *id est, in stercora. Non quod lex vetus, ut Manichaei arbitrantur, ad comparationem Evangelii* σκύβαλα *computetur; quod impium est dicere, cum unius Dei utrumque sit testamentum: sed quod doctrinae Pharisaeorum, et praecepta hominum, et* δευτερώσεις *Judaeorum, stercora dicantur ab Apostolo.* Sic ille, quem sequitur ac nominatim citat in suo collectaneo Sedulius.

Verum nec ista germana est explicatio. Nam traditionum Judaicarum seu Pharisaicarum in superioribus nulla facta est mentio. Quocirca retinenda nobis est via, quam Augustino duce ingressi sumus, exponentes Apostolum de justitia legali: quae etiam sine praeceptis ac traditionibus illis humanis a Christo in Evangelio damnatis Matth. 15. detrimentum est et stercora: detrimentum quidem, quia nocet; stercora vero, quia foetet et habentem commaculat.

Nec vero quisquam mirabitur, legalem justitiam ab Apostolo vocari stercora; si cogitet eandem a Propheta vocari *immunditiam,* et comparari cum panno mulieris menstruatae. Sic enim in persona carnalium Judaeorum, justitiam ex lege quaerentium, loquitur Jesaias cap. 64. *Et facti sumus ut immundus omnes nos; et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.* Quo pertinet etiam illud a Domino dictum adversus justitiam Pharisaeorum, Luc. 16. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.*

Ratio vero perspicua est: quia fiebant ab illis ea opera legis, non solum non ex fide Christi, sine qua nihil valent ad salutem, sed et cum opinione, quod per ea ex sola legis cognitione profecta possent Deum sibi promereri. Putabant enim, legem solam sibi ipsis ad veram justitiam sufficere. Quae persuasio cum sit falsa, noxia et perniciosa, coinquinabat omnia opera tali animo atque opinione facta. Et quamvis qui sic instituti erant, manum ab opere per legem vetito cohiberent, timore poenae, quam lex minabatur, repressi, voluntate tamen transgressores erant. Unde Augustinus in sermone saepe citato cap. 6. *Qui timore poenae non concupiscit, puto, quia concupiscit.* Nec solum voluntate, sed et opere, per legem decalogi non expresse prohibito: quasi ideo contra legem non esset. Unde Dominus suis dicebat: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et*

Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum Matth. 5.

Fatetur haec et docet ipse Apostolus de se et caeteris sub lege constitutis, Eph. 2. *In quibus,* inquit, *et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis et cogitationum.* Et plenius ad Tit. 3. *Erasmus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem.* Ex quibus omnibus satis apparet, quam merito justitiam, quae ex lege est, detrimentum et stercora reputaverit Apostolus. Finem autem et fructum hujusmodi reputationis subjungit: *Ut Christum lucrifaciam.* Id est, ut bonorum ejus particeps efficiar. Habetur haec participatio primum quidem per fidem et notitiam Christi, veramque justitiam: deinde per consortium resurrectionis et gloriae ejus.

9. *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi.* Graece *per fidem,* quomodo legunt etiam Augustinus et Ambrosianus. Quod autem ait: *inveniar,* Hebraismus est, qualis Gal. 2. *Inventi sumus et ipsi peccatores,* ut talis inveniri quis dicatur, qualis existit secundum veritatem. Itaque sensus est: *Et ut sim in illo,* scilicet Christo, sicuti palmes in vite, *non habens meam justitiam,* id est, quae mihi a meipso sit, eam nimirum, quae ex sola legis notitia habetur, quae quidem non vera, sed falsa justitia est: *sed illam, quae est ex fide,* vel *per fidem, qua in Christum creditur.* Haec enim sola vera justitia est. Dicitur autem esse ex fide, qua in Christum creditur, tum quia per hanc fidem cognoscitur, eam non aliunde, quam ex merito passionis Christi haberi posse, tum quia fides illam impetrat, imo et initium ejus est, adeo ut et ipsa non nisi per Christum habeatur. His fere modis explicat eam phrasim Apostoli Augustinus serm. memorato, et lib. de praedest. sanct. cap. 7. et epist. 106.

Notandum autem, particulam *in illo* posse transferri ad illud posterius: *sed illam, quae ex fide est Christi,* idque per hyperbaton simile ei, quod est in fine primi capitis: *quia vobis donatum est pro Christo* etc. Et ita sensus est: *Et ut inveniar non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed in illo,* id est, per illum, *habens justitiam,* videlicet eam, quae est ex fide Christi.

Quae ex Deo est justitia in fide. Verti etiam potest *super fidem,* quemadmodum dicitur Eph. 2. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum* etc. Est enim eadem praepositio ἐπὶ. Sensus est: Justitiam, inquam, quae a Deo auctore est, et fundatur in fide: quia fides hujus justitiae fundamentum est, eo sensu, quem modo explicuimus. Hic observa, secundum Apostoli doctrinam utrumque tenendum esse, quod et a Deo justitia nostra sit, et quod per Christum: a Deo, ut auctore seu causa efficiente: per Christum vero, ut promerentem; quorum neutrum agnoscebant Judaizantes. Putabant enim, proprias naturae vires una cum legis adminiculo, velut commonitorio quodam, ipsis sufficere ad justitiam. Unde dicebant audita lege: *Omnia, quae locutus est Dominus, faciemus* Exod. 24. Christum vero tantummodo velut insignem doctorem et exemplar justitiae coelitus ad se missum suscipiebant.

Porro alia parte peccant nostri temporis haeretici, dum putant, Apostolum dicentem: *non habens meam justitiam, quae ex lege est* etc., tollere omnem justitiam inhaerentem, qua formaliter homo justus sit, et quae in legis observatione consistat, atque eam solam statuere, quae in Christo inhaerens, credentibus in Christum imputetur. Quod ab Apostoli mente quam sit alienum, vel unum illud ostendit, quod ait: *factores legis justificari* Rom. 2. Conferendus est autem praesens locus cum eo, qui est Rom. 9. et 10., ubi similiter et eodem sensu de duplici justitia disserit: altera nostra, quae sit ex lege: altera Dei, quae ex fide. Non enim nostram vocat justitiam, quae in nobis est, sed quae a nobis: sicut et Dei justitiam,

quae a Deo est, non quae in Deo, et qua Deus ipse justus sit. Quod dum adversarii nolunt intelligere, in absurdissimos errores prolapsi sunt.

10. *Ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus et societatem passionum illius. Societatem,* Graece *communionem* seu *communicationem.* Et ita legunt Augustinus et Ambrosianus. Haec pars tota secundum Graecorum expositionem dependet ab eo, quod proxime praecessit, *in fide,* ut sensus sit: Justitiam esse ex fide, qua cognoscitur Christus, et virtus resurrectionis ejus et communio passionum ejus. Eandem fere constructionem Latini plerique sequuntur.

Attamen nil vetat, imo valde probabile est, hanc partem altius esse referendam, ut simul cum praecedentibus dependeat ab eo, quod dixerat: *se omnia detrimentum fecisse et arbitrari ut stercora.* Docet enim, et pluribus verbis inculcat Apostolus, rationem et fructum deserti a se atque contempti Judaismi, quodque breviter et obscure dixerat: *propter eminentem scientiam Jesu Christi,* nunc partibus quibusdam explicat, ut sit sensus: Et ut cognoscam illum, nempe quis et quatenus sit, utpote Deus et homo, et caetera, quae ad utramque ejus naturam pertinent. Item ut cognoscam virtutem seu potentiam resurrectionis et gloriae ejus, nempe quod ea sit exemplaris causa nostrae resurrectionis et gloriae, quia nos ad ejus similitudinem reformandi sumus; quasi dicat: Pharisaei semper habent resurrectionem in ore, sed non intelligunt hoc mysterium, quod Christi resurrectio sit causa nostrae resurrectionis. Denique, ut cognoscam communicationem passionum ejus, sive qua merita passionum ejus nobis ad justitiam et salutem communicantur, id quod Judaizantes non intelligebant, sive qua ego Paulus per afflictiones et adversa, quae propter amorem Christi patior, communico passionibus ejus, ut et gloriae ejus particeps efficiar, juxta illud 1 Petr. 4. *Communicantes Christi passionibus gaudete: ut et in revelatione ejus gaudeatis exsultantes.* Hunc posteriorem sensum Graeci tradunt, eique bene congruit, quod sequitur:

Configuratus morti ejus. Negligit Apostolus syntaxim grammaticam, ut interdum alibi. Graecum verbum conformare potius significat quam configurare, tametsi interpres haec usurpet pro eodem. Augustinus legit *conformatus.* Sed scito, Graecum participium praesentis esse temporis, cui non est Latinum, quod respondeat. Unde interpretes alii circumloquuntur. Ambrosianus: *Conformans me morti ejus.* Erasmus et Hentenius: *Dum conformis fio morti ejus.* Haeret sententia cum extrema parte superiori, ad hunc modum explicanda: Et ut cognoscam communicationem passionum ejus, in quam venio, et quae mihi contingit, dum per passiones et mortis pericula, quae pro nomine ejus sustineo (sicut alibi dicit *se quotidie mori,* 1 Cor. 15.), conformis efficior morti ejus.

11. *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis.* Graece *ad resurrectionem mortuorum.* Sic etiam Augustinus legit. Sensus est: Compatior et commorior Christo, ut si quo modo possim, perveniam ad beatam resurrectionem mortuorum, quam justi exspectant. Observat Theophylactus, hoc loco non esse ἀνάστασιν, quo nomine solet in Scripturis resurrectio significari, sed ἐξανάστασιν, id est, exsurrectionem, qua nimirum ita quippiam resurgit, ut in altum feratur. Hac igitur voce putat proprie significatam esse resurrectionem justorum, qui quum resurgent, momento levabuntur in aëra ad Dominum, caeteris in terra manentibus. Idem docet scribens in Joan. 6. et Heb. 11.

Quod vero Apostolus, velut dubitans, dicit: *si quo modo,* non solum insinuat difficultatem perveniendi ad illam beatitudinem, secundum illud 1 Petr. 4. *Justus vix salvabitur,* verum etiam securitatem et certitudinem consequendae salutis excludit, uti diserte annotarunt post Chrysostomum, Theophylactus et Oecumenius adducentes ad eandem rem alia

duo loca ex 1 Cor. 9. et 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat;* et: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Haec ostendunt, Apostolum, quando ea scripsit, nondum habuisse divinitus revelationem suae salutis. Quod si Paulus post tot labores Christi nomine susceptos, et post tanta divini erga se amoris indicia, nondum securus erat; falluntur ergo, imo seipsos fallunt miserrime, quotquot hodie certam sibi ipsis salutem, velut ex verbo Dei promittunt.

12. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Hanc partem alii alio referunt. Quidam ad haec proxima: *Si occurram* etc., quasi dicat: non ideo mentionem facio praemii, quod jam perfectionem viae sim assecutus. Theophylactus eodem refert, sed diverso sensu, ut propterea dicat Apostolus se ambigue locutum: *Si quo modo occurram,* quia nondum erat consummatus. At Oecumenius existimat, Apostolum respicere ad illud: *Configuratus morti ejus.* Per hoc enim videri poterat, magnum aliquid et perfectum sibi adscripsisse, quod proinde hac sententia temperare voluerit.

Porro Chrysostomus et Ambrosius hoc dictum a Paulo interpretantur non propter aliquod verbum praecedens, sed propter Philippenses, ut audientes Apostolum tam humiliter de semetipso loqui, discerent et ipsi modeste de se sentire. Potest nihilominus ad illa superiora referri, quibus exposuerat fructum, quem ex abjecto Judaismo consequebatur, ut sensus sit: Haec non commemoravi, quod jam totum fructum, qui in hac vita haberi potest, acceperim, vel ut Ambrosianus legit: *apprehenderim,* aut quod jam perfectus sim vita et cognitione, ita ut ad capiendum praemium nihil mihi desit, nec ultra proficere debeam.

Sequor autem, si comprehendam. Sequor, Graece *persequor.* Sic enim ipse interpres paulo post vertit eandem vocem; significat autem insequi cum extremo conatu assequendi et apprehendendi. Jam illud: *si comprehendam,* in multis codicibus ita legitur: *Si quo modo comprehendam.* Quae lectio etiam apud veteres Augustinum et Ambrosium reperitur, eamque Clementina confirmat editio. Quanquam e diverso nostram, quae Lovaniensis est, apud Primasium, Pelagium et Sedulium reperio. Verisimile est addititiam esse particulam *quo modo*, huc insertam ex eo, quod supra dictum est: *Si quo modo occurram.* Nam in Graeco nil ei respondet, nisi conjunctio copulativa: *Si et comprehendam;* quae conjunctio subinde otiosa est apud Apostolum, et ab interprete omittitur.

Notandam autem, in his Apostoli verbis et sequentibus esse continuam quandam metaphoram, sumptam ab iis, qui cursu certant in stadio. Sensus igitur est: Nondum assecutus sum perfectionem, ut mihi jam quiescendum sit, sed adhuc curro, contendo, persequor, ut illam, si queam, apprehendam. Non loquitur de praemio vitae aeternae, quod infra vocat bravium supernae vocationis, sed de perfectione cognitionis et vitae, ad quam in hoc saeculo, post quantumlibet profectum, semper adhuc aspirandum est. Nam de praemio beatitudinis non diceret, quod sequitur: *Ego me non arbitror comprehendisse:* cum id nullam haberet dubitationem.

In quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Haec pars dupliciter exponitur. A Graecis quidem hoc modo: Sicut aliquando procul aberrans et fugiens a Christo, comprehensus sum ab eo, per gratiam ejus praevenientem: ita nunc vicissim hanc praesto diligentiam, ut totis viribus eum insequar, et nitar apprehendere virtutum perfectione. Latini vero sensum hunc reddunt: Curro et persequor, ut comprehendam, ac talis efficiar, qualis, ut fierem, comprehensus sum, id est, electus ac praedestinatus a Christo; hoc est, ut pertingam ad justitiae perfectionem. Utrumque sensum adfert Oecumenius. Priori modo particula: *In quo,* Graece ἐφ᾽ ᾧ, causam aut similitudinem denotat: posteriori idem valet, ac si dicas: *ad quod.* Eadem est autem particula

Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt:* ubi et de ejus acceptione nonnulla diximus. Conferatur hic locus cum eo, qui est 1 Cor. 13. *Tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Nam et illa sententia duplicem recipit expositionem, et utramque probabilem, sicut ibi declaratum est. Sed cum hoc loco durius sit, *comprehensum* interpretari electum, seu praedestinatum: videtur prior expositio praeferenda.

13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Ad Philippenses sermonem convertit, ut eos suo exemplo humilitatis admoneat. In Graeco plenius legitur: *Fratres ego meipsum nondum arbitror apprehendisse.* Pro *nondum,* Ambrosianus legit, *non adhuc,* quod aequivalet. Sensus est: Ego, quamvis tot pro Christo laboribus ac periculis perfunctus, adeo ut dicere possim me plus omnibus laborasse: nondum tamen arbitror me assecutum esse perfectionem, quam habere debeo. Multa adhuc video mihi deesse: nolite in me falli, plus me ipse novi quam vos, inquit Augustinus serm. supradicto.

Unum autem. Subaudi, ago; id est, in unam rem totus sum intentus, tametsi Augustinus serm. 1. de diversis cap. 6. construit cum verbo, *sequor,* quod infra habetur. Sed hoc minus probabile. *Unum autem* illud exponit Apostolus sequentibus verbis: *Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum.* Persistit in metaphora currentis in stadio; qui negligens ea, quae sunt a tergo, totum se protendit ad anteriora, sic ut pedibus adhuc currentibus, jam corpore promineat ad scopum. Hanc enim significationem Graeci participii ἐπεκτεινόμενος, quasi dicat *adextensus,* in praesenti, diligenter explicant interpretes Graeci; nec ejus vim assecutus est Erasmus, dum vertit, enitens.

Sed quaenam intelligit Apostolus per ea, quae retro sunt? utrum opera legis, de quibus superius dixit, se ea reputare ut detrimentum et stercora? an potius opera sua praeterita ex fide facta, sed imperfectiora comparatione ejus perfectionis, ad quam toto cursu se tendere dicit? Omnino haec posteriora intelligenda sunt: nam illa priora erant extra cursum hominis Christiani, imo contra cursum. Et hoc modo Augustinus, Ambrosianus, Chrysostomus, ejusque sequaces Apostolum intellexerunt. Obliviscitur autem operum praeteritorum, quamvis justorum non quod ea contemnat, sed quod iis non contentus, semper ad majora et perfectiora nititur.

14. *Ad destinatum persequor.* Graece est, κατὰ σκοπὸν, id est, secundum scopum, ut vertit Theophylacti interpres. Sed quia *scopus* Graeca dictio est, tametsi Latinis usitata, maluit interpres noster Latine dicere, *ad destinatum:* pro quo Hentenius trantulit, *juxta praefixum signum.* Nam *scopus* significat signum sagittantibus propositum. Potest etiam verti, *secundum intentionem:* quomodo legit Augustinus utroque serm. jam allegato, et in enarr. Psalm. 38. Verum haec lectio non perinde quadrat metaphorae, in qua Apostolus versatur. Opponit autem hoc quod est, *ad scopum* seu *destinatum persequi,* ei quod est, *in incertum currere,* quod a se removet 1 Cor. 9. dicens: *Ego sic curro, non quasi in incertum. Ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu.* Βραβεῖον, Graeca vox est, qua proprie significatur praemium certantibus propositum: de quo ibidem Apostolus: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Augustinus et Ambrosianus legunt, *ad palmam.* Atque hoc modo vertere malunt recentiores.

Sed jam totam Apostoli sententiam elucidemus. Ego, inquit, ea quae sunt a tergo relinquens, ad ea vero, quae sunt a fronte, meipsum extendens, oculis semper in scopum defixis, cursu contendo ad palmam, seu praemium regni coelestis, ad quod a Deo vocati sumus per Christi fidem et merita.

Quaeritur, an Apostolus per *scopum* et *bravium* rem eandem voluerit significare. Ita quidem sentiunt plerique commentatores, tam Graeci, quam Latini: verum

diversae praepositiones in Graeco, κατὰ et ἐπὶ, non parum resistunt huic intellectui. Qui enim dicit, *juxta scopum contendo ad palmam:* ipso loquendi modo videtur aliud atque aliud iis nominibus significare. Accedit, quod in certamine corporali, unde similitudo petitur, aliud est scopus, aliud praemium, seu palma, seu corona. Quare secundum ea, quae superius dicta sunt, apparet, per *scopum*, seu *destinatum*, intelligi perfectionem illam, de qua dicebat: *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim*, et rursus: *Ego me non arbitror comprehendisse:* per bravium vero seu palmam significari praemium supernae beatitudinis, ad quod obtinendum currere se dicit, habendo oculos semper intentos in scopum perfectionis propositae.

15. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Hieronymus lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 5. testatur, exemplaria variasse, ut in aliis legeretur, *sapimus,* in aliis *sapiamus,* id est, sentiamus. Verum haec posterior lectio hodie, ni fallor, omnium est codicum, etiam Graecorum; eademque procul dubio Paulinae menti congruentior. Nam ea, quae de se humiliter dixit Apostolus, nunc convertit ad Philippensium instructionem atque adhortationem. *Perfectos* dicere videtur, quos alibi spirituales, et firmiores, et perfectos vocat: id est, sapientiae sublimioris capaces et percipientes ea, quae sunt spiritus Dei, et eos, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Quibus ab eodem Apostolo opponuntur infirmi, carnales, animales et parvuli, quibus lacte opus est. Loca sunt Rom. 14. et 15. 1 Cor. 2. et 3. 2 Cor. ult. Gal. 6. et Heb. 5. Proinde sensus est: *Quotquot igitur perfecti sumus,* id est, intelligentia rerum divinarum caeteris praestamus, vel reipsa, vel nostra, aut aliorum opinione: hoc sentiamus, quod ego de meipso jam professus sum, scilicet, nos nondum apprehendisse, aut perfectos esse, sed adhuc multa nobis deesse; ideoque nos eorum, quae retro sunt, oblitos semper ad anteriora debere extendi.

Ex hoc commentario liquet, Apostolum non esse sibi contrarium, dum paulo ante negavit se perfectum, hic vero inter perfectos se annumerat. Non enim, ut existimat Hieronymus super Hab. 1., diversas personas induens haec dicit Apostolus: quasi prius in persona incipientium locutus fuerit, hic autem loquatur in persona perfectorum, quorum unus ipse erat. At neque sufficit dicere, quod superius a se removerit perfectionem patriae, nunc vero viae perfectionem sibi cum aliis adscribat: ostensum enim est, etiam verba superiora de perfectione viatoris accipienda esse. Sed illic se perfectum negat, quod adhuc multa sibi deesse intelligeret, quorum accessio etiam in hac vita per continuum profectum expectari poterat: hic vero se perfectis annumerat, id est, spiritualibus, qui comparatione eorum, qui in via et cognitione Dei minus profecerant, merito perfecti dici poterant, licet adhuc, etiam in hac vita, amplius perficiendi, donec ad terminum pertingerent.

Haec conciliatio apud Ambrosianum est, eademque Graecorum commentariis consentanea; quos et sequitur Cajetanus, addens, ex hoc textu clare haberi, quod non solum incipientes et proficientes, sed et perfecti quicunque, in hac vita nunquam perveniunt ad terminum meriti: sed semper possunt amplius mereri. Nec ab his Augustinus, quod ad rem ipsam attinet, dissentit. Quamvis enim priori loco perfectionem patriae putet intelligi; vult tamen, Apostoli mentem esse, quod nemo tam sit perfectus viator, quin ad majorem perfectionem, etiam in hac vita consequendam semper anniti debeat. Ita docet serm. 15. de verb. Ap. c. ult., lib. 2. de peccat. mer. cap. 7. et 13., lib. 3. contra 2. ep. Pelag. cap. 7., de perfect. just. cap. 8., de gratia et lib. arb. cap. 1. et 25. Tract. 98. in Joann. et in enarr. Psalmi 89.

Porro si perfecti sic, uti dictum est, de se sentire debent, imo qui revera per-

fecti sunt, ita sentiunt; utique intelligendum relinquitur, multo magis ab imperfectis id requiri, quales erant, de quibus jam sequitur:

Et si quid aliter sapitis. Vel *sentitis;* est enim idem verbum in Graeco, quod prius.

Et hoc vobis Deus revelavit. Legendum, *revelabit.* Sic enim non modo Graeci et Syri codices ac multi Latini vetusti habent: verum etiam legunt et et exponunt Augustinus, Primasius, Sedulius, Thomas, Liranus, ac caeteri expositores Latini: suffragante etiam editione Clementina. Nec secus legit ac interpretatur Ambrosianus, ut male ab Erasmo annotatum est. Occasio mutandi futuri temporis in praeteritum fuit, quod revelatio videretur referenda ad verbum *sapitis,* quod est praesentis temporis, cui proinde non videbatur respondere posse revelatio futura, sed praeterita. Atqui non eo referenda est, sed ad id, quod proxime dixerat, ut sensus sit: Et si qui vestrum aliter sentiunt de ea re, de qua jam egi, nimirum arbitrantes se jam apprehendisse perfectionem, ut proficere ultra non debeant: equidem confido, Deum vobis, qui tales estis, etiam hoc, quod sentiendum dixi, revelaturum per internam inspirationem atque doctrinam. Obiter significat, Dei donum esse, quod quis recte sapit et imperfectionem suam agnoscit.

Hunc sensum Augustinus et plerique interpretes tradunt. Quanquam Lyranus alium sensum subjungit, quem putat magis literalem: *Si quid aliter sapitis,* id est, inquit, si quid aliud pertinens ad cultum Dei et ad perfectionis statum vos cognoscere contigerit: scire debetis, id non provenire ex intelligentia vestra, sed ex revelatione divina. Verum *aliter sapere,* pro eo, quod est adhuc aliud et amplius aliquid sapere: contorta videtur expositio. Nam istud *aliter* passim habet significationem ejus, quod est diversum, imo contrarium: etiam apud Apostolum, ut 1 Tim. 1. *Ut denunciares quibusdam ne aliter docerent,* et cap. 6. *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus,* etc.

16. *Verumtamen ad quod pervenimus: ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula.* Graeca ad verbum sic habent: *Verumtamen ad quod pervenimus, eadem incedere regula, idem sentire.* Quos infinitivos Theophylacti interpres et alii quidam non male per imperativos reddunt, *incedite, sentite.* Nam similiter ad Rom. 12. dixit: *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.* Aut certe, supplendum erit verbum, hortor, moneo, ut sit sensus: Interim quantum ad id, quod de rebus divinis jam assecuti sumus, hortor vos omnes, eadem regula doctrinae et fidei incedere, eandemque regulam tenere, et idem sapere, id est, concordes esse. Ratio exhortationis est, quia qui permanet in eo, quod accepit, cum amore pacis et fraternitatis: meretur amplius illustrari, ut, etiamsi quid aliter sapiat, divina revelatione corrigatur. Porro de regula et consensu in doctrina fidei Paulum loqui, probabile fit, tum ex superioribus, ubi de doctrina contra Judaizantes egit: tum quia etiam alibi, de fide loquens regulam nominat, ut Gal. ult. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint* etc.

17. *Imitatores mei estote, fratres.* Transit ad morum informationem: monetque Philippenses, quos imitari debeant, et quos vitare. Ubi imprimis seipsum, tanquam illorum Apostolus et magister, idemque optime sibi conscius, et profectus sui non ignarus, imitandum eis proponit: deinde et alios ejusdem conversationis. Quo magis autem pseudapostolorum doctrinam reddat illis odiosam, breviter etiam mores eorum ex adverso delineat: ostendens, eos non minus vita, quam doctrina pravos et corruptos esse: et proinde utroque nomine vitandos. In Graeco non est, μιμηταὶ *imitatores,* sed συμμιμηταὶ, *coimitatores* Pro quo Augustinus legit: *Cooperatores,* in tractatu de cultura agri Dominici cap. 1., tametsi minus bene. Sensus enim est: Estote mei imitatores una cum aliis, qui me imitan-

tur. Sicut alios videtis esse studiosos mei imitandi: ita et vos facite. Hos alios indicat parte sequenti.

Et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Nostram, Graece, *nos,* quod et in nonnullis legitur Latinis tam excusis, quam manuscriptis. Dictum est autem appositive, *sicut habetis formam nos,* id est, nos ut formam et exemplar, Graece, τύπον. Est itaque sensus: *Et observate,* sive (ut Ambrosianus legit, aliique vertunt) *considerate eos,* qui vitam suam instituunt ad exemplar, quod ego vobis praebui, quodque a me accepistis: et eos imitamini. Haec enim observatio est ad imitandum, sicut illa ad fugiendum, de qua Rom. 16. *Rogo vos,* inquit, *fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula faciunt,* etc. Ac de talibus jam sequitur:

18. *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico.* Sensus est: Ideo tam solicite moneo quos imitemini, quia multi sunt nequaquam vobis imitandi, quantumvis Christi nomine sese venditent, et crucem Christi praedicent: de quibus saepe coram vos commonefeci, nunc autem absens rursus non sine lacrymis commonefacio. Flentem se introducit, ut commendet amorem suum erga Philippenses, quorum periculum metuebat. Verbum, *ambulant,* pendet adhuc et modum desiderat, qui infra explicabitur.

Inimicos crucis Christi. Regitur a verbo *dicebam,* et: *dico.* Designat enim eos a doctrina. Nam qui justitiam praedicabant ex lege quaerendam, ut bene S. Thomas annotat, quamvis in Christum crucifixum credere se dicerent, ex consequenti tamen hostes crucis Christi se declarabant, quia, sicut alibi dicit Apostolus: *Si per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Gal. 2. fin. Hanc autem praesentis loci veram esse intelligentiam, sub initium hujus capitis satis monstratum est, ut ne quis suspicetur, Apostolum loqui de quibusdam, qui Christum vere crucifixum esse negabant. Graeci *inimicos crucis Christi* interpretantur eos, qui voluptates et luxum hujus vitae sectantes, crucem Christi videntur odisse: utpote, quae non ad delicias, sed ad labores et austeritatem vitae nos invitet. Verum si crucis inimici sunt, qui molliter ac deliciose vivunt, rectam de Christo fidem tenentes; quanto magis illi, qui doctrina sua crucem Christi evacuant?

19. *Quorum finis interitus.* Id est, qui ad extremum interibunt ac perdentur. Loquitur autem de aeterna perditione: in quam necessario incidunt, qui Christi crucem omnis salutis et gratiae fontem pravitate doctrinae suae persequuntur.

Quorum Deus venter est. Hic jam explet id, quod dixerat, *ambulant,* quod huc usque mansit suspensum. Et sensus est: Non ambulant sicut nos, sed longe aliter. Nam ventrem habent pro Deo: non quidem proprie ventrem Deum suum reputantes: at nec eo sensu, quod in ventre fiduciam collocent, sicut hominis avari Deus est pecunia, quatenus sperat et confidit in pecuniae thesauris: sed quia causa ventris omnia faciunt, id est, finem constituunt in deliciis cibi et potus: ut proinde *ventricolae* merito dici possint, juxta illud Apostoli de iisdem, Rom. 16. *Hujusmodi,* inquit, *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Hoc autem quam apte quadret in carnales Judaeos explicatum vide apud Theodoretum.

Et gloria in confusione ipsorum. Id est: In dedecore, ignominia, turpitudine, pudore ipsorum. Haec enim significat vox Graeca αἰσχύνη. Ambrosianus legit, *in pudendis ipsorum.* Quae lectio etiam apud Ambrosium est libr. 1. de Cain et Abel cap. 5. et apud Augustinum serm. 15. de verbis Apostol. cap. 1. et fragmento ultim. cap. 4. Hi referunt ad circumcisionem, in qua maxime gloriabantur Judaei; quasi sensus Apostoli sit: Et quorum gloriatio est in eo membro, quod pudendum est et abscondendum. Jactant enim illius membri circumcisionem, cum e diverso gloria nostra sit in cruce, quam portamus in frontibus.

Meminerunt hujus expositionis Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius, sed omnes eam rejiciunt, nec immerito: quia Graeca vox, etsi per tropum ad eam significationem trahi possit, nusquam tamen sic usurpata legitur. Adde quod de moribus Judaizantium, non de doctrina, nunc agit Apostolus: sicut et parte praecedenti et sequenti. Quare cum Graecis hunc sensum reddimus: Et qui gloriantur in iis, quorum ipsos oportebat pudere, id est, in flagitiis et male factis: juxta illud Prov. 2. *Qui laetantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Quod quidem extremae malitiae signum est.

Qui terrena sapiunt. Verbum Graecum, quod interpres vertit, *sapere,* tametsi proprie pertineat ad intellectum, saepe tamen ad affectum refertur. Atque eo sane referendum est hoc loco; sicut et ad Col. 3., ubi dicitur: *Quae sursum sunt, sapite: non quae super terram.* Igitur *terrena sapiunt,* quorum omne studium, et intentio vel solum, vel praecipue versatur circa bona terrena. Id quod carnalium Judaeorum moribus erat usitatissimum.

20. *Nostra autem conversatio in coelis est.* Graece, *nostra enim,* ut haec sit connexio: Nos autem non sic, *nam nostra conversatio in coelis est.* Vel: Merito vos invito, et ad nostri imitationem invitavi verbis superioribus. Nostra enim etc. Dicit *nostra,* in sua persona simul et imitatorum sui. Pro *conversatione* Graece est πολίτευμα, quae vox significat conversationem civilem, id est, civium inter se: tanquam dicat Apostolus: Civitas nostra, in qua ut cives conversamur, in coelis est: itaque nos non terrena sapimus, sed coelestia; hoc enim est conversationem habere in coelis, coelestia sapere, quaerere, meditari. Locus similis Heb. 13. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Graece: *Ex quo et Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum.* Cajetanus illud: *Ex quo* referri posse negat ad coelos, numero repugnante: refert autem ad totum hoc, quod est conversari in coelis, quasi sensus sit: Nos per conversationem coelestem expectare Salvatorem etc. Verum alii omnes tam Graeci quam Latini ad coelum, vel coelos referunt, ubi Christum corporaliter esse credimus, et unde eum et Salvatorem expectamus. Idque multo rectius. Sic enim et ad Coloss. 3. ait: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Sensus igitur est: Ex quo coelo, vel, ex quibus coelis, etiam expectamus venturum Christum Dominum, Salvatorem ac remuneratorem nostrum: nimirum, ut plenam nobis salutem, praemiumque referat: juxta ea quae sequuntur de corporis nostri reformatione. Caeterum Cajetano facile respondetur, Apostolum more suo neglexisse constructionem grammaticam: et eo magis, quod Graecum vocabulum indifferenter utroque numero soleat usurpari in scripturis. Tametsi etiam sic exponi potest: *Ex quo loco,* quod eodem recidit.

Hic monendus es lector: *Salvatoris* vocabulum literatis plerisque non placere, et imprimis Erasmo, qui in vertendo novo testamento, quoties Graeca vox σωτὴρ occurrit, aut *servatorem* pro ea reddit, aut periphrasi quadam utitur, dicens, *cum qui dat salutem:* quod et alii quidam imitati sunt. Negant enim *Salvatorem* Latine dici, quod nec Cicero, nec omnino quisquam eorum, qui Latinitatis auctores habentur, eo vocabulo usus legatur. Quibus ex adverso nos dicimus: Si dictio *Salvator* non recipitur in ea, de qua agimus, significatione, ut σωτῆρα nobis referat, nullam prorsus aliam exstare apud Latinos, quae id praestet. Testatur hoc ipse Cicero actione 4. in Verrem his verbis: Itaque eum non solum patronum istius insulae, sed et Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latine uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. Haec ille. Ex quibus etiam disce magnum quiddam esse, quod *Soteris* nomine significatur:

ut pro eo *servatoris* vocabulum sufficere non possit. Quare quod in omnibus fit disciplinis, ut qui eas tradunt, propria quaedam vocabula ad artem accommodata sibi fabricent, ubi consueta non suppetunt: id utique religio Christiana tanto potiori jure sibi vendicat, quanto sunt ejus mysteria a sensu humano remotiora. Jam si dandum erat vocabulum Latinum Graeco respondens, et vim ejus explens: quoniam σωτὴρ is dicitur, auctore Cicerone, qui salutem dedit: quid proclivius, aut convenientius, quam ut a salute salvator diceretur?

Recte igitur Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. dicit, hoc verbum linguam Latinam antea quidem non habuisse, sed habere potuisse: sicut habuit quando voluit. Hoc ille. Etenim ipso usu factum est juris ecclesiastici. Unde et Hieronymus futiles istos criticos nihil veritus eo utitur frequentissime in sua versione Bibliorum, in qua servatorem nusquam leges: nisi Prov. 24., ubi sic habet: *Servatorem animae tuae nihil fallit.* Sed ibi servatorem dixit pro eo, qui custodit aut observat: non pro eo, qui dat salutem, ut patet ex Hebraeo.

Quocirca refugere vocabulum, quod tota retro antiquitas Patrum Latinorum in perpetuo usu habuit: quid est aliud, quam plus omnibus illis sapere velle? Adde, quod analogia derivationis ita defendit ist , Salvus, salvo, salvator: sicut haec, Servus, servo, servator. Quod si voces ipsas lubet expendere: *servator* is dicitur, qui servat, quod periturum erat. Unde servi olim dicti, id est, in bello servati, cum potuissent occidi. *Salvator* autem, qui salvum facit, et ut Cicero loquitur, qui dat salutem: utique ei, qui salvus non erat. Hoc autem Christus fecit, non in uno homine, sed in universo genere humano: nec temporariam salutem dando, sed aeternam. Proinde longe plus ei tribuit, qui *Salvatorem* vocat, quam qui *servatorem*.

Idem censeo de verbo *salvare*, a quo *Salvator* deducitur: quod aeque refugit ubique Erasmus, atque ejus loco, ex Graeco verbo σώζειν, reddit servare, salutem dare, salvum facere. Verum Hieronymus in vertendo scripturam sacram, idemque ac caeteri patres Latini in enarrando, vulgatissime utuntur: ac servandi vocabulum in hac significatione pene ignorant. Apud unum Ambrosium lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 6. lego recitata Petri Apostoli verba ex 2. ep. 1. ad hunc modum: *Sic enim abundantius ministrabitur introitus in aeternum imperium Dei et Domini nostri conservatoris Jesu Christi.* Verum hoc non Ambrosii est, sed interpretis, quisquis is fuit, cujus versione pro tempore usus est Ambrosius. Nec quisquam doctus probaverit, *conservatorem* dici Latine, quem Graeci σωτῆρα dicunt. Ita vero probamus in hac significatione verbum *salvare*, ut haec, salutem dare, et salvum facere, quae etiam apud vulgatum interpretem leguntur, haudquaquam refugiamus. Sed de ea re satis.

Obiter observa, Paulum hac parte nonnihil mutare personam. Sicut enim aliquando loquitur in eorum persona, qui vivi reperientur in adventu Domini, ut 1 Thess. 4., ita hic, cum ait: *Unde et Salvatorem expectamus:* eos repraesentat, qui in hac vita constituti Christum de coelo venientem ad judicium verisimiliter expectare poterunt. Quod certe in Pauli tempora non competebat, secundum ea, quae ipse scribit in 2 ad Thess. 2. Qui vero jam mortui sunt, ii non de coelo Christum expectant, sed eorum animae in coelum receptae cum Christo regnant; quamvis et ipsi, in die judicii animabus ad corpora reversis, Christo de coelo venienti ituri sint obviam in aëra. 1 Thess. 4.

21. *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Docet, quod et quantum bonum adventu suo Dominus justis omnibus sit allaturus: scilicet gloriam corporum. Graeca sic habent: *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae, ut fiat conforme corpori gloriae suae.* Atque ita ferme legunt tam commentator Ambrosii

titulo, quam verus Ambrosius libr. 5. de fide cap. 7. Sensus: Qui transmutabit corpus nostrum humile, vile, miseriis et corruptioni obnoxium: ut sit tale, quale est corpus ipsius gloriosum. Hanc mutationem significat Apostolus verbo μετασχηματίσει, *transfigurabit:* non quod aliam figuram habitura sint sanctorum corpora, quam nunc habeant, quae fuit quorundam haeresis dicentium nos resurrecturos in globosis corporibus, qualia sunt solis et stellarum: sed quia formae seu qualitates erunt longe diversae. Ad hanc enim significationem facile extenditur σχῆμα Graecum. Unde apud Matthaeum et Marcum hoc mutationis genus *transformatio* vocatur: licet in nostra versione *transfigurandi* vocabulum ibi legatur. Matth. 17. Marci 9. in princ.

Secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia. Pro *operatione,* Graece est ἐνέργεια, quae significat efficaciam, sive operationem efficacem. Item conjunctionis vocula: *Etiam* in Graeco non verbum *possit,* sed verbum *subjicere* proxime praecedit et determinat: quod et videre est in textu Ambrosiano, et apud S. Ambrosium loco jam citato, et in quibusdam vetustis codicibus nostris, nominatim Laudensi. Sensus igitur est, Christum illud facturum per eam virtutis suae efficaciam, qua potest etiam subjicere sibi ipsi (ἑαυτῷ) universam creaturam: imo qua idipsum aliquando facturus est. Nam omnia tandem ei subjicienda esse docent scripturae, Psal. 8. 1 Cor. 15. et Heb. 2. Quod quidem quo sensu accipiendum sit, ex iisdem locis petatur.

Id vero consideratione dignum est, Apostolum hic Filio tribuere, quod alias Patri. Hic enim scribit Filium posse sibi ipsi subjicere omnia: cum alibi dicat, Patrem Filio omnia subjecturum. Ex quo contra Arianos ostendit Ambrosius loco memorato, eandem Patris et Filii potentiam, proindeque eandem essentiam ac divinitatem esse. Recte quoque Graeci monent, in Apostoli verbis argumentationem hujusmodi contineri: Christus efficaciter potest omnia sibi subjicere (nam id reipsa facturus est secundum scripturas jam citatas): ergo potest conformare corpora nostra mortalia corpori suo glorioso: idque adeo facturus est, quia facturum se promisit.

CAPUT QUARTUM.

Itaque fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona [1]) mea: sic state in Domino, charissimi. 2. Evodiam rogo, et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. 3. Etiam rogo et te germane compar [2]), adjuva illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et caeteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae [3]). 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus [4]): Dominus prope est. 6. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae in innotescant apud Deum [5]). 7. Et pax Dei [6]), quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu. 8. De caetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque

[1]) Cap. 2, 16. 1 Thess. 2, 19. [2]) Act. 16, 19. [3]) Apoc. 3, 5. [4]) Tit. 3, 2. [5]) Luc. 18, 1. seq. Ephes. 6, 18. [6]) Cap. 3, 9. Rom. 5, 1.

sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. 9. Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis: occupati autem eratis. 11. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse[1]. 12. Scio et humiliari, scio et abundare: (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati[2]. 13. Omnia possum in eo, qui me confortat[3]. 14. Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meae. 15. Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia[4], nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti[5], nisi vos soli: 16. quia et Thessalonicam[6] semel et bis in usum mihi misistis. 17. Non quia quaero datum, sed requiro fructum abundantem[7] in ratione vestra. 18. Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito[8] quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. 19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum[9], secundum divitias suas, in gloria in Christo Jesu. 20. Deo autem et Patri nostro gloria in saecula saeculorum: Amen. 21. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. 22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt[10]. 23. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro[11]. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Hortatur, ut gaudeant in Domino et assidue cogitent ea, quae sunt pietatis. Laudat eos, quod necessitati suae subvenerant, idque facit ipsorum potissimum causa. Postremo bene iis precatur.

1. *Itaque fratres mei charissimi et desideratissimi.* Prosequitur exhortationem cum amica et honorabili allocutione, laudem eorum continente. Graece, *dilecti et desiderati:* quae tamen in Graeco nomina verbalia sunt, non participia, quasi dicat amabiles et desiderabiles: id est, quos merito amet, quorumque praesentia frui desideret. Sic enim dixit cap. 1. *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.*

Gaudium meum, et corona mea. Vocat eos *gaudium suum*, quia de eorum fidei constantia gaudebat: quanquam hoc gaudium adhuc augeri vult per eorum profectum. *Implete*, inquit, *gaudium meum* cap. 2. *Coronam autem suam* eos vocat, quod essent, vel ornamentum capitis ejus, de quo gloriari posset: vel potius, quia pro labore praedicationis evangelicae, qua eos ad Christum adduxerat, coronam a Deo expectabat: de qua 2 Tim. 4. *Reposita est mihi corona*

---

[1] 1 Tim. 6, 6. [2] 1 Cor. 4, 11. 2 Cor. 11, 27. [3] Ephes. 6, 10. [4] Act. 16, 10. [5] 2 Cor. 11, 8. seq. [6] Act. 17, 1. [7] 2 Cor. 9, 6. 12. Prov. 19, 17. [8] Cap. 2, 25. [9] 2 Cor. 9, 8. [10] Cap. 1, 13. seq. [11] Rom. 16, 24.

justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die. Similis locus est 1 Thess. 2. in fine.

Sic state in Domino, carissimi. Hoc est: Quod paulo ante admonui, ut sitis unanimes in fide Christi: in eo perseverate. Aut, secundum Graecos, sicut hactenus immoti et firmi statis in fide, sic deinceps persistite ob spem gloriae a Christo expectandae. Repetit autem, *carissimi,* sive *dilecti,* quo magis exprimat amoris sui erga eos affectum.

2. *Euodiam rogo et Syntychem deprecor, id ipsum sapere in Domino.* Legendum *Euodiam.* Sic enim non solum habent Graeci et Syri codices, verum etiam legunt veteres Latini expositores suffragantibus item manuscriptis exemplaribus nonnullis et editione Clementina. Porro in Graeco ejusdem verbi repetitio est: *Euodiam obsecro,* et *Syntychen obsecro:* vel: *Euodiam hortor,* et *Syntychen hortor.* Apparet autem has duas feminas apud Philippenses fuisse primarias ecclesiae cooperatrices, inter quas aliquid dissidii coortum fuerit. Eas rogat et hortatur, *ut idem sapiant,* sive sentiant, *in Domino:* id est, ut concordes sint in charitate Christi. *Idem sapere* pro eo, quod est concordes esse, jam supra legimus cap. 2. et 3. et alibi.

3. *Etiam rogo et te germane compar.* *Etiam,* Graece ναὶ, Latinis quoque receptum affirmandi adverbium est, non conjunctio copulans. Proinde alii clarius vertunt: *Sane rogo et te compar germane.* Est autem hic verbum a superiore diversum, ἐρωτῶ, quod tantum *rogo* significat. Jam pro eo, quod Latina versio habet, *germane compar,* vel, recto ordine, *compar germane,* Graece est σύζυγε γνήσιε: quod ad verbum sonare videtur prima fronte: conjux germane, vel feminino genere, conjux germana. Nam Graeci vocativi, licet terminationem habeant masculinam, tamen etiam femininum genus admittunt: sicut Erasmus probat in annotationibus.

Hinc igitur orta celebris quaestio de uxore Pauli. Quod enim uxorem habuerit, eamque adhuc eo tempore viventem, quo hanc scripsit epistolam, ex isto potissimum loco, ubi eam alloqui videtur, colligunt quidam neoterici: adeo ut Faber Stapulensis ausus fuerit vetere: ingenua conjux. Quam etiam versionem suam late mordicusque defendit in comment. Erasmus quoque, licet in annotationibus ambigue disputet de hac re: vertere tamen non dubitavit, feminino genere, compar germana. Quod et approbat in paraphrasi, Paulum ita loquentem faciens: Quin et te rogo vera, germanaque conjux. Eadem interpretatio Cajetano et Catharino placuit. Quorum rationes, seu conjecturas apud ipsos videre est, neque enim magni sunt momenti: ut nec illae, quas Erasmus et Faber pro hac sententia adferunt.

Quod enim ad Graecum textum attinet: neutrum vocabulum proprie femininum est, sed alterum quidem commune, alterum vero masculinum: quod licet Attico more pro feminino possit usurpari, non tamen verisimile est, a Paulo factum id esse, ut qui imperitus erat sermone, nec Atticismis utebatur. Certe ad tollendam sermonis ambiguitatem potius dixisset γνησία quam γνήσιε, si mulierem se alloqui significari voluisset: quomodo Aristoteles Atheniensis philosophus etiam extra amphiboliam lib. 9. hist. animal. cap. 32. dixit γυναῖκα γνησίαν, non γνήσιον, significare volens uxorem germanam et legitimam. Unde non inepte (quod putat Erasmus) commentarium de uxore Theophylactus refellit, cum dicit, Apostolum, si suam uxorem intelligi voluisset, debuisse dicere genere feminino γνησία σύζυγε. Pariter autem, quamvis non eadem ratione, commentarium illum reprobant Chrysostomus, Theodoretus et Oecumenius, stultum esse dicentes, in his verbis suspicari carnale conjugium Pauli. Quin et catena Genevensis, etsi ex haereticis auctoribus conflata, versionem tamen femininam, una cum expositione de uxore Pauli, rejicit, et contrarias ratiunculas dissolvit.

His adde, quod multi veterum diserte negant Paulum uxorem habuisse, ut

Tertull. lib. 1. ad uxorem cap. 3. et in libro de monogamia cap. 3. et 8., Hilarius in Psalm. 127., Epiphanius haeresi 58., quae est Valesiorum, Ambrosius in exhort. ad virgines, Hieronymus lib. 1. contra Jovin. et in epist. 22., quae est ad Eustoch. de custodia virg., Augustinus lib. de gratia et lib. arbit. cap. 4., lib. de bono conjug. cap. 10., lib. 1. de adult. conj. cap. 4. et de opere mon. cap. 4. Nec quisquam Patrum invenitur diversum sensisse, uno excepto Clemente Alexandrino, qui lib. 3. Stromatum circa medium, cum ex hoc loco, tum ex illo 1 Cor. 9., ubi scriptum est: *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi* etc., probare se putat Paulum uxoratum fuisse, tametsi continentem. Quam ejusdem auctoris sententiam referunt quidem Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 24. et Nicephorus lib. 2. cap. 44. et ante eos tacito nomine auctoris Origenes, exponens illud Rom. 1. *Paulus servus Jesu Christi.* Sed ita referunt, ut tamen non approbent.

Verum unius Clementis presbyteri (cujus opera a Gelasio pontifice censentur inter apocrypha) privata opinio caeterorum omnium Patrum constanti assertioni praeponderare non potest. Nam quod ad locum attinet epistolae 1. ad Cor. 9., de eo plene respondimus in ejus epistolae expositione. Et quidem Paulum vitam egisse caelibem ex ejusdem epistolae cap. 7. luculente monstravimus, ubi ait: *Volo omnes homines esse, sicut meipsum.* Et rursum: *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego.* Nec vero quisquam adeo vecors erit, ut dicat post illud tempus (scriptae sunt enim epistolae ad Corinth. multo ante epistolam ad Philipp.) Paulum accepisse uxorem; nam id non solum indignum est, de eo cogitare, tanto Apostolo, jamque aetate provecto ac senescente: verum etiam pugnasset cum ipsiusmet exhortatione ad Cor. facta, in qua suum illis proposuerat exemplum ad continentiam perpetuam.

Opponitur quidem et Ignatii martyris auctoritas, in cujus epistola ad Philadelphios habeatur, Petrum et Paulum et reliquos Apostolos conjugatos fuisse, excepto Joanne. Sed inane esse hoc argumentum probant vetusta exemplaria ex diversis ac diversarum regionum bibliothecis deprompta: quae Pauli nomen non habent adscriptum: quemadmodum ostendunt Turrianus lib. 1. contra Magdeburgenses cap. 2. et in defensione constit. Apostolicarum Clementis ad lib. 6. cap. 18., Pamelius in Tertul. de monog. scholio 13., Bellar. lib. 1. de clericis cap. 20. et Baronius tom. 1. Annalium, ad annum Christi 57. Cujus etiam rei certum argumentum (ut alias omittam conjecturas, quas bonas et solidas adfert Baronius) sumitur ex eo, quod loquitur Ignatius de Apostolis, qui cum Christo fuerant conversati, qualis utique Paulus non fuit. Porro citat huc Catharinus etiam testimonium ex revelationibus Brigittae, quod non vult temere sperni. Sed absque temeritate ei respondetur, ecclesiam eas revelationes ignorare.

Jam quod ad praesentem Apostoli locum attinet, ratio non permittit eum de Pauli uxore intelligi. *Primum,* quia minime decebat, ut in epistola, quam ad totam ecclesiam Philippensium dabat, hac uteretur apostropha, qua ita singulariter uxorem suam compellaret. *Deinde,* si id voluisset: certe non appellasset eam uxorem, seu conjugem, sed sororem, scilicet ad insinuandum, quod inter ipsos, ut omnes fatentur, jam cessaret carnale commercium. *Denique,* etsi conjugem adhuc superstitem habuisset: non eam secum traduxisset in Graeciam aut Macedoniam: praesertim cum alibi neget se sororem mulierem circumducere, nec ratio erat, cur illam Philippis sineret morari, in qua urbe non diu versatus fuerat: sed potius eam reliquisset Hierosolymis, aut in sua, vel ejus patria, apud agnatos Christianos, ut recte ratiocinatur Oecumenius.

Igitur ut ad declarationem verborum textus revertamur, pro ejus intellectu sciendum est: Apostolum passim in epi-

stolis suis uti metaphoricis locutionibus, quod notius est, quam ut probatione egeat. Hinc autem est, quod suos in evangelio adjutores translatitiis vocibus varie nominet: ac saepissime quidem cooperarios, Graece συνεργοὺς, ducta metaphora ab operis agrariis aut fabrilibus. Unde cum dixisset 1 Cor. 3. *Dei sumus cooperarii*, explicans latentem metaphoram, subjunxit: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.* Ubi et mox seipsum architectum vocat. Interdum vero metaphoram a militia sumens, commilitiones eos appellat.

Ac ne longius abeamus, utriusque exemplum haec ipsa epistola subministrat: nam Epaphroditum cap. 2. cooperarium simul et commilitionem suum vocat. Et rursus in hoc capite Clementis et caeterorum συνεργῶν suorum meminit. Interdum quoque de eis ut synathletis loquitur, id est, certaminis sociis, quale est pugilum, aut disco, luctave certantium. Atque hujus exemplum habemus hoc ipso capite. Quod enim ait: *Quae mecum laboraverunt in evangelio*, eam quam dixi in Graeco significationem habet, ut infra explicabitur.

Ad eundem igitur modum hoc loco quemdam insignem suum adjutorem vocat γνήσιον σύζυγον, id est, germanum ac sincerum conjugalem: sumpta nimirum metaphora a jumentis, praesertim bobus, in aratro trahendo vel alio opere conjunctis ac combinatis. Hujusmodi enim par proprie significatur Graeco vocabulo ζυγὸς, quod Latini *jugum* vocant. Unde illud evangelicum: *Juga boum emi quinque*, Luc. 14. Haec autem metaphora bene congruit cum eo, quod ad Cor. dixerat: *Dei agricultura estis:* nam in agricultura praecipuus labor esse solet boum conjugatorum seu conjugalium, ut interdum vocantur etiam a Latinis auctoribus.

Quocirca Macarius Aegyptius monachus scribit, LXX. discipulos, quos Christus misit binos ad praedicandum, missos fuisse συζύγους, id est, conjugales, tanquam paria jumentorum sub uno jugo laborantium. Neque enim Graeca vox proprie significat eos, quos Latine conjuges vocamus, id est, maritum et uxorem: sed generatim eos, qui socii sunt ejusdem operis, velut idem jugum trahentes. In qua significatione etiam profani auctores Graeci vocabulum hoc usurparunt, ut Aristophanes, Plato et alii. An autem Graeca vox aliquando dicatur de marito et uxore, nondum compertum habeo. Est vero huic metaphorae boum conjugatorum admodum affinis et illa boum triturantium, qua idem Apostolus utitur non semel, cum illud ex lege: *Non alligabis os bovi trituranti*, interpretatur de praedicatore evangelico 1 Cor. 9. et 1 Tim. 5.

Porro quod Latini quidam, ut Primasius et auctor commentarii apud Hieronymum, eosque secuti Liranus et Carthusianus, existimant, Germanum esse proprium nomen viri, falli in eo videntur. Nam Graeca dictio γνήσιος appellativa est: qua et alibi utitur Apostolus, ut in salutatione ad Tim. 1. et ad Tit. vocans eos germanos ac sinceros filios. Oecumenius putat dici posse, alterum vocabulum σύζυγος esse proprium nomen: sed neque id probabile.

Si quaeras, quem hominem voluerit Apostolus designare: respondet Theophylactus, aut fratrem, aut maritum alterius praedictarum mulierum: aut forte custodem illum carceris a Paulo conversum Act. 16. Alii, unum ex episcopis vel diaconis, quos salutat initio epistolae. Verum nihil certi. Quisquis autem fuerit, multum ab Apostolo honoratur, dum eum vocat *germanum*, hoc est, sincerum *adjutorem ac laboris socium.* Quo nomine jam supra cap. 2. suum Timotheum laudaverat, dicens se neminem alium habere, qui tam germane atque sincere, sic enim in Graeco est, pro Philippensibus solicitus esset. Illum igitur virum, tacito ejus nomine, compellans, rogat ut faciat, quod sequitur.

Adjuva illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio. Duas feminas intelligit, quas modo nominavit. Illae, inquit, versantur in opere ad utilitatem ecclesiae pertinente: hoc opus et tu cum iis cap-

esse, easque adjuva. Tale quid enim significat Graecum verbum συλλαμβάνου. Quamquam etiam verti potest, *suscipe eas:* quomodo vertit interpres Theophylacti, ut sensus sit: Suscipe earum infirmitatem, easque inter se reconcilia. Sic enim Theodoretus exponit. Quod autem sequitur: *Quae mecum laboraverunt in evangelio*, tale est ac si diceret: Nam profecto dignae sunt hac mea commendatione, quia cum apud vos essem, *mecum laboraverunt,* sive ut in Graeco est, *decertarunt,* evangelii causa. Significatur autem certamen, quale est athletarum, id est, ut vehemens ac laboriosum. Unde non incommode vertit noster interpres, *laboraverunt.* Sic de Prisca et Aquila dicit Rom. ult., quod *pro ipso cervices suas supposuerant.* Non enim mulieres in evangelio collaborasse Paulo putandae sunt, quasi ipsae evangelium simul cum eo praedicaverint: sed quia propter evangelii negotium promovendum ac defendendum, labores et pericula subierant. Hic observanda est in Graecis verbis ex praepositione σὺν compositis quaedam allusio, quasi dicat Apostolus: Adjuva eas, quae me adjuverunt in certamine; vel: Suscipe eas, quae me susceperunt officio suo usque ad periculum.

Cum Clemente et caeteris adjutoribus meis. Graece *cooperariis meis.* Non est sensus: Laboraverunt mecum, atque etiam laboraverunt cum Clemente et adjutoribus meis. Sic enim in Graeco idem casus dativus retinendus fuisset, quod non est factum: sed sensus est, eas mulieres una cum Clemente caeterisque Pauli cooperariis Paulo socias et adjutrices fuisse laboris ac certaminis in evangelio. Hinc colligitur, etiam Clementem Philippis adfuisse Paulo, quando propter evangelium periclitatus est, ut scribitur Act. 16. Non enim apparet, de quo alio certamine possit hic locus accipi. Porro Clementem hunc Hieronymus in lib. de script. eccles. et Primasius in comment. eum intelligunt, qui post Petrum Romanae ecclesiae praesedit. Quibus et ipsa ecclesia consentit, dum locum hunc inter missarum solemnia recitat in festo ejusdem beati Clementis.

Quorum nomina sunt in libro vitae. Hoc est, de quibus bene et merito confido, propter piam operam quam evangelio praestant, quod eorum nomina scripta sint in libro vitae; ne quis hinc suspicetur (quod non est verisimile), Paulo revelatam fuisse divinitus illorum praedestinationem. Etenim per librum vitae tam hoc loco, quam Apoc. 20., metaphorice significatur notitia Dei, qua firmiter in mente retinet eos, quos ad vitam praedestinavit aeternam. Nominis rationem docte explicat S. Thomas in comment. et 1. q. 24. a. 1. Adjecit autem Apostolus hanc partem, ne, quia solum Clementem et duas mulieres nominaverat, caeteri cooperarii ejus offenderentur, quod nominati non essent, quasi dicat, quorum multo felicius alibi scripta nomina, quam si hic adscriberentur. Scripta sunt enim in libro vitae.

4. *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete.* Verbum Graecum χαίρετε significat etiam: *Valete,* atque eo modo Faber transtulit parum memor Apostolicae consuetudinis, qua passim in epistolis suis gaudium spirituale commendat, atque ad illud fideles hortatur, ut Roman. 12. *Spe gaudentes,* 2 Cor. 6. *quasi tristes, semper autem gaudentes* etc. 13. *De caetero, fratres, gaudete,* et 1 Thess. 5. *Semper gaudete.* Quin et in hac epistola capite superiori jam dixerat: *De caetero fratres mei gaudete in Domino:* hoc ipsum igitur, atque eodem sensu nunc iterum inculcat. Nam quia Philippenses in magnis propter evangelium versabantur afflictionibus: Apostolus non contentus semel eos excitasse ad gaudendum in Domino, eandem exhortationem hic ante finem epistolae repetit atque congeminat, utens eleganti schemate, quod epanalepsin vocant.

Dicit autem, *semper gaudete:* sicut alibi praecipit semper et sine intermissione orare; et sicut ipse initio hujus epist. nec non Rom. 1. Ephes. 1. Col. 1. et initio utriusque epist. ad Thessal. dicit, se pro iis, ad quos scribit, Deo semper

gratias agere, eorumque memoriam apud Deum semper habere. Sensus igitur est: Quam frequentissime excitate ac renovate in vobis gaudium spirituale, recolentes animo ineffabile beneficium vocationis vestrae, qua vocati estis per fidem in spem vitae et gloriae aeternae. Haec enim omnibus piis justissima gaudendi causa est, maximumque solatium, etiam in mediis periculis et pressuris; tametsi et de eo ipso gaudendum erat Philippensibus, quod, ut habetur cap. 1., *donatum illis esset, non solum credere in Christum, sed etiam pro eo pati:* quemadmodum et de Apostolis scriptum est Act. 5., quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quo spectat et illud Jacobi Apostoli praeceptum: *Omne gaudium existimate, cum in tentationes,* id est, tribulationes, *varias incideritis.*

5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Pro modestia Graece est, τὸ ἐπιεικὲς, adjectivum neutrum substantivi loco positum; quomodo Graece dicitur τὸ πρέπον, quod Latini decorum vocant. Significat autem τὸ ἐπιεικὲς vel ἐπιείκεια eam vitae ac morum compositionem, qua quis cum aliis hominibus omni justitia, aequitate, modestia, facilitate conversatur, quam et Ambrosianus rationabilem conversationem exponit. Idem nomen eodem significatu est apud Apostolum Tit. 3. vers. 2. et alibi. Hanc autem virtutem (si tamen una virtus est, et non potius multarum complexio) exigit Apostolus a fidelibus agentibus inter infideles, ut per hanc eorum conversationem bene ubique audiat nomen Christianum. Unde et Petrus 1 epist. 2. ait: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

Nonnulli modestiam interpretantur animi moderationem, qua etiam dura quaeque patienter ac moderate feruntur: quia, inquiunt, agitur hoc loco de tribulationibus. Atqui hic intellectus non videtur explere vim Graeci vocabuli, neque perinde convenire cum eo, quod dicit: *nota sit omnibus hominibus,* quod quidem in priorem acceptionem optime quadrat. Hic igitur aliis verbis monet Philippenses, quod jam ante monuerat cap. 2., *ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

Dominus prope est. Iterum consolatur. Afflictiones, inquit, hujus vitae non diu durabunt: cito veniet tempus retributionis a Domino: quapropter jubeo vos omnes, bono et laeto esse animo. Alii sic exponunt, *prope est Dominus,* id est, paratus ad succurrendum vobis in omni necessitate, si tamen eum invocaveritis, juxta illud Psalm. 144. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* At magis verisimile est, Apostolum de judicio loqui et suo more per *Dominum,* Christum intelligere: de quo etiam paulo ante dixerat, eum de coelis adfuturum remuneratorem piorum. Et quamvis de extremo judicio loquatur sicut alibi saepe: verificatur tamen sententia per judicium particulare, quod fit in morte cujusque: quia talis quisque judicabitur in universali judicio, qualis in morte repertus et judicatus fuerit. Vide Hebr. 10. vers. 25.

6. *Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Illud: *In omni* videtur prima facie jungendum *cum oratione et obsecratione,* et id vult textus Ambrosianus, qui sic habet: *Sed per omnem orationem et precem.* Verum Graeca manifeste reclamant. Est enim παντὶ neutrius generis, cum sequentia substantiva sint feminini: proinde Graeci interpretes subaudiunt πράγματι, in omni re seu negotio. Opponit enim Apostolus quod dicit: *in omni,* ei quod dixerat: *nihil;* quare utrumque de re accipiendum est. Illud etiam observandum, quod cum supra monuisset Philippenses, quid eorum vellet innotescere omnibus hominibus: non injucundo schemate nunc subjicit, quid velit innotescere Deo.

Sensus itaque est: De nulla re, quae vobis aut desit, aut contingat, anxie sitis soliciti, quasi diffidentes paternae providentiae Dei; sed quacunque re opus habueritis, et in quacunque occurrente necessitate, recurrite ad Deum orando et obsecrando, ut tribuat id, quod petitis; simul et gratias agendo de acceptis. Quod enim ait: *Innotescant apud Deum,* improprius est sermo, qui secundum Aquinatem sic explicari potest: Fundite devotas et ferventes ad Deum preces, quae dignae sint exaudiri, et quae probentur Deo. Dicitur enim Deus scire ea, quae probat; nescire, quae improbat. Qua de re vide etiam Augustinum epist. 112. ad Probam de orando Deo.

Porro *petitiones* aut sunt desideria animo concepta, quae quodammodo notificantur Deo, quando oratione explicantur; oratio namque est sanctorum desideriorum ad Deum elocutio: aut sunt ipsa postulata, id est, res, quae oratione et obsecratione petuntur. Inter *orationem* autem et *obsecrationem* quid sit discriminis, haud plane constat, si de Graecis vocibus agatur. Dictum est aliquid ea de re super Ephes. 6., sed amplius dicetur ad 1 Tim. 2., ubi eadem vocabula leguntur ordine commutato. Addit autem Apostolus: *cum gratiarum actione,* nam, ut ait Chrysostomus, quomodo petet quis futura, qui de praeteritis gratiam non habet?

7. *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum.* Graece, νοῦν, id est, *mentem,* ut legit Ambrosianus, sive intellectum, ut legit Augustinus Ench. 63. et in epist. 121.

Custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. Graece et Syriace, *custodiet:* quemadmodum apparet etiam Ambrosianum legisse: tametsi ex commentariis Chrysostomi, Theodoreti et Theophylacti prorsus appareat in eorum codicibus scriptum fuisse: *custodiat.* Dicunt enim, Apostolum hic precari Philippensibus pacem. Atque eo modo vertit etiam Stapulensis. *Pacem Dei* interpretantur Graeci reconciliationem, quam Deus cum hominibus fecit: de qua Apostolus multa ad Eph. 2. Haec pax, secundum eosdem auctores, *omnem intellectum superat,* quia omnem opinionem et expectationem humanam excedit, quod Deus pro inimicis sibi reconciliandis filium suum dederit in mortem.

Quod vero sequitur: *Custodiat corda vestra* etc., quia minus commode ad pacem, id est, reconciliationem refertur: ideo supposito mutato ad Deum referunt, hoc sensu: Qui nos tam incogitabili et insperato beneficio sibi reconciliavit, idem ipse custodiat vos et muniat, ne quid mali velitis aut cogitetis.

Caeterum Augustinus hunc Apostoli locum tractans Ench. 62. et 63. duos alios sensus adfert, *unum,* quo pax Dei intelligatur ea, qua secundum eundem Apostolum Ephes. 1. et Col. 1. coelestia cum terrestribus, id est, angeli cum hominibus pacificantur: et hanc pacem excellere dicit omnem intellectum humanum, non tamen angelicum, id est, eorum, qui semper vident faciem Patris. *Alterum* vero sensum, quem priori praefert, ut pax Dei sit illa, qua de Deo beata est intellectualis creatura. Quae quidem pax, ut ait, non humanum tantummodo, sed omnem creatum excedit intellectum, quia a solo Deo comprehenditur. Verum et huic utrique interpretationi, praesertim posteriori, parum apte cohaeret particula sequens: *Custodiat corda vestra* etc., quae omnino videtur ad praesens saeculum referenda esse.

Quocirca alii *pacem Dei* interpretantur tranquillitatem animi, quam homo habet in Deo per reconciliationem et praeceptorum ejus observationem: ita ut pulso foras timore, libera et quieta conscientia Deo serviat, cum laeta et suavi expectatione felicitatis aeternae. Haec enim pax Dei est, quantam assequi potest homo in hac vita; eademque superat omnem intellectum nostrum, quia quantum bonum sit illa pax, dum hic vivimus, mente comprehendere non possumus. Congruit hic sensus cum superioribus praeceptis, quibus jussit eos, semper in Domino gaudere,

nihilque solicitos esse, sed omnia per orationes a Deo expectare. Nam ex his oritur et constat pax illa.

Optat igitur Apostolus, ut *ea pax custodiat ipsorum corda et intelligentias per Christum: corda* quidem, id est, affectus seu voluntates, ne a bono declinent: *intelligentias* autem, id est, cogitationes mentis, ne devient a vero. Sic enim exponit S. Thomas. Quod si legamus assertive, *custodiet;* hic erit sensus non minus commodus: Si feceritis, quae dixi, tum futurum est, ut pax Dei superans omnem intellectum, custodiat, tueatur ac muniat instar valli cujusdam aut praesidii (tale quid enim significat Graecum verbum φρουρήσει) corda et intelligentias vestras per Jesum Christum. Sane lectionem hanc probabiliorem reddit id quod paulo post similiter assertive dicitur: *Et Deus pacis erit vobiscum.*

8. *De caetero fratres, quaecunque sunt vera.* Priusquam epistolam claudat, generale subjicit praeceptum, multa summatim complectens ad mores et sanctam conversationem pertinentia. Quod reliquum est, inquit, fratres, quaecunque sunt *vera,* scilicet, cogitate. Quod verbum habetur in fine totius sententiae. Dicens autem, *quaecunque vera,* mendacium et hypocrisim excludi vult ab actionibus eorum.

Quaecunque pudica. Graece σεμνὰ: quae vox significat gravitatem, severitatem et honestatem morum. Unde alii vertunt, quaecunque honesta. Excludit igitur Apostolus hac parte omnem morum levitatem et lasciviam. Ambrosianus legit, *quaecunque magnifica. Quaecunque justa*; vetat ne cui faciant injuriam: significat enim eam justitiam, quae est specialis virtus. *Quaecunque sancta.* Graece, ἁγνὰ, id est, pura, sive casta; ut hac parte prohibeantur carnalia peccata, velut impudicitia, ingluvies, ebrietas. Annotant enim Chrysostomus et Theophylactus hoc dictum contra eos, quorum Deus venter est. Noster interpres in Graeco legisse videtur ἅγια, id est, sancta: quomodo etiam Ambrosianus legit. Quod tamen eundem potest habere sensum; *sanctum* enim dicitur, quod est incontaminatum.

Quaecunque amabilia, id est, talia, per quae sitis amabiles hominibus. Nihil sit in moribus asperum, quod offendat eos, cum quibus conversamini. *Quaecunque bonae famae.* Vult ut ea agant, quae bonam famam et existimationem pariant apud homines: ab iis autem, quae famam laedere possent, caveant. Interest enim divini honoris, ut Christianum nomen bene audiat: sicut supra dictum est ad illud, *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

Si qua virtus. Graece ἀρετή. Quae vox, etsi philosophis aliisque scriptoribus saecularibus notissima, nusquam tamen in scriptura novi testamenti legitur, praeterquam hoc loco, et 1 Petr. 2., ubi dicitur, *ut virtutes annuncietis,* etc. Legitur etiam in lib. Sap. 5. et 8. Significatum ejus generale est vitio oppositum. Praecipit igitur Apostolus, ut pro ratione temporum ac rerum in omni genere virtutum se exerceant, ac nihil agant virtuti contrarium.

Si qua laus disciplinae. Graece et Syriace tantum est: *Et si qua laus:* id est, ea facite, quae laudem apud homines mereantur, non quae reprehensionem. Non vult, ut laudem humanam appetant: sed ut ea, quae laude digna sunt, faciant, quatenus per hoc Deus glorificatur, juxta id, quod Christus ipse praecipit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.* Matth. 5. Particulam *disciplinae,* nonnulli etiam Latini codices manuscripti non agnoscunt: et videntur Ambrosianus et Pelagius non legisse, quia non exponunt. Item Primasius et Sedulius non habent: sed laudem interpretantur, alter tolerantiae, alter bonae conversationis, nulla disciplinae facta mentione. Quanquam sic intelligi potest laus disciplinae, id est, disciplina morum laudabilis: uti post S. Thomam Lyranus exponit.

Haec cogitate. Absolvit sententiam:

praecipiens, ut omnia, quae jam dixit, assidue cogitent ac meditentur, atque in iis se exerceant, diligenter caventes, ne ab ea regula deflectant. Hujusmodi enim *cogitationem* significat Apostolus: et hoc modo cogitare, seu meditari, frequens est in veteri scriptura. Unde Psalmista beatum praedicat eum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.

9. *Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.* Duo priora verba ad doctrinam pertinent, reliqua duo ad exemplum. Ubi rursus se ipsum imitandum eis proponit: quod non poterant pseudapostoli, utpote moribus admodum corrupti, quemadmodum ex capite praecedenti liquet. Itaque tacite etiam hic illorum improbam vitam perstringit. Quod ultimo loco dicit, *in me,* ad singula verba aptandum est, hoc modo: Quae et didicistis a me, et accepistis a me, hoc est, quae ego vos docui ac vobis agenda tradidi; quae et audistis de me absente, et vidistis in me praesente; quasi dicat, haec a vobis exigo, quae et docui vos, et tam absens quam praesens opere atque exemplo monstravi.

Haec agite. Repetitio est: haec, inquam, agite, Graece est, πράσσετε, a quo praxis. Exponit enim, quod dixerat, *haec cogitate,* ut ostendat non nudam cogitationem se exigere, sed eam, quae cum actione, seu praxi sit conjuncta. *Et Deus pacis erit vobiscum.* Sensus: Quae si feceritis, Deus auctor pacis erit vobiscum per insigne illud et incomprehensibile donum ejusdem pacis, de qua paulo ante. Id est, eam pacem Deus vobis cumulabit.

10. *Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire.* Transit ad gratiarum actionem: ubi primum laudat Philippensium erga se benignitatem, sed ita tamen, ut tacitam expostulationem admisceat, dum significat, eos aliquamdiu a submittendo subsidio cessasse. Quod tamen rursus ita facit civiliter, ut culpam officii ab iis dilati statim excuset per incommoditatem temporis. Illud, *tandem aliquando,* Graece est, jam aliquando, vel jam tandem: ne valde longam temporis moram significatam quis existimet.

Porro Graecum verbum, quod interpres transtulit, *refloruistis,* proprie significat revirescere, iterum germinare ac pullulare. Unde alii vertunt, *reviguistis.* Est itaque sensus: magnopere gavisus sum in Domino, id est, magno affectus sum gaudio spirituali et christiano (nam hujus gaudii causa Apostolo erat fructus Philippensium, ut infra declaratur), quod jam tandem, velut post ariditatem aut post hyemem, revirescentes, iterum incepistis, pro me soliciti esse, meique curam habere: quemadmodum probat missum a vobis subsidium per Epaphroditum. Nam eo respicere Apostolum patet ex sequentibus.

Sicut et sentiebatis. Graece, *in quo et sentiebatis,* sive *soliciti eratis,* quod etsi alii aliter interpretentur, putamus tamen praeferendum id, quod nostra versio habet: ut intelligatur similitudo significata per illud, *in quo.* Sic enim ostendebamus recte exponi illam partem capitis superioris: *In quo et comprehensus sum.* Non est autem sensus: *Sicut olim sentiebatis,* aut *sicut soletis sentire pro me,* id est, mei curam habere; quemadmodum nonnulli exponunt. Nam huic sensui non respondet particula sequens: sed correctio quaedam est ejus quod dixerat, *tandem aliquando refloruistis* etc., quasi dicat: Non hoc dico, quasi pristinum erga me affectum ad tempus intermisisse vos putem, aut mei fueritis aliquando obliti: imo vero tunc etiam *pro me sentiebatis,* id est, animum gerebatis pro me solicitum: nec deerat largiendi voluntas, sed opportunitas; hoc enim est, quod sequitur.

Occupati autem eratis. Id est, opportunitatem non habebatis. Nam verbum Graecum significat opportunitate destitui, commodum tempus non habere. Hoc autem quia contingere solet per occupationes: idcirco noster interpres vertisse videtur: *Occupati eratis,* quod et apud Ambrosianum legitur. Chrysostomus et Theophylactus hanc importunitatem temporis intelligunt in eo, quod Philippenses ipsi non abundabant: non enim oppor-

tunum est dare, cum non habeas. Sed rectius est, ut cum Theodoreto, Oecumenio et aliis intelligamus defectum opportunitatis in genere: velut cum non est in promptu, qui munus perferat. Jam ex data explicatione collige, non ideo dicere Apostolum, Philippenses in solicitudine ipsius refloruisse, aut vigorem recepisse, quod interim aridi fuissent ac mortui, quantum ad studium Pauli: sed quod hujusmodi studium atque affectus in animo latens non se tunc exeruerit. Est enim metaphora sumpta ab arboribus, quae, cum per hyemem mortuae videantur, eo quod vis earum intus contracta lateat, vere rursus flores ac frondes emittere incipiunt.

11. *Non quasi propter penuriam dico.* Graece, *non quia secundum penuriam dico.* Sensus: non quod haec dicam respectu penuriae: id est, respicere ad penuriam, quam patior, quasi meum commodum hic spectem. Alii κατὰ pro διὰ positum volunt: *secundum penuriam,* id est, *propter penuriam.* Verum sensus utriusque idem est. Non negat Apostolus, se penuriam pati, ut quidam intelligunt, sed negat, se ea quae dixit: *Gavisus sum* etc. propterea dixisse, ut indigentiae suae consuleret, quasi dicat: Non tam gaudeo propter me, cujus indigentiam sublevastis: quam propter charitatem vestram, quam hoc opere ostendistis.

Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Hoc est, ego didici contentus esse iis, quae habeo, tanquam illa mihi sufficiant; hanc enim significationem habet Graeca vox αὐτάρκης. Dicens autem *didici,* significat, hanc rem esse disciplinae et exercitationis, quod quis vivat paucis ac necessariis contentus: atque hujus rei habitum longo usu se assecutum. Id quod diligenter a Graecis annotatum est. Nisi magis placeat, Apostolum his verbis significare, hoc sibi per divinam gratiam esse concessum, quod contentus sit praesentibus. Sic enim *discendi* verbum in sacris literis saepe ponitur, et ei respondens vocabulum *docendi* Deo tributum. Confer sequentia hoc loco.

12. *Scio et humiliari, scio et abundare.* Erasmus vertit: *Novi et humilis esse, novi et excellere.* Eum multi neoterici sequuntur: putant enim, non satis constare antithesin inter haec duo verba, nisi posterius accipiatur, ut in genere praecellentiam significet, sicut humilitas dejectionem. Verum non advertunt, Apostolum Hebraeum, et phrasibus Hebraicis magis quam Graecis assuetum, dixisse *humiliari,* pro eo quod est, tenuiter agere, et rerum ad vitam necessariarum angustiam pati. Sic enim Hebraicum *daca,* id est, humiliari, frequenter accipitur in sacris literis. Et ita hic accipi verbum Graecum, argumento est, quod pro eo paulo post substituit, *penuriam pati,* rursus ei opponens idem Graecum verbum περισσεύειν, id est, *abundare,* quemadmodum et ipse Erasmus eo loco vertendum non dubitavit. Est igitur hujus loci sensus, etiam secundum Graecos interpretes: Utramque fortunam, tenuitatis et abundantiae, novi moderate ferre: scio quomodo me gerere debeam dum premor inopia, et rursum quomodo dum copia suppetit. Scientiam intellige cum affectu et usu conjunctam: nam ita demum consurgit habitus virtutis.

Ubique et in omnibus institutus sum. Graece: *In omni et in omnibus,* quemadmodum et Ambrosianus legit. Theophylactus et Oecumenius ita distinguunt: *In omni,* re: vel *in omni,* tempore: *et in omnibus,* quae intercurrunt: id est, quocunque casu occurrente. Quae distinctio an sit ex mente Apostoli, equidem dubito. Certe sensum ejus bene et Latine protulit noster interpres, dum vertit: *Ubique et in omnibus.* Sentit enim Apostolus se ita institutum, ut quicquid acciderit sive prosperum sive adversum, possit praesenti conditione prudenter uti secundum rectam rationem Deique legem. Dicit autem *institutus sum,* sive *imbutus,* ut est apud Ambrosianum: ut insinuet, id quod mox clarius exprimet, hanc rationem vitae, velut sacrum mysterium, se divinitus edoctum esse. Est enim in Graeco verbum, a quo mysteria dicuntur.

Et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. Hos infinitivos quidam suspendunt a verbo: *Scio,* quod praecessit: atque illud medium, *ubique et in omnibus institutus sum,* parenthesi claudunt. Verum nihil opus est hujusmodi hyperbato: nam optime referuntur isti infinitivi ad proximum verbum *institutus sum,* et continent enumerationem seu partitionem quandam ejus, quod in summa dixerat: *Ubique, et in omnibus.* Sic, inquit, institutus sum, ut pro rerum occasione et saturari possim, et esurire, atque omnino, vel abundare, vel indigere. Latius enim patent haec duo posteriora, utpote pertinentia etiam ad vestitum et caetera, quibus praeter victum opus est. Porro sicut *abundare* novit, non qui res superfluas ad luxum expendit, sed qui moderate et secundum Deum illis utitur, ea, quae supersunt, distribuens egenis: ita *saturari* novit, non qui gulam explet ac ventrem cibo potuque distendit: sed qui ita saturatur, ut metas sobrietatis ac temperantiae non excedat.

13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Graece: *In confortante,* seu corroborante, *me Christo:* vel, sicut Ambrosianus legit: *In eo, qui me confortat Christus.* Quoniam dixerat Apostolus: *didici,* ne existimetur haec, quae de se commemoravit, ad solum exercitium et studium voluntatis suae referre: tum ne videatur arrogantius locutus: totum illud Christo refert acceptum. Sensus est: Omnia jam enumerata, et alia quaecunque perferenda mihi sunt, possum et praesto per eum, qui mihi ad haec omnia vires subministrat, quique omnia haec in me operatur: scilicet per Christum, quasi dicat: Non meum opus est, inquit Theophylactus, sed ejus qui robur dedit, Christi. Considerat hic Apostolus in Christo, non ut alibi saepe, rationem causae meritoriae, sed operantis atque efficientis, quam rationem cum Deo Patre habet communem: ut hinc intelligas, secundum Graecam lectionem, Christum ejusdem esse potentiae cum Deo, et proinde verum Deum.

14. *Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meae.* Graece participium praeteriti temporis est, hoc modo resolvendum, *quod communicaveritis* tribulationi sive afflictioni meae. Sic enim alii dilucidius verterunt: quanquam bene noster. Illud enim participium *communicantes*, ampliatur ad tempus praeteritum, vi verbi principalis. Ne putarent Philippenses se rem supervacaneam aut parum gratam fecisse, quod Paulo pecuniam misissent, ut qui scribat, se non propter penuriam suam gavisum de eorum dono, propterea, quod nosset contentus esse praesentibus, possetque omnia pati: huic falsae suspiciunculae nunc occurrit, rursus eos laudans, eorumque erga se beneficentiam commendans: tanquam diceret, etsi sciam abundare et penuriam pati, et in omnibus institutus sim: vere tamen laboravi rerum penuria in hoc carcere, proinde vos bene fecistis, quod mihi afflicto et egenti res vestras communes feceritis, id est, de facultatibus vestris mihi tribueritis. Hoc enim, secundum usum Scripturae sacrae, significari vocabulo *communicandi*, ex aliis locis facile monstrari potest, velut ad Rom. 12. 2 Cor. 8. et 9. et Gal. 6. Atque eo modo locum hunc intellexerunt Augustinus a Beda citatus et in Glossam ordinariam relatus, Anselmus, Lyranus, Cajetanus, et glossa interlinealis. Quin et Apostolus ipse paulo post hoc modo communicationem accipit, cum ait: *Nulla mihi Ecclesia communicavit.*

Quocirca minus germanum arbitramur eorum commentarium, qui sic exponunt: Quamvis ego non egerem, tamen bene vobis consuluistis mittendo subsidium. Id enim vobis profuit: quia per hoc participes facti estis tribulationis meae, id est, praemii, quod mihi repositum est apud Deum pro afflictionibus, quas patior. Qui tamen sensus, cum sit Chrysostomi et aliorum Graecorum, satis ostendit ex illorum sententia, quod hodie sectarii negant, posse alios aliorum meritis apud Deum adjuvari, dum per charitatis opera reddunt se eorum participes, juxta illud:

Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet, Matth. 10. Caeterum ex eo, quod Apostolus dicit: *bene fecistis,* manifeste retunditur eorum haeresis, qui omnia fidelium, etiam justificatorum opera, dicunt esse peccata. Nunquam enim Apostolus de eo, quod sciret esse peccatum, diceret: *bene fecistis.*

15. *Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio Evangelii.* Scilicet a me vobis praedicati, de quo Act. 16. *Quando profectus sum a Macedonia.* Graece, *quando exivi a Macedonia,* id est, quando Macedoniam, in qua vos estis, reliqui et transivi in Achaiam. Loquitur de primo suo discessu e Macedonia, de quo Act. 17. et 18. Dicit enim, *in principio Evangelii,* nam postea adhuc eum fuisse in Macedonia constat ex Act. 20. Igitur, quae hic dicit, tantum ad illud tempus sunt referenda.

Nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli. Graece: *In rationem dationis et acceptionis,* pro quo textus Ambrosianus habet: *In ratione dandi et accipiendi:* tametsi haec quoad sensum non differunt. Videtur hac parte Apostolus se excusare de eo, quod circa initium praedicationis aliquoties a Philippensibus accepit: eam adferens causam, quod aliae Ecclesiae nihil contulissent. Unde haec excusatio rursus laudem Philippensium continet non exiguam, cum tacita aliorum vituperatione. Vos ipsi, inquit, nostis, et testari potestis, quod quando primum apud vos Evangelium praedicavi, postquam e Macedonia discessissem, nulla Ecclesia mihi quicquam tribuit, quod referre possem in rationes meas, praeterquam vos soli. Dicit autem, *in ratione dati et accepti,* alludens scilicet ad rationes pecuniarias, quarum duae sunt partes, expensorum et acceptorum, quae mutua compensatione aequari debeant: ut per hoc insinuet, jure se recipere posse sustentationem vitae ab iis, quibus ministerium verbi impendebat, juxta id, quod alibi dicit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* 1 Cor. 9.

Ex hoc loco apparet, Apostolum in 2 Cor. 11. dicentem: *Quod mihi deerat suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia,* de Philippensibus intelligere. Satis etiam apparet, Philippenses sponte dedisse. Paulus enim a nemine exigebat. Quod si fecisset, ut jure facere poterat: profecto aliae Ecclesiae non tam erga eum inhumanae fuissent, ut petenti justum ac necessarium stipendium denegarent. Verum ipse non solum non exegit, sed etiam ab Ecclesiis Achaiae accipere noluit, idque ob rationem explicatam in utraque epist. ad Cor. locis jam citatis. Est igitur in his verbis maxima commendatio Philippensium, sicut et sequentibus.

16. *Quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis.* Graece: *In Thessalonica:* quod Ambrosianum textum secuti neoterici interpretes ita supplent: *In Thessalonica cum essem.* Sensus enim est, nam et cum essem Thessalonicae, semel et iterum mihi misistis, quae in usus meos erant necessaria; id est, quibus opus habebam. Graecum verbum significat publicam et honorificam missionem. Quaeret aliquis, cur ipsi Thessalonicenses non dabant, utique Philippensibus opulentiores? Erat enim Thessalonica metropolis Macedoniae. Respondet S. Thomas, Paulum ab illis accipere noluisse, sicut nec a Corinthiis. Ab his quidem, propter eorum avaritiam, ne offenderentur: ab illis vero, quia erant otio dediti, quibus proinde voluit Apostolus exemplum dare laborando manibus: quemadmodum ipse testatur 1 Thess. 2. et 4. 2 Thess. 3. Colligit idem Doctor ex hoc loco, Papam ex justa causa posse ab una Ecclesia accipere in subsidium aliarum. Quam rem aeque probat alter locus 2 Cor. 11. *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum* etc.

17. *Non quia quaero datum.* Graece *δόμα,* id est, donum seu munus: ut est apud Ambrosianum. Sensus est: Non haec commemoro, tanquam requirens, ut adhuc similia mihi praestetis, ut munus aliquod mittatis. Aut, non haec dico, quod ea,

quae dantur, ante oculos habeam et amem. Loquitur enim in genere.

Sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Graece et Syriace: *In rationem vestram.* Sic et Ambrosianus habet, et nonnulla Latina manuscripta. Sensus est: Sed requiro fructum accrescentem rationibus vestris. Si quid a vobis accipio: vestrum est lucrum et commodum, vester fructus ex hoc augetur, merito vobis referendus in rationes acceptorum. Rursus enim alludit ad rationes pecuniarias de quibus supra: sentit autem de fructu et lucro spirituali, quod sibi comparant apud Deum, qui necessaria ministris Evangelii liberaliter suppeditant.

18. *Habeo autem omnia, et abundo.* Graece, non est ἔχω, habeo: sed ἀπέχω, quod inter alia significat recipere ex aliquo, velut censum ex agro, aut mercedem ex labore. Et quamvis verbum sit praesentis temporis, significatio tamen explicatur per praeteritum, recepi: quasi dicat, *receptum habeo.* Sic enim ex eodem verbo Graeco noster interpres vertit Matth. 6. *receperunt mercedem suam,* estque idem verbum apud LXX. Num. 32. *recepimus possessiones nostras.* Recte igitur auctor versionis Ambrosianae hoc loco transtulit: *Recepi tamen omnia.* Quod et Erasmus atque alii imitati sunt.

Itaque Apostolus utens ejusmodi verbo, rursus innuere voluit, non esse gratuitum, sed debitum, id quod datur ratione ministerii sacri. Quod et a Graecis annotatum est. Sensus autem est: Quamvis donum non requiro, magisque vestrum fructum specto, quam commodum meum: recepi tamen omnia, quae misistis, adeo large, ut nunc abundem. Hoc addit, non quod munus Philippensium mediocritatem excesserit: sed ut gratum animum ostendat, utque intelligamus, facile abundare eum, qui re modica ac tenui contentus est.

Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quae misistis. Ablativus, *acceptis,* non regitur a verbo *repletus sum,* quod prima facie videri potest: sed absolute ponitur. Quod patet ex Graecis, quae sic clarius verti possunt: Repletus sum, posteaquam accepi ab Epaphrodito, quae a vobis missa seu donata sunt: id est, munera seu dona vestra: ut vertit Theophylacti interpres. Haec plenitudo significat sufficientiam rerum necessariarum: nam quod ad animum Pauli attinet, etiam in penuria sufficiens erat, sicut ipse de se superius dixit.

Odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Hi accusativi in Graeco non reguntur a verbo *misistis,* quod ibi non habetur, sed a participio δεξάμενος: et appositive junguntur cum illo, *munera vestra.* Vocat autem Apostolus munera Philippensium ad se missa, *odorem suavitatis,* vel, ut alii propius e Graeco vertunt, *odorem bonae fragrantiae,* phrasi Hebraica: id est, odorem suavissimum seu fragrantissimum: quod instar hujusmodi odoris aut sibi, aut potius Deo grata essent. Alludit ad id, quod apud Mosen passim de sacrificiis legitur, ea *Deo accepta esse in odorem suavitatis.* Vocat eadem munera: *hostiam acceptam, placentem Deo:* vel, ut in Graeco, *beneplacitam Deo;* non quod propriam habeant rationem sacrificii Deo oblati: sed quod Deo accepta, placitaque essent, perinde atque si sacrificium ad ejus honorem oblatum fuisset.

Etenim omne bonum opus factum eo fine, ut sancta societate Deo inhaereatur, tanquam summo ac beatifico bono: generali ratione sacrificium est, teste Augustino lib. 10. de civit. cap. 6. Quo in genere Scriptura numerat imprimis opera beneficentiae erga proximos. Unde est illud Hebr. 13. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Nec obstat, quod Apostolus non oblationem munerum, sed ipsa munera memoratis epithetis exornat dicens: *Quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam* etc. Sic enim vocantur, non secundum se considerata, sed relata ad animum seu voluntatem, a qua proficiscebantur. Hinc vero rursum evidenter patet, non omnia justificatorum opera esse peccata, quod volunt haeretici.

Neque enim peccatum esse potest hostia accepta, placensque Deo.

19. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum.* Graeca nunc habent: *Replebit omnem indigentiam,* sive *necessitatem vestram,* quasi dicat Apostolus, vos me replestis, mittendo largum subsidium: ego vicissim precor Deum meum, ut indigentiam vestram repleat, id est, ea, quibus opus habetis, usque ad sufficientiam suppleat. Quamvis enim in Graecis plerisque codicibus sit futurum indicativum, *replebit:* Graeci tamen interpretes exponunt, quasi dictum sit, repleat, imprecatorio modo.

Monet autem Chrysostomus, pro χρεία, necessitate, quosdam codices habere χάριν, id est, gratiam: nonnullos χαρὰν, id est, gaudium: tametsi veriorem putat lectionem, quam primo diximus. Sed cur dixit Apostolus, *Deus meus,* et non: *Deus noster,* sicut mox inferius ait: *Deo et Patri nostro?* Ideo nimirum, quia loquebatur de compensando beneficio erga se praestito: quasi diceret, etsi ego, qui pauper sum, simile beneficium referre nequeam; tamen Deus meus, quem colo, facile id potest, cum sit ditissimus. Hoc enim est, quod sequitur: *Secundum divitias suas.* Id est, ea, quibus indigetis, suppeditet vobis sufficienter abundeque pro sua opulentia.

In gloria, in Christo Jesu. Quia locutus fuerat de compensatione temporali, dicendo, *repleat omnem indigentiam vestram:* idcirco mox cogitationem eorum a temporalibus transfert ad aeterna et coelestia, cum addit, *in gloria* etc., quasi dicat: Ita precor vobis a Deo rerum hujus vitae sufficientiam, ut ea vobis cedat ad gloriam vitae aeternae per Christum: juxta id, quod orat Ecclesia: *Sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna.* Similem transitum a corporalibus ad spiritualia facit Apostolus 2 Cor. 9. *Potens est,* inquit, *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus, semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum* etc. Ac rursum: *Qui autem administrat semen seminanti: et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, ut in omnibus locupletati abundetis.* Potest etiam illud, *in gloria,* construi cum particula proxime praecedente, ad hunc modum: *Prout dives est gloriae largiter retribuendae* per Christum. Sic enim dicitur Hebraea phrasi, dives in gloria, id est, dives gloriae: quomodo Gen. 13. secundum textum Hebraicum legitur Abraham fuisse dives in pecore, et in argento, et in auro: id est, dives talium rerum.

20. *Deo autem et Patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen.* Concludit epistolam glorificatione Dei: quae tamen ad proxima referri potest, eo spectans, ut ne quid sibi gloriae de bono opere adscribant Philippenses, ut sensus sit, secundum S. Thomam: De his omnibus bonis, quae praestitistis et quae speratis, glorificetur Deus, pater noster, in omnem aeternitatem. Deum patrem suum atque ipsorum vocat, ratione adoptionis: nam de gloria consequenda sermo erat: cum alioqui Deus sit omnium pater ratione creationis. Utroque autem modo patrem esse, toti Trinitati commune est. Addit *Amen* illud solemne, quo precationem confirmet, quasi dicat: Vehementer opto et precor, ut fiat, quod dico.

21. *Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.* Ex more salutationes annectit. Ordo est: Salutate in Christo Jesu omnem sanctum, id est, salutate meis verbis omnes fideles, qui apud vos sunt, imprecando illis ea bona, quorum Christus nobis auctor est. Fideles ab Apostolo *sancti* vocantur, quia membra sunt Ecclesiae sanctae, nec aliter de unoquoque eorum opinari debemus, quam quod sanctus sit, nisi forte aliud constet.

22. *Salutant vos, qui mecum sunt, fratres.* Id est, qui circa me sunt: ut qui mihi vincto ministrant, qui me visitant, qui mecum hic in Evangelio laborant. Ac ne angusta videatur haec salutatio, subjungit: *Salutant vos omnes sancti,* scili-

cet qui Romae sunt, id est, omnis Romana Ecclesia. *Maxime autem, qui de Caesaris domo sunt. Domo,* id est, familia, Graece οἰκίας. *Caesarem,* Romanum intelligit: nec alium quam Neronem, sub cujus potestate vinctus erat. Quod enim apud Dorotheum in synopsi legitur, *Caesarem,* cujus hic meminit Paulus, unum fuisse e septuaginta Christi discipulis, id risu potius, quam confutatione dignum merito censet Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. Eccles. Quid autem in universum de catalogo septuaginta discipulorum, quem ea synopsis recenset, existimandum sit: dixi in exposit. Epist. ad Rom. cap. ult. ad vers. 5.

Adjicit igitur Apostolus hanc salutationis partem, ut Philippenses, dum audiunt, Evangelium usque in aulam et familiam Neronis penetrasse, atque ex ejus domesticis aliquos factos esse Christianos: gaudio et consolatione affecti, magis in fide confirmentur ac majori cum fiducia etiam ipsi divulgent Evangelium.

Porro qui fuerint hi Caesaris familiares a Paulo conversi, quaeritur a nonnullis: et sunt, qui Senecam philosophum Stoicum, Neronis praeceptorem, itemque nepotem ejus ex fratre, Lucanum poëtam, designari putent, ut qui ambo paulo post illud tempus fuerint a Nerone sublati. Sed haec opinio parum probabilis est: neque enim hi Neronis erant domestici tempore captivitatis Pauli, sed aut senatores aut alio magistratu fungentes in urbe Romana, nec ob religionem interfecti, sed quod haberentur conscii conjurationis Pisonianae. Et quidem Lucanum fuisse Christianum, nullus est auctor, qui referat. Senecam vero Hieronymus provocatus Epistolis, quae circumferuntur ejus ad Paulum et Pauli ad ipsum, ponit quidem in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum: sed cum jam satis exploratum habeatur apud eruditos, Epistolas illas falsas et supposititias esse: cumque (teste Augustino lib. 6. de civit. cap. 11.) Seneca de Christianis expresse nusquam in scriptis suis meminerit, imo vero de iis sub nomine Judaeorum videatur etiam sinistre loqui; nulla ratio est, ut Apostolum hoc loco ad Senecam respexisse putemus. Sane verisimilius est, inter hos, quos Apostolus significat, fuisse Euellium et Torpetem, quos Neronis familiares fuisse, et martyrio sub eo coronatos, testatur Roman. martyrolog. die 11. et 17. Maji.

23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Graece et Syriace: *cum omnibus vobis. Amen.* Consueta est Apostoli clausula, qua omnes suas signat Epistolas. Sensus est: Deus per Christum det vobis et multiplicet beneficia gratiae suae. Post finem Epistolae sequitur in Graecis codicibus hypographe, significans, unde et per quem missa: *Scripta est e Roma per Epaphroditum.*

IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD COLOSSENSES
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Colossenses in ea fuerunt Asiae minoris parte, quae magna Phrygia vocabatur. Civitas eorum Colossae ab Hierapoli et Laodicea, quarum in hac Epistola mentio fit, haud procul dissita. Quod observandum propter nonnullos, qui contra auctoritatem Graecorum interpretum Colossas easdem cum Rhodo faciunt, quam eo nomine appellatam putant ob nobilem illum Colossum, qui numeratur inter septem mundi miracula. Sed, ut ita sit, quod Rhodii aliquando dicti fuerint Colossenses, uti Suidas asserere videtur; attamen eos ab his, ad quos ista mittitur Epistola, diversos esse ex iis, quae diximus, plane liquet.

Scribit autem ad Colossenses Paulus, non quod iis Evangelium praedicasset, siquidem eos ne viderat quidem, uti colligitur ex cap. 2., sed quod tanquam gentium Apostolus et solicitudinem gerens omnium Ecclesiarum, quam sibi tribuit 2 Cor. 11., huic quoque parti Ecclesiae a falsis magistris periclitanti pro officio succurrendum putarit. Instituti autem erant in fide Christi per Epaphram Apostolorum discipulum, quemadmodum de eo testatur cap. 1. Nam Archippus, cujus ultimo capite mentionem facit, non Apostolus eorum, sed Episcopus aut Presbyter fuisse videtur.

Et haec quidem communis est sententia commentatorum tam Latinorum quam Graecorum, Colossenses ipsum Paulum praedicantem non audivisse. Dissentit autem unus Theodoretus, qui locum allegatum cap. 2. contendit aliter intelligendum esse, de qua re videbitur, cum ad ejus loci expositionem perventum erit. Adducit ille pro se, quod legitur Act. 18., Paulum ex ordine perambulasse Galaticam regionem et Phrygiam, in qua utique sunt Colossenses, uti dictum est, sed argumentum hoc non est certum. Erant enim multae aliae civitates illius regionis, quas recenset Plinius lib. 6. natur. hist. cap. 32., quarum aliquas perambulasse potuit Paulus, Colossensibus omissis. Atqui vicissim contra Theodoretum facit, quod Paulus in tota Epistola nusquam significat, se Colossensibus Evangelium praedicasse, aut eorum Apostolum esse, quin potius paulo post exordium Epistolae, ubi locus erat id commemorandi,

non se, sed Epaphram nominat, ut Evangelii primum ac praecipuum apud eos ministrum. *Sicut,* inquit, *didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro* etc. Et in Epistola ad Philemonem Colossensem: *Spero per orationes vestras donari me vobis.* Non enim ait: *restitui,* sicut Hebr. ult., sed *donari,* quasi apud eos nunquam fuisset.

Caeterum occasio scribendi Colossensibus Paulo fuit, quod post acceptum Evangelium, a quibusdam, quorum studium erat sinceritatem Apostolicae doctrinae corrumpere, Simonianos fuisse credibile est, persuasi essent, accessum se habere ad Deum non per Filium, sed per angelos, ut per quos antiquitus omnia gesta legamus; Filium autem Dei majorem esse, quam ut eo mediatore atque intercessore ac deprecatore uti nobis liceat. Accedebant observationes ac superstitiones tam Judaicae, quam Graecae, sive ab iisdem auctoribus introductae, sive ab aliis acceptae, Philosophis scilicet ac Judaeis, sed ab Evangelio, quod semel receperant, prorsus dissentaneae.

Primum igitur ac praecipue docet Apostolus, non nisi per Christum Dei filium, per quem omnia condita sunt, nos instaurari ac reconciliari cum Deo, et proinde religioni angelorum, qua nimirum Christi mediatoris officium ad angelos transferatur, non esse auscultandum. Judaicas autem aut philosophicas observationes cum Evangelio minime miscendas esse, neque eas ad sanctificationem nostram quicquam habere momenti. Atque haec agit 1. et 2. cap. Reliqua pars Epistolae ferme usque ad finem in tradendis vitae Christianae praeceptis consumitur. Confer, quae diximus in argum. epist. ad Ephesios.

Scripta est haec Epistola non Ephesi, ut habet vulgare argumentum, quod est in Latinis codicibus, sed Romae, ut habent Graecorum subscriptiones. Nam vinculorum suorum sub finem Epistolae ter meminit; Romae autem, non Ephesi Paulum vinctum fuisse, legimus. Adde, quod missa est per Tychicum et Onesimum, quem posteriorem Romae in vinculis Christo genuerat, ut habet Epist. ad Philem. In quam ad Philemonem Epistolam scribens Hieronymus affirmat Roma, e vinculis, una cum hac Epistola, missas fuisse eas, quae datae sunt ad Ephesios et ad Philemonem. Quae utique omnes e primis vinculis datae sunt.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater: 2. eis, qui sunt Colossis sanctis, et fidelibus fratribus in Christo Jesu. 3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes[1]): 4. audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, 5. propter spem, quae reposita est vobis in coelis[2]): quam audistis in verbo veritatis Evangelii: 6. quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est[3]), et fructificat, et crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, 7. sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, 8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. 9. Ideo et nos, ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes[4]),

---

[1]) Eph. 1, 15. 16. Phil. 1, 3.—5. [2]) Vers. 7. [3]) Vers. 23. 28. [4]) Eph. 1, 17. 18.

ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali: 10. ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei[1]): 11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate[2]) cum gaudio 12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum[3]) in lumine: 13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum[4]), et transtulit in regnum filii dilectionis suae[5]), 14. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: 15. qui est imago Dei invisibilis[6]), primogenitus[7]) omnis creaturae[8]): 16. quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt[9]): 17. et ipse est ante omnes[10]), et omnia in ipso constant. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiae[11]), qui est principium, primogenitus ex mortuis[12]), ut sit in omnibus ipse primatum tenens: 19. quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem[13]) inhabitare: 20. et per eum reconciliare omnia[14]) in ipsum, pacificans[15]) per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. 21. Et vos cum essetis aliquando alienati[16]), et inimici sensu in operibus malis: 22. nunc autem reconciliavit[17]) in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso[18]): 23. si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe[19]) Evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est, cujus factus sum ego Paulus minister. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis[20]), et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea[21]), pro corpore ejus[22]), quod est Ecclesia: 25. cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi[23]) in vos, ut impleam verbum Dei: 26. mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus[24]), 27. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae[25]), 28. quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu[26]): 29. in quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute[27]).

---

1) 2 Petr. 1, 5.—8. 2) Phil. 4, 13. Rom. 5, 3. 3) Act. 26, 18. 4) Eph. 5, 8. 5) Phil. 3, 20. 6) Joan. 14, 9. 7) Psalm. 88, 28. 8) Apoc. 1, 17. 9) Joan. 1, 3. Act. 17, 28. Hebr. 1, 2. 10) Joan. 1, 1. 17, 5. 11) Eph. 1, 22. 23. 12) 1 Cor. 15, 20. Act. 26, 23. 13) Cap. 2, 9. 14) 1 Joan. 2, 2. 15) Eph. 3, 15. Hebr. 1, 14. 12, 22. 16) Eph. 2, 12. 13. 17) Eph. 1, 16. seq. 18) Eph. 5, 25.—27. 19) Cap. 2, 4. seq. 20) 2 Cor. 4, 10. Phil. 2, 17. 21) Phil. 3, 10. 22) Phil. 1, 12.—14. 23) Act. 26, 17. 18. 24) Eph. 3, 5. 9. 25) 1 Tim. 1, 15. 26) Eph. 4, 13. 5, 27. 27) 1 Cor. 15, 10.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Gratias agit Deo de Colossensium fide, simul orans, ut ejusdem complementum accipiant. Christi praedicat excellentiam et primatum supra omnia, qui Ecclesiam Patri reconciliavit. Se declarat ejus ministrum ad fidei mysterium patefaciendum gentibus.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Addit: *per voluntatem Dei,* quod et in aliis quibusdam Epistolis facit, ut ostendat, se verum esse Christi Apostolum, qui non semetipsum ad Apostolatum ingesserit, sicut pseudapostoli, sed Deo volente ac jubente munus illud susceperit. *Et Timotheus frater.* Hunc eundem sibi adjunxit in fronte Epistolarum ad Philippenses et ad Philemonem, quae putantur simul missae cum hac Epistola.

2. *Eis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu.* Id est, Ecclesiae Colossensium. Graeca non addunt: *Jesu.* Per *sanctos, et fideles, et fratres in Christo,* iidem significantur, etsi rationes nominum diversae sunt. Quae res alibi satis explicata est.

3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Consueta haec est Apostoli Pauli salutatio, qua gratiam et pacem Colossensibus precatur a Deo, ut auctore omnis boni, et a Jesu Christo, ut ejusdem divinae potestatis consorte: qui et Dominus noster factus sit jure redemptionis, quam in assumpta carne operatus est. *Gratia* complectitur omne genus beneficiorum Dei, quae ad salutem spectant vitae aeternae. *Pax* significat ejusmodi beneficiorum atque bonorum tranquillam possessionem. Quod ait: *Patre nostro,* primam in divinis personam proprie designare videtur; nam alias in hac formula salutationis non addit *nostro,* sed absolute dicit *a Deo Patre,* ut in Epistolis ad Galatas et ad Titum, et in utraque ad Timotheum. Hic tamen, et in aliis pene omnibus, addere voluit *nostro,* ut in ipso statim exordio Epistolarum insinuaret admirabilem quandam fidelium dignitatem, qui eundem haberent patrem cum naturali filio Dei. Notandum, apud Chrysostomum et Theophylactum non addi hanc partem: *Et Domino Jesu Christo,* atque ejus a Paulo omissae rationem ab illis adferri. Theodoretus quoque et Oecumenius non exponunt: quanquam hodierni codices Graeci perinde ut Latini additum habent.

Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes. A gratiarum actione Epistolam exorditur more suo. Illud: *semper pro vobis,* indifferenter referri potest, vel ad verbum praecedens: *gratias agimus,* vel ad participium sequens: *orantes;* tametsi probabilius ad id, quod praecedit, referatur. Quod probari potest ex similibus verbis epist. ad Ephes., quae pariter cum hac Epistola missa est, in qua 1. cap. sic loquitur: *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.* Sentit igitur Apostolus, se et Timotheum semper in orationibus suis, id est, quum orant, gratias agere Deo pro beneficiis in Colossenses collatis, de quibus sequitur:

4. *Audientes fidem vestram in Christo Jesu.* Graecum participium praeteriti temporis est, quod ita resolvi potest: *Quoniam audivimus,* ut vertit Erasmus, vel *postquam* aut *quum audissemus,* quod malunt Faber et Hentenius. Planius est et ad utrumque patens, quod habet textus Ambrosianus: *Audita fide vestra in Christo Jesu,* id est, fide, qua creditis in Christum, vel quam habetis de universo Christi mysterio. Hinc sequitur, fidem esse donum Dei, nam gratiarum actio gratiae testificatio est. Hinc etiam colligitur, Paulum per semetipsum non praedicasse Colossensibus Evangelium, ut qui de fide eorum tanquam audita, id est, ex relatu cognita loquatur.

Et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes. Alii *charitatem* vertunt, quod idem valet: nam dilectio et charitas eodem Graeco vocabulo ἀγάπη significantur. Caeterum interpres explendae sententiae causa addidit, *quam habetis,* quod in Graeco non exprimitur, sed ar-

ticulo τὴν concipitur. Sensus: Et audita charitate vestra, quam exercetis erga quoscunque fideles. Ex quo sensu patet, cur non dixerit in omnes homines, cum alioqui charitas Christianorum protendi debeat etiam usque ad inimicos et infideles. Non enim loquitur Apostolus de solo dilectionis affectu, qui facile pertingit ad omnes, sed de effectu et opere, maxime quoad subventionem necessitatis atque inopiae proximorum. Qua in re cum non possit Christianus beneficium praestare omnibus: primo loco facere id debet erga fideles, juxta illud Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et Rom. 12. *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

5. *Propter spem, quae reposita est vobis in coelis.* Fidei et charitati tertiam, spem, ad complementum adjungit. Et sensus est: Quam charitatem in omnes Sanctos exercetis propter futura ac sperata praemia, quae reposita vobis sunt apud Deum in regno coelorum. Hoc si recte dictum est ab Apostolo: male igitur negat haereticus, propter spem vitae aeternae bona opera exercenda esse.

Quam audistis in verbo veritatis Evangelii. Audistis, Graece προηκούσατε, *ante audistis,* ut et legit Ambrosianus. De qua spe, inquit, audistis jam ante per praedicationem verissimi Evangelii. Merito tribuitur Evangelio veritas, quia in eo sive scripto, sive dicto, cum Dei verbum sit, nihil subesse potest falsitatis.

6. *Quod pervenit ad vos.* Nonnulli vertunt: *Quod praesens est apud vos.* Graecum participium significat utrumque, sed et Graeci interpretes Chrysostomus et Theophylactus in suis comment. utrumque significatum conjungere videntur. Scribunt enim in hunc modum: metaphorice dixit: *pervenit,* tanquam de re animata. Non enim advenit ad vos et recessit a vobis, sed mansit ac praesens est, et dominatur apud vos. Sic illi, mentem Apostoli plenissime explicantes.

Sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit. Graeca sic habent: *Sicut et in universo mundo, et est fructificans et crescens.* Similiter Ambrosianus, nisi quod accusandi casu legit: *in universum mundum,* ut ex praecedenti parte subaudiatur: *pervenit.* Quae tamen constructio minus convenit Graecae lectioni, secundum quam hic sensus esse videtur: Quemadmodum et in toto mundo non solum praedicatum est et receptum, verum etiam fructum adfert et latius propagatur. *Fructum* intelligo bonorum operum, quibus Deus glorificatur, *aut fructum salutis animarum,* quod eodem recidit.

Quidam Graeci codices non addunt: *Et crescens.* Quos Erasmus in suo versione secutus est. Sed Chrysostomum ac caeteros interpretes Graecos illud legisse, manifestum est ex eorum commentariis: sicut habent Complutensia et alia quaedam exemplaria. Quod autem dicit: *In universo mundo,* hyperbole quaedam est, quam aliis verbis infra repetit, dicens: *Quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est.* Significat enim, in quamplurimis orbis terrae regionibus Evangelium annuntiatum esse. Loquitur autem hoc modo, ut Colossensium animos magis in fide confirmet, ex eo quod tam felicem successum habeat Evangelium. *Sicut in vobis.* Graeca et Ambrosianus: *Sicut et in vobis;* subaudi, fructificat et crescit. Hac laude exstimulat eos ad majorem profectum.

Ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, quasi dicat: Non nuper in vobis fructificare et crescere coepit Evangelium, sed a primo die, quo per ejus praedicationem audivistis et cognovistis veram doctrinam *de gratia,* hoc est, de gratuita beneficentia Dei, qua salvare constituit genus humanum. Verumtamen intelligi vult in eo praecipue, quod beneficium salutis et justitiae non contingat nobis, nisi per Christum: et hanc veritatem opponit falsae doctrinae eorum, qui vel per angelos, vel per legis caeremonias, aut Graecas observationes, purgationem promittebant.

7. *Sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro.* Calculo suo con-

firmat Apostolus doctrinam, quam ab Epaphra cive suo et magistro didicerant, vocans eum *carissimum,* sive ut in Graeco, dilectum, *conservum suum,* quod una secum ac pari consensu eidem Domino Christo in Evangelii praedicatione serviret. Ob eandem causam alibi Timotheum conservum suum agnoscit, dicens: *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi,* Phil. 1. Hoc loco nituntur, qui putant Epaphram primum Colossensibus Christum praedicasse: tametsi argumentum non sit usque adeo certum, propter copulativam conjunctionem additam in Graeco: *Sicut et didicistis.* Certe Paulum apud eos non praedicasse, totus hic locus arguit. Solum enim commemorat Apostolus audita, nihil prorsus innuens de suo apud illos ministerio, quod alioqui locus postulabat. Mirum autem, cur Epaphrae mentionem faciens non addat: *Et concaptivo meo,* sicut loquitur in epist. ad Philemonem pariter missa. Non parum enim hoc faceret ad laudem Epaphrae, quem hic instituit commendare, nisi forte ideo hoc reticere voluit in hac epistola, ne Colossenses intellecta pressura et periculo sui doctoris consternarentur, animumque dejicerent.

Qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu. Id est, qui est fidus ac sincerus Christi minister, in procuranda salute vestra. Laudat eum a fidelitate ministerii evangelici: ut ne a doctrina, quam ab eo didicerant, per novos magistros abduci se patiantur.

8. *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.* Id est, qui etiam verbis exposuit et declaravit nobis, scilicet Paulo et Timotheo, quanta sit dilectio vestra spiritualis, quam habetis non solum erga nos, verum etiam erga omnes sanctos; uti superius dixit. *Dilectionem in spiritu,* id est, spiritualem, opponit dilectioni carnali, qualem inter Simonianos fuisse tradit Epiphanius.

9. *Ideo et nos ex qua die audivimus,* scilicet, haec bona de vobis, ut fidem, dilectionem etc. *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes.* Graecam phrasim retinuit interpres, cum Latine dicendum esset: *Non cessamus pro vobis orare et postulare,* seu petere; id est, incessanter pro vobis oramus. Quod dicit eo sensu, quo alibi monet semper orandum esse. Non dubium autem, quin Apostolus auditis iis, quae Epaphras narraverat, gratias egerit Deo, sicut initio dixit; sed hic orationis potius meminit, quoniam etsi esset materia gratiarum actionis, intelligebat tamen, non parum adhuc illis deesse, quod precibus a Deo petere oporteret. Unde sequitur:

Ut impleamini agnitione voluntatis ejus. Quidam codices habent *agnitionem* in accusativo, idque conformiter cum Graeco; quo modo et ad Eph. 1. legitur: *Qui omnia in omnibus impletur.* Ex qua collatione apparet, more Graecorum subaudiendam esse praepositionem κατὰ, id est, secundum; ut sensus sit: Non cessamus Deum orare pro vobis, ut impleamini secundum agnitionem voluntatis ejus; id est, ut Deus suppleat in vobis usque ad complementum et perfectionem, id quod adhuc vobis deest, quantum attinet ad cognitionem voluntatis ejus, seu Dei seu Christi. Nam utrumque praecesserat.

Videtur autem loqui de voluntate, id est, decreto ac beneplacito Dei circa reconciliationem et salutem generis humani, quam in solo Christo mediatore ac redemptore constituit. Hac enim parte doctrinae, quae praecipua est, tentati erant a falsis doctoribus. Atque eo sensu voluntatem Dei tribus locis nominat in cap. 1. ad Ephes., cujus Epistolae simile est argumentum cum materia hujus, quantum ad doctrinam. Alii de voluntate Dei, quae consistit in praeceptis, Apostolum exponunt, cujus agnitione implentur, qui perfecte et practice cognoscunt ea, quae Deus a nobis vult fieri.

In omni sapientia et intellectu spiritali. Pro *intellectu,* alii vertunt, *prudentia;* tametsi Graecum vocabulum hujus loci, σύνεσις, magis intellectum sive intelligentiam sonat; sed ita, ut ad prudentiam referri possit. Videtur enim Apo-

stolus hoc nomine significare voluisse dijudicationem ex intelligentia manantem, in qua prudentia consistit. Differunt igitur *sapientia* et *intellectus,* sive prudentia: quod ad illam pertineat universalis mysteriorum speculatio: ad hanc vero, mysteriorum cognitorum ad actiones applicatio. *Spiritualem* autem utramque vocat, ut a carnali sapientia et prudentia, quam vel saecularis Philosophia, vel schola Simonis ostentabat, eam separet: *spiritualem,* inquam, id est, a Spiritu sancto profectam. Sensus Apostoli est: Ut impleamini notitia voluntatis divinae: idque per omnem, id est, perfectam quandam sapientiam et prudentiam spiritualem. Non enim absque his donis impleri quis potest illa notitia, prout superius explicata est.

10. *Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes.* Falluntur, qui *Deo* dativum esse volunt, qui regatur a participio, *placentes:* nam Graeca sic habent ad verbum: *Ambulare vos digne Domino in omnem placentiam,* pro quo Ambrosianus, *ad omne placitum.* Et alioqui nota est Apostolica phrasis, *digne Deo,* vel *sanctis,* vel *Evangelio Christi quippiam agere:* hoc est, sic ut dignum est Deo etc. Rom. 16. Phil. 1. 1 Thess. 2. et 3 Joan. Sensus igitur est: Ut vivatis et conversemini digne Domino Christo, id est, sicut decet Christi fideles ac discipulos: ita ut ipsi per omnia placeatis. Nam Christiani hominis unicum studium esse debet, ut Christo Domino suo placeat, suasque actiones ei probet. Unde Apostolus Gal. 1. *An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Etenim servi est placere Domino suo per omnia.

In omni opere bono fructificantes. Id est, fructum omnis generis bonorum operum ferentes, nullum bonum opus, quod temporis ac rerum ratio postulet, praetermittentes. Sic enim per omnia placebitis Domino. *Opera bona fructus* vocat, quia sicut fructus terrae temporariam hanc vitam conservant: ita bonorum operum fructus pariunt nobis aeternam vitam, juxta illud Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero, vitam aeternam. Et crescentes in scientia Dei.* Graece: *In agnitionem Dei.* Ita legit et Ambrosianus. Crescit in agnitione, sive scientia Dei, qui in divinorum mysteriorum notitia quotidie proficit.

11. *In omni virtute confortati.* Erasmus et Hentenius, ut servent vocum affinitatem, quae in Graeco est, ita vertunt: *Omni robore corroborati,* tametsi participium Graecum non praeteriti temporis est, sed praesentis, quasi dicas: *In omni valentia valescentes.* Respondet enim praecedentibus participiis, *fructificantes* et *crescentes:* et sequenti, *gratias agentes. Secundum potentiam claritatis ejus.* Rectius, *gloriae ejus. Virtus* et *potentia* idem hic significant: nisi quod *virtus* ad Colossenses referatur, *potentia* ad Deum: ut virtus illorum intelligatur esse potentiae divinae effectus. Nam sensus est: Item precor vobis, ut contra tentationes et impugnationes adversariorum magna virtute corroboremini, juxta potentiam gloriosam illius, scilicet Dei. Nominat *potentiam gloriae,* phrasi Hebraica, id est, gloriosam et illustrem potentiam, quia potentia Dei relucet et glorificatur in fortitudine et patientia Christianorum, velut causa in effectu. Locus similis est ad Ephes. 3. *Ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari* etc.

In omni patientia et longanimitate. Graece: *Ad omnem patientiam et longanimitatem.* Rursus enim significatur effectus potentiae Dei in hominibus, ut qui valeat eis suppeditare perfectam et omnimodam patientiam ac longanimitatem. Inter quae duo Graeci ita distinguunt, quod patientia sit ad eos, qui foris sunt, quos nec ulcisci facile sit: longanimitas sive lenitas ad eos, qui inter nos versantur, et quos ulcisci possemus.

12. *Cum gaudio gratias agentes Deo et Patri.* Plures codices manuscripti iique praestantissimi, suffragante editione Clementina et versione Syriaca, textuque Ambrosiano, legunt: *Deo Patri,* sine

conjunctione media: nonnulli tantum habent, *Patri,* quae lectio Graecorum codicum est fere omnium; tametsi Chrysostomus e diverso non *Patri* legit, sed *Deo.* Gratiarum actionem vult Apostolus conjunctam esse cum gaudio: quia quanto plus gaudemus de bonis acceptis, tanto pluris ea facimus, tantoque major est ac Deo acceptior actio gratiarum, quam propter illa referimus.

Huc usque enumeratio est eorum, quae per suas orationes Apostolus contendit impetrare Colossensibus, nimirum ab eo loco: *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes* etc. Unde constat, haec omnia, in quibus etiam est ipsa gratiarum actio, Dei dona esse, nec aliunde quam ab ejus gratia exspectanda: cum nemini dubium esse possit, quin oratio sit gratiae testificatio. Chrysostomus quidem et Theophylactus hanc partem ad Apostolum referunt de se loquentem, ut haec sit orationis constructio: Non cessamus pro vobis orare Deum, ut ea praestet, quae jam dicta sunt: item non cessamus pro vobis gratias agere propter ea, quae jam praestitit. Verum simplicius est, ut absque hyperbato pars ista cum proximis connectatur, et proinde referatur ad Colossenses: ad quos utique pertinent participia, quae ordine praecesserunt. Jam deinceps exponit, simulque ingressum facit ad praecipuam doctrinam hujus epistolae, quae est de beneficio Dei per Christum.

Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Graece secundum quosdam, *qui idoneos nos fecit.* Est enim idem in Graeco verbum, quod 2 Cor. 3. *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Sicut tamen illic melius redditur, *idoneos,* quam *dignos:* ita hoc loco, melius *dignos,* quam *idoneos.* Nam utroque modo vox Graeca suis locis apte redditur, ut ostendimus 1 Cor. 15, 9. et 2 Cor. 3, 5. 6. Significatur autem dignitas collata: non dignitas inventa aut praevisa. Non enim sentit Apostolus, nos, antequam in partem sortis sanctorum assumeremur, quoquo modo dignos fuisse eo beneficio, sed sensus est: Qui dignatus est nos assumere in partem haereditatis electorum et sanctorum suorum. Id est, qui nobis dignitatem et excellentiam illam contulit, ut essemus inter sanctos et electos ejus, scilicet participes ejusdem cum illis haereditatis coelestis.

Nam haereditas nomine *sortis* in Scripturis significari solet. Contulit autem omnino gratis, ac nullo nostro merito: quod et ipsum nomine *sortis* intelligitur, quae meritum non attendit: quemadmodum plenius id a nobis explicatum est ad illud Eph. 1. *In quo etiam nos sorte vocati sumus.* Quae res etiam hoc loco diligenter a Chrysostomo et Theophylacto declaratur. *Sortem* vocat, inquiunt, ut ostendat, quod sicuti sors non est humanae industriae, neque conatus, sed fortunae potius videtur: ita nos non ex nostris meritis regno donamur, aut digni judicamur, id est, ad regnum eligimur, sed divinae totum est gratiae.

Quod addit Apostolus, *in lumine;* sensum hunc videtur habere: Per lumen veritatis ac fidei, quo nos illuminavit. Quod ipsum tamen etiam ad gratiam electionis pertinet. Potest et sic intelligi: *In parte sortis,* sive haereditatis *sanctorum, quae est in lumine:* quia secundum Joannem 1. epist. 1. *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae:* et qui cum Deo societatem habent, in luce ambulare dicuntur. Hanc luminis expositionem probabilem facit id, quod sequitur de tenebris illi oppositis.

13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Id est, e potestate diaboli, sicut exponit August. epist. 107., nam et apud Luc. 22. in eo, quod ait Dominus: *Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* nihil aptius per *potestatem tenebrarum* intelligi videtur, quam potestas diaboli, quo impellente Judaei mittebant manus in Christum. Vocatur autem *diabolus tenebrae,* quia per peccatum totus factus est tenebrosus, utpote totus a Deo, qui vera lux est, aversus. Possent tenebrarum nomine etiam homines infideles

intelligi, velut Eph. 5. *Eratis aliquando tenebrae:* possent etiam intelligi errores et peccata hominum: sed istae acceptiones huic loco minus congruunt.

Et transtulit in regnum filii dilectionis suae, ut legit August. lib. 15. de Trinit. cap. 19. Qui etiam hinc colligit, Deum Patrem in scripturis aliquando vocari charitatem: quia filius non est nisi Patris. Sed magis apparet, Apostolum usum Hebraismo, quo genitivus vice epitheti ponitur, ut sensus sit: Qui transtulit nos in regnum filii sui dilecti. Sic enim loquitur Eph. 1. *Gratificavit nos in dilecto filio suo:* quamvis illic in Graeco non est additum, *filio suo.* Sic et Pater voce caelitus missa: *Hic est filius meus dilectus. Hujus filii regnum* Apostolus ecclesiam intelligit. Haec enim et corpus est et regnum Christi, et domus Dei. Transferuntur ergo homines in hoc regnum, quando erepti de potestate diaboli, inseruntur atque incorporantur ecclesiae Christi. Quod quomodo fiat, explicat parte sequenti:

14. *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.* Nonnulli codices interposita conjunctione legunt: *Et remissionem peccatorum.* Sed plures et meliores conjunctionem non agnoscunt. Graeca vero complura, quibus annuunt Biblia Clementina, plenius legunt hoc modo: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Ubi notandum, verba posteriora continere priorum expositionem: nam quod ait, *per sanguinem ejus,* exponit illud: *in quo;* quod vero addit, *remissionem peccatorum,* exponit, *redemptionem.* Dicit ergo Apostolus, nos in filio, sive per filium habere redemptionem: quia per sanguinem ejus, velut pretium Patri oblatum, hoc est, per passionem ejus et mortem redempti sumus e servitute peccati, mortis et diaboli: quam totam redemptionem remissio peccatorum complectitur. Caeterum merito dubitatur, an illud, *per sanguinem ejus,* quod neque apud Ambrosianum legitur, neque apud alios interpretes Latinos, seu veteres, seu recentiores, neque apud ipsum Chrysostomum aut sequacem ejus Theophylactum, sed nec in nostris est manuscriptis, ad textum pertineat. Videre enim potest huc adscriptum ex cap. 1. ad Eph., ubi totidem verbis legitur: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

15. *Qui est imago Dei invisibilis.* Consequenter ab excellentia personae redimentis, beneficium redemptionis commendat, ostendens quis et quantus sit Christus. Vocat eum *imaginem Dei invisibilis* (nam *invisibilis* genitivi casus est, ut liquet ex Graeco), non quod in divina natura sit inferior Patre, sicut depicta hominis imago aliquid minus est ipso homine, et sicut homo, qui est imago Dei, longe minor est Deo: quemadmodum perverse locum hunc intellexerunt Ariani: sed de imagine loquitur omnino perfecta et absoluta. Est igitur filius imago Dei, quia perfectissima Dei similitudo est, ab eo expressa per generationem, qua ex illo natus est. Ex quo certe consequens est, ipsum quoque Deum esse; neque enim perfecta Dei similitudo, seu repraesentatio potest esse in eo, quod non habeat eandem cum Deo naturam. Plura de hoc Christi attributo diximus ad 2 Cor. 4., ubi similiter Christum Dei imaginem appellat.

Porro Deum vocat *invisibilem,* vel, ut ait S. Thomas, quod ad videndam ejus essentiam nullus intellectus creatus naturaliter attingere possit: vel quod invisibilis sit hominibus in hac vita. Quam rationem velle videtur Paulus, de eo dicens: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* 1 Tim. 6. Adjecit autem hoc epithetum, quo insinuaret, ad Deum videndum non aliam nobis patere viam, quam per Christum, qui Dei imago est.

Primogenitus omnis creaturae. Non eo sensu, quo volebant Ariani, quod inter omnes creaturas primo sit genitus, tanquam et ipse sit creatura: sic enim non *primogenitum,* sed *primocreatum* dicere debuisset Apostolus: sed juxta com-

munem interpretum expositionem, quod ante omnem creaturam genitus sit: utpote ab aeterno, et per hoc omni creatura praestantior, atque in universam creaturam principatum habens. Hunc sensum confirmat, quod apud Ecclesiasticum cap. 24. idem Dei filius sub nomine Sapientiae vocat *se primogenitum ante omnem creaturam.* Confirmant etiam ea, quae hoc loco sequuntur, cum dicit, omnia per ipsum creata esse, et ipsum esse omnibus anteriorem.

Igitur si quaeras, secundum utram naturam Filius dicatur primogenitus, superiorem, an inferiorem: respondeo, secundum superiorem, sed impropria ad creaturam comparatione, nimirum sensu jam explicato. Nam si proprie loquendum sit, Christus non primogenitus est Patris, sed unigenitus: ut testantur symbola fidei, quia nec alius ante vel post eum ex Patre natus est, nec alius nasci potuit. Matris autem suae, etsi unicus, proprie tamen etiam primogenitus vocatur Matth. 1. et Lucae 2., quia sic ante eum nullus ex eadem Matre natus est, ut tamen post eum nasci alius potuerit, si naturam spectes maternam. Quod ergo B. Ambr. lib. 1. de fide cap. 6. disserens de Filio Dei secundum naturam, quam habet ex Patre, dicit eum primogenitum, quia nemo ante ipsum; unigenitum, quia nemo post ipsum: nonnullam improprietatem habet. Ut enim proprie quis primogenitus dicatur, non satis est, si nemo ante eum genitus sit, sed requiritur, ut post eum aliqui nasci potuerint.

Porro quidam expositores primogenitum omnis creaturae Christum interpretantur secundum naturam humanam: vel quod secundum eam sit omnibus aliis creaturis excellentior, quomodo primogenitus caeteris filiis anteponi solet; vel eo sensu, quo idem ipse Rom. 8. vocatur *primogenitus in multis fratribus,* scilicet per gratiam unionis, in quantum est homo Deus, quemadmodum illic expositum est. Sic enim Fulgentius resp. 3. contra Arianos exponit hunc locum, creaturam intelligens eorum, qui per adoptionem Filii Dei sunt, eoque nomine fratres unigeniti. Verum hae expositiones coactae et parum germanae videntur: cum ex iis, quae proxime sequuntur, satis constet, quomodo de Christo et creatura Apostolus loquatur: scilicet de Christo secundum naturam, quam habet ex Patre: de creatura vero, prorsus universe. Ac sane Christum ut Dei Filium non esse creaturam, aperte docet id, quod sequitur.

16. *Quoniam in ipso condita sunt universa, in coelis et in terra.* Graece expressius, *quae in coelis et quae super terram. Condita,* Graece *creata:* scilicet idem verbum quod infra repetit. Christum esse primogenitum omnis creaturae, et proinde omni creatura priorem, ostendit Apostolus ex eo, quia sic ex Deo natus est, ut per eum Deus omnia creaverit, tam coelestia quam terrestria, juxta illud: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ex qua scriptura cum optime colligatur, Dei filium non esse factum, quia ipse per seipsum fieri non potuit, quemadmodum colligit Augustinus tract. 1. in Joan., pari rationis evidentia colligitur idipsum tum ex hoc loco, tum ex eo, quod paulo post sequitur: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* nempe eum conditum et creatum non esse: quia per seipsum condi seu creari non potuit. Et hic quidem non dicit, coelum et terram in ipso creata esse: *sed ea, quae in coelo et in terra sunt,* quia stylum oblique dirigit contra Simonianos, qui spirituales creaturas, ut angelos coelestes, sub peregrinis nominibus, quae videre est apud Irenaeum et Epiphanium, supra quam fas est extollebant. Unde et de iis Apostolus mox specialiter loquitur. Nam quod ipsum coelum et terram non excludat a generalitate eorum, quae per filium creata sunt: liquet ex sequentibus, ubi sine restrictione dicit *omnia per ipsum creata esse.*

Visibilia et invisibilia. Id est, corporea et incorporea. Quidquid enim corporeum est, aliquo modo visibile est oculis

corporeis: at substantiae corporis expertes nullo corporeo sensu percipi possunt. Hoc rursus contra Simonem, cujus doctrina erat, invisibilia quidem, id est, angelos ab Ennoea, quam vocabat, creatos esse: deinde ab angelis mundum corporeum, ipsosque homines: ut refert Epiphanius in Simone, Menandro et Basilide. Porro ex dictis facile intelligitur, aliter Deum, aliter creaturus quasdam invisibiles appellari.

Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Invisibilium ordines aliquot enumerat, quod et fecit Eph. 1. Throni, Graecum vocabulum est, significans sedes non quascunque, sed honorarias, quale est solium Regis, aut tribunal judicis. Qua autem ratione haec nomina certis Angelorum ordinibus attribuantur, commentatores antiqui fere dissimulant: ac sane res est difficilis explicatu. De qua tamen consulantur Dionysius in coelesti hierarchia, et Gregorius in homilia 34. super Evang., nec non sententiarii scriptores in 2. dist. 9. A quibus etiam petendum est, utrum eum inter se ordinem habeant Angelorum classes, quo hic enumerantur, ut vult Gregorius: an quo recensentur ad Ephes., quod placet Dionysio. Existimat idem Gregorius in exposit. Ezech. hom. 8., Apostolum Paulum hos coelestium agminum ordines, quos describit, tunc vidisse, quando raptus fuit in tertium coelum. 2 Cor. 12.

Omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Hic jam omnia simul comprehendit; ne quis ullam fingat exceptionem. Graece non est, *in ipso*, sed, *in ipsum,* sive, *ad ipsum.* Et alioqui supervacanea foret ejusdem repetitio: jam enim dictum est, et ex Apostolica phrasi constat, *in ipso* idem esse, quod *per ipsum.* Sed et Graeci admonent, Apostolum hic exponere quod supra dixit, *in ipso.* Itaque *per ipsum* omnia creata sunt tanquam per principium a principio: *in ipsum* vero omnia creata dicuntur, vel quod eadem creata ab ipso conserventur, ut Graeci exponunt; vel potius, quia propter ipsum creata sunt, et ad ipsum ut finem omnia referuntur. Id enim praepositio Graeca magis significat.

17. *Et ipse est ante omnes,* vel, *ante omnia,* ut omnes neoterici vertunt, quemadmodum etiam habet editio Syriaca. Etenim genitivus Graecus ad utrumque genus communis est. Ac sane neutrum genus potius congruit, tum quia universalius, personas etiam omnes complectens, tum quia πάντα, *omnia,* neutro genere jam bis dixit, ac tertio mox repetit. Atque in eum sensum Graeci exponunt. Qui etiam observant non dicere Apostolum: *Et ipse factus est ante omnia,* sed: *ipse est ante omnia.* Quod, inquiunt, Deo maxime proprium est. Ita et Christus in evangelio Joan. 3. *Antequam Abraham fierit,* inquit, *ego sum;* non ait: *Ego factus sum.* Caeterum *ante omnia* intelligit durationis ordine: ex quo tamen consequens est, ut etiam dignitate omnia antecedat.

Et omnia in ipso constant. Hoc est, omnia per eum consistunt et conservantur. Quod et ipsum Deo proprium est, non minus quam per ipsum omnia creata esse; nam conservatio non aliud est quam creatio quaedam continuata. Hactenus ea, quae ad superiorem Christi naturam pertinent, exposuit: nunc vero deinceps ad explicandum redemptionis nostrae mysterium propius accedens, humanae ejus naturae dignitatem prosequitur.

18. *Et ipse est caput corporis ecclesiae.* Hoc ad Eph. 1. ita dixit: *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Sensus igitur est: Et idem ipse est caput ecclesiae, tanquam corporis sui; utique secundum naturam humanam. Christus enim, ut homo, praeest ecclesiae, eamque movet ac regit, ut corpus suum connaturale, varia gratiarum genera per suae passionis meritum in eam derivans. De qua capitis ratione plenius egimus ad locum memoratum epistolae ad Eph.

Qui est principium, primogenitus ex mortuis. Christum dici *principium* nonnulli putant, quod sit omnium rerum efficiens causa. Quo sensu in Apoc.

aliquoties principium vocatur ad declarandam ejus divinitatem. Sed quia de Christo ut homine nunc loquitur Apostolus; rectius illi, qui Christum interpretantur principium respectu ecclesiae, cujus et caput modo dicebatur: caput enim totius corporis principatum obtinet. Porro Graeci totam partem hanc indivise legunt, *principium* et *primogenitum* pariter referentes ad particulam, *ex mortuis.* Pro qua continua lectione facit, quod in Graeco nullus interponitur articulus: quod et Erasmus observavit. *Principium* autem per primitias exponunt, ut sensus sit: Qui Christus est primitiae resurrectionis, ut qui primus et ante alios a morte resurrexerit. *Principium* enim et *primitiae* in Graeco tantum differunt, ut simplex et compositum: ἀρχὴ et ἀπαρχὴ.

Respiciunt autem illi ad alterum Pauli locum 1 Corinth. 15., ubi Christum vocat *primitias dormientium;* velut primitivum fructum e terra, in quam moriendo ceciderat, exortum. Idem vero hic et Apoc. 1. vocatur *primogenitus ex mortuis,* sive ut in Apoc. vertit interpres, *primogenitus mortuorum:* ea ratione, qua resurrectionem mortuorum Dominus in evangelio regenerationem vocat Matth. 19. Si enim resurrectio regeneratio est: igitur qui primus a morte surrexit, primogenitus est mortuorum. Surrexit autem primus omnium Christus, non solum tempore, verum etiam dignitate et causalitate. De quibus singulis diximus in commentario loci ad Cor. jam citati.

Ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Ut consecutive sumitur, quasi dicat: Ex quibus efficitur, Christum in omnibus quae circa ipsum considerantur primas partes tenere. Nam quod ad generationem ejus aeternam attinet, per eam primogenitus est totius creaturae. Quod vero ad humanam ejus attinet naturam, in qua mortuus est et resurrexit: secundum eam primogenitus est omnium mortuorum, qui beata donabuntur immortalitate.

19. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Pergit ostendere Christi hominis excellentiam. Supplendum est autem *Deo,* aut *Patri;* quod textus Ambrosianus expressit, nec non Erasmus in sua versione. Sensus: Nam et complacitum est Patri, ut in Christo fixam haberet sedem omnis gratia ad plenum usque. Dicendo, *complacuit,* id est, benigna Patris voluntas fuit (hoc enim Graeco verbo significatur), meritum excludit: non enim meruit Christus illam gratiae plenitudinem, sed ex solo Patris beneplacito eam ab initio accepit. In eo autem quod ait, *omnem plenitudinem,* intelligi voluit, nihil gratiae, nullamque ejus perfectionem, quae Christo, ut capiti ecclesiae, congruat, ipsi deesse. Denique verbo *inhabitandi* permanentiam et perpetuitatem ejusdem gratiae in Christo significavit. Non dubium autem, quin ad hoc data Christo fuerit illa gratiae plenitudo, ut ex eo, tanquam capite, omnia membra gratiam pro suo quodque modo haurirent: juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Unde jam sequitur de reconciliationis et justificationis nostrae mysterio:

20. *Et per eum reconciliare omnia in ipsum. Eum,* ad Christum referunt: *ipsum,* ad Patrem: tametsi pronominis in Graeco nulla sit variatio, possitque de Christo utrumque rectius intelligi, ut sensus sit: Et complacuit Patri per Christum omnia in ipsum, vel ad ipsum, tanquam commune caput, reconciliare. Per Christum, inquam, non per angelos, quos, ut reconciliatores, in locum Christi Simon introducebat: quandoquidem et illi beneficium hoc reconciliationis per Christum factae suo modo participent et sub eo, quod dixit, *omnia,* comprehendantur. Quod patebit ex sequentibus.

Pacificans per sanguinem crucis ejus. Graeca pleraque rursus hic addunt, *per ipsum. Sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Graece, *sive quae super terram, sive quae in coelis.* Huic etiam loco simile quid habemus Eph. 1., ubi sic legitur: *Instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt, in ipso.* Ex quo loco apparet, hanc partem,

sive quae in terris, etc. referendam ad verbum *reconciliare*, et explicationem esse dictionis *omnia*. Quod significare volens sua versione Hentenius, media verba (pace facta per sanguinem crucis ejus) parenthesi inclusit, tametsi nihil vetet etiam ad participium *pacificans* hanc partem referri. Graeci quidem participium hoc Filio attribuunt, ut secundum eorum interpretationem vertendum sit, *pacificans per sanguinem crucis suae, per seipsum:* sed hoc modo orationis structura non cohaeret. Optime autem Patri tribuitur, de quo praecesserat verbum, *complacuit*, quod in Graeco verbum est appositum, εὐδόκησε, *benigne voluit*, quemadmodum ex multis scripturae locis potest doceri. Per *ea, quae in terris et in coelis sunt*, tam hic quam ad Ephes. intelliguntur homines et angeli.

Ubi statim quaestio occurrit, quomodo per Christum angeli reconciliati sint, quos constat partim non peccasse, partim vero peccasse irreconciliabiles. Ac rursum, quomodo pacificati sint angeli per sanguinem crucis Christi; non enim pro angelis mortuus est Christus, ait Augustinus Enchirid. 61. Sed respondemus cum eodem Augustino, ideo etiam pro Angelis fieri, quicquid hominum per Christi mortem redimitur et liberatur a malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, post inimicitias, quas inter homines et sanctos Angelos peccata fecerunt; ut hac ratione verum sit, per Christum coelestia cum terrestribus pacificari. Non enim dicit Apostolus, per Christum coelestia Deo reconciliari, aut eum Deo pacificari; sed coelestia et terrestria, id est, homines et angelos inter se: quod fit, dum per Christum tollitur obstaculum peccati, quod homines ab angelis dirimebat. Haec responsio est Augustini Enchir. 61. 62. et 63., et potest illustrari simili Scripturae loco, qui est Ephes. 2. vers. 16., nam et ibi de duorum inter se reconciliatione loquitur.

Totus igitur hujus loci sensus est: Deus Pater voluit per Christum omnia, nimirum coelestia atque terrestria, id est, angelos et homines inter se reconciliare, uniendo eos tanquam unum corpus in Christo, ut capite; pace inter eos composita per sanguinem ejus in cruce effusum, quod peccatum, quod erat inimicitiae causa, deletum est. Hic locus sic explicatus plane congruit cum eo, qui est ad Ephes. 1., quemadmodum illic videre est, Nec aliam pacem arbitror intelligi in eo, quod Luc. 19. turbae divino spiritu incitatae Christo acclamabant dicentes: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in coelo, et gloria in excelsis.*

21. *Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis.* Quod in genere de Christi pacificatoris officio ac beneficio dixit, nunc speciatim ad Colossenses accommodat, iisque impensum docet. Graeca vox διανοία, quam interpres *sensum* vertit, magis significat cogitationem, mentem, consilium, velut in Cantico Virginis: *Dispersit superbos mente cordis sui;* id est, cogitatione et consilio cordis eorum. Porro Ambrosianus in comment. et Hieronymus in epist. advers. Joan. Hierosol. cap. 9., sensum sive consilium ad Deum referunt: nam alter legit, *inimici consiliorum ejus;* alter, *inimici sensus ejus.* Verum Graeca, ut et nostra Latina, relativum *ejus* non habent: et multo rectius ipsorum Colossensium mens seu cogitatio accipitur. Pronomen *vos* accusandi casum habet in Graeco: *Vos olim alienatos et inimicos mente*, regitur autem a verbo *reconciliavit*, quod sequitur.

22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Conjunctio *autem* redundare videtur, nisi per *tamen*, aut *sane* exponatur, quod alii faciunt. Quodque nos habemus *carnis ejus*, potius vertendum erat, *carnis suae;* quemadmodum legit Hieronymus in loco paulo ante citato; nam de Christo haec dicuntur. Est enim hic sensus: Et vos Colossenses, qui quondam eratis a Deo alienati per ejus ignorantiam, imo et Deo contrarii, videlicet exercentes cum eo inimicitias, mente, cogitatione ac studio, per opera mala, quibus toti addicti eratis:

vos, inquam, nunc idem Christus Dominus illi, scilicet Deo Patri, reconciliavit; non Angelis ad hoc missis, sed per semetipsum, utpote per suum ipsius corpus infirmum et mortale, quod susceperat; dico, per mortem in eo corpore toleratam. *Caro* significationem habet infirmitatis et mortalitatis, ea phrasi, qua dictum est 1 Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et Heb. 5. *Qui in diebus carnis suae*, id est, dum ageret in corpore mortali.

Exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso. Erasmus Ambrosianum textum secutus, vertere maluit: *In conspectu suo:* sed rectius noster interpres, *coram ipso*, id est, in conspectu ejus, nempe Dei patris. Id enim magis sensus postulat: Ut exhiberet, inquit, ac sisteret vos Deo patri suo sanctos et irreprehensibiles atque inculpatos; nimirum mundatos a peccatis per baptismum, quo meritum passionis ejus applicatur. Nam in hac vita fit, quod hic dicitur, licet non perfecte; sicut et illud Ephes. 1. *Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Et ejusdem Epistolae cap. 5. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata.* Sunt enim haec loca mutua collatione illustranda; per quae docetur, veram atque internam justitiam a Christo nobis conferri, quae vere sanctos et immaculatos coram Deo nos constituat. Quod adversus haereticos est observandum, qui justitiam hujusmodi prorsus negant.

23. *Si tamen permanetis in fide fundati et stabiles.* Non vult dicere Apostolus, Christum non exhibere eos sanctos et irreprehensibiles, nisi permaneant in fide, etc., sed nihil eis profuturum, quod Christus eos per lavacrum aquae sanctos et mundos Patri exhibuerit, nisi permaneant, quasi dicat: Idque non frustra, sed ad aeternam salutem vestram: dummodo *permaneatis in fide fundati et stabiles*, id est, pro fundamento fidem stabiliter retineatis; nec auscultetis ad nova dogmata Simonis aut Judaizantium. Similis intellectus conditionatae locutionis est Hebr. 3. *Quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*, et iterum: *Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.*

Et immobiles a spe Evangelii, quod audistis. Id est: Neque patiamini vos dimoveri a spe bonorum coelestium, quae promittit Evangelium, quod audivistis ac didicistis ab Epaphra fideli ministro Christi, sicut supra dictum est. Dimovetur autem ab hac spe, qui non permanet in fide Evangelii promittentis. Facit hic locus adversus haereticos, qui negant, fidem aut justitiam semel habitam amitti posse.

Quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est. Creaturam, intellige humanam. Quod expressit Petrus dicens 1 Epist. 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae, propter Deum.* Vel accommoda generalitate, *creaturam* praedicationis ac doctrinae Evangelicae capacem; sic enim praeceptum fuerat Apostolis a Christo, Marc. ult. *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* Id quod Matthaeus ultimo capite ita dixit: *Euntes docete omnes gentes.* Igitur *Evangelium praedicari in universa creatura*, sive ut Erasmus vertit, apud universam creaturam, *quae sub coelo est*, non aliud est, quam ipsum praedicari omnium gentium hominibus, hoc est, per omnes gentes, aut per universum mundum.

Quomodo autem jam tunc, quando haec scribebantur, praedicatum fuerit Evangelium per universum mundum, cum ad multas remotissimas et incognitas gentes, etiam multis post saeculis non pervenerit: exposuimus in commentario Epist. Rom. ad illa verba cap. 10. *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

Quia nimirum in plurimas quaquaversum nationes illo jam tempore disseminatum erat, atque ad plures etiam rumor ejus pervaserat; etsi nondum ad omnes absolute. Sic enim explicanda est hyperbole sermonis hujus: *In universa creatura, quae sub coelo est.* Qua item figura Lucas dixit Auctor. 2. *Hierosolymis habitasse Judaeos viros religiosos ex omni natione, quae sub coelo est.*

Loquitur autem ad hunc modum Apostolus, ne Colossenses de mutanda fidei doctrina, quam ex Epaphra audierant cogitarent; ut quae jam esset ubique praedicata, passimque recepta Ob eandem rationem addit:

Cujus factus sum ego Paulus minister. Id est, cujus Evangelii praedicandi munus ac ministerium mihi Paulo a Christo Domino concreditum est. Jam enim magnum erat Pauli nomen ob mirabilem ejus conversionem et labores innumeros Evangelii causa susceptos. Hoc igitur adjicit, ne minoris aestimarent Evangelium, quod id non ab Apostolo, sed ab Epaphra discipulo audivissent: affirmat enim, se idem illud praedicare.

24. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis.* Graece, sine relativo: *Nunc gaudeo in passionibus*, sive *afflictionibus meis pro vobis,* id est, quas pro vobis sustineo, quasi dicat: Adeo vera est spes Evangelii hujus, quod praedico, et cui credidistis; ut ego pro ea non dubitem pati quaeque adversa propter vestram gentium salutem, et quidem libenter, cum gaudio.

Et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea. Ambrosianus magis ad verbum reddidit: *Et suppleo reliquias pressurarum Christi in carne mea.* Quod ergo noster interpres dixit: *Ea quae desunt passionum Christi,* non sic accipiendum, quasi Christus non satis passus sit ad redemptionem nostram, ideoque supplemento martyrum opus habeat; quod impium est sentire, quodque Catholicos dicere non minus impie calumniantur haeretici. Certe S. Thomas eum sensum haereticum esse pronunciat, eo quod Christi sanguis sufficiens sit ad redemptionem etiam multorum mundorum. Sed significantur *ea, quae reliqua sunt passionum,* id est, *quae posterius adhuc restant toleranda.* Id enim sibi vult Graeca dictio, ὑστερήματα. Sensum autem Apostoli nobis aperit Leo serm. ult. de pass. Domini. *Passio Domini,* inquit, *usque ad finem perducitur mundi; et sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur; et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur* etc., tanquam dicat, Christum, qui semel passus est in seipso atque in propria carne, debere adhuc pati in membris suis, usque ad finem saeculi: quia oportet membra conformari capiti in passionibus, ut ei aliquando conformentur in gloria. Atque ita locum hunc intellexerunt Augustin. in enarr. Psal. 61., Greg. lib. 3. Mor. cap. 11. et Franco Abbas in fine tomi 10. de gratia Dei. Item Latini commentatores Anselmus, Aquinas, Cajetanus et alii.

Sentit igitur Apostolus, se, patiendo afflictiones in carne sua, quadam parte supplere ea, quae Christo adhuc patienda supersunt; non quidem in ipso, sed in membris. Dicens autem, *in carne mea;* respexit ad id, quod supra dixerat, *Christum nos reconciliasse in corpore carnis suae per mortem.* Sicut enim Christus in carne sua passus est: ita Paulus in carne sua pati se dicit; et ita quemquam Christi discipulum in carne sua pati oportet. Quod si cum nonnullis *passiones Christi* interpretemur, quas pro Christo patiuntur fideles, quemadmodum 2 Cor. 1. dictum est, *sicut abundant passiones Christi in nobis;* facilior erit hujus loci sensus, idemque minime contemnendus.

Pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Id est, ut corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, congregetur et perficiatur. Significat non tantum, passiones suas fructuosas esse ecclesiae; verum etiam, se patiendo id spectare, ut suae passiones ecclesiae prosint. Hinc autem Theologi quidam putant ostendi, sanctorum pas-

siones fidelibus prodesse ad remissionem poenarum, quae vocatur indulgentia. Quae quidem doctrina, etsi Catholica et Apostolica sit, atque aliunde satis probetur; ex hoc tamen Apostoli loco nobis non videtur admodum solide statui posse. Non enim sermo iste, quo dicit Apostolus se pati pro ecclesia, necessario sic accipiendus est, quod pro redimendis peccatorum poenis, quas fideles debent, patiatur, quod forte nonnihil haberet arrogantiae: sed percommode sic accipitur, quomodo proxime dixerat: *Gaudeo in passionibus meis pro vobis;* ut nimirum utraque parte significet afflictiones et persecutiones pro salute fidelium, ipsiusque ecclesiae promovenda toleratas.

Unde et Graeca, quamvis locum hunc paulo aliter quam Latini exponant, illud tamen, *pro corpore ejus,* sic intelligunt uti jam diximus. Volunt autem tale esse, quod Apostolus dicit: Multis laboribus, sudoribus et afflictionibus opus est ad colligendam ecclesiam hominesque ad fidem vocandos, et ad salutem perducendos. Hujusmodi labores et passiones multas, easque gravissimas sustinuit Christus in hac vita et in carne sua mortali: verum multae adhuc restant tolerandae toto decursu saeculi, donec tota ecclesia collecta atque perfecta fuerit; tolerandae, inquam, ab iis, quibus Evangelii praedicandi ministerium incumbit: quae proinde et Christi passiones dicuntur, quia passiones sunt ministrorum ejus. Harum igitur passionum ego partem meam expleo, praesto ac repraesento; tanquam minister Evangelii laborans pro salute ecclesiae. Quod ergo hic dicitur, *pro corpore ejus, quod est ecclesia,* non absimile est illi, quod dictum est Ephes. 4. *Ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi* etc.

25. *Cujus factus sum ego minister, secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vobis.* Graece: *In vos,* quemadmodum et Ambrosianus legit, adstipulantibus manuscriptis quibusdam Latinis et editione Clementina. Liquet ex iisdem Graecis, relativum *cujus* non ad Evangelium (cujus se paulo ante ministrum dixerat), sed ad *ecclesiam* referendum esse. Cujus, inquit, Ecclesiae, corporis et sponsae Christi Domini mei, factus sum ego minister, secundum oeconomiam seu providam dispensationem patrisfamilias Dei, suum unicuique officium distribuentis; qua mihi ministerium erga vos attribuit, gentium Apostolum me constituens, ut proinde me totum pro ecclesia impendere debeam, nec ullos pro ea recusare labores. *Ministrum ecclesiae* se vocat, non ut ecclesiae subditum, sed utilitatem ejus ex officio procurantem: quomodo summus Pontifex se scribit servum servorum Dei, et Christus ipse venisse se dicit, ut ministraret, Matth. 20. Quod autem ait: *Secundum dispensationem Dei* etc., convenit cum eo, quod dixit Ephes. 3. *Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis.*

Ut impleam verbum Dei. Id est, ut plene ac perfecte annuntiem verbum Dei, vel, secundum alios, ut ministerio meo impleam aeternum Dei verbum, id est, propositum ac decretum de vocatione gentium ad fidem; vel denique, quod probabilius est, ut omnia loca impleam verbo Dei. Sic enim ad Rom. 15. dixit, *se ab Hierusalem, per circuitum, usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi.*

26. *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus.* Per appositionem hoc addit. Nam *verbum Dei mysterium est,* sive res arcana; quatenus signo tribuitur conditio rei significatae. Loquitur autem de mysterio vocationis gentium, ut ex sequentibus patet. Quod vero dicit, *mysterium fuisse absconditum a saeculis et a generationibus;* non tempus significat, quo latuit hoc mysterium, scilicet per saecula et generationes; quamvis et hoc consequens est; sed personas quas latuit; hoc enim postulat praepositio, *a saeculis et a generationibus;* ut est in Graeco et apud Ambrosian. Proinde sensus est, mysterium hoc absconditum et incognitum fuisse hominibus omnium praecedentium saeculorum et generatio-

num. Sic Ephes. 3. *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum.*

Nunc autem manifestatum est sanctis ejus. Hujus expositio est illud, quod in epistola ad Ephesios continuo sequitur: *Sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in spiritu.* Hic quaeri posset, quomodo dicat Apostolus, mysterium hoc olim latuisse, nunc vero demum manifestatum esse; cum latere non potuerit antiquos Patres et Prophetas, a quibus praenuntiatum fuit. Sed huic quaestioni responsum a nobis est in commentar. loci memorati ad Ephesios: nam antiqui illi non ita clare et perfecte consilium vocationis gentium cognoverunt, sicuti per revelationem cognitum fuit Apostolis Christi; ideoque illic comparative dictum fuit: *Sicut nunc revelatum est* etc.

27. *Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae Sacramenti hujus in gentibus.* Graece: *Quibus voluit Deus notum facere, quae sint divitiae gloriae mysterii hujus in gentibus.* Vehementem habet exaggerationem beneficii divini, quod non simpliciter dixit, Deum sanctis suis notum fecisse hoc mysterium, sed dixit: Deum voluisse notum facere; tum divitias et gloriam nominavit. Nam dicendo *voluit,* propensionem voluntatis divinae commendavit: nominando *divitias et gloriam,* ostendit beneficii copiosam largitatem, quae magnifice redundet in gloriam Dei. Sensus autem est: Quibus sanctis suis voluit Deus notum facere, quanta sit et quam gloriosa magnitudo hujus beneficii quondam latentis ac secreti, quod nunc per gentes exhibet. Hoc beneficium Ephes. 3. explicat hujusmodi verbis: *Gentes esse cohaeredes et concorporales et comparticipes promissionis Dei, in Christo Jesu per Evangelium.*

Quod est Christus in vobis spes gloriae. Graece: *Qui est Christus;* tametsi recte vertit interpres: refertur enim ad *mysterium* sive sacramentum, quamvis alioqui apud Graecos relativum solet accipere genus a dictione sequente. Quod non animadvertens Laurentius Valla, putavit referri *divitias,* quae Graece vocantur πλοῦτος masculino genere: quod idem volunt Oecumenius et Cajetanus. At Theophylactus annotat, utroque referri posse. Nec dubium quin aptius ad *mysterium.* Quod quidem Christus esse dicitur, objective; quia circa ipsum versatur, ut auctorem et causam meritoriam beneficii et ut caput totius corporis. Illud: *In vobis,* Graeci connectunt parti praecedenti, *Christus in vobis,* id est, qui est in vobis per fidem, quique spes est gloriae, hoc est, per quem speratis, vos gloriam consecuturos. Alii jungunt cum eo quod sequitur, ut sit sensus: Qui Christus est vobis spes gloriae, id est, vestra spes gloriosa; tum quia in eo vobis gloriandum est, tum quia ab eo et per eum futuram gloriam expectatis.

28. *Quem nos annuntiamus.* Quem Christum nos Apostoli mundo annuntiamus. Graece: *Denuntiamus,* ut vertit Theophylacti interpres: id est, ex alto nuntiamus, velut e supernis Christum hominibus adferentes. Sic enim verbi Graeci proprietatem urgent Chrysostomus et Theophylactus. *Corripientes omnem hominem,* vel, *monentes omnem hominem,* uti legit Ambrosianus. *Admonentes,* vertit Erasmus. Graeca vox admonere significat cum increpatione, quomodo pater filium admonet peccantem: erat autem totum genus humanum in peccatis et ignorantia Dei, ac propterea de his corripiendum.

Et docentes omnem hominem in omni sapientia. Dupliciter hoc intelligi potest: uno modo de sapientia docentium, quasi dicat: et cum omni sapientia, qua praediti sumus, docentes omnem hominem. Ita Graeci; nam multiplici scientia opus est, inquiunt, ei, qui omnem hominem docturus sit et fidei mysteria persuasurus. Pro his facit, quod Eph. 3. dicit Apostolus: *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.* Altero modo de sapientia eorum, qui docentur, ut sensus sit: Instituentes omnem hominem in perfecta cognitione Dei et mysteriorum fidei, quae est vera sapientia. Sic Augustinus, Anselmus, Thomas,

aliique Latini. Huic intellectui quadrat, quod sequitur:

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Id est, ut omnem hominem reddamus et Deo sistamus perfecte instructum in his, quae ad fidem et cognitionem Christi pertinent. Quanquam etiam extendi hoc potest ad vitam moresque Christianos, propter illud quod dixit: *Corripientes omnem hominem.* Porro quod dicit ac tertio repetit, *omnem hominem,* tale est ac si diceret: Quemvis hominem prout possumus; neminem volentes a fructu Evangelii, quod praedicamus, esse exceptum.

29. *In quo et laboro certando.* Graece, *ad quod et laboro certans.* Id est, in quem finem, vel ad quod praestandum etiam enitor, multumque laboro, cum difficultate et periculo decertans. Id enim significat Graecum participium ἀγωνιζόμενος. Hic jam de se singulariter Paulus loquitur, cum supra communiter locutus fuerit in persona Apostolorum: intelligit enim laborem quemdam sibi proprium, de quo 2 Tim. 2. *Secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula.* Nam ex vinculis haec scribit.

Secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute. Graece ad verbum, *secundum operationem* sive *efficaciam ejus operatam in me in virtute.* Consonat Ambrosiana lectio: *Quae operatur.* Sed observa, participium *operatam,* aut verbum *operatur,* passive accipiendum esse; quasi dicas, quae agitur, aut exercetur ab eo, scilicet Christo, ut proinde noster interpres passivam locutionem convertens in activam, mutato casu relativi, sensum transtulerit. Idem enim est: Quae operatur a Christo, et: quam Christus operatur. De hoc verbo passive accepto et Graeco ei respondente pluribus egimus ad illud Galat. 5. *Sed fides, quae per dilectionem operatur.* Ubi inter alia exempla hujusmodi acceptionis e scripturis adducta, etiam hunc locum annotavimus. Breviter ergo sensus est: Decertans secundum efficacem ac potentem operationem, seu motionem Christi in me.

Nam illud: *In virtute,* idem est quod potenter. Tametsi Ambrosianus et Primasius *virtutem* signorum seu miraculorum intelligant, quae praedicationem Apostolicam comitabatur; juxta illud Marc. ultimo: *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Horum expositioni favet locus Rom. 15., ubi de efficacia suae praedicationis agens Apostolus, subjungit: *In vitute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Utrovis autem modo particulam: *in virtute,* exponas; sentit Apostolus, tam laborem suum atque certamen, quam successum ejus esse a Christo in se operante. Quod ad commendationem gratiae Christi pertinere, etiam Graeci tractatores admonendum putarunt.

CAPUT SECUNDUM.

Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciae [1]), et quicumque non viderunt faciem meam in carne: 2. ut consolentur corda ipsorum [2]), instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu: 3. in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi [3]). 4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in

[1]) Cap. 4, 15. 16. [2]) Cap. 4, 8. [3]) 1 Cor. 1, 24. 2, 7.

sublimitate sermonum[1]). 5. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu[2]) vobiscum sum: gaudens, et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quae in Christo est, fidei vestrae. 6. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum[3]), in ipso ambulate, 7. radicati, et superaedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et dedicistis, abundantes in illo in gratiarum actione[4]). 8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi[5]), et non secundum Christum: 9. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter[6]): 10. et estis in illo repleti[7]), qui est caput omnis principatus et potestatis[8]): 11. in quo et circumcisi estis[9]) circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis[10]), sed in circumcisione Christi: 12. consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis[11]) per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. 13. Et vos, cum mortui essetis in delictis, et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo[12]), donans vobis omnia delicta: 14. delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis[13]), et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci[14]): 15. et expolians principatus et potestates[15]), traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso[16]). 16. Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum[17]): 17. quae sunt umbra[18]) futurorum: corpus autem Christi. 18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, 19. et non tenens caput, ex quo totum corpus[19]), per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. 20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis[20])? 21. Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: 22. quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum[21]): 23. quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis[22]).

---

1) Vers. 23. 2) 1 Cor. 5, 4. 3) Cap. 1, 7. 4) Cap. 1, 12. 5) Gal. 4, 3. 9. 10. 6) Cap. 1, 15. Joan. 14, 9. 7) Joan. 1, 16. 8) Eph. 1, 20. 21. 9) Rom. 1, 28. 29. Phil. 3, 3. 10) Eph. 5, 26. 27. 11) Rom. 6, 3 seq. 12) Eph. 2, 1 seq. 13) Gal. 3, 10 14) Eph. 2, 15. Gal. 3, 13. 15) Hebr. 2. 14. 16) 1 Cor. 6, 3. 17) Rom. 14, 3. Gal. 4. 10. 18) Hebr. 10, 11. 19) 1 Petr. 2, 4. 5. 1 Cor. 3, 11. 20) Gal. 4, 9. 10. 21) Matth. 15, 9. 22) Rom. 13, 14.



SUMMARIUM.

Admonet Colossenses, ut sibi caveant ab imposturis pseudapostolorum; ostendens, Christum in cruce deleto peccato de diabolo triumphasse. Avocat eos ab observationibus legalibus et a falsa angelorum religione, ac a superstitione ciborum.

Volo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis. Graece: *Quantum certamen habeam de vobis,* id est, sustineam pro vobis. Respicit enim ad hoc, quod proxime dixit: *In quo et laboro certando.* Redditque rationem, cur laborum suorum ac certaminis meminerit, nimirum ut sciant, Paulum, etsi nunquam iis visum, tamen etiam pro ipsis talia pati, utque inde consolationem ac fidei confirmationem accipiant. *Et pro iis, qui sunt Laodiciae,* vobis Colossensibus vicini. Eadem est haec Laodicea cum illa, quae una est Asiae civitatum, ad quas Apocalypsim suam mittere jubetur Joannes Apoc. 1. Unde intelligitur insignem fuisse ecclesiam.

Et quicunque non viderunt faciem meam in carne. Id est, faciem carnis, seu corporis hujus mortalis. Addit enim: *In carne,* per quandam ταπείνωσιν, ut intelligant, pluris faciendam esse praesentiam spiritus quam carnis. Ex hoc loco plerique colligunt, Paulum Colossis ac Laodiceae non fuisse. Quod nobis quoque probabilius videri jam supra diximus, tum in argumento hujus Epistolae, tum ad illud 1. cap. *Sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro.* Porro Theodoretus existimat, ex his verbis contrarium colligi. Tractans enim epistolae argumentum, vult istius loci hunc esse sensum: Non solum vestri, sed eorum etiam, qui me non viderunt, maximam curam gero. Verum istam expositionem Theodoreto non concedimus. Quin potius apparet, Apostoli verba sensum exigere hujusmodi: Volo vos scire, quantum laboris sustineam pro vobis et pro Laodicensibus, et pro caeteris, qui me non viderunt. Significat enim Apostolus, se non minorem Colossensium et caeterorum, a quibus nunquam visus fuerat, curam salutis habere, quam eorum, quibus praesens Christum praedicaverat.

2. *Ut consolentur corda ipsorum. Consolentur,* passive, i. e., consolationem accipiant, quemadmodum Erasmus vertit Ambrosianum textum imitatus. *Ipsorum* refertur ad tria membra praecedentia, scilicet ad Colossenses et Laodicenses et caeteros, qui Paulum non viderant. Quorum omnium magna consolatio erat, quod pro ipsis etiam non visis tantam ille curam gereret.

Instructi in charitate. Graece, *instructorum,* seu potius, *constructorum in charitate.* Itaque non Paulus, sed interpres grammaticae leges hic neglexit. Ac rectius se habet Ambrosiana versio: *Cum fuerint instructi in charitate.* Verbum Graecum etsi interdum instruere significet, ut 1 Corinth. 2. *Quis cognovit sensum Domini, qui instruat eum?* hoc tamen loco magis congruit alterum ac frequentius ejus significatum, construere, compingere, coagmentare. Sic enim accipitur Ephes. 4. *Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, augmentum corporis facit in aedificationem sui, in charitate;* item in hoc capite, longe inferius, ubi ferme eadem verba habentur: idipsum autem hic brevissime dicit, *constructorum in charitate.* Proinde sensus est: Cum instar partium unius aedificii, seu membrorum unius corporis, apte conjuncti fuerint et cohaeserint inter se per charitatem, velut quoddam vinculum unionis. Est haec tacita adhortatio ad charitatem mutuam.

Et in omnes divitias plenitudinis intellectus. Plenitudinis, in Graeco non est πληρώματος, ut capite superiori: *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare,* sed πληροφορίας, quam multi interpretantur plenam ac certam persuasionem. Unde locum hunc Erasmus et Hentenius ita verterunt: *Et in omnem opulentiam certae persuasionis intelligentiae.* Alii sic: *certo persuasae intelligentiae.* Verum nos de significatione

Graeci vocabuli late egimus exponentes illud Rom. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Neque enim πληροφορία per se plus significat quam plenitudinis apportationem, id est uno verbo, impletionem, vel expletionem, uti vertit interpres Hebr. 6., quemadmodum δωροφορία munerum oblationem significat. Nec male hoc loco et iterum 1 Thessal. 1. plenitudinem idem noster interpretatus est: quod etiam apud Ambrosianum commentatorem utrobique legitur, ut *plenitudo intellectus* non aliud sit, quam plena sive completa intelligentia; nec opus sit, huc accersere persuasionis vocabulum. Porro supplendum aliquid, ut sensus reddatur hoc modo: Et cum fuerint introducti in omnes divitias, id est, largissimam copiam plenae intelligentiae. Amplificatio rhetorica est ac pene hyperbolica, pro eo quod simpliciter diceret: Et cum fuerint plene edocti, scilicet de mysterio, ut sequitur:

In agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu. Pars haec appositive legenda est; explicat enim partem praecedentem, ostendens de qua scientia fuerit ibi sermo, quasi dicat: In cognitionem, inquam, ejus mysterii, quod est de Deo etc. Variant autem hic codices. Correctio Romana habet, quod posuimus, cui consonat versio Syriaca, cum Graecis nonnullis. Complures codices sine conjunctione legunt: Dei Patris Christi Jesu, id est, Dei, qui est Pater Jesu Christi. Eundem sensum habet aliorum quorundam codicum lectio: Dei et Patris Christi Jesu. Alii denique conjunctionem geminant: Dei, et Patris, et Christi Jesu, ut *Dei mysterium* dicatur, quod est de Deo ac divinis attributis; *Patris,* quod ad personas spectat divinas, quarum prima est Patris; *Christi Jesu,* quod est de tota Christi redemptoris oeconomia. Postremam hanc lectionem exhibent hodierni codices Graeci. Verum primam et tertiam probabiliorem faciunt multa similia loca in Epistolis Apostolicis. Summa tamen fere eadem est, intelligi praecipua religionis capita, symbolo fidei comprehensa, quae partim de Deo sunt, divinisque personis, partim incarnationis Filii Dei nostraeque redemptionis arcanum continent.

3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. In quo,* scilicet Christo. Sed quaeritur, utrum de Christo ut Deo, an ut homine dicat hoc Apostolus; id est, utrum divinam an humanam Christi scientiam commendet. Respondeo, tam Graecorum quam Latinorum interpretum communem expositionem esse de scientia divina, quae in Christo est, ut Dei verbo; quemadmodum et Ambrosius exponit lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 8., nec secus sentire Aquinatem, Cajetanum, aliosque recentiores: licet etiam ad humanam Christi scientiam accommodari possit hic locus. Quod facit Lyranus et alii nonnulli, idque per quandam consequentiam, quatenus ex increata sapientia in animam Christi, cui hypostatice unitur, influit sapientiae creatae plenitudo et perfectio, sed finita tamen; cum alioqui mens Apostoli sit, eam scientiae magnitudinem et perfectionem Christo attribuere, cui nihil accedere possit, quaeque prorsus inexhausta et infinita sit; quae profecto non alia est quam divina. Atque eo spectat id, quod aliquanto post, velut hujus rationem indicans, dicit: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Idipsum confirmatur ex alio loco simili Roman. 11., ubi nominat divitias sapientiae et scientiae Dei; increatam utique sapientiam et scientiam volens significare. Quocirca disputatio de humana Christi scientia, deque terminis ejus, cum sit creata et proinde finita, non est praesentis loci.

Pulchre vero Chrysostomus et eum secutus Theophylactus Apostoli verba expendunt. Quum dicit *thesauros,* inquiunt, copiam ac multitudinem ostendit; quod addit *omnes,* nihil omnino esse, quod ignoret; quod autem subjungit *absconditi,* seu reconditi, ipsum solum omnia scire declarat. Solum dico, si cum creaturis conferatur, ut bene explicat Oecumenius; non si ad personas divinas, quarum trium una est scientia. *Sapientiam* vero et *scientiam* recte S. Thomas

ita distinguit, quod illa sit rerum divinarum, haec creaturarum cognitio. Cur autem ista de Christo commemoret Paulus, sequens sententia docet.

4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* Hic jam propius accedit ad scopum Epistolae. Munit autem Colossenses adversus duas sectas, seu familias, a quibus eorum fidei simplicitas tentabatur: alteram Simonis magi, alteram Judaizantium. Ac de his quidem inferius. Ad Simonianos vero, qui humanae Philosophiae placitis imbuti erant et a Christo ad Angelorum religionem homines avocabant, pertinet, quod hic dicitur, et alia, quae sequuntur. Graecum verbum παραλογίζηται, quod interpres vertit, *decipiat,* e scholis acceptum est atque etiam Latine a Dialecticis usurpatum, paralogizare, id est, falsa ratiocinatione decipere; pro quo Ambrosianus legit, *circumveniat;* quemadmodum et Augustinus in Epist. 39. quaest. 7. Nec Graece est *sublimitate sermonum,* quod legitur 1 Corinth. 2., sed nomen compositum πειθανολογία, quod significat sermonis probabilitatem, sive persuasibilitatem; id est, sermonem aptum et compositum ad persuadendum. Augustinus loco jam dicto legit: *In verisimili sermone;* textus autem Ambrosianus habet: *In subtilitate sermonis;* ut nonnulla suspicio sit, etiam nostrum interpretem ita vertisse, sed ob affinitatem vocabuli ex altero loco, qui est ad Cor., fuisse mutationem factam, ut scriberetur: *In sublimitate.* Sensus igitur est: Hoc autem quod dixi de excellentia scientiae Christi, propterea dico, ne allecti specioso nomine scientiae, quam quidam promittunt, sinatis vos circumveniri probabilibus, sed falsis argutiis humanarum ratiuncularum. Cum enim in Christo, quem fide recepistis, sint omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi, et ab eo tanquam capite expectetis quisque secundum modum suum repleri: non est, quod extra eum ad humanas scientias incertas, vanas et fallaces aspiretis. Sic et Timotheum hortatur 1 Epist. 6. *ut devitet oppositiones falsi nominis scientiae; quam quidam,* inquit, *promittentes circa fidem exciderunt.*

5. *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum.* Rursus suam erga eos solicitudinem declarat, ne a falsis magistris decipiantur. Pro corpore, Graece est, *carne,* quam opponit spiritui. Dicit autem *spiritu se cum illis esse,* non propter realem spiritus praesentiam, neque quod spiritu prophetico videret, quae apud illos agerentur, quamvis sic interpretetur Ambrosianus, dicens Apostolum id non minus potuisse, quam potuit Elizaei spiritus videre fraudem Giezei pueri sui absentis; sed quod mentis ejus cogitatio et cura circa illos versaretur; quemadmodum et 1 Cor. 5. dicit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens,* etc.

Gaudens et videns ordinem vestrum. Id est, gaudens, dum video ordinem vestrum; ut *et* causaliter sumatur, quod in scripturis non est infrequens. Videbat autem in spiritu ex iis, quae retulerat ad eum Epaphras. De quo cap. 1. sic ait: *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.* Ab hoc ergo et ordinem eorum didicerat. *Ordinem* autem intelligit bonum et congruentem. Unde Graeci commentarii τάξιν interpretantur εὐταξίαν, i. e. bonam ordinationem. Et recte; nam ordo incompositus non ordo, sed confusio est.

Observa autem, Apostolum, cum in Colossensibus alia plura laudare posset, praecipue tamen ordinem, de quo gauderet, commendare voluisse. Est enim ordo commune bonum, consistens in debita collocatione, seu dispositione partium, respectu totius. Cui contrariatur quicquid usquam inordinate agitur, id est, omne peccatum; adeo ut Tullius dicat in Paradoxis: Quicquid peccatur, perturbatione ordinis peccari. Quantum vero pro hoc bono in ecclesiis constituendo et conservando solicitus fuerit Paulus, passim epistolae ejus probant; ut 1 Cor. 11., ubi cum quaedam ordinasset, adhuc alia promittit dicens: *Caetera cum venero dis-*

ponam, et c. 14. ubi multis ordinatis ita concludit: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Sed et in Epist. ad Timotheum et Titum scriptis multa disponit ad ordinem ecclesiae pertinentia. Idemque Thessalonicensibus praecipit 2 epist. 3. *ut subtrahant se ab omni fratre ambulante inordinate.* Idipsum animadvertere est in epistolis Sancti Ignatii, in quibus diligenter monet fideles, ut Episcopos suos, presbyteros, diaconos agnoscant, iisque se subjiciant et obediant per omnia. Haec notanda contra haereticos, inimicos ordinis et hierarchiae antiquitus in ecclesia constitutae.

Et firmamentum ejus quae in Christo est fidei vestrae. Hoc est: Et videns firmitatem, soliditatem, constantiam fidei vestrae in Christum (sic enim est Graece), id est, qua in Christum credidistis. Quo spectet haec laus Colossensium, quam praemisit, ostendunt sequentia.

6. *Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate.* Hortatur ad perseverantiam doctrinae semel acceptae. Sensus est: Quemadmodum ergo fide recepistis Jesum Christum, ut dominum et ut caput ac mediatorem vestrum, ita pergite eum retinere. Nemo vobis pro Christo angelos obtrudat mediatores. Christus enim via est, qua itur ad Patrem, non angeli: nam ipse dixit: *Ego sum via.. In ipso* igitur, ut in via, *ambulate;* ipse sit fundamentum totius conversationis vestrae. Hic Graecorum, auctore Chrysostomo, commentarius est. Quomodo autem haec contra sanctorum Angelorum invocationem non faciant, inferius explicabitur.

7. *Radicati et superaedificati in ipso.* Duplex metaphora est; altera a plantis bene radicatis, altera a domo bene fundata. Significat ergo, Christum esse radicem, in qua vult eos firmiter esse radicatos; et fundamentum, super quo vult eos firmiter esse aedificatos: ne ab eo avelli ac dimoveri se patiantur ullo sermonis artificio. *Et confirmati fide.* Idem nunc repetit sine tropo. Graece: *In fide,* scilicet Christi. Quae eadem lectio est apud Primasium et Pelagium. *Sicut et didicistis.* Graece *sicut edocti estis;* Ambrosiano astipulante. Docti autem ab Epaphra; quemadmodum initio dixit. Hoc autem subinde inculcat, ut sciant, a doctrina fidei semel tradita sibi nullo pacto esse recedendum. *Abundantes in illo in gratiarum actione.* Graece et Syriace: *In illa,* scilicet fide. Consentiunt manuscripta quaedam Latina et textus Ambrosianus. Refertur autem haec pars una cum participiis praecedentibus ad verbum *ambulate;* et sensus est: Non solum volo vos esse confirmatos in fide; verum etiam in ea proficere et proficiendo abundare per pleniorem mysteriorum Christi cognitionem; idque cum gratiarum actione erga Deum, ut auctorem hujus totius boni.

8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Repetit admonitionem, qua dixerat: *Nemo vos decipiat;* et pluribus explicat, quod uno verbo attigerat dicens: *In sublimitate* vel *subtilitate sermonum.* Graeca sonant ad hunc modum: *Videte ne quis sit, qui vos depraedetur per philosophiam et inanem deceptionem.* Et quidem verbum *depraedetur* hoc loco legerunt Cyprianus lib. de bono patientiae, Hieronymus in commentar. super Osee Prophet. et super Epist. ad Galat., Ambrosianus in textu et Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 3. Graeca vox proprie significat *praedam abigere.* Itaque in eo verbo metaphora est a praedonibus sumpta, qui dum vi rapere pecudes nequeunt, fraude eas abigunt. Sic enim pseudapostoli et haeretici, dum aperte suam doctrinam proferre non audent; per insidias quasdam et artificia verborum eam mentibus auditorum instillant.

Quod dicit Apostolus, *per philosophiam;* non ita accipiendum, quasi philosophiam, quae est scientia rerum divinarum et humanarum naturali lumine rationis acquisita, damnet ut noxiam, aut rejiciat ut inutilem: sed vel contra eos agit, qui philosophia re per se bona abutebantur, ex veris principiis male concludentes, dum de iis, quae sunt fidei Christianae, et captum humanae rationis ex-

cedunt, judicant secundum causas naturales, sibique naturaliter cognitas, nec mentem attollunt ad eum, qui naturam instituit, eamque mutare potest. Et hunc sensum explicat Ambrosianus. Vel potius nomine philosophiae intelligit, non quod vox illa significat et promittit, sed illam rerum doctrinam, quam adferebant qui apud gentiles philosophi dicebantur. Nam revera nulla fuit apud Ethnicos philosophorum secta vacans crassis erroribus; praesertim de Deo rebusque divinis ac de summo hominis bono. Verum hujusmodi sectarum aliae aliis deteriores erant; quae tamen omnes philosophiam profitebantur. Inter eas tempore Apostolorum et iis locis, in quibus Apostoli versabantur, erant, qui saecularem philosophiam cum religione Judaeorum miscentes, multa de Deo ac Dei filio, de angelis, mundo et ejus creatione, deque purgatione hominum, partim a Platonicis accepta, partim ex proprio cerebro adinventa, falsa et vana tradebant hominibus. Ex quo genere fuit Simon magus, a quo Simoniani; et qui postea Gnosticos superbo nomine seipsos appellarunt. Hanc philosophiam Apostolus reprobat et fugiendam docet, ut corruptelam sinceritatis fidei Christianae. De hujusmodi philosophia accipiendum, quod in Arianos scripsit Ambrosius lib. 1. de fide cap. 5. *Nonne ex philosophia omnem impietatis suae traxerunt colorem?* Addit autem Apostolus: *Et inanem fallaciam;* explicandi causa. Cum enim, ut annotant Graeci, philosophiae nomen grave ac venerandum haberetur; adjunxit notationem philosophiae, de qua loquebatur: quam vocat *inanem fallaciam* seu *deceptionem,* quod multa tradat inania et falsa, per quae homines creduli decipiantur.

Secundum traditionem hominum. Non refertur ad verbum, *decipiat,* sive *depraedetur;* sed ad *philosophiam,* idque per supplementum, hoc modo: *Quae est secundum traditionem,* aut: *ex traditione hominum.* Vocat autem *traditionem hominum,* non quicquid est extra verbum Dei scriptum, ut volunt haeretici; nam alioqui suas ipsius traditiones damnaret Apostolus, de quibus ait 1 Cor. 11. *Laudo vos, quod sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis,* et 2 Thess. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis.* Sed praecepta, instituta et doctrinas ab hominibus corruptis ac sine Deo auctore traditas; quales erant traditiones Scribarum et Pharisaeorum, de quibus Domino allegante apud Matth. 15. et Marc. 7. jam olim dictum fuerat per Jesaiam cap. 29. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Id vero transferre velle ad traditiones ecclesiae, quae regitur a Spiritu Sancto, in ipsum Spiritum Sanctum blasphemia est. Respicit autem Apostolus ad dogmata philosophica scholae Simonianae, de quibus supra.

Secundum elementa mundi. Quidam propter hoc, quod additur, *mundi,* putant Apostolum loqui de quatuor simplicibus corporibus, ex quibus inferior hic mundus constat; quae nobis usitatissimo nomine elementa (corporum scilicet, ut Philosophus loquitur) vocantur; quasi doctrinam, quam de illis philosophi tradunt, vituperet. Graeci per *elementa mundi* solem et lunam coelestiaque corpora intelligunt, quae sunt totius mundi elementa; et ex quibus sunt temporum observationes. Hoc autem alii extendunt ad universam astrologiam, maxime, qua parte tentat praedicere eventus et casus fortuitos.

Verum si hic locus conferatur cum eo, qui est ad Gal. 4., ubi modo *elementa mundi,* modo *elementa infirma et egena* nominantur, nec non cum eo, quod dicitur Hebr. 5.: *quae sint elementa exordii sermonum Dei;* neque enim usque alibi elementorum meminit: satis intelligetur, Apostolo non aliud esse *elementa* in genere, quam initia seu rudimenta doctrinae alicujus, sive divinae sive humanae, et seu verae seu falsae, quemadmodum id plenius ostendimus in comment. epist. ad Gal. ad locum allegatum. Hoc igitur loco per *elementa mundi* significari videntur saecularis ac mundanae philo-

sophiae rudimenta, cujusmodi a Platonicis ac Simonianis tradebantur.

Si quis tamen existimet, prorsus eadem esse Apostolo *elementa mundi,* hoc loco et ad Gal., ubi secundum exigentiam rei, de qua agebatur, *elementa mundi* interpretati sumus corporalia signa, carnalesque ceremonias legis Mosaicae: dicere poterit, Apostolum hic loqui mixtim contra Philosophos et Judaizantes, ut ejusdem sententiae verba partim hos, partim illos designent; idque propterea fortasse, quod utriusque erroris iidem essent magistri. Nam et Samaritani, ex quibus Simon, Judaicam profitebantur religionem, cujus ceremonia praecipua erat *circumcisio manufacta,* de qua paulo post Apostolus loquitur. Juxta hanc interpretationem, quam non rejicimus, consequenter dicendum erit, ex quatuor membris, quae hic in vituperio, duo priora: *philosophiam et inanem fallaciam,* contra Simonianos esse posita, reliqua vero duo: *secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi,* contra Judaizantes; atque ex aliis Scripturae locis, quae supra citavimus, facile colligi, de qua traditione hominum hic sit sermo, scilicet de Judaica ac Pharisaica traditione. Sic quoque separanda erunt duo posteriora membra a duobus prioribus ad hunc modum: Cavete, ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam. Item, ne quis id faciat secundum, id est, per traditiones hominum et elementa mundi. Favet huic intellectui, quod legitur infra v. 20. et 22. Haec prolixius, ut in re obscura et ambigua dicta sunt. Tum sequitur:

Et non secundum Christum. Supple, et quae non est secundum Christum, id est, secundum doctrinam de Christo vobis traditam, sed magis contra Christum, ejusque doctrinam. Est enim figura, qua minus dicitur et plus intelligitur. Certe palam contra Christum erat, Mediatoris officio Christum privare et ejus in locum angelos substituere. Erat etiam contra Christum, ex lege et ceremoniis Judaicis justitiam quaerere.

9. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ratio est totius admonitionis praecedentis ab illo loco: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam* etc. Poterat autem Apostolus pro ratione repetere id, quod supra dixerat: *In Christo esse omnes thesauros sapientiae absconditos;* atque inde monere Colossenses, ne incitati sciendi cupiditate, sinerent se inescari a philosophis multam scientiam promittentibus, cum in Christo scientiarum opulentissimo omnia habeant re aut exspectatione. Sed maluit dictae rationis fundamentum pro ratione adferre, et per hoc plenius satisfacere. Est igitur fundamentum seu ratio rationis haec: *quia in Christo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis,* Graece θεότητος, *deitatis,* id est, plena, tota ac perfecta deitas.

Hoc autem pluribus modis intelligi potest, quos insinuat nobis Augustinus sub finem Epistolae 57. ad Dardanum. Uno modo, ut *corpus* umbrae opponatur, et sensus sit: Deum in Christo non umbraliter inhabitare, quomodo in templo manufacto quondam habitabat, id est, praefigurantibus signis, sed *corporaliter,* hoc est, tanquam in ipsa re per illud templum significata. Qui sensus nonnullam accipit probabilitatem ex eo, quod infra dicitur: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Alio modo, ut *corpus* opponatur animae, quasi dicat Apostolus: In ipso perfecta deitas inhabitat non solum quoad animam ejus, verum etiam quoad corpus, quod ex Virgine sumpsit. Utrumque enim deitas sibi conjunxit in hypostasim verbi. Hinc ipse suum corpus appellat templum Dei Joan. 2., dicens ad Judaeos: *Solvite templum hoc.* Tertio modo, ut inhabitatio *corporalis* opponatur inhabitationi, quae est per gratiam et energiam sive inoperationem, quomodo in omnibus justis Deus habitat, sed in iis maxime, per quos etiam mira operatur, sicut habitavit in sanctis Prophetis et Apostolis. Ita sensus est: In ipso plena deitas inhabitat,

non solummodo per gratiam et mirabilium operum efficientiam, sed *corporaliter,* id est, per unionem ipsius divinitatis cum corporea substantia seu carne humana in persona verbi; juxta illud: *Verbum caro factum est.*

Hic sensus plenior est, magisque facit ad probandum, quod Apostolus intendit. Ac per eum destruitur haeresis Nestorii, qui dixit, deitatem in Christo habitare tantum velut in templo, per energiam gratiae et miraculorum: non autem essentialiter. Tradunt hunc tertium sensum plerique commentatores. Tradit eundem Leo pontifex serm. 15. de pass. Domini, sic inquiens: Cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis est caro deitatis? Sic ille. Idcirco tamen non dixit Apostolus carnaliter, sed corporaliter, quia caro mortalitatem et corruptionem importare solet, sicut in superioribus dictum est, Christus autem, scribente haec Apostolo, jam immortalis erat.

Porro Cyrillus lib. 2. de recta fide, quem in suis commentariis Theophylactus et Oecumenius allegant, sentit quidem hic significari unionem deitatis cum natura humana, sed interpretatione nonnihil diversa. Nam illud *corporaliter* ita exponit: *sicut anima in corpore.* Quae expositio congruit cum eo, quod in symbolo Athanasii dicitur: *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Recte vero dixit Apostolus, *inhabitat,* ad significandum, unionem illam divinitatis cum carne permanentem et perpetuam esse. Quod enim hoc modo Deus assumpsit, nunquam dimittit. Jam ex hac Apostoli sententia sic explicata, promptum est inferre, quod Apostolus colligendum relinquit: Ergo Christus est plenus omni scientia, utpote per naturam Deus.

10. *Et estis in illo repleti.* Hoc est secundum Graecorum expositionem: Et vos in illo, tanquam capite, repleti estis divinitate, quatenus scilicet dignitas capitis redundat in corpus. Sensum hunc probant, quia continuo subjungitur, Christum esse caput. Alii sic exponunt: Et vos per illum repleti estis scientia, aliisque donis salutaribus, iidemque amplius etiam implendi, secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Qui sane intellectus scopo Apostoli magis convenit. Nam ex eo, quod in Christo est plenitudo divinitatis, et proinde plenitudo scientiae, docere vult, etiam fideles, qui sunt ejus membra, ab eo tanquam capite suo accipere et exspectare debere, unumquemque pro sua mensura, scientiae plenitudinem; juxta id, quod jam supra dixerat v. 2. *Et in omnes divitias plenitudinis intellectus,* ideoque causam non habere, cur sectentur inanem, curiosam et noxiam philosophorum scientiam.

Qui est caput omnis principatus et potestatis. Hoc aliis et pluribus verbis dixit Eph. 1. *Constituens eum in coelestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem et omne nomen, quod nominatur* etc. Eodem pertinent, quae dixit cap. 1. hujus vers. 16. et seq. Sensus autem est: Qui non solum vestrum est caput, dona sua vobis communicans, verum etiam caput est omnium ordinum angelicorum, quantacunque sint potestate praediti. Nam sub his duobus, quos nominat, caeteros omnes ordines vult comprehendi: hanc autem partem studiose adjecit, ut avocaret a cultu angelorum, quem Simon tradebat. Quasi dicat: Ego Christum mediatorem vobis propono, qui longe superat angelos, quia et caput eorum est. Hinc inferunt nonnulli, Christum esse caput etiam daemonum. Nam et daemones alibi vocantur principatus, potestates, virtutes, ut Rom. 8., 1 Cor. 15. et Eph. 6. At consentaneum videtur, hoc loco principatus et potestates tantum de bonis intelligi, sicut et in eo, quod ex Eph. 1. jam citavimus. Non enim ad dignitatem Christi declarandam pertinebat, quod supra daemones esset exaltatus, quorum nulla est apud Deum dignitas, sed quod supra

omnes angelos bonos, qui in coelis semper vident faciem Patris.

Hinc ergo non aliud habetur, quam Christum esse caput bonorum angelorum. Quanquam nec illorum eo modo, quo caput est Ecclesiae ex hominibus collectae. Nam discrimen aliquod esse, satis insinuat locus memoratus Eph. 1., ubi Christus supra angelos quidem constituitur, non tamen angelorum, sed Ecclesiae caput vocatur, peculiari scilicet ratione. Nam ita caput est Ecclesiae, ut ipsa vicissim sit et dicatur corpus illius; nec non singuli fideles membra ejus et membra corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus, uti dicitur Eph. 5., id est, ejusdem naturae cum capite. Quod in angelos neutiquam quadrat, quos nec usquam legimus vocari corpus aut membra Christi. Caput autem bonorum angelorum Christus vocatur, in quantum est rex eorum, ut B. Thomas explicat, id est, quatenus sic eos regit, ut ipsorum bonum procuret. Hoc enim est regis officium respectu populi, et capitis respectu corporis. Ex quo satis jam liquet, Christum neque caput, neque regem daemonum convenienter dici posse; utpote quibus utitur tantum propter bonum aliorum, scilicet electorum.

11. *In quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta.* Id est, ea, quae fit sine manibus. In Graeco una composita dictio est *ἀχειροποιήτῳ,* quasi dicas: inmanufacta.

In exspoliatione corporis carnis. Graece, *corporis peccatorum carnis.* Quam lectionem testatur Augustinus epist. 59. q. 7. suo tempore extitisse in quibusdam etiam Latinis exemplaribus. Syri legunt: *In exspoliatione peccatorum carnis,* omissa dictione *corporis,* quae tamen in omnibus Graecis et Latinis habetur.

In circumcisione Christi. Male quidam praeponunt adversativam particulam *sed,* repugnantibus omnibus exemplaribus. Occasio, qua id fecerint, mox intelligetur. Etenim Apostolum hoc loco agere contra Judaizantes manifestum est, et in eo tractatores consentiunt. Verum multi Latinorum pericopen hanc: *In exspoliatione corporis carnis,* de carnali Judaeorum circumcisione, quae manu fiebat, prout verba nostrae versionis sonare videntur, interpretati sunt. Unde et parti sequenti: *In circumcisione Christi,* quoniam aliter non videbatur cohaerere, voculam *sed* praefixerunt. Adversative enim se habent circumcisio carnalis et circumcisio Christi, qualis hic intelligitur. Itaque sensum hunc fecerunt: In quo Christo etiam circumcisi estis, non illa circumcisione, quae fit manibus, et quae consistit in ablatione corporeae pelliculae carnis, sed spirituali circumcisione, quae fit per Christum.

At sensum hunc Graeca Scriptura non admittit, tum quia pro: *non manufacta,* Graecis unum est nomen infinitum, uti jam diximus, ut proinde negatio in eo inclusa vim suam ad sequentia non exserat, tum propter genitivum *peccatorum* inter *corporis* et *carnis* interpositum, qui cogit intelligi spiritualem circumcisionem. Ac tertio, quia pro *exspolatione* vocabulum est, quod significat actum exuendi, Theophylacti interpres *exutionem* vertit. Quae vox nimis incommode refertur ad externam illam circumcisionem, qua praeputium carnis amputabatur.

Unde secundum Graecam lectionem et omnium Graecorum interpretationem, hunc reddere sensum oportet: Per quem Christum etiam circumcisi estis non illa externa et carnali, sed interna ac spirituali circumcisione, quae fit sine manibus, et qua non una pellicula demitur, sed corpus peccatorum carnis, id est, totus vetus homo deponitur atque exuitur, quae est circumcisio Christo propria, non Mosi. Igitur *corpus peccatorum carnis,* quod hac Christi circumcisione exui dicit Apostolus, idem est, cum *veteri homine,* quem et alibi vocat *corpus peccati.* Sic enim habet Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.*

Ex quibus etiam verbis intelligitur, quatenus in hac vita corpus illud peccati vel destruatur vel exuatur, nempe non

ita, ut peccatum omnino jam non sit, sed ut ei non amplius serviatur; quod fit, dum pravis ejus desideriis non consentitur, juxta illud, quod ibidem sequitur: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Vocatur autem *vetus homo corpus peccati,* quia constat veluti membris suis, quae hic pluraliter vocantur *peccata carnis;* et sub nomine *membrorum* ex parte enumerantur capite sequenti, cum dicitur: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram* etc. Nec ideo *carnis,* quod versentur in delectatione carnis et sensuum, cujusmodi proprie solent appellari carnis peccata, sed *carnis,* id est, carnalis concupiscentiae, quam spiritui opponit Apostolus Gal. 5. dicens: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Ubi et inter *opera carnis* quaedam recenset, quae corporis delectatione non perficiuntur. Sunt ergo eadem Apostolo *peccata carnis* et *opera carnis,* id est, ea omnia, de quibus illic dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

12. *Consepulti ei in baptismo.* Declarat, ubi et quando fiat circumcisio, de qua locutus est, quasi dicat: Circumcisi estis illa Christi circumcisione, quando simul cum eo sepulti estis in baptismo, id est, tunc quando baptizati estis. Docet hic locus circumcisionem Christianam, quae utique consistit in renovatione hominis et peccatorum remissione, fieri in baptismo, imo et per baptismum, quomodo vertunt recte hunc locum Erasmus et Hentenius. Nam ipse Apostolus sic loquitur Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Tametsi sensus eodem recidit. Etenim significatur, fideles, dum baptizantur, ea ipsa baptismi ceremonia Christo consepeliri, quatenus immersio, quae fit in baptismo, ita sepulturam Christi repraesentat, ut simul efficiat in nobis id, quod sepultura Christi significabat, nimirum veteris hominis nostri mortem et sepulturam. Verum quia non solum immersio, quae fit in baptismo, repraesentationem habet sepulturae Christi, sed etiam emersio speciem praebet resurrectionis ejus, ideo subjungit:

In quo et resurrexistis. Graece rursus compositum verbum est, *consurrexistis,* id est, simul resurrexistis, ut legit Ambrosianus. Sensus est: In quo vel per quem baptismum etiam simul cum Christo resurrexistis, id est, novam vitam adepti estis: ut sicut ille resurrexit a mortuis ad novam vitam corporis; ita vos resuscitati a morte peccati, et novi homines facti, deinceps in novitate vitae ambuletis. Hoc enim modo pluribusque verbis rem istam explicat Apostolus, loco jam citato ad Rom. 6.

Per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Resurrectionem nostram spiritualem, qua a morte peccati ad novitatem vitae resurreximus, ita baptismi sacramento attribuit, ut etiam fidei tribuendam meminerit; sicut Ephes. 5. *mundationem Ecclesiae* simul utrique adscribit, cum ait: *mundans eam lavacro aquae in verbo.* Sensus est: Per fidem, qua credidistis efficacem et potentem operationem Dei, qua Christum a morte suscitavit; hoc est, per fidem resurrectionis ejus divina virtute factae. Quae fides etsi non sola sufficiat, eam tamen peculiariter nominat Apostolus, per congruentiam quandam; quia nimirum de resurrectione tam nostra, quam Christi loquebatur.

Alias expositiones hujus partis, quas refert Sasboldus, ut coactiores minusque probabiles, omittimus. Nam loqui Apostolum de potente operatione Dei suscitantis Christum a mortuis, ostendit similis locus Ephes. 1. *secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis.* Porro quae jam dicta sunt ab eo loco: *In quo et circumcisi estis* etc., eo spectant, ut doceatur, circumcisionem carnalem, quam exigebant Judaizantes, jam per Christum commutatam esse in spiritualem circumcisionem; qua non solum a peccatis purgati, verum etiam in novam vitam restituti simus. Quo pertinet id quod sequitur:

13. *Et vos cum mortui essetis in delictis et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo.* Locus hic ut bene intelligatur, conferendus est cum eo, qui est ad Eph. 2., utpote ei plane similis. Vulgata apud enarratores utriusque loci expositio talis est: Deus vos cum antea fuissetis spiritualiter mortui per delicta, seu peccata vestra, in quibus vivebatis, et per praeputium carnis vestrae, id est, per concupiscentiam, et opera carnis praeputio significata, haec enim omnia sunt mors quaedam animae: nunc una cum Christo resurgente revocavit ad vitam spiritualem.

Verumtamen nonnulli, qui hunc utrumque locum consentire existimant cum alio priore, qui est Rom. 6., ubi *mortuos peccato* vocat eos, qui peccato amplius nec serviunt, nec communicant; quomodo mortui non communicant, nec conversantur cum viventibus: credunt alium esse sensum Apostoli tam ad Ephes. 2., quam hoc loco, sensum, inquam, hujusmodi: Et vos jam mortuos peccatis, id est, cum peccatis nihil amplius habentes commune, utpote Christo commortuos et consepultos in baptismo, sicut jam dictum est; insuper etiam una cum illo vivificavit, id est, vobis novam dedit vitam justitiae et bonorum operum. Hoc enim est, quod dixit Rom. 6. *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato; viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.*

Verum cur iste sensus non quadret huic loco, obstat praepositio *in,* quae hoc loco tam in Graecis, quam in Latinis codicibus constanter legitur. Quo fit, ut retinenda sit vulgata interpretum expositio. Quae eadem adhibenda est illi sententiae, quae est ad Eph. 2. in principio: quum sit plane eadem, ut supra dictum est, ut patet inspicienti.

Alium sensum esse dandum his, quae leguntur ad Rom. 6., res ipsa loquitur consideranti, quae illic sunt a versu 2. usque ad 11., ubi etiam ostendimus, hanc esse phrasim Apostolo familiarem, qua dicit, aliquem mortuum esse ei, cum quo nihil habeat commune. Sic ait Rom. 7. *Mortificati estis legi.* Et Gal. 2. *Per legem legi mortuus sum.* Tale est et illud Gal. ultimo: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Sic ex adverso dicuntur *vivere Deo* Rom. 6. et Gal. 2., qui Deo serviunt et operum cum eo communionem habent. Jam in eo, quod dicit: *Praeputio carnis vestrae;* notanda metonymia, qua signum pro re signata ponitur. Nam praeputium, quod circumcisione tollebatur, signum erat peccati, cum quo nascimur, et operum carnis, quae ex eo sequuntur; sicut ipsa circumcisio signum erat spiritualis circumcisionis, qua per Christum a peccatis mundamur. Hujus ergo circumcisionis nostrae significandae gratia voluit Apostolus, contra Judaizantes, ipsius etiam praeputii significationem exprimere.

Donans vobis omnia delicta. Graece *nobis;* quemadmodum et Ambrosianus legit. Consonant et sequentia, *nos* et *nobis.* Sed aeque favent Latinae lectioni praecedentia, *vos* et *vestrae:* cur autem in sequentibus mutet personam, infra dicemus. *Donare* pro condonare dixit interpres, ex Graeci verbi imitatione. *Omnia delicta,* sive peccata, intellige tam actualia, quam originale. Quod enim Calvinus hoc loco scribit scholasticorum esse opinionem, quod meritum Christi se tantum extendat ad condonationem originalium peccatorum; calumnia est haeretico digna. Videri autem potest ex his Apostoli verbis: *Convivificavit vos, donans* etc. vivificari hominem quodam modo etiam ipsa remissione peccatorum; quatenus scilicet per eam solvitur et aboletur vinculum mortis aeternae.

14. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Graece et Syriace: *Decretis,* ut sit ablativus instrumenti. Quam lectionem exhibent etiam Latina quaedam manuscripta. Atque ad eam accedunt Ambrosianus in textu, et Augustinus epist. 59. quaest. 7. dum legunt, *in decretis.* Lectio Ambrosiana est: *Deleto quod adversum nos erat chirographo,*

in decretis. Videri potest adjectam *in* praepositionem ex loco Eph. 2. *Legem mandatorum decretis evacuans;* ubi Graece est, *in decretis.* Porro variant hoc loco interpretes, praesertim Latini, dum quaerunt, quod decretum, vel quae decreta dicat Apostolus. Item quod chirographum nobis adversum, sive contrarium.

Verum nihil praesentius, quam ut ex loco jam citato Ephes. 2., qui huic persimilis est, totum hoc exponatur. Ostensum est autem illic, *legem* intelligi veterem a Mose latam: *decreta* vero novi testamenti praecepta cum promissionibus a Christo tradita, et in locum Mosaicae legis substituta. Vocatur autem ea lex ab Apostolo hic *chirographum nobis contrarium;* sumpta metaphora ab iis, qui debent per chirographum, id est, scriptam sua manu debiti confessionem, neque tamen solvendo sunt. Quales erant Judaei, qui audita lege dixerant Mosi: *Omnia quae locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes* Exod. 24., qui item suscepta circumcisione debitores se fecerant universae legis faciendae; Gal. 5. Nec vero simplex erat illa obligatio: sed sub poena maledictionis et mortis, in eodem ipso chiragrapho, id est lege, expressa.

Loquitur autem nunc Apostolus in persona Judaeorum utens pronomine primae personae: *Quod adversum nos erat, quod erat nobis contrarium,* cum antea in secunda persona locutus fuisset. Lex igitur instar chirographi Judaeos accusabat, mortisque reos arguebat; quia justificare non poterat. Unde et legislatio Mosis *ministratio mortis et damnationis* ab eodem Apostolo vocatur 2 Cor. 3. Hoc chirographum Christus delevit decretis, sive edictis suis, id est, per legem suam evangelicam; velut si rex quispiam edicto publico aboleat omnia sibi debitorum chirographa. Vult enim docere Apostolus, legem veterem per Christum abolitam esse, totamque ejus obligationem cessare, introducta lege Christi: idque contra Judaizantes, qui Colossenses legi subjicere conabantur. Hunc sensum praecipue a Graecis interpretibus probatum confirmat illatio paulo post subjuncta: *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu* etc.

Quare qui chirographum nobis contrarium interpretantur legem homini datam in paradiso, aut mortis aeternae obligationem, quam omnes peccando, quasi scribendo, incurrimus; illi sensum hujus loci ultra mentem Apostoli extendunt. Fallitur etiam Cajetanus, dum persistens in commentario, quem dederat Eph. 2., vocabulum *decretis* refert ad legem veterem; quasi sensus sit, Christum delevisse chirographum scriptum in favorem decretorum veteris legis adversus nos. Quem commentarium satis eodem illo loco refutavimus.

Probabilior foret commentarius, si per decreta haec intelligerentur praecise ceremonialia praecepta legis veteris, quibus illa lex erat quasi contraria gentilibus, propter ipsorum gravitatem et multitudinem eos a Judaismo absterrens: imo et ipsis Judaeis per easdem causas importabilis, ut Apostolus Petrus ait Act. 15. Et hic commentarius posset probabilitatem accipere ex hujus cap. v. 20., ubi dicitur: *quid adhuc dogmatizamini,* seu decernimini, ut est Graece, quasi dicat, quid adhuc decretis oneramini? tanquam ad haec decreta respiciatur. Sed facile potest responderi, intelligi alia atque alia dogmata seu decreta vel edicta: hic Christi, illuc Judaica, quae per Christi decreta evacuantur.

Unum hoc adjicio, praeter mutationem personae secundae in primam in verbis Apostoli, de qua jam diximus, etiam aliam latentiorem personae mutationem in iis observandam esse, qua nimirum tacite transit ad Christum, cum prius de Deo Patre loqueretur. Quod enim dixit: *Qui suscitavit illum a mortuis,* ad Deum Patrem pertinet; quemadmodum et id quod sequitur: *Et vos convivificavit cum illo.* Istud autem: *Donans vobis omnia delicta,* potest et ad Patrem et ad Christum referri.

Quod vero deinde subjungitur: *Delens*

quod adversus nos erat chirographum etc. omnino referendum videtur ad Christum, sicut et caetera, quae sequuntur. Id quod etiam probat locus ille Eph. 2. *Legem mandatorum decretis evacuans;* ubi manifeste de Christo sermo est. Tametsi dissentit hoc loco Cajetanus; qui contextum apostolicum urgens, vult totam sententiam ad Deum Patrem, non ad Christum referri.

Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Affigens in Graeco praeteriti temporis et participium, quasi dicit, *cum affixisset.* Non igitur significatur Christus prius e medio tulisse chirographum nobis contrarium, et postea cruci illud affixisse: sed ea ratione sustulisse e medio, quia illud, velut e manibus accusatoris extortum, cruci affixerit atque disruperit. Itaque sensus est, Christum sustulisse chirographum mortis, id est, legem Mosaicam, per suam mortem, quam in cruce sustinuit. Sic ad Eph. 2. dicitur *per crucem suam interfecisse inimicitiam, quam inter duos populos lex Mosaica faciebat;* ipsa nimirum lege sublata. Est autem totus hic sermo Apostoli figuratus ac mire grandis, utpote magnitudini materiae congruens. Unde adhuc sequitur:

15. *Et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Et expolians principatus,* Graece sine conjunctione, ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, id est, *exuens* vel *cum exuisset principatus* etc. Sic Ambrosius lib. 3. de fide cap. 2. participium videtur accepisse absolute, ut accusativi *principatus* et *potestates* tantum referantur ad sequens verbum *traduxit.* Legit enim et exponit, *exuens se carnem;* videlicet addita dictione *carnem,* quam ut vestem Christus semetipsum exuisse per mortem significetur.

Verum ad significandam Christi victoriam et triumphum, quem egit de potestatibus adversariis, multo magis convenit accusativos medios ad utrumque referri, id est, tam ad participium praecedens, quam ad verbum subsequens, ut patebit ex declaratione sententiae. Pro verbo traduxit in Graeco est ἐδειγμάτισεν, id est, *ostentavit.* Atque ita legit commentator Ambrosianus. Apud Augustinum vero passim legitur *exemplavit,* voce parum Latina, sed qua Graecae vocis significatum propius exprimatur. Loca sunt lib. 4. de Trinitate cap. 13., lib. de agone Christiano cap. 2., lib. 16. contra Faustum cap. 24. et in epist. 59.

Pro duobus adverbiis, *confidenter, palam,* Graece est ἐν παῤῥησίᾳ, id est, *palam,* ut habet Commentarius Ambrosianus; aut *libere,* ut vertit interpres Origenis hom. 8. super librum Josue, aut *fiducialiter,* ut legit Augustinus: sic enim et noster interpres alibi vertit. Suspicor autem, duo vocabula, quae nos habemus, ex diversis translationibus accepta esse. Quocirca, qui ea dividunt, ut prius referatur ad praecedens verbum, *traduxit,* posterius ad proximum *triumphans;* recedunt ab originali Scriptura, quae unicam habet dictionem, quam fere commentatores, et quidem recte, ad praecedens verbum referunt.

Jam in eo, quod sequitur, *triumphans illos,* Graecam phrasim retinuit interpres, pro eo quod diceret triumphans de illis, scilicet de hostibus devictis atque subjectis. Phrasis autem diversa ab ea, qua dixit idem Apostolus 2 Cor. 2. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu,* id est, triumphare nos facit. De qua satis egimus suo loco. Denique illud: *in semetipso,* idem est, quod per semetipsum, id est, suis ipsius viribus. Potest autem verti *in ipsa,* sive *per ipsam,* scilicet crucem, quae Graecis est masculini generis. Atque ita Theophylactus et Oecumenius exponunt.

Cajetanus autem, qui totum hunc locum refert ad Deum Patrem, conformiter censet, non *in semetipso* vertendum fuisse, sed, *in ipso,* sive *per ipsum,* scilicet Christum. Et quidem ita legit et exponit commentator Ambrosianus, licet textus commentario insertus diversa verba habeat, ista nimirum: *triumphans de illis*

per seipsum. Atqui commentarius arguit eum legisse: *Detriumphans illos in ipso;* quod exponit: *triumphans de illis per ipsum,* scilicet Christum. Nam et in expositione epistolae ad Rom. cap. 8, locum hunc citat iisdem verbis. Hujusmodi discrepantiam textus a commentario, quam fecit vel inscitia vel impudentia scribarum, saepe alias observavimus, non sine molestia; tum in hoc Ambrosiano pseudepigrapho, tum in aliis enarratoribus Scripturae sacrae. Porro cur minus placeat, Apostoli verba ad Deum Patrem referri, jam ante dixi.

Igitur nostrae versionis sensus est: Et principatus seu potestates adversarias, hoc est, daemones, exutos ac spoliatos imperio, quod habebant in homines, juxta id, quod Christus paulo ante passionem praedixerat: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* Joan. 14., palam ostentavit omnibusque spectandos exhibuit in triumpho, quem de iis egit, victoria per semetipsum suisque viribus ac sanguine parta, velut fortior ille Evangelicus, qui fortem armatum superveniens vicit atque exspoliavit Luc. 11. Schema sermonis apostolici sumptum a victoribus, qui praecipuos ac potentiores captivos in triumpho, cum ostentatione, ducere solent; quibus autem daemones devictos ac spoliatos ostentavit Christus, nisi beatis angelis et justis hominibus, qui virtutem crucis ejus per fidem cognoverunt? Sed ea ostentatio perfectissime continget in die judicii extremi, quando coram toto mundo daemonum malitia simul et imbecillitas a Christo victore cum maxima eorum ignominia declarabitur. Hac parte Simoniani perstringuntur: tum in eo, quod dicitur *principatus* et *potestates,* tum per illud: *in semetipso.* Haec enim significant, Christum angelis esse virtute majorem, nec illorum opus habere auxilio ad exsequendum reconciliationis humanae negotium.

16. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu.* Jam ostenderat Apostolus sub nomine chirographi deleti ac lacerati, legem Mosaicam sublatam esse per Christum. Ex eo nunc infert et concludit contra Judaizantes: *Nemo igitur,* inquit, *vos Colossenses ob cibum aut potum judicet,* quasi culpae reos; nemo propter haec religionem vobis injiciat, tanquam de lege violata, qua certa ciborum genera prohibentur. Nam de legalibus hic Apostolum loqui nullum est dubium. Sequitur enim mox de neomenia et sabbatis. Quare qui locum hunc proferunt ad reprehensionem discriminis ciborum, quod edomandae carnis aut concupiscentiae causa Christi fideles observant, verbo Dei nequiter abutuntur.

Dicet aliquis, si de legalibus agit Apostolus: unde hic potus mentio, cum in lege nullus potus ut immundus inveniatur prohibitus? Respondeo, Scribas et Pharisaeos legalibus a Deo per Mosem institutis multas alias observationes ab ipsis adinventas, quo admodum religiosi et sancti haberentur, adjunxisse; quales erant lotiones illae frequentes manuum ac totius corporis, aliarumque rerum, de quibus Marc. 7. Verisimile igitur est, ex horum traditione etiam genera quaedam potus interdicta fuisse. Quanquam dici potest cum Cajetano potum secundum legem fuisse immundum, si forte biberetur ex vase carente operculo. Nam hujusmodi vas immundum esse, lex statuit Num. 19. Videat lector Hebr. 9., ubi dicitur: *Solummodo in cibis et potibus* et caet. et ibi Ribera.

Aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum. Nemo vos, inquit, judicet ob festum aliquod Judaicum, aut neomeniae, hoc est calendarum seu novilunii diem, aut sabbata, non observata. *Diem festum,* ut a *neomenia* et *sabbato* distinguatur, interpretari possumus eum, qui non saepius in anno recurrit, sicut neomenia et sabbatum, sed semel tantum, ut pascha, pentecoste, scenopegia etc. Cur autem dicat: *in parte diei festi,* et non in die festo, rationem hanc adferunt, quod Judaizantes non exactam festorum observationem a Colossensibus exigerent, quando nec ipsi legis ceremonias per omnia servarent, juxta

illud Gal. 6. *Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt.* Res enim erat propemodum impossibilis, teste Petro Apostolo Act. 15. Sed satis illis erat, si cum circumcisione reliquam legem facerent a gentilibus saltem ex parte observari; ut sic eos ad ritum suum Judaicum se traduxisse, gloriari possent. Cajetanus autem sic exponit: *In partitione festi a non festo, tam in diebus, quam in mensibus et sabbatis.* Alii sic: *In parte,* id est, in negotio; quasi dicat, in observatione dierum festorum. Simile illud est 2 Cor. 9. *Ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte.*

17. *Quae sunt umbra futurorum;* id est, quae sunt obscurae significationes rerum futurarum. Nam tota lex ceremonialis typica erat et prophetica; non clare, sicut quaedam prophetarum verba, sed obscure futura praenuntians.

Corpus autem Christi. Sensus: Corpus autem, cujus illa sunt umbra, Christi est: hoc est, veritas illorum signorum in Christo adimpletur: illius umbrae corpus est Christus. Videtur enim transitiva locutio posita pro intransitiva. Cum ergo corpus, id est, Christus jam advenerit; stultum est, umbram ejus jam retinere velle. Haec enim est vis argumentationis apostolicae, quae in his verbis latet.

18. *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum.* Duo dixerat: *Christum delevisse chirographum* etc. et *Christum exspoliasse principatus* etc. Ex priori intulit contra Judaizantes: *Nemo ergo vos judicet in cibo* etc. Ex posteriori nunc concludit contra Simonianos, docetque, inanem et fallacem eorum philosophiam, quae magna parte in superstitiosa religione angelorum consistebat, cavendam esse. Graecum verbum καταβραβευέτω, pro quo vertit, *seducat,* derivatum est et compositum ἀπὸ τοῦ βραβείου, id est, praemio. Non significat autem, ut Valla putavit, ad praemium evocare; sed praemium intercipere, a praemio impedire. Unde recte Erasmus et eum secutus Hentenius verterunt: *Ne quis vobis palmam intervertat.* Ea significatio manifeste colligitur ex Graecorum commentariis, et ex iis, quae scribit Hieronymus ad Algasiam quaest. 10., ubi hoc Graecum verbum docet ex iis esse vocabulis, quibus juxta morem urbis ac provinciae suae familiarius usus est Apostolus. Exponit autem tunc dici, quando quis in certamine positus iniquitate agonothetae vel insidiis magistrorum βραβεῖον et palmam sibi debitam perdit.

Igitur vel ex hoc vocabulo, quo usus est Paulus, doceri potest adversus haereticos, vitam aeternam, de hac enim palma sentit Apostolus, non solum ut donum gratuitum expectandum nobis esse, verum etiam ut praemium ac mercedem per Christum nobis propositam ac promerendam. Participium *volens,* etsi prima fronte referendum videatur ad verbum *seducat,* ut sensus sit, nemo volens, id est, studio ac de industria vos decipiat, ac praemium eripiat, quod et vult Erasmus in sua versione, dum pro eo reddit: *data opera:* rectius tamen alii, praecipue Graeci, referunt ad id, quod sequitur, *in humilitate et religione;* ut hic sensus sit, *volens in humilitate,* id est, affectans humilitatem; *et volens in religione angelorum,* id est, affectans religionem angelorum. Nam etiam posteriori parti applicandum esse participium, ex ipso Apostolo discimus, qui paulo post composito vocabulo scribit ἐθελοθρησκεῖαν, id est, voluntariam seu affectatam religionem; quam etiam interpres vertit *superstitionem.* Quae enim ibi componit Apostolus in unam dictionem, phrasi Graecis usitata, hic duabus effert dictionibus, licet non sine obscuritate et praeter usum Graeci sermonis; ut propterea locus hic non immerito ex iis esse videatur, in quibus locum habeat illud Apostoli, *etsi imperitus sermone, sed non scientia* 2 Cor. 11. Nisi Hebraismus sit, qualis ibi: *Non est mihi voluntas in vobis.* Mal. 1.

Caeterum compositio illa vocis θέλω vel ἐθέλω cum aliis apud Graecos non usum modo, sed et elegantiam habet; ut norunt, qui in Graecis auctoribus sunt versati. Nam et Epiphanius, in haeresi

Dositheorum, ἐθελόσοφον dixit pro eo, qui sapientiam affectat: et de Pharisaeis agens tribuit eis ἐθελοπερισσοθρησκείαν tricomposito vocabulo, id est, supervacaneam religionem sponte assumptam, sive affectatam. Neque eam vim Graecae compositionis Augustinus ignoravit; qui in epist. dudum citata ad Paulinum, ubi totum hunc Apostoli locum pertractat, dicit, etiam in Latino populari sermone usitatum esse, ut exempli gratia, qui divitem affectat, dicatur thelodives; et qui sapientiam, thelosapiens, et caetera ejusmodi. Igitur, inquit, et hic thelohumilis dicitur volens videri humilis, affectans humilitatem. Breviter ergo sensus Apostoli est: Cavete, ne quis vobis exspectatum praemium avertat per affectatam humilitatem et religionem angelorum.

Proferri solet hic locus ab haereticis contra sanctorum cum Christo regnantium invocationem, inter quos utique sunt angeli: nam hujusmodi invocatio religio quaedam esse videtur. Ut huic objectioni respondeatur, videndum, quinam tempore Pauli fuerint, contra quos haec dicta intelligi possint. Hieronymus quaest. 10. ad Algasiam, quem Anselmus sequitur, contra Judaeos dicta putat, qui non solum tunc, verum etiam antiquitus a tempore prophetarum dediti fuerint cultui astrorum coeli simul et angelorum. Sed *angelos* exponit refugas seu malignos spiritus. Huic sensui nonnulla probabilitas accedit ex Clemente Alexandrino, qui libr. 6. Stromatum ita scribit: *Neque colite Deum ut Judaei, qui soli se Deum nosse putantes, nesciunt se adorare angelos et archangelos, mensem et lunam* etc. Juxta hunc commentarium facile respondetur haereticis, Apostolum agere de cultu daemonum, non bonorum angelorum.

Verum quia nulla tradit historia, Judaeos post reditum ex captivitate Babylonica relapsos fuisse ad cultum falsorum deorum; unde nec a Christo, nec ab Apostolis, nec ab Stephano in Actis de ea re leguntur reprehensi: propterea non admodum probabilis est hic Hieronymi commentarius. Idcirco et Anselmus alium adfert sensum, ut illi dicantur seducere homines in humilitate et religione angelorum, qui specie religionis ac sanctitatis, tanquam essent angeli seu nuntii Dei, sese hominibus insinuant, eosque decipiunt. Ita quoque exponunt glossa interlinealis, Lyranus et Cajetanus: sed coactam esse hanc expositionem facile est animadvertere.

Sunt quibus non improbabile videatur, Apostolum respicere ad perversum dogma Cerinthi, qui cum de Christo adeo humiliter sentiret, ut nihil in eo divinitatis agnosceret, sed nudum hominem fuisse diceret, angelos longe supra eum extollebat, utpote mundi ac naturae opifices; quorum etiam unus, per quem lex data fuisset, Deus esset Hebraeorum. Haec enim atque hujusmodi de eo referunt Irenaeus, Epiphanius et Theodoretus de haeresibus disserentes, nec non Tertullianus lib. de praescriptionibus advers. haeret. cap. 48. Videre licet Baron. Anno Christi 60. §. 18. et seq.

Porro Chrysostomus et sequaces ejus existimant, Apostolum agere contra quosdam haereticos docentes non per Christum, sed per angelos accedendum esse ad Patrem. Indignum enim esse majestate unigeniti Filii Dei, ut is fieret hominum peccatorum apud Patrem intercessor ac deprecator, sicut in regno terreno rem se indignam facere putaretur filius regis, si vilem aliquem homuncionem capitis reum ad patrem duceret reconciliaturus. Itaque Christi loco angelos, quibus id magis congrueret, nostros ad Deum mediatores constitutos esse. Atque hanc esse volunt doctrinam affectatae et perversae humilitatis et religionis angelorum, quam hic damnat Apostolus: humilitatis quidem, dum Christum majorem esse dicunt, quam qui sese ad officium mediatoris parvitati nostrae praestandum inclinet, religionis autem angelorum, dum idem officium angelis deferunt. Ita vero docuisse Simonem magum, qui per id tempus multos habebat discipulos, arbitrantur Sasboldus et alii nonnulli ex iis, quae tradunt Epiphanius ac caeteri, qui

de Simonis haeresi scripserunt. Inter quae illud est, eum offerre docuisse per mediatores angelos, quos hauserat ex philosophia Platonis.

Haec Graecorum sententia eatenus nobis probatur, quatenus ab haereticis quibusdam, sive illi Simoniani fuerint, sive Cerinthiani, sive alii, cultum quemdam angelorum fuisse introductum affirmat; perinde quasi angeli essent vel creatores mundi, vel nostri ad Deum mediatores, nostrique reconciliatores. Horum sententia valde probabitur, si legatur Tertullianus de praescript. cap. 33. in fine et cap. 46. in princ. et utroque loco annotatio Pamelii. Verum qua parte dicunt id factum, ex humilitate erga majestatem Christi, velut longe excellentioris, quam cui mediatoris officium competeret; id nullo modo convenit cum scopo Apostoli, cujus studium est in hac Epistola et ea, quam scripsit ad Ephesios, Christi dignitatem extollere supra angelos, ut ex multis utriusque Epistolae locis liquet. Hinc enim satis apparet, eos, contra quos Apostolus agit, minuisse Christi dignitatem etiam infra angelos. Unde et in Epistola, quam ad Hebraeos scripsit, studiose id agit, ut ostendat Christum angelis esse majorem cap. 1. et 2., quoniam Judaei carnales suum Messiam faciebant angelis minorem.

Quocirca dicendum videtur, Apostolum hic agere contra quosdam, qui ex ethnica philosophia, quae de geniis, daemonibus ac minoribus diis inaniter multa contemplabatur, cultum eorum introducere conati fuerint, sub nomine angelorum, docentes, nos mediantibus angelis purgari oportere. Nam et hoc Platonici quidam docuerunt. Id vero erat Christi officium ad angelos transferre, non ea ratione, quod Christum dicerent majorem, quam qui se huc dimitteret, sed quod angelos propter excellentem eorum naturam etiam supra Christum honorarent. Igitur horum affectata et perversa humilitas in eo erat, quod cultu quodam religionis summitterent se iis, quibus et quomodo non deberent, scilicet angelis. Nam religio proprie accipitur, qua nimirum alicui naturae tanquam divinae cultus et ceremonia adfertur. Sic enim Tullius citante B. Thoma 2. sec. q. 81. art. 1. religionem definit.

Ex quibus jam liquet, hunc Apostoli locum nihil prorsus facere contra venerationem et invocationem Sanctorum in Ecclesia Dei frequentatam. Non enim cultus divinus eis exhibetur, neque loco Christi mediatores constituuntur; sed ad Christum, qui unus est mediator Dei et hominum, intercessores ex parte nostra adhibentur. Hoc autem recte fieri ipse etiam Apostolus exemplo suo nos docet; qui cum alibi, tum in hac eadem epistola cap. ultimo, Colossenses requirit apud Deum intercessores: *Orantes,* inquit, *simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis* etc. Quibus sane verbis nec Christum mediatorem exclusit, nec alios a Christo mediatores quaesivit, tales scilicet, qui proprio suo merito, quod solius Christi est, Deum redderent hominibus placatum.

Ad id vero, quod ex commentario Theodoreti solet ab adversariis adferri, in quo dicitur hoc vitium cultus angelorum diu mansisse in partibus Phrygiae et Pisidiae; et propter hoc Synodum Laodiceae habitam, quae est Phrygiae metropolis ac Colossensium vicina, lege prohibuisse ne precarentur angelos: et quidem ad suam usque aetatem extitisse apud illos et eorum finitimos oratoria S. Michaëlis: breviter respondemus, Theodoreti mentem ex canone Laodiceno 35., ad quem sine dubio respicit, explicandam esse. Sic autem habet: *Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, et ad angelos, idololatriae abominandae congregationes facere. Quicunque autem inventus fuerit occultae huic idololatriae vacans, anathema sit; quoniam relinquens Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, accessit ad idola.*

Loquitur ergo tam Theodoretus quam Laodicena synodus de cultu, quo divinus honos angelis per idololatriam, more gentilium, exhibebatur. Quod autem in ejus rei argumentum Theodoretus assumit,

adhuc illis in locis extare S. Michaëlis oratoria; nequaquam sentit, hujusmodi oratoria esse reliquias cultus idololatrici angelis aliquando exhibiti, quae proinde sunt abolenda. Nam illa a Christianis, more Christiano, et ad usum Christianum exstructa erant. Quod et oratorii nomen satis declarat. Sed profecto non aliud vult, quam illis in partibus cultum angelorum illicitum prudentia episcoporum paulatim in eum, qui licitus sit, et qualis exhibetur sanctis in eorum oratoriis, commutatum fuisse.

Quae non vidit ambulans. Ambrosianus sine negatione legit: *In his quae videt extollens se.* Meminit et Augustinus ad Paulinum omissae negationis, sed minus probat; ac merito, cum Graeca omnia atque etiam Latina, quae nunc extant, negationem habeant. *Ambulans,* Graece est ἐμβατεύων, pro quo Augustinus legit, *inculcans;* Ambrosius quid habeat, jam dictum est. Hieronymus significari putat eum, qui tumens ambulat, mentisque superbiam gestu corporis praefert. Id secutus Erasmus vertit: *In iis, quae non vidit, fastuosus incedens;* id est, cum fastu et supercilio de iis, quae non vidit disserens, perinde atque si vidisset. Caeterum Budaeus in comment. linguae Graecae bene probat ex Graecis auctoribus ἐμβατεύειν idem esse quod pedem in aliquid ponere, immiscere se alicui rei, inire possessionem. Atque ita non erit vertendum, *in iis;* sed, *in ea, quae non vidit, immittens pedem, ingerens sese;* hoc est, sequens somnia sua, quae sunt de rebus nunquam visis, et quae nusquam existunt. Qui sensus optime quadrat in Simonianos, ac similes haereticos; qui, ut admirationi essent, arcana quaedam et stupenda tradebant de coelis et angelis, quorum nullam poterant adferre rationem, tantum affirmabant ac si vidissent.

Frustra inflatus sensu carnis suae. Graece, *a mente carnis suae.* Consonant Ambrosianus et Augustinus, nisi quod praepositionem omittunt, ut ad sensum non necessariam. Cum, inquit, falsa sit scientia, quam jactat, frustra inflatur, id est, in superbiam erigitur a corde seu cogitatione sua carnali. Ideo frustra, secundum mentem Apostoli, quia vane et sine causa; quomodo frustra quis inflatur de falsa nobilitate; hanc enim significationem adverbii *frustra* observare est in sacris literis, ut Exod. 20. et Deut. 5., ubi pro eodem ponuntur, *frustra* et *in vanum* nomen Dei assumere, et Job. 2. *Ut affligerem eum frustra,* id est, immerito. Quaeret aliquis, quomodo nunc inflatum dicat, cui modo tribuebat humilitatem? Facilis est responsio, non humilitatem simpliciter, sed affectam humilitatem, quae utique falsa est, illic intelligi.

19. *Et non tenens caput,* id est, non obtinens caput, non inhaerens capiti, quod est Christus; sed per falsam angelorum religionem ab eo alienus. Latenter indicat, Christum etiam angelorum esse caput, ut quibus capite relicto non sit cultus exhibendus.

Ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. Graece: *Ex quo totum corpus per commissuras et colligationes,* seu *connexiones, subministratum et compactum, augescit augmentum Dei,* vel *augmento Dei.* Est enim haec phrasis, qualis illa, vivit vitam, servit servitutem. Porro locus hic plane similis est illi Eph. 4. *Ex quo totum corpus compactum et connexum* etc. et proinde ex ejus collatione interpretandus, in hunc modum: *Ex quo,* nimirum Christo capite, *dependens atque influxum accipiens universum corpus,* quod est ecclesia, *per aptas connexiones membrorum constitutum et compactum,* crescit secundum Deum, id est, augmento divino ac spirituali.

Nominavit autem *augmentum Dei,* ad discrimen augmenti naturalis, quale competit corpori naturali et organico, a quo sumpta est hujus loci metaphora. Quum autem dicit, *totum corpus crescere;* tacite significat omnia membra proportione quadam augeri, idque per charitatem. Quod expressius ad Ephes. ita scriptum est: *In mensuram uniuscujusque mem-*

bri augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. Jam sicut per charitatem totum corpus augetur, ita et charitate membra inter se connectuntur; nam, ut dicitur capite sequenti, *charitas est vinculum perfectionis.* Cur autem non sit consequens, si totum Christi corpus crescit in augmentum Dei atque in charitate, malos, qui hujus augmenti non sunt participes et charitatem non habent, in corpore Christi, hoc est, in ecclesia non esse; dictum a nobis est in ejusdem loci ad Ephes. commentario.

20. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi.* Pronomen *hujus* redundat secundum codices Graecos et Syriacos et nonnullos Latinos, quibus et Hieronymus favet in epistola ad Algasiam. Nam et supra absolute dictum est, *elementa mundi;* sicut et Gal. 4. Quanquam mundum non alium intelligit Apostolus quam hunc, quem oculis corporeis videmus. Quae vero dicat *elementa mundi,* potest ex superioribus intelligi. Cum enim nunc redeat ad dehortationem Judaismi, satis apparet, eum respicere ad ceremonias legis Mosaicae; quod et Hieronymus affirmat. Vocantur autem *elementa mundi,* quia rudimenta religionis erant, sed mundana, crassa et carnalia, utpote carnali populo convenientia. Porro *mortui ab elementis,* eodem Hieronymo teste, idem est quod *mortui elementis,* quomodo Rom. 6. qui baptizati sunt, *mortui peccatis* dicuntur. Quod igitur Apostolus dicit, tale est: Quandoquidem commortui estis Christo per baptismum, ita ut sicut ille secundum carnem mortuus est, sic et vos non solum peccatis, verum etiam elementis mundi, id est, quibuscunque carnalibus initiamentis, quales sunt ceremoniae Judaicae, mortui sitis; hoc est, cum illis nihil amplius habeatis commune: cum hoc, inquam, ita sit:

Quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? Graece: *Quid tanquam viventes in mundo decernimini?* tametsi Graecum δογματίζεσθε cum sit medium, possit etiam active sumi; quomodo nobiscum legunt Ambrosianus, Hieronymus, Augustinus. At Graeci omnes passive exponunt, etiam cum exclusione sensus activi. Idque sane convenientius. Non enim Colossenses decernebant, id est, juxta significationem Graeci vocabuli, dogmata statuebant, sed accipiebant ab aliis. Itaque sensus est: Quid quasi essetis adhuc abnoxii elementis mundi, more puerorum rudimentariorum dogmatizamini? id est, edicta seu decreta patimini; sinitis vobis edici ac praecipi; vel ut Erasmus vertit, *decretis tenemini,* aut decretis oneramini. Nam dogma decretum, edictum ac praeceptum significat, ut Lucae 2. Actor. 16. et alibi. De quibus vero decretis seu praeceptis loquatur, consequenter ostendit, adhuc enim pendet oratio.

21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Haec verba in Graeco singularis numeri sunt; referuntur autem ab Apostolo per mimesim, tanquam verba pseudapostolorum, edicentium: *Ne tangas,* exempli gratia, morticinum, neque vestimentum mulieris menstruatae, aut scabellum in quo sederit; *ne gustes,* carnem suillam aut leporinam, aut de pisce, qui squamas et pinnulas non habeat; *ne contrectes,* emendo aut vendendo quicquam talium.

22. *Quae sunt omnia in interitum ipso usu.* Hanc partem Augustinus et alii nonnulli de decretis jam dictis et similibus exponunt; hoc sensu: Quod totum genus praeceptorum ducit ad interitum et mortem aeternam eos, qui illis utuntur, eaque observant. Erat enim lex mortifera omnibus eam ut necessariam observantibus. Verum Hieronymus et Graeci referunt ad aliquid subintellectum, nempe ad cibos, de quibus non gustandis erant praecepta. Qui quidem *in interitum sunt ipso usu* sive *abusu,* ut in Graeco est; id est, usu pereunt; quia in ventrem vadunt et in secessum mittuntur: ut indignum sit, salutem hominis ex illis suspendere, ac de iis multiplicare praecepta, quod Judaizantes faciebant. Abusum pro usu consumptivo etiam Latine dicunt Jureconsulti, de quo locus est

apud Ciceronem in Topicis. Non debet (ait ibi Tullius) ea mulier, cui vir bonorum suorum usufructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se petinere. Usus enim, non abusus, legatus est. Ea sunt inter se contraria. In quem locum sic Boëthius: Utimur his, quae nobis utentibus permanent: his vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt. Vide etiam in Pand. lib. 7. tit. 5. l. 5.

Secundum praecepta et doctrinas hominum. Non videtur hoc referendum ad proxime praecedentia: neque enim commode potest; sed per hyperbaton cum parte remotiori construendum, hoc modo: *Quid adhuc tanquam viventes in mundo decernimini,* seu *dogmatizamini, secundum praecepta et doctrinas hominum,* id est, cur sinitis vos regi praeceptis et doctrinis humanis, cujusmodi sunt: *Ne tetigeritis* etc.?

Sed quaeres: Cum hic sit sermo de legalibus a Deo institutis, quomodo ea vocat Apostolus praecepta et doctrinas hominum? Nam utique constat ex Evangelio Matth. 15. et Marci 7. *doctrinas et mandata hominum,* de quibus Jesaias prophetaverat (quo etiam respicere videtur Apostolus), in malam partem accipi, sicut et traditiones hominum; scilicet pro iis, quae ab hominibus humano sensu ac spiritu essent excogitata ac tradita. Quo etiam sensu accipiendum, quod Christus interrogat de baptismo Joannis, num de coelo esset an ex hominibus Matth. 21., quodque Gamaliel in concilio dixit Actor. 5. de Christi Evangelio: *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur.* Hoc argumento moti quidam, inter quos Cajetanus, totum hunc locum exponunt de superstitiosis praeceptionibus gentilis philosophiae, aut scholae Simonianae. Sed refellitur haec expositio. Nam illa praecepta: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis,* Judaica erant, quippe eodem pertinentia, quo illud, quod antea dixerat: *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu* etc., quod haud dubie de Judaicis observationibus dictum est.

Alii proinde respondent, instituta legis Mosaicae cum tantum usque *ad correctionis tempus fuerint imposita,* ad praenunciandum Christum venturum; completo eo tempore, et per hoc usu et officio significandi sublato, jam non ad legem Dei (non enim amplius obligant), sed ad hominum doctrinas ac praecepta pertinere, eorum, qui illa doceant adhuc observanda. Sic Chrysostomus et Theophylactus, quos et alii recentiores sequuntur.

Habet tamen et hic sensus difficultatem. Nam ea, quae ipso Deo auctore instituta sunt, quamvis jam abrogata, ad hominum doctrinas et praecepta relegare, nimis absurdum videtur. Neque scriptura aut Patres de iis usquam sic loqui videntur. Sed apte responderi potest: Non ipsa, quae Deus olim instituerat, vocantur doctrinae aut praecepta hominum, ne tunc quidem postquam Deo auctore jam sunt abrogata: sed illa hominum placita aut praecepta, quibus jubent quempiam iis parere tanquam Dei jussui, postquam abrogata sunt.

Quae responsio etsi sufficiat: tamen iidem Graeci interpretes aliam hujus loci suggerunt expositionem. Quoniam enim Scribae et Pharisaei legem non puram, ut a Deo per Mosen accepta erat, populo tradebant, sed eam humanis suis institutis, quas δευτερώσεις posteri eorum appellarunt, aut aggravabant aut etiam corrumpebant; sicut ostendit Dominus Matth. 15. et 23., idcirco legem Mosaicam, non simpliciter, sed institutis illis Pharisaicis commixtam atque corruptam vocasse videri Apostolum praecepta et doctrinas hominum. Nam quod ad hujusmodi instituta respiciat, etiam ex superioribus probabile aliquo modo fit; ubi non solum de cibo, sed et de potu vetito mentionem fecit; et non contentus dixisse: *Ne tetigeritis,* addidit, *ne contrectaveritis;* quod quia a priori diversum est, ad alia quaedam, quorum contactus non ipsa lege, sed hominum traditione fuerat prohibitus, referendum videtur. De quo genere traditionum plura qui volet, Hieronymum legat in epist. ad Algasiam.

Porro liquet ex dictis, quam inepte locum hunc haeretici producant adversus leges et constitutiones ecclesiasticas, tanquam et illae sint praecepta et doctrinae hominum, quas hic damnat Apostolus. Jam enim ostensum est, eo nomine significari non quicquid ab hominibus praecipitur aut docetur, sed praecepta et doctrinas ab humano spiritu profectas, quatenus scilicet humanus spiritus contra divinum distinguitur, et a seipso, non a Deo movetur, nec ulla auctoritate divina nititur. Tales erant constitutiones Pharisaicae a Christo Domino reprehensae; non autem illae, quas Apostoli et eorum successores ad ecclesiae utilitatem condiderunt potestate a Christo accepta; de qua Lucae 10. *Qui vos audit, me audit.* Et quales fuere, de quibus Actor. 16. scriptum est, Paulum et Silam, *cum pertransirent civitates, tradidisse eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus.*

23. *Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate.* Particulam *quidem* superfluam esse putat Hieronymus, quod nulla alia conjunctio, quae ei respondeat, sequatur: idque Paulo accidere, ut in aliis plerisque locis, per imperitiam artis grammaticae. Alii non redundare, sed deesse aliquid existimant, supplentes nimirum conjunctionem, quae respondeat voculae *quidem,* hoc modo: *Quae rationem quidem habent sapientiae, sed in superstitione* etc. Nos quid quo loco supplendum videatur, infra indicabimus. Pro *ratione* Graece est λόγος, quam Hieronymus imaginem exponit, tanquam sensus sit: Quae hominum praecepta et doctrinae speciem quandam et imaginem habent sapientiae apud imperitos. Unde et doctores eorum, inquit, σοφοὶ, id est, sapientes vocantur; et si quando certis diebus traditiones suas exponunt, discipulis suis solent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id est, sapientes docent traditiones.

At vero sunt qui negent, λόγον usquam apud scriptores Graecos significare speciem seu apparentiam rei fallacem: proinde λόγον *verbum* seu *nomen* interpretari malunt hoc sensu: *Quae nomen habent sapientiae,* id est, quae nomine sapientiae ab imperitis hominibus honorantur. Erasmus utramque expositionem miscere videtur, dum sic vertit: Quae verbotenus quidem habent speciem sapientiae. Certe ex commentariis Graecorum non liquet, utro modo λόγον intellexerint. Nam et interpretes eorum variant. Nec desunt loca apud auctores, ubi λόγος speciem significet in genere, seu veram seu falsam. Quare et hoc loco recte sic accipitur; licet verificatio fiat pro specie et imagine falsa. Quod significasse videtur Apostolus per adjunctam particulam *quidem,* quae vim habeat extenuandi, quasi dicat: Habent quidem illa praecepta speciem sapientiae, sed non veritatem. Sic enim complete loquitur 2 Timoth. 3. *Habentes speciem quidem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes;* tametsi eo loco Graece non est λόγον, sed μόρφωσιν.

Denique sententia sic exponi potest secundum S. Augustinum et S. Thomam: *Quae habent rationem sapientiae,* non verae, sed ejus, quae sita est *in superstitione et humilitate;* quae falsa est sapientia. Pro superstitione Graece non est δεισιδαιμονία, quae proprie superstitionem significat, et habetur Actor. 17. vers. 22. et capit. 25. vers. 19., sed ἐθελοθρησκεία, id est voluntaria et affectata religio; cum quis fingit sibi cultum ex cerebro suo, volens videri religiosus.

Graeca vox composita est ex illis duabus, quas paulo ante disjunxerat: *volens* et *religione.* Sicut autem ibi diximus, participium *volens* non solum ad *humilitatem,* verum etiam ad *religionem* referri oportere; ita hic vicissim compositio vocabuli ἐθελο transmittenda est etiam ad humilitatem; quasi dictum esset, ἐθελοταπεινοφροσύνη, cum alioqui utraque dictio Graeca, nude sumpta, tam in bonam partem quam in malam possit accipi; imo vero ταπεινοφροσύνη virtutis vocabulum sit. Igitur sensus Apostoli est: eam, de qua loquitur, sapientiam aut illa prae-

cepta (nam utrovis referri potest sententia) consistere in affectata et conficta religione seu cultu, et in affectata fictaque humilitate, quae affectatae religioni conjuncta est.

Et non ad parcendum corpori. Graece καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, ac si dicas: *Et imparcentia corporis.* Pro quo legit Ambrosianos libro de Noë et arca capite 25. *non in indulgentia corporis.* At hujus titulo commentarius, *ad vexationem corporis.* Cujus lectionis etiam Augustinus meminit. Erasmus autem vertit, *laesionem corporis.* Porro codex quidam pervetustus monasterii Laudensis Insulae Flandrorum vicini, sic legit voculis transpositis: *et ad non parcendum corpori.* Quae lectio planior est ad sensum, favetque textus Syriacus: *et quod non indulgent corpori.* Sensus igitur est, illam consistere insuper in praepostera et insolita quadam abstinentia et afflictione corporis. Hoc enim est corpori non parcere.

Taxat autem Judaicas ac Pharisaicas abstinentias; ex quibus, ut ait Hieronymus, debilitates interdum et morbi contrahebantur. Nam Pharisaeos immodico studio corporis affligendi, sive per inediam sive per alias quasdam observationes ab ipsis excogitatas specie religionis, addictos fuisse, copiosus testis est Epiphanius in haeresi Pharisaeorum. Quo spectat illud Pharisaei cujusdam apud Luc. 18. *Jejuno bis in sabbato.*

Non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Adversative ponitur haec pars: *Non autem in honore aliquo* etc. Respondet enim particulae μὲν supra positae. *Honorem* intelligit sustentationem corpori debitam, tanquam Dei templo; sicut sustentatio parentibus, presbyteris, viduis impendenda, vocatur honor in Scripturis. *Carnis* autem *saturitatem* sive expletionem intelligit eam cibi potusque sufficientiam, quae corpori necessaria est, ut serviat spiritui, suasque sine impedimento exerceat actiones. Sentit igitur Apostolus, sapientiam illam aut praecepta talia esse, per quae corpori debitus honor, pertinens ad expletionem, id est, justam refectionem carnis, subtrahatur; dum videlicet immoderatis et stulte excogitatis abstinentiis corpus exhauritur; contra illud: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* Ephes. 5. Unde et discipulo suo praecipit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* 1 Tim. 5.

Eodem recidet intelligentia, si negatio repetatur in altero membro, ad hunc modum: *Non ad saturitatem carnis.* Tum enim sensus erit, illa hominum praecepta non facere *ad saturitatem carnis,* quin potius necessaria saturitate, de quo psalmographus: *Edent pauperes et saturabuntur,* carnem defraudare; ut hic sit figura, qua minus dicitur, quam intelligatur: quale illud est apud prophetam: *fecerunt, quae non praecepi eis,* id est, fecerunt omnia praeceptis meis contraria.

Sed forte quaeret aliquis, quomodo quae hic de Judaizantium immodica abstinentia dicuntur, consentiant cum eo, quod de iisdem alibi dicit Apostolus: *Quorum Deus venter est* Phil. 3. et: *hujusmodi Christo non serviunt, sed suo ventri,* Roman. 16. Respondeo, non de omnibus Judaizantibus agere hoc loco Apostolum, sed de iis potissimum, qui erant sectae Pharisaicae; in quos ea, quae hic dicuntur competere, jam ex Epiphanio ostendimus. Nam alios quosdam, qui se pro Apostolis Christi venditabant (erant autem pseudapostoli), ventri et gulae deditos fuisse, satis probant loca jam citata; quemadmodum et illud contra eosdem dictum 2 Cor. 11. *Si quis devorat, si quis accipit.*

Porro nostrae aetatis haeretici ex eodem hoc Apostoli loco, ubi dicitur: *Non ad parcendum corpori* etc., vehementer oppugnant ecclesiastica jejunia, carniumque et aliorum quorundam eduliorum abstinentiam, praesertim monasticam, qua corpus maceratur et affligitur; quasi hoc sit non parcere corpori, sed honorem ei suum detrahere, et carni saturitatem denegare. Quibus respondendum est, contra Judaizantium, uti dictum est, abstinentias

et jejunia hic agere Apostolum: quae quidem multiplici nomine vitiosa erant; utpote non solum immoderata, quod jam diximus, verum etiam cum superstitione conjuncta. Putabant enim, ea per se Deo placere, non relata ad carnis castigationem et punienda peccata; quippe *qui in se confiderent tanquam justi, et aspernarentur caeteros,* nec se peccatores coram Deo agnoscerent, sed justitias suas commemorarent, ut habemus Lucae 18. Adde quod ex illis ipsis jejuniis opinionem sanctitatis aucupabantur apud vulgus, *exterminantes facies suas, ut apparerent hominibus jejunantes* Matth. 6. Atque haec erat affectata et ficta religio, quam noster interpres superstitionem vocat.

Ab his vitiis aliena sunt jejunia ecclesiastica; quantum quidem ad ecclesiae intentionem attinet. Nam immoderatas abstinentias et afflictiones corporis semper improbavit ecclesia. Quo fit ut tam multos ratione aetatis, sexus, aegritudinis, laboris, a jejuniis excusatos habeat, nolens jejunio cujusquam valetudinem vexari. Moderatas autem afflictiones exigit, docetque referendas esse ad reprimendam carnis lasciviam et evehendum spiritum in Deum, atque ad punitionem peccatorum; idque absque ulla externa ostentatione. Quae igitur impudentia est, ea quae contra Pharisaica jejunia tot modis vitiosa ab Apostolo dicta sunt, ad calumniam abstinentiae ecclesiasticae detorquere? Quando et Christus Dominus, ubi Pharisaeorum jejunia traducit, nostra statuit, dicens: *Tu autem cum jejunas* etc. Et Apostoli per jejunium orationi conjunctum meruerunt a Deo exaudiri Act. 13.

Quod autem nonnulli Catholici scriptores locum hunc in ipsos etiam adversarios retorquere conantes, ea verba: *Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae* etc., usque ad finem capitis, in diversum omnino sensum interpretantur; tanquam velit Apostolus abstinentiae praecepta, quibus male utebantur Judaei, apud nos Christianos habere rationem verae sapientiae in ἐθελοθρησκείᾳ, id est, spontanea religione, per quam significari dicunt opera supererogationis, qua praeceptis adduntur consilia: item in sancta corporis afflictione, qua nimirum honoratur et sanctificatur corpus, dum ei non parcitur, id est, indulgetur, sed per abstinentiam spiritui servire cogitur; denique ea praecepta valere ad, id est, contra saturitatem carnis, quomodo 1 Cor. 15. dicit Apostolus se pugnasse ad bestias, id est, contra; haec, inquam, interpretatio, quod et nova sit et nimium violenta, et a scopo Apostoli aliena, nobis probari minime potest.

Sane, ut caetera praeteream, docere non poterunt ἐθελοθρησκείαν usquam accipi in bono. Sed nec locus ad Corinth. quicquam pro iis facit. Nam ibi in Graeco non est praepositio πρὸς, quae hic habetur, nec ulla alia, sed verbum compositum, quod significat cum bestiis pugnare. Glossa quidem interlinealis *superstitionem* interpretatur religionem, sed addit, *quae supra modum est;* totamque Apostoli sententiam manifeste ut caeteri interpretes de vitiosa religione et abstinentia exponit.

CAPUT TERTIUM.

Igitur, si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextra Dei sedens[1]): 2. quae sursum sunt sapite, non quae super terram[2]). 3. Mortui enim estis[3]) et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo[4]). 4. Cum Christus apparuerit, vita

---

[1]) Matth. 6, 33. [2]) Matth. 6, 19—21. [3]) Rom. 6, 2. [4]) 1 Joan. 3, 2.

vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria [1]. 5. Mortificate [2] ergo membra vestra [3], quae sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quae est simulacrorum servitus [4]: 6. propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis [5]: 7. in quibus et vos ambulastis aliquando [6], cum viveretis in illis. 8. Nunc autem deponite et vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis [7], 10. et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum: 11. ubi non est Gentilis et Judaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber [8], sed omnia et in omnibus Christus [9]. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei [10], sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: 13. supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos [11]. 14. Super omnia autem haec, charitatem habete [12], quod est vinculum perfectionis: 15. et pax Christi [13] exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus [14], in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum [15]. 18. Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino [16]. 19. Viri diligite uxores vestras [17] et nolite amari esse ad illas [18]. 20. Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant [19]. 22. Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum [20]. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus: 24. scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis [21]: Domino Christo servite: 25. qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit [22], et non est personarum acceptio apud Deum [23].

---

[1] Joan. 6, 57. Rom. 8, 17. seq. [2] Rom. 8, 13. Matth. 18, 8. 9. [3] Rom. 7, 23. [4] Eph. 5, 5. [5] Eph. 5, 6. [6] Eph. 2, 3. [7] Eph. 4, 22 seq. [8] Gal. 6, 15. [9] Gal. 3, 27. 28. 1 Cor. 7, 22. [10] Joan. 15, 19. [11] Eph. 4, 32. 5, 1. 2. Joan. 13, 34. [12] Rom. 13. 8. seq. [13] Rom. 5, 1. 5. [14] Eph. 5, 19. [15] Eph. 5, 20. [16] 1 Mos. 3, 16. Eph. 5, 22. [17] Eph. 5, 28. [18] 1 Petr. 3, 7. [19] Eph. 6, 4. Prov. 19, 19. [20] Eph. 6, 5.—7. [21] Eph. 6, 8. [22] 2 Cor. 5, 10. [23] 1 Petr. 1, 17.

SUMMARIUM IN CAPITIS TERTII.

Hortatur quaerere coelestia, membra terrena mortificare, exuere veterem hominem et induere novum, charitatem et pacem colere. Maritos, uxores, filios, parentes, servos, dominos, sui admonet officii.

1. *Igitur si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite.* Constituto fundamento doctrinae fidei contra pseudologos; nunc more suo Christianae vitae praecepta superstruit. Tametsi capitis hujus initium potest generaliter accipi velut transitus quidam ab iis, quae dicta sunt ad ea, quae dicere instituit. Ubi et aliam latentiorem connexionem sermonis apostolici licet observare. Dixerat enim, Colossenses simul cum Christo per baptismum sepultos esse et resurrexisse; dixerat, eos mortuos prius delictis, convivificatos deinde cum Christo: deinde ex utroque membro sumit exhortationis aut doctrinae materiam, ex priori quidem, quando dixit: *Si ergo mortui estis cum Christi* etc. Hic autem ex posteriori, cum ait: *Igitur si consurrexistis* etc. Itaque sensus est: Quoniam per baptismum non solum commortui estis Christo, verum etiam una cum eo resurrexistis in novam vitam: facite ea, quae novae vitae, per Christi resurrectionem adumbratae, conveniunt; *quaerite, quae sursum sunt,* id est, cogitationes ac studia vestra conferte ad res supernas, coelestes ac divinas. Id enim est *quaerere,* phrasi scripturae; velut ibi: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus* Matthaei 6.

Ubi Christus est in dextra Dei sedens. Ubi, scilicet in supernis et coelestibus; quasi dicat: Sicut Christus ad novam vitam resuscitatus, residet in coelis ad dexteram Dei patris; ita et vos per Christum ad novam vitam resuscitati, debetis ei ut capiti vestro conformari, coelestibus ac divinis rebus studendo. Quo sensu Christus ad dexteram Dei sedere dicatur, et secundum quam naturam hoc ei competat; explicatum a nobis est in comment. Rom. 8. et Ephes. 1.

2. *Quae sursum sunt sapite,* vel *curate,* ut verterunt Erasmus et Hentenius. Nam Graece est φρονεῖτε, quod utroque modo verti potest. Est autem ejusdem praecepti inculcatio: nam *coelestia sapere* aut curare, non aliud est, quam *coelestia quaerere,* juxta datam expositionem.

Non quae super terram. Partem hanc arripiunt Sacramentarii ad oppugnandam realem praesentiam corporis Christi in Eucharistiae sacramento. Nam, inquiunt, si quaerere jubemur, quae sursum sunt, non quae super terram; ergo et Christus in coelo nobis quaerendus est et adorandus, non super altare. Quibus facile ex hoc eodem loco respondetur et quam futile sit hoc argumentum ostenditur. Nam quae super terram esse dicantur, ipse Apostolus paulo post exponit dicens: *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam* etc.

Deinde, ex opposito colligi id potest. Si enim ea, quae sursum sunt quaerere et sapere Apostolo dicuntur, non qui coelestium corporum naturas, motus, affectiones scrutantur, quod faciunt astronomi; sed qui, ut dictum est, rebus coelestibus, hoc est, divinis intenti sunt: igitur, ea quae super terram, sive ut alii interpretati sunt, terrestria, quaerunt, non qui quaerunt aut colunt aliquid in terris existens; sed quorum animus rerum terrenarum cura et cogitatione tenetur, sive res illae sint *elementa mundi,* de quibus supra (nam ad ea Apostolum adhuc respicere, Graeci non improbabiliter existimant), sive terrena vitia, quae inferius enumerantur; seu potius utraque simul, sub generali notione, qua terrenum intelligitur, quod crassum, carnale, vitiosum est. Certe quando Christus in terris agebat, quaerendus et adorandus erat; quod et mater ejus, et magi et discipuli ejus, et multi alii fecerunt. Quis vero tam insanus, qui dicat, illos id faciendo non quae sursum sunt, sed quae super terram, contra Apostoli praeceptum, quaesivisse aut sapuisse?

Sed dices: Addit Apostolus: *Ubi Christus est in dextra Dei sedens;* ergo locum ipsum coelestem vult intelligi. Respondeo, per se loqui Apostolum de cogitatione ac studio rerum, quibus homo evehitur ad supernam gloriam: per accidens autem, quia Christus Dominus secundum humanitatem in coelis est, ad dextram Dei sedens, etiam ad locum respexisse. Verum non inde efficiunt adversarii, Christum in altari et in terra non esse quaerendum aut adorandum; nisi Dei potentiam coarctent, ut non possit in pluribus locis idem corpus statuere. Similis est Apostoli sermo Philip. 3., ubi cum de quibusdam dixisset, *qui terrena sapiunt;* subjungit: *Nostra autem conversatio in coelis est: unde et Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.*

3. *Mortui enim estis.* Referendum hoc ad partem proximam, *non quae super terram,* quasi dicat: merito vos adhortor non sapere terrena; quia illis jam mortui estis per baptismum, sicut Christus in cruce mortuus est vitae huic terrenae ac mortali.

Et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Sensus: Non solum mortui estis cum Christo; sed et vivitis cum eo, nimirum vita spirituali ac coelesti, ad quam a morte resurrexistis: licet haec vita vestra adhuc abscondita sit ab oculis et sensu hujus mundi; sicut et vita Christi, qua vivit et regnat in coelis; utraque inquam, abscondita *in Deo,* id est, apud Deum.

4. *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Multi codices habent: *Cum enim Christus:* sed Graeca nobiscum faciunt, ut et biblia Clementina. Nec vero satis hic quadrat rationalis conjunctio, cum potius sit adversativus sermo. Nunc quidem, ait, vita vestra cum Christo abscondita est; sed quando ille toti mundo manifestabitur, veniens gloriosus ad judicium, ille, inquam, qui est *vita vestra,* vel, ut est in plerisque Graecis codd., *vita nostra,* id est, vitae vestrae, seu nostrae causa, non solum meritoria, sed etiam exemplaris; *tunc et vos,* perfectam et immortalem vitam assecuti, simul cum eo manifestabimini, magna cum gloria. Tunc enim etiam impii, quibus in hoc saeculo fueritis despectui, cogentur agnoscere et praedicare felicitatem vestram, vel inviti dicentes: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum,* et caetera, quae ex impiorum persona leguntur Sap. 5. Haec dicit Apostolus animans Colossenses et viam sternens ad exhortationem moralem, quae sequitur.

5. *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram.* Hoc est, membra vestra terrena. *Membra* intelligit ejus corporis, quod superiori capite appellavit *corpus peccatorum carnis,* et Rom. 6. *corpus peccati;* quodque ibidem, et alibi passim vocat *veterem hominem,* de quo et hic paulo infra dicit, *exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.* Sicut enim homo sive corpus hominis variis constat membris, ita vetus homo, seu corpus peccati, coagmentatur ex variis peccatorum generibus, velut membris et partibus diversis, cujusmodi mox enumerantur. *Terrena* autem vocantur haec membra, quia velut in terram deprimunt hominem et a Deo elongant.

Caeterum exhortatio Apostoli talis est. Quoniam, inquit, cum Christo mortui estis veteri vitae, et in novam resurrexistis, cum spe vitae et gloriae coelestis; summopere curandum vobis est, ne vetus ac terrenus homo reviviscat. Sed etsi in quibusdam membris suis reviviscere incipiat, confestim ea mortificate, non solum ea non amplius perpetrando, verum etiam exurgentes eorum motus ac desideria, velut parvulos Babylonis, ipso statim in limine elidendo atque necando. Non enim perfecte et quantum exigit lex Dei, mortificantur membra peccati, si non ipsa etiam peccatorum desideria, licet involuntaria, quantum in nobis est, extinguamus. Nam Apostolum non sentire, quod ipsis peccatis, quae hic recensentur,

adhuc involuti essent Colossenses; liquet ex sequentibus, ubi dicit: *In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.*

Fornicationem, immunditiam, libidinem. Inter haec tria discrimen est, secundum Graecarum vocum significationem, quod fornicatio comprehendat omnem concubitum maris et feminae non conjugalem; immunditia pertineat ad peccata carnis, quae sunt contra naturam; libido, Graece πάθος, quam alii mollitiem, alii morbum transferunt. eam denotet obscoenitatem, a qua dicebantur παθικοὶ, qui turpia patiebantur. Qui verterunt *passionem,* ut Theophylacti interpres; aut *perturbationem,* ut legit Augustinus lib. de continentia cap. 13., mentem Apostoli non satis expresserunt.

Concupiscentiam malam. Videtur ea significari concupiscentia, quae specialiter penultimo decalogi praecepto prohibetur, id est, concupiscentia rei venereae. Haec enim apte jungitur superioribus. Ab ea vero diversa est de qua dicit 1 Corinth. 10. *Ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* Porro dum addit *malam,* vult intelligi quandam esse bonam concupiscentiam, qualis utique est, qua spiritus concupiscit adversus carnem Galat. 5., tametsi concupiscentiae nomen nude positum plerumque male sonet in scripturis.

Et avaritiam, quae est simulacrorum servitus. Avaritiam fere omnes intelligunt secundum vulgarem illius vocis acceptionem. Quae avaritia, quo sensu vocetur idololatria, id est. idolorum cultus, exposuimus ad illud Ephes. 5. *Aut avarus, quod est idolorum servitus.* Verum, si recte Hieronymus in ejus loci commentario contendit, πλεονεξίαν, id est, avaritiam, illic ab Apostolo transferri ad significandum insatiabilem cupiditatem turpium voluptatum, quemadmodum eo loco declaratum est; sane etiam hic ejusmodi avaritiam intelligi oportebit: est enim, ut saepe monuimus, hujus epistolae ferme idem argumentum; et in utraque sententiarum magna similitudo. Quibus adde, quod etiam hic avaritia, perinde ut illic, annumeratur peccatis impudicitiae. Quare quo sensu sic accepta avaritia in Epist. ad Eph. appellata est idolorum cultus, itidem, cum Sasboldo, fatebimur etiam hoc loco sic eam appellari; nimirum ut ibi diximus, ob eam causam, quod Simoniani, contra quos utraque scribitur epistola, nefarias suas libidines exercerent velut cultum quendam, ut ipsi impie docebant, Deo gratissimum.

6. *Propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis.* Haec quoque verba eadem habentur Ephes. 5. Rectius interpres hoc loco dixit, *filios incredulitatis,* quam illic, *filios diffidentiae;* quamvis Graeca vox, quae utroque loco est, proprie significet, *insuasibilitatem,* ut legit Hieronymus, id est, vitium animi contumaciter respuentis rationabilem suasionem veritatis. Reliqua ad explicationem hujus sententiae pertinentia petantur ex commentario epistolae ad Eph. Sensus autem est: Propter quae peccata hominibus Evangelicae praedicationi non acquiescentibus imminet ac superventura est gravis a Deo vindicta; scilicet in die judicii. Docet apertissime hic locus, non ob solam infidelitatem, ut quidam volunt haeretici, sed etiam propter alia peccata reddi homines obnoxios aeternae damnationi.

7. *In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. In quibus,* ad personas refert Erasmus. Vertit enim, *inter quos,* nempe filios incredulos. *In illis,* ad actiones, id est, ad vitia superius enumerata. At in Graeco eadem ubique praepositio est. Proinde rectius ad actiones utrumque retuleris, juxta morem scripturae sacrae, in qua assidue legimus, *ambulare in via, lege, praeceptis Domini; in innocentia, in veritate, in lumine, in tenebris, in carne, in pravitate cordis sui* etc. Atque evidentius id ostenditur ex epistola ad Ephes., in qua rursus eadem haec verba habes, capite 2. *Et vos,* inquit, *cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis.* Jam

nec patitur res ipsa particulam, *in quibus,* ad filios incredulitatis referri, id est, ad eos, qui contumaciter Evangelio resistebant. Nam in horum numero Colossenses non fuerant, ut qui audito Evangelio statim acquieverant; sicut de iis Apostolus testatur cap. 1.

Denique quid velit Paulus dicens: *In quibus et vos ambulastis,* plane significat Petrus simili sententia 1. epistolae 4. *His, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus* etc. Neque tamen idcirco dum addit Apostolus, *cum viveretis in illis,* idem prorsus repetit. Non enim idem omnino est vivere, quod ambulare, sed differunt velut habitus et actus. Unde et dicit ad Gal. 5. *Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus.* Igitur vivere in peccatis, est peccatorem esse; ambulare in peccatis, est actus peccatorum exercere.

8. *Nunc autem deponite et vos omnia.* Non solum, inquit, volo vos mortificare illa graviora peccata, quae commemoravi, et in quibus amplius nec vivitis, nec ambulatis; verum etiam nunc deponere et abjicere a vobis omnia reliqua, scilicet minora, quae forte adhuc inter vos vigent, cujusmodi sunt, quae sequuntur.

Iram, indignationem, malitiam, blasphemiam. Eadem haec omnia leguntur Ephes. 4. sub finem, ubi et singula sunt a nobis exposita. Sed notandum, illic contrario ordine *iram et indignationem* poni secundum Graecos codices; ut proinde ex ordine collocationis judicari non possit, utrum vitium sit altero gravius: tametsi iram esse graviorem eo loco ex Hieronymi testimonio comprobavimus. *Blasphemia* maledicentiam significat, magisque ad eam respicit Apostolus, quae fit in homines, quam quae in Deum. Nam Dei blasphemia gravissimis peccatis annumeranda est.

Turpem sermonem. Graece composita dictione, *turpiloquium,* id est, verborum obscoenitatem. Simile Eph. 5., sub initium.

De ore vestro. Hoc non ad omnia praecedentia referendum, sed ad duo proxima, *blasphemiam et turpiloquium,* quae sunt oris peccata; quale et id, de quo sequitur.

9. *Nolite mentiri invicem.* Id est, *alius ad alium,* ut Graeca sonant; vel *alius adversus alium,* ut vertit Erasmus; tametsi simplicius ita vertas: *Ne mentiamini alii aliis.* Hoc autem Apostolus ad Ephes. 4. pluribus ita extulit: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* Generaliter autem sub nomine *mendacii* prohibetur omnis fraus et deceptio.

Exspolitantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum. Pro, *exspoliantes vos,* Graece est *exuti,* et pro *induentes, induti;* videlicet participia praeteritum tempus significantia, quae sic reddit Erasmus: *Postquam exuistis et induistis.* Hentenius, *qui exuistis et induistis.* Refertur autem haec pars ad totam admonitionem praecedentem, ab eo loco: *Nunc autem deponite* etc., ut hujusmodi sit sensus: Ad haec omnia deponenda vos exhortor, utpote qui per baptismum jam dudum exueritis veterem hominem et indueritis novum: unde si quid in vobis restat veteris hominis, id adhuc curate abjicere.

Quanquam potest hic esse nova periodus, quae sit velut collectio praecedentium in unam generalem exhortationem; ut participia pro verbis posita intelligantur, aut subaudiendum sit verbum substantivum modi praeceptivi: *estote,* aut *sitis exuti, induti.* Sic enim alibi participiis utitur Apostolus Roman. 12. *Odientes malum, adhaerentes bono;* et multa, quae sequuntur. Atque in eum sensum accepit auctor translationis, quae apud Ambrosianum est; vertit enim participia per verba, *exuite et induite.* Ita sensus Apostoli erit: Et in universum moneo, ut sitis exuti veterem hominem cum actibus suis, et induti novum hominem, similiter cum actibus suis; hoc enim supplendum relinquitur ex priori membro.

Conferendus autem hic locus cum eo,

qui est Ephes. 4. Nam et illos monet Apostolus, quemadmodum edocti sint, deponere secundum pristinam conversationem veterem hominem et induere novum, qui secundum Deum creatus sit etc. Ubi diximus, *veterem hominem* ab Apostolo vocari corruptionem peccati ex veteri Adam contracti; aut certe ipsum hominem, quatenus hujusmodi corruptionem ac vetustatem in se habet; *novum autem hominem*, aut novitatem vitae, aut potius hominem quatenus per gratiam renovatus est. Actus veteris hominis sunt peccata: novi, bona opera.

Porro *vetus homo cum actibus suis exuitur, ac novus induitur;* primum quidem in baptismo, quod est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* Tit. 3. Deinde quotidiano profectu novitatis. Nam veterem hominem exuere totum, ut nihil restet vetustatis, non est hujus vitae. Paulatim ergo vetus homo exuitur, novo proficiente. Habet enim novus homo gradus quosdam suos, et, ut Augustinus loquitur, quasdam non annis sed profectibus distinctas spirituales aetates. Quas quidem ille septem numero recenset in libro de vera religione cap. 26. Ad quem locum, ne in iis referendis prolixior sim, lectorem studiosum remitto. Disserit idem Doctor de vetere et novo homine lib. 4. de Trinitate cap. 3. et lib. 24. contra Faustum Manich. cap. 1. et 2., ubi etiam habes, quomodo Manichaeus ille veterem et novum hominem perverse secundum suam haeresim intellexerit. Dixi, potius hominem ipsum ea phrasi Apostolica significari; quia quae Apostolus tam ad Ephes. quam hoc loco tribuit novo ac veteri homini, magis in personam competunt quam in qualitatem: cujusmodi maxime est, quod hic sequitur.

10. *Eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Expositio est novi hominis; ut sensus sit: Eum dico hominem, qui renovatur ad agnitionem, id est, ad cognoscendum mysteria revelata, et sapiendum ea quae Dei sunt; renovatur, inquam, secundum imaginem Dei creatoris sui; ut sicut in creatione sua factus est ad imaginem et similitudinem Dei per naturam suam rationalem; ita nunc ad Dei imaginem reformetur per gratiam. Est enim homo dupliciter imago Dei; per naturam, et per gratiam. Imago *naturae* consistit in intellectu et voluntate: imago *gratiae* in sanctitate et justitia, sicut exponit Apostolus Ephes. 4. dicens: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Observanda phrasis scripturae, qua dicitur homo creatus aut renovatus, ut ipse sit imago Dei; sic enim scripturam Genes. 1. interpretatur Apostolus 1 Corinth. 11., quando virum vocat imaginem Dei.

11. *Ubi non est gentilis et Judaeus, circumcisio et praeputium.* Id est, in quo renovationis negotio, nullum est discrimen gentilis et Judaei, circumcisi et praeputiati; quasi dicat, non refert, ex qua natione, et ex qua religione quis veniat, per Christi gratiam renovandus. Nam in Graeco, nec non apud Ambrosianum, pro *gentili* legitur *Graecus;* sub quo tamen et aliarum nationum homines a Judaeis diversos intelligi convenit, praecipue Romanos; quos utique comprehendit Rom. 1. et 2., dicens *Judaeum primum et Graecum.* Religionis vero riturmque diversitatem significant circumcisio et praeputium. Nec temere est, quod Apostolus transponit ordinem, ut Judaeum gentili sub diversis vocabulis modo postponat, modo praeponat: id enim fecisse videtur, ad indifferentiam, de qua loquitur, insinuandam. Locus est similis ad Galat. 3.

Barbarus et Scytha, servus et liber. Haec in Graeco sine conjunctione leguntur: *Barbarus, Scytha, servus, liber.* Quia dixerat: *Graecus et Judaeus,* ne videretur aliquam nationem praetermisisse, subjunxit *Barbarus et Scytha.* Barbaros enim sui nominis communione Graeci non dignabantur. Unde et Apostolus Rom. 1. distinguens dicit: *Graecis ac Barbaris debitor sum.* Qui et unde

dicti Barbari, exposuimus ad 1 Corinth. 14. vers. 11. Inter Barbaros autem eminebant Scythae, populi Septemtrionales; ut prae illis caeteri non viderentur Barbari. Sentit ergo Apostolus, etsi quam maxime Barbarus quis sit, quales erant Scythae; non ideo minus eum renovationis capacem esse. Denique nec conditionis haberi rationem; propter quod et servum priori loco nominat.

Sed omnia et in omnibus Christus. Omnia, intellige quae sunt novi hominis; ut justitia, sanctitas et caetera, quae mox enumerantur. *Haec omnia,* inquit, *Christus est; et quidem in omnibus:* id est, in omni hominum genere sine discrimine. Dicitur *Christus ea omnia esse,* causaliter et per meritum suae passionis. Quo sensu 1 Corinth. 1. de eo dicitur: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio.*

12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae.* Superius recensuit actus seu membra veteris hominis, admonens, ea mortificanda ac deponenda esse; nunc actus seu membra novi hominis, quibus indui vult Colossenses, enumerare aggreditur. Hoc enim, post generalem de induendo novo homine praeceptionem, desiderabatur. Sensus est: Igitur sicut decet homines a Deo electos, et sanctos, et eos, quos ab aeterno Deus dilexit (usus est enim Paulus participio praeteriti temporis), *induti sitis viscera misericordiae* seu *miserationum,* ut est in Graeco; id est, assumite misericordiae affectum erga proximos, opera misericordiae ex animo exercete. Nam viscera phrasi Hebraea significant intimos affectus.

Benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Pro *benignitate* alii *comitatem* reddunt; cum benignitas si proprie sumatur, ad liberalitatem potius pertineat, quam non significat vox Graeca, sed comitatem et humanitatem, quae morum asperitati opponitur. Tale quid etiam monuimus ad illud Ephes. 4. in fine. *Estote invicem benigni.* Pro *humilitate* quoque Erasmus mavult *modestiam,* sed vim Graeci vocabuli, quam habet in sacris literis et ex usu Christianorum, Latina vox *modestia* non assequitur. Proinde retinendum omnino est vocabulum Christianis usitatissimum, *humilitas;* sed multo studiosius retinenda est res eo vocabulo significata. Pro *modestia* et *patientia* Graece est *mansuetudo* et *longanimitas* seu lenitas; quemadmodum et Ambrosianus legit.

13. *Supportantes invicem.* Id est, alii aliorum infirmitates sufferentes, juxta illud: *Alter alterius onera portate.* Gal. 6. Hoc enim officium esse mansueti et lenis animi. *Et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Rectius ad Ephes. 4. vertit: *donantes invicem,* cum in Graeco prorsus idem legatur. Rectissime vero Ambrosianus hoc quidem loco, *condonantes alius alii.* Nam sensus est: Si quis ab aliquo laesus est, ut justam adversus eum habeat causam querelae; condonet offensam, remittat injuriam.

Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Graece: *Sicut et Christus condonavit* etc., pro quo ad Ephes. 4. sic habetur: *Sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Inde repete partis hujus explicationem. Insinuatur autem Christum, esse Deum, cum in eadem re Apostolus modo Deum, modo Christum nominet.

14. *Super omnia autem haec, charitatem habete.* Graeca et Syra, quibus et Ambrosianus suffragatur, non addunt, *habete;* ut neque Augustinus de gratia et lib. arbitr. cap. 17. Regitur enim accusativus *charitatem,* perinde ut superiores quinque, *viscera misericordiae, benignitatem* etc., a verbo, *induite.* Quam constructionem etiam apud S. Thomam videre est, ut sensus sit: induite charitatem, qua invicem diligatis, tanquam vosipsos. Nam de charitate proximorum loqui Apostolum, satis ex eadem ad Ephes. Epistola colligitur, ubi sub initium capitis 5. sic dicit: *Et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.*

Dicit autem, *super omnia,* vel quia

charitas omnium virtutum finis est: nam *finis praecepti charitas* 1. Timoth. 1., vel quia virtutum omnium forma et perfectio, ut sine qua caeterae nihil prosunt, imo quae caeteras omnes secum trahat; quemadmodum luculente docet Apostolus 1 Cor., vel denique, quia per eam continetur unitas totius corporis ecclesiae. Quam postremam rationem comprobare videtur id quod sequitur.

Quod est vinculum perfectionis. Charitatem vocat *vinculum perfectionis* Hebraea phrasi; vel quia vinculum est perfectum, quo homines inter se colligantur; cum alia vincula societatum humanarum aut imperfecta sint, aut etiam noxia: vel, ut aliis placet, quia vinculum est perficiens, id est, perfecte uniens fideles inter se; facit enim charitas, ut omnes unanimiter studeant mutuis commodis, bonoque publico. Qua in re consistit corporis integritas et perfectio, dum scilicet *in idipsum pro invicem solicita sunt membra*, 1 Cor. 12.

15. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris. Christi,* Graece *Dei*, consentiente Ambrosiano. Porro Graecum verbum, pro quo noster interpres vertit, *exultet*, a bravio seu praemio derivatum est. Significat autem haec duo, praemium obtinere, et: praemium adjudicare seu distribuere, unde duplex secundum Graecam lectionem oritur sensus hujus loci. Prior: Si quid inter vos incidat dissensionis aut controversiae, non affectus animis vestris dominetur, velut avaritia, ambitio, vindicandi cupiditas, sed *pax Christi seu Dei,* id est, vera et Christiana pax, quae Deum habet auctorem, obtineat palmam atque praevaleat in cordibus vestris, quasi dicat: ante omnia studete paci conservandae; potius cedite juri vestro, quam ut Christianae pacis aliquod detrimentum patiamini.

Posterior sensus: Si qua lis inciderit, eam arbitretur ac dijudicet, praemiumque decernat, non ira, non superbia, non alius affectus malus; sed amor et studium pacis Christianae. Sensum hunc Graeci tradunt; et ad eum modum Graeca vox accipi videtur Sapient. 10., ubi nos legimus: *Et certamen forte dedit illi, ut vinceret,* id est, victoriam certaminis ei adjudicavit. Verumtamen prior sensus magis congruit cum eo, quod praecessit: *Super omnia charitatem.* Eidemque sensui coaptari potest verbum nostrae versionis, *exultet.* Nam exultare victoris est.

In qua et vocati estis in uno corpore. Graece, *in quam*, vel *ad quam.* Et sensus est: Ad quam pacem Christianam etiam vocati estis, utpote facti membra unius corporis, quod est ecclesia: ut proinde quam maxime pacem colere debeatis; aequum est enim, ut vocationi suae quisque respondeat. Simile illud 1 Corinth. 7. *In pace vocavit nos Deus.*

Et grati estote. Erasmus in annotationibus vult hunc esse sensum: Estote comes et benigni erga omnes, propensi ad bene merendum de omnibus; ea ratione fiet, ut pax inter vos consistat. At quamvis ea quoque Graeci vocabuli significatio sit; altera tamen usitatior, quam noster interpres attendit, ut sensus sit: Magni beneficii mentionem feci, quando dixi: *In quam et vocati estis in uno corpore.* Illius beneficii vobis praestiti volo vos perpetuo memores esse cum gratiarum actione; cujus quidem gratitudinis magna pars erit, si pacem, ad quam vocati estis, inter vos studiose conservaveritis. Hic sensus omnium fere est interpretum, ipsiusque Erasmi in paraphrasi. Et confirmatur ex Epistola ad Ephesios, quos similiter ac pluribus verbis ad gratiarum actionem exhortatur, cap. 5. Quanquam illi simile hic reddit Apost. vers. 17.

16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia. Habitet,* Graece est *inhabitet. Abundanter,* Graece πλουσίως, id est, opulente, vocabulum Apostolo frequentatum. Proinde sensus est: Fides seu doctrina Christi fixam in vobis sedem habeat, vosque faciat locupletes et abundantes omni sapientia; hoc est, perfecta rerum divinarum cognitione, quanta nimirum in hac vita sperari potest. Addit autem, *in omni sapientia;* propter falsos doctores, tra-

dentes ea, quae dumtaxat rationem quandam habebant sapientiae, non veritatem, de quibus capite superiori. Caeterum pro hac parte in Epistol. ad Ephes. 5. dixit, *implemini spiritu;* quemadmodum et pro eo, quod illic sequitur: *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus* etc., hic dicit ea, quae sequuntur.

Docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus. More suo negligit Apostolus syntaxin Grammaticam, nisi haec enuntientur per subauditionem verbi substantivi, cum alioqui pronomen *vobis,* quod praecessit, exigat casus respondentes *docentibus* et *commonentibus.* Est enim sensus: Et ita quidem, ut vos invicem, id est alii alios, doceatis et commoneatis sive exhortemini, canendo *psalmos, hymnos et cantica spiritualia.* Significationem et differentiam horum trium exposuimus in comment. Epist. ad Ephes. cap. 5. v. 19.

In gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Graece, *in corde vestro Domino;* quemadmodum et ad Ephes. Quo etiam loco pars ista satis a nobis explicata est: excepto eo, quod hic addit, *in gratia.* Quod videri potest idem esse cum eo, quod illic subnectebat: *Gratias agentes semper pro omnibus vobis* etc., ut sit Hebraismus, ita interpretandus, *cum gratiarum actione;* tanquam velit Apostolus, cantica spiritualia semper cum gratiarum actione debere esse conjuncta. Verum quia paulo inferius subjungitur peculiare praeceptum gratias agendi Deo, simile illi, quod est ad Ephes., ideo forte satius erit cum Chrysostomo et aliis partem hanc *in gratia* sic exponere, per gratiam a Spiritu sancto donatam; ut ostendatur, inquit Oecumenius, haec quae praecipit sine gratia Dei impleri non posse. Nec refert, utrum praecedentibus an sequentibus haec particula jungatur, id quod Chrysostomus ambigit: nam utrovis modo sententia constabit.

Porro Theophylactus et alium adfert sensum minime rejiciendum: *In gratia,* hoc est, cum gratia et voluptate spirituali, scilicet eorum, qui audiunt. Ut enim profana cantica carnalem excitant oblectationem, ita sane convenit, ut spirituales et sacrae cantilenae gratiam habeant, id est, oblectationem pariant spiritualem. Congruit cum hoc sensu id, quod sequenti capite dicitur: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.*

17. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Multi codices addunt, *facite:* sed in Graeco non habetur, ut nec in emendatioribus Latinis, ac nominatim iis, quae sunt Romanae correctionis. Supplendum tamen relinquitur ex praecedenti verbo *facitis.* Praeceptum hoc Apostoli generale est; sed cujus intellectus non modicum habet difficultatis, de qua diximus in explanatione duorum locorum similium, quorum alter est 1 Cor. 10. *Sive manducatis,* inquit, *sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Alter ejusdem Epistolae capite ultimo: *Omnia vestra in charitate fiant.* Imprimis quod illis locis admonuimus, hic repetendum nobis est, eos non parum aberrare a mente Apostoli, qui sententias hujusmodi non praecepti, sed consilii tantummodo vim habere existimant. Quibus rursus assentitur Cajetanus hoc loco, dum dicit, non semper intervenire peccatum, si secus fiat, sed solum meriti perditionem. At hujusmodi intellectum etiam S. Thomas aperte rejicit in commentario.

Sed dices, si praeceptum est, cur non ex eo sequitur, infideles in omni opere peccare, utpote non facientes, quod hic de omni opere praecipitur, ut fiat in nomine Domini Jesu? Neque enim dici potest, homines Christum prorsus ignorantes aliquid in ejus nomine facere, ne quidem implicite. Sic enim omnes infideles implicitam haberent fidem Christi, quod absurdissime dicitur. Ad hanc objectionem, quae Cajetanum etiam movit in diversam partem, clara responsio est: infideles, quibus de Christo nihil fuit annuntiatum, hoc praecepto non includi aut teneri, quemadmodum nec ullo praecepto tenen-

tur ad fidem Christi mediatoris, priusquam eis annuntietur.

Verum de fidelibus restat quaestio, cur stante hoc praecepto non peccent in omni opere, quod non faciunt in nomine Christi, etiamsi caetera omnia adsint ad operis moralis bonitatem necessaria. Breviter respondetur cum S. Thoma, non esse necessarium neque ab Apostolo praeceptum, ut omnia fidelium opera actu fiant in gloriam Dei atque in nomine Christi, sed sufficere, ut saltem habitu sic fiant. Habitu inquam, id est, virtute seu virtuali intentione, quomodo vocabulum *habitu* juxta mentem S. Thomae exposuimus in comment. 1 Cor. 10. Quod si nec habituali, id est virtuali, intentione fiant in nomine Christi, certe quantumvis speciosa sint opera, non videntur effugere posse reprehensionem ex eo, quod contra praeceptum hoc Apostolicum, imo divinum fiant. Neque enim hic aliud praecipit Apostolus, quam quod divini juris est, imo et naturalis; vide praesupposita. Nam sensus Apostoli est: Christianum omnia Christiane agere debere, hoc est, in omnibus actionibus suis saltem habitualiter, uti dictum est, tendere in Deum creditum et speratum, idque per meritum Christi fide apprehensum. Hoc enim est, quod ait: *omnia in nomine Domini Jesu Christi.*

Ratio autem sententiae est, quia cum finis ille supernaturalis per ejusmodi medium sit homini Christiano propositus, debent omnes ejus actiones intentione saltem virtuali illuc, per idem medium dirigi. Hoc autem loco peculiariter expressit Apostolus ipsum medium dicens: *in nomine Christi,* quod in hac Epistola contra eos ageret, sicut annotavit Chrysostomus et Theophylactus, qui pro Christo angelos, servatores ac mediatores introducebant.

A sensu jam dato non arbitror esse diversum, quem Apostoli verbis subjicit S. Ambrosius lib. 3. de virginibus ita scribens: *Omnia ergo dicta nostra factaque referimus ad Christum, qui vitam fecit ex morte, lucem creavit ex tenebris.* Sic ille. Nam et Augustinus ad hunc modum loquitur, enarrans Psalm. 54. *Intentio dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? quia quicquid agimus, ad illum referimus.* Vide nostra in 2. d. 26. de dilectione Dei super omnia, et de implendis Dei mandatis modo supernaturali.

Gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Plenius haec pars posita est in Epistola ad Eph. 5., sic enim ibi legitur: *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri.* Igitur quod hic dicit: *gratias agentes,* intelligitur non quomodocunque, sed *semper pro omnibus,* et quod hic dicit *per ipsum,* exponitur per illud: *in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Ratio perspicua est, quia per Christi meritum omnia nobis dona salutaria a Deo Patre proveniunt.

18. *Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino.* Quemadmodum in Epistola ad Ephesios ita et hic, atque eodem ordine, a generalibus praeceptis ad specialia descendit; ea nimirum, quae ad familiam recte constituendam spectant. Graeca sic exactius alii verterunt: *uxores subditae estote propriis viris, sicut convenit in Domino.* Nec temere *propriis,* additum est, sicut et ad Ephesios. Per hoc enim avocare voluit mulierum cogitationem a viris alienis. Particulam *in Domino,* multi construunt cum proximo verbo *oportet* aut *convenit;* ut sensus sit: sicut postulat Christi doctrina, aut sicut decet Christianas mulieres. At rectius Graeci referunt ad illud remotius *subditae estote,* ut sensus sit: Uxores viris vestris subditae sitis in Domino, id est, juxta Christi legem et doctrinam, et quatenus ea permittit. Nam hujusmodi subjectio convenit, decet, ornat ipsas mulieres. Constructionem hanc et expositionem confirmat alterum Apostoli praeceptum Eph. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.*

19. *Viri diligite uxores.* Nonnulli codices addunt *vestras,* quod in Graeco non habetur. Nam ex praecepto praece-

denti supplendum relinquitur *proprias.* Viris dilectionem praecipit erga uxores, ut noverint iis praeesse, easque regere, non imperiose, sed cum dulcedine charitatis, qua temperetur ac levius illis reddatur onus potestatis virilis. *Et nolite amari esse ad illas.* Id est, ne sitis amarulenti, morosi, difficiles adversus eas, sed commodos ac faciles vos eis praebete. Notant Graeci, amarulentiam oriri solere inter personas amatas, cum dissidere coeperint. Praecepta haec mutui officii conjugum multo fusius in Epist. ad Ephes. tradit et commendat Apostolus ex analogia Christi et Ecclesiae.

20. *Filii obedite parentibus per omnia.* Graece *secundum omnia,* id est, in omnibus, videlicet iis, ad quae praecipienda parentum potestas se extendit; qualia sunt, quae ad disciplinam morum, curamque domesticam spectant; ut exponit S. Thomas 2. sec. q. 104. art. 5. ad 1. Neque enim praecipere potest pater filio, ut uxorem ducat aut non ducat, ut monasticen profiteatur, et quicquid his simile ad totius vitae statum pertinens. Haec enim sunt extra terminos juris paterni. Quare commentarius ejusdem doctoris in hunc locum, exponentis omnia, scilicet, quae non sunt contra Deum; quod alii dicunt licita et honesta, non est sufficiens.

Hoc enim placitum est in Domino. In multis libris Graecis sine praepositione: *Hoc enim est beneplacitum Domino.* Ambrosianus: *Hoc enim placet Deo.* Sed et codices quidam Latini MSS. praepositionem omittunt: atque eo modo planior est sermo, quo praeceptum suum commendat Apostolus, quia praeceptum Domini est, et si fiat, Domino placitum, acceptum est. Caeterum ejus loco ad Ephes. dixit: *Hoc enim justum est.*

21. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros. Ad indignationem,* vel ut Ambrosianus legit: *ad iram,* interpretis additio est, cum Graeca vox in genere significet *provocare.* Sed tamen provocationem ad iram intelligi, docet sententia prorsus similis Eph. 6., ubi loco hujus verbi aliud est, quod significat irritare, id est, ad iram provocare. Prohibetur autem nimia parentum severitas, quae filios exasperet et ad desperationem adigat. Unde sequitur: *Ut non pusillo animo fiant.* Id est, ne animum despondeant, ne animo dejiciantur atque resiliant ab officio, vel etiam a fide Christi suscepta.

22. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus.* Graece: *iis, qui secundum carnem domini sunt,* id est, secundum corpus, quasi dicat: non secundum spiritum. Hac enim ratione vos simul et illi communem habetis Dominum, Christum. Idem praeceptum est Ephes. 6., nisi quod hic additur *per omnia.* Quod quo modo sit accipiendum, paulo ante diximus. Intelliguntur enim omnia, quae pertinent, ut ait S. Thomas loco supra citato, ad jus dominativae potestatis, id est, ad quaecunque jus domini, quod in servum habet, extenditur.

Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes. Haec totidem verbis scripta sunt ad Ephes., ut non sit opus sensum hic repetere. Tantum moneo, Graeca hujus loci Latine sic propius exprimi posse: *Non ad oculum obsequiis exhibitis, velut qui hominibus placere studeatis. Sed in simplicitate cordis.* Id est, recto et simplici corde sine simulatione. Duplicat enim cor hypocrita, dum alius vult videri quam esse: quod utique facit, qui ad oculum servit. Referenda est haec pars ad praecedens verbum *obedite,* sicut et in Epist. ad Eph., non autem ad id, quod sequitur:

Timentes Deum. Hoc licet ad superiorem doctrinam pertineat, seorsim tamen pronuntiandum est, quasi dicat Apostolus: haec inquam facite, Dei timorem, qui videt abscondita cordis, ante oculos habentes. Eodem pertinent sequentia:

23. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus.* Id est, omne ministerium et obsequium, quod impenditis dominis vestris, facite non ad oculum aut coacte, sed libenter promptoque ac liberali animo;

perinde atque si Christo Domino, et non hominibus ministraretis.

24. *Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* Dixi, inquit, *sicut Domino et non hominibus,* quia tametsi forte nulla aut exigua merces ab hominibus, quibus servitis, exspectanda vobis sit, multo minus haereditas, quam homines non dant nisi filiis: certi tamen esse debetis, quod a Christo Domino mercedem eximiam sitis recepturi, ipsam scilicet haereditatem filiorum; quasi dicat: Ille vos pro servitute, quam reputabit sibi impensam, ex servis filios Dei faciet, et ad communionem haereditatis filiorum admittet. Pro *retributione,* Graece est ἀνταπόδοσις. Quae vox manifeste facit pro meritis operum, significat enim redditionem seu compensationem ejus, quod datum est. Ubi tamen semper meminisse oportet, Deum, bona opera remunerantem, nihil aliud quam sua dona coronare. Porro sententia haec ad Ephesios ita legitur: *Scientes quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.*

Domino Christo servite. Graece et Syriace: *Nam Domino Christo servitis.* Favet et textus Ambrosianus, in quo locus iste sic habet: *Certi, quod a Domino recipietis retributionem haereditatis Domini Christi, cui servitis.* Secundum nostram lectionem sensus est: Cum igitur a Christo sitis recepturi mercedem bonae servitutis, ita servite dominis vestris carnalibus, tanquam Christo Domino. Graeca lectio sensum exhibet planiorem. Ne miremini, inquit, me dicere, quod cum serviatis hominibus, mercedem sitis recepturi a Domino; nam si bene servitis, Christo Domino servitis. Omne enim bonum opus obsequium est et servitus Dei. Hunc sensum etiam S. Thomas adfert, utique ex auctore aliquo Graeco.

25. *Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit.* Vocula *enim* ex praecedenti parte videtur huc translata. Nam Graece est: *Qui autem injuste facit* etc. Sensus est: Non solum bonae servitutis mercedem a Domino recipietis, verum etiam illatae vobis injuriae ab injustis dominis haud manebunt inultae. Quicunque enim injuria quemcunque affecerit, quantumvis magnus et potens ille sit; referet id, quod injuste egit, id est, poenam recipiet injustitiae suae debitam. Graeci locum hunc ad servos referunt injuriam facientes dominis suis. Similiter Ambrosianus. Verum nostram expositionem, quae eadem est Anselmi, Aquinatis et Cajetani, veriorem arguit contextus, ac praecipue sententia proxime sequens, quam et in Epist. ad Eph. dominis proponit:

Et non est personarum acceptio apud Deum. In Graeco et Syriaco non additur *apud Deum,* satis tamen ex aliis locis ac praesertim ad Ephesios 6. intelligitur supplendum esse. Significat Apostolus, Deum judicem, apud quem non est personarum respectus, sed ponderatio meritorum, non parciturum dominis, si quid injuste egerint adversus servos.

Sed quid est, quod Apostolus tam hoc loco quam ad Ephesios prolixius immoratur servis instituendis, cum caeteris tam breviter praecipiat? Ea ratio videtur, quam expressit in 1 Tim. 6., ne nomen Domini et doctrina blasphemetur, scilicet per servorum proterviam et inobedientiam. Erant enim, qui male intelligentes libertatem, quam Christus attulit mundo, dicerent, neminem Christianum cuiquam mortalium servire debere. Quae haeresis jam ante apud Judaeos orta fuerat, quibusdam eorum dicentibus, se esse populum Dei, et proinde a tributo et servitute liberum esse. Igitur adversus hujusmodi pravam opinionem, qua Christi nomen non parum infamabatur, servos Christianos diligenter instruit Apostolus.

CAPUT QUARTUM.

Domini, quod justum est et aequum, servis praestate: scientes quod et vos Dominum habetis in coelo[1]. 2. Orationi instate[2], vigilantes in ea in gratiarum actione: 3. orantes simul et pro nobis[3]: ut Deus aperiat nobis ostium[4] sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum[5], 4. ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. 5. In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt[6]: tempus redimentes[7]. 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus[8], ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. 7. Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus[9], charissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino[10]: 8. quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quae circa vos sunt, et consoletur corda vestra, 9. cum Onesimo[11] charissimo, et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quae hic aguntur, nota facient vobis. 10. Salutat vos Aristarchus[12] concaptivus meus, et Marcus[13] consobrinus Barnabae[14], de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: 11. et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12. Salutat vos Epaphras[15], qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei. 13. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis et pro iis, qui sunt Laodiciae[16], et qui Hierapoli. 14. Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas. 15. Salutate fratres, qui sunt Laodiciae, et Nympham, et quae in domo ejus est Ecclesiam. 16. Et cum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur: et eam, quae Laodicensium est, vos legatis. 17. Et dicite Archippo[17]: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. 18. Salutatio, mea manu Pauli[18]. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Hortatur eos, ut instent orationi, ac simul pro se orent. Item ut circumspecte inter gentes versentur. Commendat Tychicum et Onesimum. Denique salutationibus claudit Epistolam.

1. *Domini, quod justum est et aequum, servis praestate.* Hanc partem, quae dominorum admonitionem continet, S. Thomas in commentario, et is qui

[1]) Eph. 6, 9. [2]) Luc. 18. 1. 7. [3]) Eph. 6, 19. Rom. 15, 30. 2 Thess. 3, 1. [4]) 2 Cor. 2, 12. 1 Cor. 16, 9. [5]) Act. 28, 16. [6]) Matth. 7. 6. Eph. 5, 15. 1 Petr. 2, 12. [7]) Eph. 5, 16. [8]) Eph. 4, 29. Luc. 4, 22. [9]) Act. 20, 4. [10]) Eph. 6, 21. [11]) Philem. 10. [12]) Act. 19, 29. Philem. 24. [13]) Act. 27, 2. 12, 12. 15, 37. [14]) Act. 15, 35—39. [15]) Cap. 1, 7. [16]) Cap. 2, 1. [17]) Philem. 2. [18]) 1 Cor. 16, 21.

Ambrosianum commentarium in capita distinxit, praecedenti capiti adjungunt; hujus capitis initium facientes ab eo loco: *Orationi instate* etc. Idque profecto rectius. Nam ea, quae dominis hic praecipiuntur, connexionem argumenti habent cum superioribus, ut liquet. Pro *aequo,* Graeca habent *aequalitatem;* Erasmus *aequabilitatem* vertit.

Igitur monet Apostolus dominos, ut non solum praebeant servis id, quod eis jure debetur, veluti victum et vestitum ac caetera necessaria, quae si subtrahantur, injuste cum iis agitur; quemadmodum et si crudeliter tractentur; nam secundum leges Domino saevire in servum non licet, ut annotat S. Thomas: verum etiam, ut aequos et humanos se eis exhibeant; nec omne debitum servitutis ad amussim exigant, nec omne eorum delictum rigide puniant; sed sicut ad Ephes. scribit, minas remittant. Denique beatum Job imitentur, qui de se ita loquitur cap. 31. *Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea; cum disceptarent adversum me* etc.

Scientes quod et vos Dominum habetis in coelo. Scilicet Jesum Christum. Nam cogitatio domini superioris cohibet inferiorem dominum, ne quid durius agat in servum; sicut explicatum est plenius ad Ephes. 6., ubi pene eadem sunt verba.

2. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* A specialibus praeceptis redit ad quaedam generalia, quae scilicet ad omnes pertineant; quale imprimis est, quod de oratione praecipit. Cujus sensus est: Assidue et perseveranter Deum precamini; nec taedium aut socordia vobis orantibus obrepat. Id autem facite cum gratiarum actione pro omnibus beneficiis a Deo acceptis. Est enim gratiarum actio pars orationis praecipua. Praeceptum hoc etiam Ephesiis datum est, etsi verbis paululum diversis.

3. *Orantes simul et pro nobis.* De seipso plurali numero loquitur, modestiae causa. Nam quod suam tantum personam velit intelligi, docent illa sequentia, *vinctus sum, manifestem* etc. Sane ad Eph. 6., ubi eadem rogat, singulariter dicit: *pro me, ut detur mihi sermo* etc. Quomodo autem hic locus et similes valeant contra haereticos pro invocatione Sanctorum, alibi dicetur opportunius.

Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Non dicit, ut aperiat nobis ostium carceris, sed *ostium sermonis,* inquit Cajetanus, secundum quem sensus est: Ut faciat me aperire os meum, per quod tanquam per ostium, ut ait S. Thomas, sermo a corde foras exit, ad proferendum mysterium salutis humanae per Christum. Sic David precatur: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Alii malunt hunc esse sensum, ut Deus submoveat impedimenta sermonis, ac suggerat opportunitatem loquendi mysterium Christi. Tali enim modo accipitur ea phrasis 1 Cor. 16. et 2 Cor. 2. nec non Act. 14. Ita legimus in Hebraeo Osee 2. *Ostium spei,* pro apertura spei.

Propter quod etiam vinctus sum. Relativum *quod* aut ad *mysterium Christi* refertur, aut ad totum complexum illud, quod est, loqui mysterium Christi. Nam Graece loco ejus *propter quod,* est adverbium διὸ, et ad utrumvis commode fit relatio. Constat ex hoc loco, Epistolam hanc e carcere scriptam esse.

4. *Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* Pars haec ordinanda est consequenter cum eo quod dixit, *ad loquendum mysterium Christi.* Estque sensus: ut loquar mysterium Christi, non quomodocunque, sed ut manifeste illud eloquar, *sicut oportet me loqui,* id est, apte et convenienter ad persuadendum. Utitur autem vocabulo manifestandi, quia de mysterio, id est, de re occulta hominibus prodenda loquitur. Haec conferenda sunt cum loco Ephes. 6., ubi similis est prorsus verborum sententia.

5. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt.* Eos, qui foris sunt, infideles intelligit, qui in Ecclesiae familiam nondum sunt recepti; de quibus 1 Cor. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Cum his monet sapienter esse con-

versandum, id est, prudenter et circumspecte; ne aut ex eorum moribus vitium contrahant, aut eos facto aliquo scandalizent, atque ab Evangelio avertant, vel etiam occasionem dent Evangelii persequendi. *Sapientiam* pro prudentia positam Theophylactus quoque interpretatus est.

Tempus redimentes. Quid sit redimere tempus, expositum est ad Ephes. 5., ubi cum ratione subjuncta dicebatur, *redimentes tempus, quia dies mali sunt.* Cum infidelibus, inquit, caute conversamini, ita ut redimendae vexationis atque evitandae persecutionis causa, quo tempus habeatis liberum ad serviendum Deo, patiamini, si opus sit, etiam dispendium aliquod rerum temporalium.

6. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Eodem pertinet hoc praeceptum, scilicet ut prudenter ambulent erga eos qui foris sunt. Sal optimum et utilissimum est ciborum condimentum, si moderate adhibeatur; transfertur autem ad sapientiam significandam, utpote qua nihil est hominibus utilius in vita. Monet igitur Apostolus hac metaphorica sententia Colossenses, ut sermo, quem habent cum proximis, maxime cum infidelibus, semper sit respersus sale sapientiae; *idque cum gratia,* id est, cum grata jucunditate. Sic enim futurum, ut audientes afficiat atque aedificet. Unde est illud Poëtae moralis:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. Hoc ad gratiam sermonis pertinet, nosse loqui et respondere unicuique quemadmodum oportet et convenit, ut sermone afficiatur. Nam pro diversis hominum moribus, studiis, inclinationibus, aliter atque aliter cum iis loquendum est; quod pulchre docet Gregorius in lib. de cura pastorali.

7. *Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater;* nimirum is, per quem mitto hanc epistolam. Eadem haec scribit in fine epistol. ad Ephes., ut inde liqueat, utramque Epistolam eodem tempore scriptam et missam fuisse. Quanquam id satis etiam arguit doctrinae et sententiarum similitudo.

Et fidelis minister, et conservus in Domino. In Domino, referendum ad utrumque membrum: nam priori adjungitur in Epist. ad Ephes. Tychicum vocat *fidelem ministrum in Domino,* quod sacro officio diaconiae fideliter fungeretur. Eundem vocat *conservum,* supple suum, *in Domino,* quod in rebus ad Evangelium Christi pertinentibus una cum Paulo laborasset.

8. *Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quae circa vos sunt.* Id est, ut cognoscat, quomodo res vestrae se habeant, mihique renuntiet. Erat enim Paulus pro Colossensibus solicitus, propter Judaizantes et Simonianos sinceritati fidei eorum insidiantes. In Epistola ad Ephesios contrario modo dicitur, *ut cognoscatis, quae circa nos sunt.* Ex quo suspicari quispiam posset, etiam hoc loco sic esse legendum: verum illud postea hic dicitur aliis verbis: *Et consoletur corda vestra;* referendo, quae circa me sunt. Potuit etiam verti: *Et exhortetur corda vestra,* sicut eodem ad Ephes. loco annotavimus.

9. *Cum Onesimo carissimo et fideli fratre, qui ex vobis est.* Id est, qui est Colossensis. Pars haec referenda non ad id, quod proxime praecessit, parum enim idoneus adhuc erat Onesimus ad consolandum vel exhortandum Colossenses, utpote ex servo fugitivo recens Christianus; quemadmodum ex Epistola ad Philemonem eodem tempore missa patet, sed ad illud remotius, *quem misi ad vos.* Dicit enim, se mittere ad eos una cum Tychico Onesimum; quem vocat *fidelem et dilectum fratrem,* seu Christianum, ut hac commendatione tegat culpam ejus priorem. Per hunc Onesimum scribit Paulus ad ipsum etiam Philemonem: unde colligitur, tres Epistolas simul fuisse missas; ad Ephesios, ad Colossenses et ad Philemonem. Qua de re plura alibi.

Omnia, quae hic aguntur, nota facient vobis. Scilicet ii, quos dixi, Tychi-

cus et Onesimus. Intelligit *omnia* ad ipsum caeterosque fideles, et omnino ad Evangelii successum pertinentia. Verbum, *aguntur*, interpretis est, ad explendam sententiam necessario adjectum: nam Graece tantum est, τὰ ὧδε.

10. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus.* Hic erat Macedo Thessalonicensis, comes Pauli, cum eo adversa quaedam passus in Asia, cum quo etiam captivo ab Hierosolymis Romam usque sponte profectus est. Haec enim de eo commemorat alter Pauli comes Lucas Act. 19. 20. et 27. Ejusdem mentionem facit Apostolus in Epistola ad Philemonem; ubi tamen captivitatis ejus haud meminit, quia non opus erat, cum ex hac epist. Philemon, utpote Colossensis, id intelligere posset.

Et Marcus consobrinus Barnabae. Hic Act. 12. vocatur Joannes cognomento Marcus, cujus rursum sub nomine Joannis mentio fit Act. 13. Denique propter ipsum natam fuisse quandam dissensionem inter Paulum et Barnabam narratur Act. 15. Idem autem est cum eo, quem inter adjutores suos, perinde ut hoc loco, recenset Apostolus in Epist. ad Philemonem, et de quo in 2 Tim. 4. scribit: *Marcum assume, et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium.* Nam post illam offensionem, de qua Act. 15., reconciliatum Paulo fuisse et in amicitiam ab eo receptum, nemini dubium esse debet. De quo etiam refertur in Martyrologio Romano ad 27. Septemb., quod tandem Bibli in Phoenicia sit ordinatus Episcopus, ac Deo probatus fuerit. Diversum autem fuisse a Marco Evangelista, quem Petrus Apostolus 1. epist. 5. filium suum vocat, licet nonnulli secus opinentur, satis exacte probat Cardinalis Baronius in annalibus ad annum Christi 45. Addit autem de hoc Apostolus, quod sit consobrinus Barnabae, vel ut eum a cognatione commendet, ut volunt Graeci, magno enim in pretio erat Barnabas; vel ut a Marco Evangelista distinguat.

De quo accepistis mandata. Id est, literas commendatitias seu testimoniales. Hujusmodi enim olim solent tradi fidelibus, praesertim clericis, profecturis ad aliam quampiam Ecclesiam ab ea, in qua commoratus fuisset; more ab Apostolis primum introducto: de quo multa in antiquis canonibus. Quae quidem literae vocabantur *Formatae* apud Latinos. Loquitur autem de Marco Apostolus non de Barnaba, qui vir tantus erat tantique nominis apud omnes fideles, ut commendatitiis ad eos literis non egeret; Marcus autem indigebat, propterea quod dudum, uti dictum est, in Pauli offensionem incurrisset.

Cajetanus Barnabam vult intelligi, propterea quod Marcus inter consalutantes numeretur. Verum nihil obstat, quo minus tunc Colossenses salutaverit, paulo post ad eos forsan profecturus; tantum enim dicitur: *Si venerit* etc. Sed et illud minime probabile, quod Anselmus et Thomas cum nonnullis aliis *mandata* interpretantur data Colossensibus a Paulo, ne Marcum reciperent; tanquam ea nunc Apostolus revocet mandato contrario, propter Marci resipiscentiam; erat enim id alienum prorsus ab humanitate Pauli, ut propter offensam illam veterem, eamque non adeo gravem, talia de Marco daret mandata. Si quaeras, a quo mandata acceperant Colossenses: dicendum arbitror, ab Ecclesia Romana; nam si ab ipso Paulo, dixisset, de quo dedi vobis mandata. Hae autem literae jam Colossensibus praemissae erant, in Marci gratiam.

Si venerit ad vos, excipite illum. Id est, hospitalitatis officium illi impendite, humaniter eum tractate. Haec pars ita potest accipi, ut ea exprimatur species mandati, quasi dicat Apostolus: *De quo accepistis mandatum* in haec verba, aut certe in hunc sensum: *Si venerit ad vos excipite illum.* Est enim hoc velut exemplar formatarum, de quibus supra. Atque in eum sensum partem hanc accepit auctor versionis Ambrosianae, dum ita transtulit: *De quo accepistis mandatum, ut si venerit ad vos, excipiatis illum.* Meminerunt hujus intelligentiae etiam Chrysostomus et Theophylactus. Repetit au-

tem Apostolus ipsa verba, more Hebraeis familiari; qui solent ipsamet verba, aut dicenda praescribere, aut dicta repetere, ut Matth. 26. *Dicite ei, Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Tale etiam est, quod infra dicitur hoc eodem capite: *Dicite Archippo: vide ministerium* etc.

11. *Et Jesus, qui dicitur Justus.* Supple ex superioribus, *salutat vos.* Nomen Jesu multis erat commune, ut patet ex historia Josephi. Hic igitur, seu distinctionis causa, sive etiam ob id, ne proprium nomen Salvatoris aliis communicatum vilesceret, a fidelibus vocabatur Justus; ut eo velut proprio nomine agnosceretur. Legimus quoque Act. 1. de Joseph, quem cum Matthia Apostoli statuerunt sortes daturi, quod cognominatus sit Justus; utique ab isto diversus, quemadmodum et ille Titus Justus, de quo Act. 18. Nam is gentilis erat. Sciendum autem, omnibus his locis in Graeco non haberi Graecum vocabulum δίκαιος, sed Latinum Ἰοῦστος, quod nimirum abierat in agnomen, etiam Graece loquentibus usurpatum: cujusmodi et alia Romana vocabula legimus apud Evangelistas, ut sudarium, praetorium, custodia.

Qui sunt ex circumcisione. Id est, Judaei. Tres supra nominatos intelligit, Aristarchum, Marcum et Jesum, non autem solos duos posteriores, ut putat Anselmus. Quamvis enim Aristarchus esset patria Thessalonicensis, gente tamen erat Judaeus; erat enim Judaica gens toto orbe dispersa. *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei.* Graece: *Hi soli cooperarii ad regnum Dei.* Primasius quoque pronomen *mei* omittit, ut probabile sit ab interprete non fuisse scriptum, nam et satis intelligitur ex eo, quod subjungitur: *Qui mihi fuerunt solatio.* Graeca vox παρηγορία eam consolationem significat, quae fit amica et suavi collocutione; tametsi potest extendi ad quamvis consolationem in genere.

Porro, quod dicit: *Hi soli,* quidam restringunt ad Judaeos; quod non est necesse, nam sensus hic esse videtur: Hos solos habeo cooperarios ad promovendum regnum Dei, quod est Ecclesia Christi; tales, inquam, qui mihi in carcere constituto solatium attulerint. Ubi tacite conqueritur de paucitate cooperariorum, qui in eo munere sincere versarentur: ut haec sententia congruat cum ejusdem Apostoli querela Phil. 1. de paucis fratribus sincere Christum annuntiantibus.

Contendunt ex hoc loco sectarii, Petrum eo tempore, quo Paulus haec scripserat, Romae non fuisse, quod etsi concedi eis possit: neque enim Catholici docent Petrum 25. annis omnino continuis ac sine ulla interruptione Romae moratum fuisse, ut quem omnium ecclesiarum solicitudo saepe alio vocaret, non tamen ex his verbis sequitur. Loquitur enim de subsidiariis adjutoribus: quales erant tres supra nominati: Petrus autem non subsidiarius erat Paulo in praedicatione verbi, sed coapostolus, idemque totius Ecclesiae pastor.

Adde quod iste sermo: *Hi soli,* non est ita rigide accipiendus, ut absolute excludat omnes alios, sed benigno sensu: Hi fere soli sunt adjutores etc. Nam certe plures, quam tres illos Romae Christum cum sinceritate annuntiasse, satis potest colligi ex epistolis ad Rom. et Phil. At neque Lucas et Timotheus, qui tunc Romae erant, — nam Lucam paulo post nominat inter salutantes et charissimum vocat, Timotheum vero sibi collegam assumit in salutatione, qua epistolam orditur, — ulla ratione possunt excludi a numero cooperariorum, a quibus solatium ac ministerium Paulus acciperet. Quibus adjunge Epaphram, de quo jam sequitur:

12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu.* Hujus Epaphrae praeclare meminit etiam sub initium Epistolae. Ex eo autem, quod dicit, *qui ex vobis est,* intelligitur, eum Colossensem fuisse. *Servum* autem *Christi* vocat, propter munus evangelicae praedicationis, quod obierat apud Colossenses: qua etiam ratione suum conservum eum appellavit cap. 1., quemadmodum ibi dictum est. In Epistola ad Philemonem

vocat eum concaptivum suum: quod cur in hac Epistola taceat, causam reddere conati sumus in expositione primi capitis.

Semper solicitus pro vobis in orationibus. Solicitus, Graece ἀγωνιζόμενος, id est, certans, enixe et solicite laborans. Commendat Epaphram Colossensibus a solicitudine et labore, quem pro illis subibat, simul assidue pro iis Deum orans. Id enim sibi vult Hebraismus, *in orationibus*, id est, cum orationibus, quibus nimirum hoc petebat, quod sequitur:

Ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei. Pleni, Graece participium, *impleti;* pro quo Ambrosianus legit, *abunde expleti.* Sensus est: Ut perfecte studeatis implere voluntatem Dei atque in eo studio perseveretis. *Voluntatem Dei* intelligit, quae in praeceptis consistit.

13. *Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis.* In Graeco non est *laborem,* sed ζῆλον, id est, studium cum aemulatione, quale est vel sponsi vel paranymphi pro sponsa. Per quod innuit Paulus, Epaphram Colossensium Apostolum esse, eamque Ecclesiam velut sponsam Christo comparasse, et idcirco pro ea custodienda, ornanda, perficienda vehementer aemulari. Tale suum studium erga Corinthios ipse Paulus ostendit, quando ad eos scribit: *Aemulor vos Dei aemulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* 2 Cor. 11.

Et pro iis, qui sunt Laodiciae, et qui Hierapoli. Erant hae civitates Colossis vicinae, propter quod etiam pro illis laborem ac studium Epaphras impendebat. Forsitan autem et participes fuerant Evangelii per ipsum praedicati.

14. *Salutat vos Lucas medicus carissimus. Carissimus,* determinat Lucam, non medicum; quasi dicat: Lucas medicus, idemque nobis carissimus. Sunt, qui in dubium revocent, num de Luca Evangelista loquatur Apostolus: hunc enim dicunt notiorem fuisse, quam ut artis nomine eum designaret. Ac saltem, inquiunt, eum coadjutorem suum aut fidelem comitem vocasset. Verum, ut vetus et communis, ita probatissima sententia est, quam et Hieronymus in catal. script. Eccl. et Paulinus in Epigr. tradit, Lucam Evangelistam medicum fuisse: et eum ipsum, cujus hic mentio est. Neque enim alium Lucam Paulo familiarem ulla prodit historia.

Artis autem honestissimae nomine eum designat, ob eam forte causam, quod arte sua medica insignem operam fidelibus praestaret. Quod vero tacuit hoc loco adjutorem, id diserte expressit ad Philemonem scribens: *Demas et Lucas adjutores mei.* Non enim putavit Apostolus, rem satis notam ubique inculcandam esse.

Ubi et illud observandum est, Apostolum assidue Lucam cum Dema nominare: tam hoc loco et ad Philemonem, quam etiam in secunda ad Tim. Epistola, ubi cap. 4. sic ait: *Demas me reliquit, Lucas est mecum solus.* Quis ergo dixerit alium atque alium esse Lucam cum eodem Dema nominatum? Nam ad Philemonem et ad Timotheum de Luca Evangelista sentire Apostolum: nemo hactenus dubitavit.

Denique cum constet ex Act. Apost., Lucam Evangelistam cum Paulo pervenisse Romam, ibidemque cum eo captivo perseverasse, quae ratio est, Lucam, cujus tanquam secum agentis mentionem facit Apostolus in Epistola e Romano carcere scripta, ob id solum, quia medicum eum vocat, ab Evangelista facere diversum? Haec satis, ad probandum, inanem prorsus ac temerariam esse dubitationem, quam de Luca movent hoc loco novatores, Erasmum secuti.

Et Demas. Multorum opinio est, hunc ad tempus dumtaxat Pauli adjutorem fuisse: postea vero saeculi amore captum ita Paulum deseruisse, ut amplius ad eum non fuerit reversus. Sic enim intelligunt illud 2 Tim. 4. *Demas me reliquit, diligens hoc saeculum.* Atqui Cardinalis Baronius contra existimat eum, Paulo ad tempus derelicto, postea Romam ad ipsum rediisse atque in vinculis constituto rursus ministrasse. Censet enim auctor ille,

secundam ad Timotheum Epistolam priorem esse iis, quae ad Colossenses et ad Philemonem scriptae sunt. Quod et nobis valde probabile est, ob rationes ab ipso allatas Tom. 1. Annal. Eccl. ad annum Domini 59. Sed hac de re nobis sermo recurret, ubi ad dictum usque locum Pauli pervenerimus.

15. *Salutate fratres, qui sunt Laodiciae.* Hoc monet ad confovendam Christianam amicitiam inter fideles urbium vicinarum. *Et Nympham, et quae in domo ejus est, Ecclesiam.* Nympha, seu potius Nymphas, non mulieris, ut Ambrosianus et Anselmus aliique Latini opinantur, sed viri nomen est, qualia Thomas, Lucas et 1 Cor. 1. et ult. Stephanas. Quod cum ex tono circumflexo posterioris syllabae in Graeco, tum certius ex pronomine masculini generis αὐτοῦ comprobatur. De eo Graecorum scholia sic habent: Magni nominis hic vir fuit, qui domum suam fecerit Ecclesiam. Porro familia Christiana vocatur ab Apostolo *Ecclesia,* propterea quod sit fidelium multitudo, non qualiscunque, sed sic ordinata, ut in ea alius praesit, alii subjecti sint; idque etiam aliquo modo in his, quae ad religionem et salutem animarum spectant. Nam in unaquaque domo is, qui praeest, sive paterfamilias sive dominus, sive alia ratione praefectus, curam gerere debet salutis aeternae suorum subditorum, atque eos admonendo, docendo, hortando, corripiendo, ecclesiasticum et quodammodo episcopale implere officium, ut loquitur Augustinus tract. 51. in Joan. Similis locus Rom. 16, 4. et 1 Cor. 16, 19. et ad Philemonem.

16. *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola,* haec, quam ad vos scribo, *facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur.* Ideo communem utrisque vult esse Epistolam, quia utrisque erat ratio communis. Verisimile est enim, Laodicenses, ob viciniam loci, ab iisdem doctrinae Christianae corruptoribus tentatos fuisse, a quibus Colossenses, nimirum a Judaizantibus et Simonianis. Nec immerito Laodicensium singularem curam habet Apostolus, etsi ab iis non visus; erat enim Laodicea metropolis Phrygiae, et Ecclesia Laodicensium una ex praecipuis, utpote a Joanne Apostolo annumerata inter septem celebriores Asiae Ecclesias.

Et eam, quae Laodicensium est, vos legatis. Horum verborum occasione abusus quispiam concinnavit atque evulgavit Epistolam quandam velut a Paulo scriptam ad Laodicenses. Eam videre est apud Anselmum huic Epistolae subjunctam et apud Sixtum Senensem lib. 2. bibl. sanctae, nec non apud Stapulensem, qui eam suo commentario inserit, affirmans se quatuor locis eam reperisse, putatque non absimile vero, quod Paulus eam scripserit. De hac re Hieronymus in catalogo: Legunt quidam, inquit, et ad Laodicenses Epistolam, sed ab omnibus exploditur. Meminit ejusdem Theodoretus, ac simpliciter eam confictam esse pronuntiat. Denique de ea sic legitur in septima synodo Tom. 5. Epistolam ad Laodicenses Apostolo adscriptam Patres nostri tanquam alienam reprobaverunt.

Quanquam nobis haud omnino constet, istos omnes de ea loqui Epistola, quae nunc circumfertur: nam ratio dubitandi est ex Philastrio, qui in libro de haeresibus cap. 90. dicit, Epistolam ad Laodicenses scriptam idcirco publice non legi in Ecclesiis, quod in ea nonnulli male sentientes quaedam sua admiscuerint. Id autem verum non videtur de ea, quae nunc in manibus est, ut quae brevissima sit ac nihil habeat adulterinae doctrinae.

Verumtamen sive haec eadem sit cum illa, cujus veteres meminerunt, sive diversa, saltem hoc dubium apud doctos esse non potest, quin supposititia sit, et aliena a spiritu et more scribendi Paulino. Nullum enim habet certum argumentum, tantum continet quasdam exhortationes et praecepta temere ac sine ordine congesta, omnia fere decerpta ex aliis Epistolis, praesertim ex ea, quae ad Philipp. Deinde, qui convenit, ut Apostolus tam breviter ad totam aliquam Ecclesiam scriberet? Est enim haec Epistola multo brevior etiam ea, quae ad Philemonem

scripta est. Jam nec exordium illud grande, petitum ex Epistola ad Galatas: *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum,* ullo modo respondet cum reliquo corpore Epistolae, et tamen impostor, quisquis fuit, ut aparere faceret esse eam ipsam, de qua Paulus hic loquitur, ita scribit in fine: Hanc facite legi Colossensibus, et eam, quae est Colossensium, vobis.

Sciendum praeterea est Marcionem, antiquum haereticum, occasione praesentis loci, Epistolae ad Ephesios scriptae titulum mutasse, inscribendo eam ad Laodicenos; tanquam ea non ad illos, sed ad hos scripta esset, quemadmodum referunt Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 11. et 17. et Epiphan. haer. 42. Sed falsitatem haeretici prodit Ignatius martyr, qui ad Ephesios scribens, citat quaedam verba tanquam a Paulo ad eos scripta: *Unum corpus et unus spiritus* etc., quae utique habentur in Epistola ad Ephes. 4.

Porro nonnulli commentatores, persuasi ex hoc loco, Paulum vere aliquam ad Laodicenses epistolam scripsisse, dicunt eam intercidisse, sicut et aliam quandam ad Corinthios scriptam. Hoc modo sentiunt Anselmus, Aquinas, Cajetanus, quibus annumerandus videtur B. Gregor., qui lib. Moral. ult. cap. 15. ita scribit: Paulus Apostolus quamvis epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius, quam quatuordecim tenet etc., ubi videtur decimam quintam intelligere eam, quae est ad Laodicenses. Fefellit autem hos omnes ambiguitas verborum hujus loci, prout Latine leguntur: quod enim dicitur, *eam, quae Laodicensium est,* intelligi potest Laodicensium, vel ad quos, vel a quibus Epistola scripta sit aut missa. Et quidem priori modo Latini fere intellexerunt: sed hanc ambiguitatem plane dissolvit Graeca lectio, quae sic habet: *Et eam, quae ex Laodicea est, ut et vos legatis.* Ex quo liquet, Apostolum loqui de epistola ex Laodicea scripta.

Caeterum quaenam ea sit, et a quo scripta, adhuc quaeritur. Theophylactus putat, esse epistolam priorem ad Timoth. Nam ea apud Graecos subscriptionem habet, quod missa sit ex Laodicea. Sed hoc refellitur; primum, quia Paulus, qui Laodiceae nunquam fuerat, uti supra ex secundo capite hujus Epistolae ostendimus, non potuerat ex ea urbe ullam scripsisse epistolam. Quod si demus eum Laodiceae fuisse, velut opinatur Theodoretus; haud tamen verisimile est, ut epistolam ante complures annos, non ad plebem, sed ad episcopum scriptam, ejusque proprie munus explicantem, voluerit in toto conventu Colossensium legi.


Proinde probabilior nobis est eorum sententia, qui putant hic agi de epistola ab ipsis Laodicensibus scripta ad Paulum, quae contineret magnam testificationem fidei et charitatis eorum; ideoque Paulum voluisse, ut eam legerent Colossenses, illorum scilicet exemplo provocandi atque excitandi ad majorem fidei et charitatis profectum. Ita sentiunt Chrysostomus, Theodoretus, Photius, Oecumenius. Juxta hanc sententiam non male vertit interpres noster, *eam, quae Laodicensium est:* nam usu loquendi epistola dicitur esse ejus, a quo scripta est, ut Ciceronis, Plinii: non item ejus, ad quem scripta est.

17. *Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Hunc Archippum, cujus et initio epistolae ad Philemonem mentio est, episcopum Colossensium fuisse putat Ambrosianus, ut qui post Epaphram acceperit regendam eorum Ecclesiam. Idem sentit S. Thomas in comm. vocans Praelatum eorum: ac manifestius in 2. 2. q. 32. art. 4. ad 2., ubi episcopum vocat. At Primasius tantum diaconi functum officio apud Colossenses arbitratur. Neutrum verisimile: neque enim ratio apparet, cur Epaphras eorum episcopus esse desierit: neque diaconus absentiam episcopi suo ministerio supplere poterat. Quare probabile est, ejus Ecclesiae Presbyterum fuisse, qui absente episcopo eam verbo et sacramentis pasceret, ut sensus sit: Dicite Archippo vestrae Ecclesiae Presby-

tero, ut ministerium sibi ab Epaphra discedente injunctum in his, quae Domini sunt, probe ac diligenter exsequatur. Certe Apostolus in epist. ad Philemonem vocat eum commilitonem suum.

18. *Salutatio mea manu Pauli.* Eadem verba sunt in fine prioris epistolae ad Corinthios. Inde repete expositionem. *Memores estote vinculorum meorum.* Hic jam tertio vinculorum suorum meminit hoc capite: unde clarum, est in carcere scriptam esse hanc epistolam. Quod autem rogat, ut *vinculorum suorum memores* sint, non sui causa facit, quasi subsidium tacite postulans: sed ut confirmentur in fide, pro qua viderent ipsum tanta pati.

Gratia vobiscum Amen. Quam gratiam intelligat, alibi satis explicatum. Graeci codices hic subscribunt: *Scripta e Roma per Tychicum et Onesimum.*



IN EPISTOLAM PRIMAM

BEATI PAULI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES

COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Thessalonicensium civitas Macedoniae metropolis fuit, apud quos Paulus, posteaquam Philippis digressus esset, Evangelium Christi non sine fructu praedicavit, etsi Judaeis insano studio contranitentibus, quemadmodum refertur Act. 17. Hos igitur recenter conversos, quod inter domesticas persecutiones in accepta fide constantes permansissent, missa ad eos Epistola collaudat, et Deo gratias agit; interim suae personae commendationem admiscens, ut qui non solum pure atque sincere Christum iis annuntiasset, verum etiam ne eos gravaret, a sumptu accipiendo abstinuisset. Quod cur commemoret, ex secunda Epistola certius intelligetur. Et haec quidem agit primo, secundo et tertio capitibus. Mox subjungit praecepta vitae Christianae, ut conjugio caste utantur, et libidinum corruptelas fugiant, utque otium vitent et res alienas non appetant.

Deinde ab immoderata tristitia, qua mortuos lugebant, quasi qui omnino periissent, eos revocat, et certissima spe resurrectionis consolatur, cujus et modum describit. Postremo capite ex eo, quod tempus resurrectionis ac judicii divini incertum sit atque incognitum, admonet vigilandum esse, sanctisque operibus incumbendum, ne judicii dies imparatos opprimat. Quo loco addit et alia quaedam praecepta, brevia quidem, sed utilitate praecipua.

Hanc Epistolam inter omnes Paulinas tempore primam esse censet ejus commentator Anselmi titulo, cui Baron. anno Christi 52. §. 22. aliique docti facile suffragantur. Constat enim scriptam esse non multo postquam ad fidem conversi essent Thessalonicenses. Nam quod in vulgari argumento Latinorum codicum scribitur missa per Onesimum, scilicet eum, quem Paulus Romae Christo genuit in vinculis, prorsus nequit consistere cum iis, quae dicuntur in hac Epistola de Timotheo ex Athenis ad Thessalonicenses misso. Cum enim Paulus Athenas pervenisset, atque illuc ad se Timotheum e Beroea Macedoniae accersivisset, ut habetur Act. 17., solicitus ac metuens Thessalonicensibus, ne propter afflictiones, quas post ipsius discessum ab adversariis fidei patiebantur, animo commo-

verentur, rursus ad eos, Athenis adhuc agens, Timotheum misit, ut eos in fide confirmaret atque in tribulationibus consolaretur, quemadmodum ipse cap. 3. hujus Epistolae testatur. Porro Timotheus non Athenas, ubi Paulus non diu moratus fuit, sed Corinthum e Thessalonica ad eum rediit una cum Sila, sicut Actorum liber narrat cap. 18. Atqui statim post adventum Timothei a Thessalonicensibus reversi, scriptam esse hanc Epistolam, ex eodem cap. 3. manifestum est.

Ex quibus plane colligitur, et primo omnium scriptam esse, nulla enim invenitur Epistolarum Pauli scripta ante id tempus, et e Corintho missam, non autem ex Athenis, ut habet Graecorum codicum hypographe, tametsi cum ea sentiunt Athanasius in synopsi, et Theodoretus in praefatione Epistolarum Pauli, aliique nonnulli. Falsum etiam illud, quod missa sit per Timotheum, ut in editione Syriaca adscribitur. Nam Timotheus unus eorum est, a quibus Epistola mittitur, uti liquet ex ejus initio, quod sic habet.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, Silvanus[1]) et Timotheus[2]), Ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo. 2. Gratia vobis, et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione[3]), 3. memores[4]) operis fidei vestrae, et laboris, et charitatis, et sustinentiae spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: 4. scientes fratres, dilecti a Deo, electionem vestram[5]): 5. quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa[6]), sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos[7]). 6. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini excipientes verbum in tribulatione multa[8]), cum gaudio Spiritus sancti: 7. ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaja[9]). 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaja, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. 9. Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, 10. et exspectare Filium ejus de coelis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura[10]).

---

1) Act. 15. 40. 2) Act. 18, 5. 3) Col. 1, 9. Eph. 1, 16. 4) Cap. 3, 9. 5) Act. 17, 4. 6) 1 Cor. 2, 4. seq. 7) Act. 17, 5. seq. 8) Cap. 2. 14. 9) 2 Thess. 1, 4. 10) Rom. 5, 9. Phil. 3, 20. 1 Cor. 1, 7.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Congratulatur fidei et patientiae Thessalonicensium, in qua ita profecerant, ut aliis exemplum praeberent, et ab iis in alias regiones sermo Dei divulgaretur.

1. *Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiae Thessalonicensium.* Subaudi, scribunt aut mittunt hanc Epistolam. Cur Paulus in utraque ad Thessalonicenses Epistola non se Apostolum nominet, ut fere in aliis omnibus, alii aliam adferunt rationem. Sed ea verior apparet, quam Cajetanus tradit, Paulum in his duabus Epistolis nudum absque epitheto nomen suum posuisse propter reverentiam Silvani, ne supra eum se extollere videretur, si peculiarem prae illo titulum usurparet. Est enim hic Silvanus idem cum Sila, qui post discessum Barnabae, assumptus a Paulo, ut socius evangelicae praedicationis ac veluti Coapostolus, etiam apud Thessalonicenses una cum ipso Christum annuntiaverat, et commune periculum expertus fuerat: quod quidem Acta Apostolorum legenti dubium esse non potest. Ejusdem Silae sub nomine Silvani meminit Apostolus 2 Cor. 1. Adjungitur autem Paulo et Silvano Timotheus, tum quia, sicut ex Actis colligi potest, comes illis fuerat profectionis ad Thessalonicenses, et laborum particeps; tum maxime, quod postea a Paulo missus in fide eos confirmasset.

In Deo Patre et Domino Jesu Christo. Cohaeret cum praecedentibus, juxta Graecorum commentarios, hoc modo: Quae Ecclesia est in Deo Patre etc. Dicitur autem esse *in Deo Patre*, tanquam efficiente et gubernante principio. *In Christo,* ut salutis ejus per meritum suae passionis auctore. Alii supplent hoc modo: Ecclesiae Thessalonicensium congregatae in Deo Patre etc. Caeterum Ambrosianus haec verba videtur jungere cum sequenti parte, dum ita scribit: Dei Patris et Domini Jesu Christi gratiam et pacem his exoptat; sed id facit praeter mentem Apostoli, quemadmodum liquet ex 2. Epist. principio.

Gratia vobis et pax, videlicet multiplicetur. *Gratia* sermone Apostolico significat beneficium Dei gratuitum ad salutem pertinens, ut est fides, justitia, ejusque partes et incrementa. *Pax* autem est ejusmodi bonorum quieta possessio. Graecus textus annectit haec verba: *a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo,* quae tamen a nullo Graecorum interpretum exposita reperio, ut verisimile sit, additionem hanc a scribis factam ex aliis Epistolis, in quibus ferme omnibus ea verba exprimuntur.

2. *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis.* Id est, pro beneficiis in vos omnes collatis, qualia nimirum postea enumerat, ut fidem, charitatem, sustinentiam. Unde patet, haec omnia esse Dei dona, hujus enim rei testificatio est gratiarum actio. *Memoriam vestri facientes in orationibus nostris.* Id est, quoties oramus, etiam pro vobis orantes. Non enim a gratiarum actione separanda est oratio, cum in hac vita semper restet adhuc quod petatur, ut firmitas et augmentum fidei caeterarumque virtutum, atque in iis perseverantia.

3. *Sine intermissione memores operis fidei vestrae.* Illud: *sine intermissione,* in Graeco adverbium est: ἀδιαλείπτως, *indesinenter,* quod etsi cum parte superiori conjunxerit is, qui capita in numeros distinxit, atque eam distinctionem multi Latinorum interpretum suo commentario comprobarint; aptius tamen Graeci verbis sequentibus adjungunt, quod manifeste facit etiam codex Laudensis MSS. Nam quod dixerat: *semper,* etiam ad orationem referri voluit. Neque vero satis commode adverbium indesinenter in fine sententiae collocatur. Itaque sensus est: Semper Deo gratias agimus pro vobis, semperque pro vobis oramus; utpote qui semper et indesinenter simus memores operis fidei vestrae etc. Dicitur autem more Scripturae: *semper* et *indesinenter* id fieri, quod assidue et frequentissime fit. Ita rursus loquitur ultimo

capite hujus Epistolae: *Semper gaudete, sine intermissione orate.*

Porro Erasmus hunc locum ita vertit: *Indesinenter memores vestri propter opus fidei;* sed coacta et affectata videtur haec versio, quamvis et Hentenius eam secutus sit. Rectius alii in hunc modum: *Indesinenter memoria recolentes vestrum opus fidei.* Nam pronomen Graecum ὑμῶν, etsi tam ad *opus,* quam ad *fidem* referri possit, ordo tamen verborum in Graeco magis exigit, ut ad *opus* referatur, hoc sensu: Memores vestri operis ex fide profecti. Id opus Graeci interpretantur firmitatem et constantiam in periculis, quam suscepto Evangelio Thessalonicenses ostenderant, uti docet Act. hist. cap. 17. Exponit autem Apostolus his et sequentibus verbis materiam gratiarum actionis, de qua prius fuerat locutus: sunt enim hac bona Thessalonicensium, de quibus gratias agebat Deo.

Et laboris et charitatis. Graece sine media conjunctione: *et laboris charitatis.* Verisimile est imperitia scribarum Paulum non intelligentium, alterum *et* irrepsisse in nostros codices, quasi duo diversa commendaverit laborem et charitatem, cum ita dicat *laborem charitatis,* quomodo dixerat *opus fidei,* et quomodo consequenter dicit *sustinentiam spei.* Laborem charitatis intellige laborem ex charitate susceptum. Legitur enim in Actis, laborasse Thessalonicenses, ut tumultum a Judaeis adversus Paulum suscitatum sedarent, ipsumque periculo eriperent.

Et sustinentiae spei Domini nostri Jesu Christi. Tres virtutes mysticas Thessalonicensibus attribuit; fidem, charitatem et spem; quibus singulis propria quaedam adaptat: fidei opus; charitati laborem; et spei sustinentiam seu patientiam. Nam fides ex operibus ostenditur; charitas laborem reddit levem ac facilem; et spes patientiam gignit. *Quod enim speramus, per patientiam exspectamus* Rom. 8. Hujus igitur partis sensus est: Item memoria repetentes patientiam vestram, qua propter spem adventus Christi Domini multa adversa toleratis.

Ante Deum et patrem nostrum. Id est, coram Deo, qui idem est pater noster per spiritum adoptionis. Refertur autem haec pars ad vocabulum, *memores.* Significat enim se eorum, quae recensuit, meminisse coram Deo, scilicet cum gratiarum actione.

4. *Scientes fratres dilecti a Deo electionem vestram.* *Scientes,* id est, cum cognoverimus: vel, ut habet editio Syriaca, *siquidem novimus.* Falluntur enim, qui hoc referunt ad Thessalonicenses, quasi dicere voluerit Apostolus, cum sciatis fratres etc., et proinde rationem grammatices in transitu ad secundam personam, ut putant, neglexerit. Pendet enim adhuc pars ista a verbo, *gratias agimus;* ac totum dicitur in persona Pauli et collegarum, quos in exordio Epistolae nominavit.

Porro illud, *a Deo,* tripliciter ordinari potest: aut cum participio *scientes,* hoc modo: scientes a Deo, id est, ex Dei revelatione, vestram electionem; aut cum vocabulo *dilecti,* quae constructio sensum habet liquidum; aut cum accusativo *electionem,* ut sit sensus: scientes vos a Deo electos esse. Prima constructio coactior est: tertia, quam cum Graecis plerique sequuntur, sensum facit bonum et obvium; sed ei nonnihil resistit Graecus articulus τὴν, collocatus post illud *a Deo,* cum juxta hunc sensum praeponi debuisset.

Quare media constructio, quae nihil incommodi habet, quamque secutus est B. Thomas, nobis quoque probatur prae aliis, vel ob id, quod *dilecti* in Graeco non est nomen verbale, ut passim alibi, sed participium; cui aptissime cohaeret determinatio *a Deo:* et idem plane fit 2 Thess. 2, 12. continetque ea pars, *dilecti a Deo,* causam sequentis, *electionem vestram,* quasi dicat: Scientes vos esse electos ad vitam aeternam, non propter opera vestra bona, quae jam commemoravi, sed ex mera et gratuita Dei erga vos dilectione: a qua, velut fonte, etiam ipsa bona merita vestra profluunt.

Sciebat autem Paulus electionem Thessalonicensium: quia apud eos talia viderat initia fidei, spei et charitatis, tantamque in adversis constantiam: ut omnino confideret, nec dubitaret, quin multi eorum essent electi, Deo nimirum opus suum in eis perficiente; erat enim haec Apostoli scientia non absolutae certitudinis, sed magnae probabilitatis et fiduciae, ex optimis initiis conceptae. Sic enim loquitur ad Phil. 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.*

5. *Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu sancto. Et* priori loco multi Latini codices omittunt: sed exhibent alii non minus probati, inter quos Clementinus, suffragantibus Graecis: item textus commentatoris Ambrosiani, Primasii, Aquinatis, Rickelii, Cajetani. Confirmat Apostolus, quod dixerat: *Scientes electionem vestram:* quod enim hic commemorat, magnum erat argumentum electionis eorum. Per *Evangelium*, intelligit Evangelii praedicationem.

Potest autem illa pars, *in virtute et in Spiritu sancto*, dupliciter intelligi. Uno modo, de signis ac miraculis, quibus sermo praedicantis confirmabatur: quomodo dicit Rom. 15. *In virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti*, et 1 Cor. 2. *In ostensione spiritus et virtutis*, et Gal. 2. *Qui tribuit vobis spiritum, operatur virtutes in vobis.* Miracula enim sunt opera *virtutis* seu potentiae Dei: *Spiritus sanctus* autem peculiariter intelligitur in iis donis, quae charismata vocantur: ut sunt dona linguarum, prophetiae, curationum etc. Atque huc referri potest quod sub finem Epistolae dicitur: *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere.*

Alter intellectus est de efficacia verbi in cordibus audientium, per fidem virtute Spiritus sancti iis infusam. Priori modo, sensus est: Quia non tantum verbotenus Evangelium vobis praedicavimus: verum etiam miracula et Spiritus sancti charismata illud consecuta sunt, juxta illud, quod de Apostolis dicitur Marci ultimo: *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*, et Heb. 2. *Ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est salus, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus.*

Posteriori modo: Non tantum ego praedicavi vobis, sed et vos credidistis operante in vobis Spiritu sancto. Et quidem, juxta priorem sensum, *Evangelium dicitur esse in sermone tantum*, ratione praedicantis: quando sermonem miraculis non confirmat. Juxta posteriorem, ratione audientis: quando sermonem auditum fide non suscipit. Verum prior sensus, quem et Graeci tradunt, huic loco magis germanus est. Id enim probant aliae Scripturae similes, quas jam citavimus.

Est autem et alius modus, quo Evangelium est in sermone tantum ex parte praedicantis, dum videlicet id, quod sermone praedicat, opere non praestat. In virtute autem erit ejus sermo, si opere et conversatione demonstret ac rata faciat ea, quae verbo docet; ne audiat illud: *Qui alium doces, teipsum non doces: qui praedicas non furandum, furaris* etc. Rom. 2.

Et in plenitudine multa. Pro *plenitudine*, Graece est πληροφορία. De qua voce pluribus egimus, quum explicaremus illa loca Rom. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet*, et Col. 2. *In omnes divitias plenitudinis intellectus.* Recte igitur vertit noster interpres, *in plenitudine:* ac minus recte Lonicerus, Erasmus, et alii nonnulli, *in certitudine*, vel, *per certitudinem*, id est, certam persuasionem: quod proprie vox illa non significat: licet illa *plenitudo* possit hoc loco ad persuasionem referri. Nam quod quidam *plenitudinem* hic interpretatur multitudinem eorum, qui crediderant, non admodum probabile glossema mihi videtur.

Magis placet, hunc esse sensum: Thessalonicensibus, Paulo praedicante, abunde suppeditata fuisse adminicula doctrinae Evangelicae suadendae, utpote non solum

miraculis ac manifestis Spiritus sancti donis verbo fidem astruentibus: verum etiam ipso Apostolo ex sua parte nihil omittente eorum, quae ad persuadendum Evangelium facere viderentur: ut plene apud eos officio satisfecisse non dubitaretur. Ad hunc sensum plane invitat, quod sequitur:

Sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Ac si dicat: Nam et ipsi mihi testes estis, quomodo fuerimus inter vos conversati vestrae salutis causa. Quibus verbis tacite innuit id, quod postea clare exponit cap. 2. et seq. epist. cap. 3., nempe manibus suis se laborasse apud Thessalonicenses, ne eos sumptu gravaret; nam et hoc non parum valebat ad pleniorem Evangelii persuasionem. Unde 1 Cor. 9., cum de potestate vivendi ex Evangelio loqueretur, subjungit: *Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi;* et Act. 20. ad Presbyteros Asianae Ecclesiae: *Ipsi scitis,* inquit, *quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae; omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Cum ergo dicit, *quales fuerimus* etc., significare vult humilitatem conversationis suae tantam, ut, immemor juris ac potestatis suae, cum labore et fatigatione manibus operaretur; scilicet, ut a gratuito doctore commendabilius redderetur Evangelium.

6. *Et vos imitatores nostri facti estis et Domini.* Redit ad laudem Thessalonicensium, id agens, ut laudata virtus crescat. *Et vos,* inquit, non solum credidistis Evangelio, quod vobis praedicavi: verum etiam *facti estis imitatores mei,* Apostoli vestri; imo, quod amplius est, *etiam Christi Domini.* Hoc addit, ne arrogantius dixisse videretur, *nostri.* Sic 1 Cor. 11. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Sed qua in re Thessalonicenses dicat sui et Christi imitatores factos, declarat parte sequenti:

Excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti. In eo, inquit, imitatores, quod sicut Christus Dominus et nos ejus Apostoli, propter Evangelium a nobis praedicatum, multa mala ab infidelibus Judaeis passi sumus; ita et vos, propter Evangelii verbum a vobis fide susceptum, multam a vestris civibus afflictionem passi estis: qua tamen non obstante suscepistis Evangelium, non quomodocumque, sed cum gaudio Spiritus sancti, id est, cum gaudio spirituali; quod in vobis excitavit amor Christi et spes gloriae promissae; juxta illud: *Spe gaudentes.* Rom. 12. Quid et a quibus Evangelii causa passi fuerint Thessalonicenses, docet Actorum historia cap. 17., quod et infra cap. 2. hujus epist. clarioribus verbis Apostolus repetit, inquiens, *quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judaeis, qui et Dominum occiderunt, et nos persequuntur.* Ecce, quomodo Thessalonicenses imitatores Domini et Apostolorum.

7. *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. Forma,* id est, exemplum, quomodo legit Ambrosianus. Sensus est: Adeo, ut fueritis exemplo omnibus, qui per Macedoniam et Achaiam crediderunt in Christum. Quamvis enim quidam illorum ante eos credidissent, ut Philippenses; poterant tamen omnes ab iis accipere exempla constantis et alacris fidei, promptique animi ad pericula pro fide subeunda. Cum Macedonia Achaiam nominat, ut regionem vicinam, in qua erant Athenae et Corinthus, ex qua hanc scribit Epistolam.

8. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini. Diffamatus,* id est, divulgatus; cum alioqui diffamare apud Latinos fere in sinistram partem accipiatur. Caeterum Graeca vox significantior est, et ad amplificandam sententiam aptior: significat enim *personare,* id est, longe lateque sonare; ut sensus sit: Nam a vobis, velut signo dato, quaquaversum personuit sermo Christi Domini, id est, verbum Evangelicum; ut mirum non sit, quod dico, vos factos esse formam omnibus credentibus.

Non solum in Macedonia et Achaia,

quas modo nominavi, *in Macedonia*, inquam, in qua vos estis; *et in Achaia,* in qua ego sum. *Sed in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est.* Graece et Syriace: *Sed et in omni loco fides vestra, quae ad Deum est, exivit.* Conjunctionem addunt etiam nonnulla Latina, quibus accedit editio Clement., nec non Ambrosianus, qui sic legit: *Sed et in omnem locum* etc. Nec tamen Apostolus scripsit, *in omnem locum*, quod Grammatica lex videbatur exigere, sed *in omni loco;* propter id quod praecesserat, *in Macedonia et Achaia.* Sensus: Verum etiam in omnem locum fides vestra, qua ad Deum conversi estis, id enim paulo post exprimit, emanavit, processit, pervenit; id est, rumore perlata est. Quod dicit, *in omni loco*, vel, *in omnem locum,* hyperbole est, quasi diceret, latissime innotuit, ad plurima loca divulgata est.

Ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui. Id est, ut nobis non sit opus apud alios exponere ac referre, quantum apud vos fructum fecerit semen verbi Dei; jam enim fama sermonem nostrum praecurrit. Unde sequitur:

9. *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos.* Nam, inquit, illi, quibus eramus locuturi de vobis, id enim subauditur, priores de vobis loquuntur, nosque praeveniunt; annuntiantes, qualem ingressum ad vos habuerimus, videlicet haudquaquam inanem, ut dicitur initio sequentis capitis, sed cum multo fructu fidei vestrae conjunctum juxta id, quod exponendo sequitur:

Et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris. Id est, quanto studio et promptitudine, per nostram praedicationem, conversi sitis a cultu simulacrorum ad Deum colendum. Docet hic locus, aeque atque innumera alia Scripturae testimonia, gentiles vere simulacra, quae Graece vocantur idola, pro Diis coluisse, quod in odium sacrarum imaginum, quas Christiani veneramur, impudenter negant haeretici.

Servire Deo vivo et vero. Graecismus hoc modo reddendus: *Ita ut serviretis Deo viventi,* sic enim Graece est, *et vero,* quod Erasmus et alii quidam minus recte vertunt, *veraci.* Dixit enim Apostolus *vivo* seu *viventi* ad differentiam simulacrorum, quae non vivunt, cum sint lignea, lapidea etc. Dixit autem *vero,* ad differentiam eorum, qui vivunt quidem aut vixerunt aliquando, sed falso nomine dii vocantur, utpote divinitatis nihil habentes, quales erant daemones, et qui ex hominibus in Deos relati. Porro servitus hic ea intelligitur, quae soli debetur Deo.

10. *Et exspectare filium ejus de coelis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum.* Id est, et ut filium ejus Jesum, quem a morte suscitavit, spe certa exspectaretis de coelo venturum, scilicet fidei vestrae remuneratorem, qui vos ad eandem secum gloriam assumet; veluti plenius explicatur infra cap. 4. Videri potest Apostolus hoc dicere sub eorum persona, qui vivi reperientur in terris, quando filius Dei ad judicium veniet. Nam Sancti cum Christo regnantes non eum de coelis exspectabunt, ved venientem comitabuntur juxta illud: *Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo.* Sed quia necesse est, animas beatas corpora sua, quae in terris sunt, prius resumere, quam ipsum judicium fiat; hac ratione potest intelligi, quod dicuntur Thessalonicenses et omnes Sancti exspectare filium Dei de coelis: omnes enim de terra resurgent, Christo judici obviam ituri.

Qui eripuit nos ab ira ventura. Graece participium praesentis temporis, *eripientem*, id est, *qui eripit,* uti textus habet Ambrosianus. Et sensus est: Qui nos liberat a poena damnationis aeternae, quae superventura est impiis et infidelibus; de qua clarius ac terribilius loquitur in 2. ad Thess. cap. 1. Ea poena vocatur *ira*, per metonymiam, qua vel causa pro effectu, vel signum pro re significata ponitur: cum alioqui proprie ira in Deum non cadat. *Eripit autem nos*, id est, electos suos, Christus ab aeterna damnatione etiam nunc in praesenti, quatenus

eos per beneficium redemptionis suae, durante hoc saeculo, eripit e potestate diaboli. Quanquam Theophylactus eam liberationem non male refert ad ipsum tempus Christi judicis venientis: idem enim judex malos perdet, et bonos a perditione eripiet, imo et praemiis afficiet. Hunc sensum facile admittit Graeca lectio, praesertim si participium ita exponas: *Eripientem*, id est, qui eripiat. Quamvis autem pro *ventura*, sit in Graeco participium praesentis temporis ἐρχομένης; rectissime tamen per futurum vertitur. Nam ut alias admonui, verbum ἔρχομαι ita passim usurpatur in sacris literis, ut futurum tempus respiciat.

CAPUT SECUNDUM.

Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. sed ante passi, et contumeliis affecti[1], sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa solicitudine[2]. 3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, 4. sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium[3]: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo[4], qui probat corda nostra. 5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiae, Deus testis est: 6. nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. 7. Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli[5]: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. 8. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. 9. Memores enim estis fratres laboris nostri, et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus[6], praedicavimus in vobis Evangelium Dei. 10. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11. sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum, sicut pater filios suos, 12. deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam[7]. 13. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei[8], qui operatur in vobis, qui credidistis[9]. 14. Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea in Christo Jesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris[10], sicut et ipsi a Judaeis: 15. qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas[11], et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur: 16. prohibentes nos Genti-

---

1) Act. 16, 19. seq. 2) Act. 17, 5. seq. 3) I Tim. 1. 12. 4) Gal. 1, 10. seq. 5) Luc. 10, 7. 1 Cor. 9, 14. 6) Act. 18, 3. 20, 33. 34. 7) 2 Thess. 2, 14. 8) Gal. 1, 1. 11. 12. 9) Cap. 1, 5. Eph. 3, 20. 10) Act. 17. 5. 11) Matth. 23, 32. seq.

bus loqui, ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. 17. Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horae, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio [1]): 18. quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedivit nos satanas [2]). 19. Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos [3]) ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? 20. vos enim estis gloria nostra et gaudium.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Commemorat, quam sincere Evangelium ipsis praedicaverit, nolens interim illis esse onerosus, et sancte apud eos conversatus: commendat eorum obedientiam ad suscipiendum, et constantiam ad retinendum Evangelium.

1. *Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit.* Quo sensu dicat, introitum suum ad Thessalonicenses non inanem fuisse, variant interpretes. Nam Chrysostomus et Theophylactus ita intelligunt: Non fuit levis aut vulgaris, sed difficilis ac periculorum plenus. Oecumenius ad hunc modum: Non fabulae, non mendacia, non nugae fuerunt nostrae praedicationes. Alii vero sic exponunt: Non fuit inanis, id est: fructu vacuus, sed valde fructuosus. Qui sensus optime respondet superioribus, quasi dicat: Sed quid opus, ut vobis referam, quid alii loquantur de meo ad vos accessu, quam prosperum successum habuerit; cum ipsimet probe sciatis, quod non inanis fuerit, sed fructu redundans fidei ac patientiae vestrae? Sic et alibi inane apud Apostolum accipitur; ut 1 Cor. 15. *Inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra;* et ibidem: *labor vester non est inanis in Domino.* Et in hac rursus Epistola capite sequenti: *Ne forte inanis fiat labor noster.* His enim locis inane dicitur, quod utilitate, fructu, mercede caret.

Sed qui id hoc loco aliter exponunt, ea ratione moti videntur, quod verba subsequentia non sonent fructum aut successum Apostolicae praedicationis, sed ipsius Apostoli pericula et doctrinae ejus sinceritatem. Verum hoc eos fallit, quod existiment Apostolum verbis proxime sequentibus explicare, quomodo introitus ejus ad Thessalonicenses non fuerit inanis; prius enim adfert et commemorat media quaedam praeclara, ceu causas, quibus uti solet Deus ad fructum efficiendum apud eos, quibus Evangelium praedicatur. Ea sunt afflictiones et persecutiones ejus, qui praedicat, doctrinae et doctoris integritas, studium gloriae Dei, non autem suiipsius; amor salutis eorum, quibus verbum annuntiatur, et cautela, ne sumptu graventur aut offendantur; denique laboris assiduitas in praedicando, exhortando, consolando. Post haec omnia, resumit et explicat, quod dixerat, introitum suum ad Thessalonicenses non inanem fuisse, scilicet ibi: *Ideo et nos gratias agimus Deo.*

2. *Sed ante passi et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis.* Haec Paulus de se et Sila commemorat; qui, cum praedicassent Philippensibus Evangelium, occasione Pythonissae a se curatae gravem persecutionis impetum passi sunt, et publice virgis caesi, id enim est, quod dicit, *contumeliis affecti,* ac postea in carcerem conjecti; quemadmodum refertur Act. 16.

---

[1]) Rom. 1, 11, 15, 23. [2]) Eph. 2, 2. Act. 17, 13. [3]) Phil. 2, 16. 4, 1.

Fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei, in multa solicitudine. Graece *in multo agone,* id est, certamine. Quod autem vertit interpres, *fiduciam habuimus,* in Graeco est unum verbum Apostolo frequens, quod significat audacter et intrepide agere quippiam. Ambrosianus sicut alibi, ita et hic circumloquitur hoc modo: *Exserta libertate ausi sumus.* Sensus est: Sed cum paulo ante Philippis graviter exagitati et contumeliose tractati essemus; tamen, in Deo nostro confisi, sumsimus audaciam vobis quoque praedicandi ipsius Evangelium, quamvis cum multo certamine, id est, labore ac difficultate, propter adversarios, qui tumultum populi contra nos concitabant. Quin potius ea res animum et fiduciam nobis adauxit, quod sciremus ita Deo visum esse, ut Evangelium ejus absque praeviis hujusmodi periculis et persecutionibus non fructificet. De hoc certamine consule historiam Act. 17. Porro rationem fiduciae atque ex ea boni successus continent ea, quae sequuntur.

3. *Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.* Pro *de,* Graece est *ex,* ut non tam materia exhortationis, quam animus et ingenium exhortantis significetur, quemadmodum significatur ultima parte, *neque in dolo:* quamvis ex consequenti intelligatur etiam materia exhortationis seu doctrinae. Consonat Graecis Ambrosianus, qui ita legit: *Nam exhortatio nostra non ex fallacia, neque ex immunditia* etc. Ubi recte pro *errore,* fallacia legitur, quam *imposturam* vertit Erasmus: quia Graeca dictio πλάνη significat errorem, ut est decipientis et fallere volentis. Unde Graecis impostores πλάνοι vocantur. Sensus: merito cum libertate et fiducia, quam in Deo nostro habebamus, praedicavimus vobis, tanquam nobis optime conscii: quia doctrina nostra non est fallax, non sumus impostores, non docemus errores, quemadmodum philosophi gentiles, neque ex impuro ac libidinoso pectore doctrina nostra procedit, aut immundum ac turpe aliquid tradit, velut illa Simonis magi: nec denique cum dolo et astu conjuncta fuit praedicatio nostra, quasi in tradendo Evangelio non Christi gloriam, neque salutem vestram, sed lucrum et gloriam nostram spectaremus: quemadmodum Judaei pseudapostoli. Nam ejusmodi, inquit de iis 2 Cor. 11., *sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.*

4. *Sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur.* Id est: Sed sicut habiti fuimus a Deo fideles, integri et sinceri, quibus ut ministris suis committeret Evangelium praedicandum: ita cum omni fide, sinceritate et integritate illud praedicamus. Simile est illud 1 Tim. 1. *Quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio.* De hac integritate doctrinae ac ministerii sui multa in 2. ad Cor. atque imprimis illud capitis secundi: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Unde et hic sequitur:

Non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Explicatio est sinceritatis animi. Non, inquit, loquimur velut hominibus placere studentes, et per hoc eorum affectibus et cupiditatibus doctrinam nostram accommodantes, uti pseudapostoli faciunt: sed Deo cupientes placere, cujus in Evangelio praedicando ministri sumus, et quem fallere non possumus, utpote cordium nostrorum inspectorem et exploratorem. Sic ad Gal. 1. *An quaero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

5. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis.* Pergit suam et collegarum suorum in Evangelio tradendo sinceritatem declarare. Nunquam, inquit, studium nobis fuit vobis assentari: non fuimus vobis locuti placentia, sed utilia: quemadmodum ipsi nostis ac testari potestis.

Neque in occasione avaritiae: Deus testis est. Occasionem avaritiae vocat

occasionem ad avaritiam explendam, sive ad ea consequenda, circa quae versatur avaritia. Sensus est: Sub occasione Evangelii ac titulo Christi non quaesivi lucrum meum privatum, atque hujus rei Deum testem invoco; est enim juramentum: *Deus testis est.* Non hic dicit, ut in priori parte, *sicut scitis,* quia quod non esset iis assentatus, ipsi Thessalonicenses testari poterant: quod autem privata commoda non spectasset, cum ea res sit intentionis animi, non perinde hominibus notum esse poterat: idcirco Deum adhibet testem.

6. *Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.* Primo loco est praepositio ἐξ, in Graeco *ex hominibus:* ut hic videatur esse sensus: Nec fuimus aliquando quaerentes gloriam, quae ex hominibus est: id est, expetentes gloriam humanam, neque a vobis, neque ab aliis quibuscunque. Oblique notat vitia pseudapostolorum et carnalium verbi Dei ministrorum: quae sunt hominibus placere et assentari, quaestum ex Evangelio venari, gloriam suam quaerere.

7. *Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli. Vobis* in Graeco et Syriaco non est; legunt autem hoc modo Graeca: *potentes,* id est, cum possemus, *in onere esse velut Christi Apostoli.* Nonnulla etiam MSS. pronomen non habent. Nostra lectio postulat hunc sensum: *Cum possemus,* id est, potestatem et jus haberemus onerandi vos sumptu sustentationis nostrae, sicut habent Apostoli Christi; quibus scilicet dedit illam potestatem, quando *ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere,* uti refert 1 Cor. 9. Unde et ibidem ait: *Non sum Apostolus? nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi, sicut et caeteri Apostoli* etc.? Hic sensus est Latinorum: faventque et haec ejusdem Apostoli loca 2 Cor. 11. *Cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui,* et rursum: *In omnibus sine onere me vobis servavi et servo,* et cap. 12. *Ego ipse non gravavi vos* etc. iterum: *Non ero gravis vobis.* Quae omnia procul dubio dicta sunt de gravamine sustentandi praedicatoris Evangelici. Quo pertinet etiam illud, quod in hoc capite paulo post sequitur: *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Quod et repetit in 2. epist. cap. 3.

Observa quoque juxta datam expositionem Paulum dissimulare se esse Apostolum Christi. Non enim dicit: *sicut caeteri Apostoli Christi,* quemadmodum dixit ad Cor. seipsum et Barnabam in nomine Apostolorum volens comprehendere, sed *sicut Apostoli Christi,* quasi ipse ex eorum numero non esset. Unde et ob hanc fortasse causam in capite Epistolae non se Apostolum nominavit: nondum enim necessitas auctoritatis suae tuendae ipsum eo compulerat. Quanquam hoc, quod dicit: *ut Christi Apostoli,* potest accipi dictum non per similitudinem, sed per veritatem, hoc sensu: utpote qui sumus Christi Apostoli.

Porro Graeci suam lectionem malunt hoc modo exponere, quomodo vertunt etiam Erasmus et Hentenius: *Cum possemus in auctoritate esse tanquam Christi Apostoli.* Consonat Ambrosianus textus, qui sic habet: *Cum possemus apud vos in honore esse ut Christi Apostoli.* Non quod Graeca vox proprie honorem vel auctoritatem significet, sed quia viris honore et auctoritate praestantibus gravitas metaphorice solet adscribi. Sequitur hanc interpretationem Cajetanus, et pro ea facit contextus orationis Apostolicae: *Non quaerentes ab hominibus gloriam, etsi possemus esse in auctoritate et honore.* Nam secundum priorem sensum pars haec cum superiori non videtur cohaerere.

Verumtamen cum dictio Graeca nusquam alibi, ne metaphorice quidem reperiatur auctoritatem significare, cumque toties alibi apud Apostolum hae voces, onus et onerare seu gravare, referantur ad gravamen sustentationis, fit ut prior sensus, quem et Graeci ita proferunt, ut non rejiciant, videatur praeferendus. Nec

vero incommodam habet cum praecedentibus connexionem; potest enim referri ad illud, quod dixerat: *neque in occasione avaritiae*, quasi dicat: adeo non vertimus Evangelium in occasionem avaritiae, ut nec vitae necessaria a vobis acceperimus, cum alioqui jure Apostolico possemus vobis oneri esse.

Sed facti sumus parvuli in medio vestrum. Variant hic Graeci codices, occasione affinitatis dictionum νήπιοι et ἤπιοι, quarum prior in paucioribus est Graecis, et parvulos significat; posterior in compluribus et significat lenes, mites, placidos. Haec apud Chrysostomum est, illa apud Oecumenium, utramque Theophylactus attingit. Syrus interpres vertit *humiles.* Latina quoque MSS. *lenes* legunt, et Erasmus *placidos* vertit. Atqui vocabulum νήπιοι, id est, parvuli, multo est usitatius in sacris literis. Quod vero ad sensum attinet, non admodum refert, utrum legatur: cum in Evangelio parvuli nobis in exemplum humilitatis ac lenitatis a Christo proponantur. Potest igitur hic reddi sensus: Cum apud vos essemus, nec opus nec gloriam quaesivimus, sed fuimus inter vos parvuli, id est, humiliter ac submisse nos gerentes, itemque lenes ac placidi: nec auctoritatem praeferentes, nec allegantes potestatem.

Tanquam si nutrix foveat filios suos. Id est, more matris prolem nutrientis, quae parvulo fit parvula, dum se ei quodammodo coaequat, ejusque moribus assimilat, blandiens non imperans. Ita nos, inquit, ut vestram promoveremus salutem per omnia nos vobis accommodavimus, neque jus nostrum neque imperium urgentes, sed contra potius nos totos vobis effundentes. Sic enim comparationem explicat ipse Apostolus verbis sequentibus:

8. *Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras. Cupide* non est in Graeco, sed ab interprete additum explendi sensus gratia, potestque referri vel ad participium praecedens vel ad verbum subsequens. Quod posterius magis apparet. Nam pro eo, quod est cupide velle, textus Ambrosianus habet *cupere*, et Graeca vox passim in Scripturis significationem habet animi propensi ac praecipui cujusdam affectus. Sensus est: Ad eum modum nos amantissime affecti erga vos, ex animo cupiebamus vobis non solum impertire doctrinam evangelicam, verum etiam vitam nostram impendere. De vocabulo Graeco, quod interpres noster vertit *desiderantes,* consule Theophylactum, qui diversum verbum una litera mutata legendum putat, ejusque significationem exponit.

Quoniam carissimi nobis facti estis. Graece: *propterea quod dilecti nobis facti estis.* Quasi dicat: id volebamus, non quod a vobis quidquam speraremus praemii, sed quia vos ex animo diligebamus; hoc autem confirmat sequentibus verbis.

9. *Memores enim estis fratres laboris nostri et fatigationis.* Intelligit opus manuum, quod cum labore et fatigatione exercebat, victus quaerendi causa, ne Thessalonicenses sumptu gravaret, quod sane maximi erga eos amoris indicium erat.

Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. In Graeco melius cohaeret oratio: *Nocte enim et die operantes* etc., nec est: *in vobis*, sed εἰς ὑμᾶς *ad vos*, id est, erga vos; tametsi Erasmus vertit *apud vos*, minus recte. Nam sensus est: vobis ac pro vestra salute praedicavimus Evangelium Dei; nihil tamen a vobis accipientes, ne quem vestrum gravaremus, sed opere manuum nos transigentes. Quod autem dicit: *nocte et die*, assiduitatem operandi significat, quemadmodum alibi saepe ea phrasis accipitur in Scriptura, in qua etiam nox plerumque ante diem nominatur, propterea quod in mundi creatione nox diem praecesserit. Unde et Hebraei diem naturalem a nocte incipiebant. Quamvis autem Apostolus a Thessalonicensibus nihil acciperet, sed apud eos manibus operaretur; accipiebat tamen agens Thessalonicae ea, quae mittebantur

a Philippensibus, sicut ipse testatur Phil. 4. dicens: *quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis.* Id autem hic non commemorat, ne Thessalonicenses pudore gravet. Nam sicut ea res pertinebat ad laudem Philippensium, ita vergebat nonnihil in vituperium Thessalonicensium.

10. *Vos testes estis et Deus.* Id est, vosipsos hujus rei, quam dicturus sum, testes appello. Imo et Deum advoco testem. Juramentum est hac posteriori parte. *Quam sancte et juste et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus.* Pro quo legit Ambrosianus: *Vobiscum, qui creditis, conversati sumus.* Graece πιστεύουσιν. Quanquam id etiam ad praeteritum extenditur, propter verbum *fuimus,* a quo dependet. Quod ait *sancte,* ad munditiem vitae atque doctrinae pertinet, quod *juste,* injuriis et exactionibus opponit, quod addit *sine querela,* Graece inculpate, irreprehensibiliter, significat etiam infirmorum offendicula se diligenter vitasse.

11. *Sicut scitis qualiter unumquemque vestrum.* Non sine causa jam toties repetit scire Thessalonicenses vera esse, quae dicit, nullum enim certius testimonium, quam eorum experientia, quibuscum loquimur. *Sicut pater filios vos,* paulo ante comparavit se nutrici seu matri foventi filios suos, nunc se comparat patri, filios suos instituenti.

12. *Deprecantes vos et consolantes, testificati sumus.* In Graeco sententia est imperfecta: *Obsecrantes* sive *exhortantes vos et consolantes et testificantes* sive *contestantes.* Noster interpres, ut absolutam redderet orationem, ultimum participium abjecta conjunctione mutavit in verbum: *testificati sumus.* Potest et aliter suppleri sententia, si verbum *fuimus* superius positum repetamus, ad hunc modum: Qualiter unumquemque vestrum, veluti pater filios suos, fuimus obsecrantes vos etc. Ubi et pleonasmus est in vocabulo *vos,* cum sufficeret dixisse, *unumquemque vestrum.* Est autem hic sensus: Prout nostis, quemadmodum unumquemque vestrum perinde, ut pater filios suos, cum precibus exhortati fuerimus ad fidei perseverantiam, et consolati super afflictione propter evangelium exurgente: denique contestati sumus de eo, quod sequitur.

Ut ambularetis digne Deo. Id est, ut conversaremini sicut decet cultores ac servos Dei. Doctrinam hanc sanctae conversationis repetit ac pluribus tradit cap. 4. *Qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.* *Vocavit* per fidem et baptismum. Nam efficax intelligitur vocatio, qua facti fideles incorporati fuerant ecclesiae, quae est regnum Dei, et futurae gloriae pignus acceperant Spiritum sanctum. *Gloriae* mentionem adjungit, ut eos inter afflictiones animet, et spe praemii corroboret ad perseverantiam conversationis Deo dignae.

13. *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione.* Graece, *indesinenter,* id est, assidue. Quod initio capitis dixerat, introitum suum ad Thessalonicenses non inanem fuisse; id nunc, post multa de suo erga eos officio interposita, declarat gratias agens Deo pro beneficio tam boni successus. *Quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei.* In Graeco hic est ordo: *Quod cum accepe-ritis verbum auditus a nobis, Dei;* id est, verbum Dei, quod audieratis a nobis, quod nos vobis praedicavimus; *verbum Dei* vocat evangelii doctrinam ab ipso Deo traditam, sive ea scripto mandata sit, sive non. Cum enim haec sit epistola Pauli omnium prima; nondum utique literis consignaverat verbum, quod praedicabat. Notandum id contra haereticos, nullum Dei verbum praeter id, quod scriptum est, agnoscentes.

Accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei. *Accepistis* in Graeco aliud est verbum a praecedenti et significat, *suscepistis;* quemadmodum vertit interpres Ambrosianus. Quamvis autem in Graeco non addatur vocula *ut:* omnino tamen subaudienda est: nam et Ambrosianus eam legit, atque etiam in altero membro repetit, *ut verbum Dei.* Breviter, sensus est:

Credidistis ei, tanquam verbo Dei; quicunque enim evangelio credunt sicut oportet, id est, fide Christiana: suscipiunt verbum Dei quale revera est, nempe ut verbum Dei, id est, ut verbum, quod Deus ipse locutus est: qui cum sit prima veritas, nec falli potest, nec fallere. Qui autem non ita credunt: accipiunt ut verbum hominum, id est, ut dubium, aut ut probabile tantum, aut ut humana solum ratione, vel auctoritate firmatum: quomodo recipiuntur placita philosophorum, in quibus non est certissima veritas, quia omnis homo mendax. Unde David dicebat ad Saul: *Quare audis verba hominum, loquentium, David quaerit malum adversum te?* 1 Reg. 24. Hic locus docet, proprium objectum fidei esse verbum Dei, seu veritatem primam hominibus loquentem; ostendit quoque, fidem, id est assensum, quo suscipitur verbum Dei, esse opus gratiae divinae: id enim manifeste convincit gratiarum actio.

Qui operatur in vobis, qui credidistis. Graece: *Qui operatur in vobis credentibus.* Quod tamen ad praeteritum referri potest: ut recte noster interpres verterit, *qui credidistis*, quomodo legit etiam Ambrosianus. Apud quem tamen non est, *qui operatur*, sed *quod operatur:* quomodo legit et Augustinus de praedest. sanct. cap. 19., ut relativum respiciat verbum Dei, non Deum: cum Graeca relatio ambigua sit. Rectius autem, *quod operatur*, idque significatione passiva: nam in Graeco verbum est ἐνεργεῖται, quod nunquam active sumitur. Itaque sensus est: Quod verbum agitur, exercetur, incitatur (nimirum agente Deo) in vobis, qui credidistis: id est, qui illud velut semen quoddam fructiferum fide suscepistis: agitur autem ad omne genus piarum actionum. Loquitur Apostolus, ut saepe alibi, de verbo credito, id est, de fide ipsa: nam fides per charitatem operatur. Galat. 5. In cujus etiam loci commentario vim Graeci verbi latius exposuimus.

14. *Vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea, in Christo Jesu.* Ex hoc, inquit, liquet, verbum Dei operatum esse in vobis, quia facti estis imitatores ecclesiarum Dei Christianarum, quae in Judaea sunt; addidit enim, *in Christo Jesu*, ne quis Judaeorum synagogas hic suspicetur. Nam de ecclesiis loquitur Judaeorum, qui erant primitiae credentium, ac praecipue de ecclesia Jerosolymitana, quemadmodum patet ex sequentibus.

Quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judaeis. Graece est, *a propriis contribulibus.* Intelligit autem non tam ejusdem tribus homines, quam ejusdem gentis aut civitatis. In qua generali significatione etiam Terentius usus est vocabulo *tribulis.* Unde Ambrosianus legit, *concivibus.* Commemorat autem Apostolus, in quo facti fuerint Thessalonicenses Judaicarum Dei ecclesiarum imitatores, scilicet in eo, quod a suis civibus propter verbum Dei talia passi fuissent, qualia illi a Judaeis. De Judaeorum ecclesiis, quam gravem ab infidelibus Judaeis persecutionem passae fuerint, abunde testatur Lucas in actis: eodemque pertinet, quod Apostolus ad Hebraeos scribit, cap. 10. *Rememoramini pristinos dies: in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis* et quae sequuntur. De Thessalonicensibus autem, quod non solum a Judaeis, verum etiam a concivibus suis graviter infestati fuerint, significat locus ille Act. 17. *Zelantes autem Judaei, assumentesque de vulgo viros quosdam malos et turba facta concitaverunt civitatem* etc. Nam eo respicit Apostolus.

15. *Qui et Dominum occiderunt Jesum et Prophetas.* Graece: *et proprios Prophetas.* Similiter Ambrosianus. Quae lectio vehementior est, magisque facit ad exaggerandam Judaeorum persequentium malitiam. Continet autem haec digressio consolationem Thessalonicensium, apud quos, ut ex loco Act. proxime citato liquet, Judaei fuerant auctores et incentores persecutionis adversus eos commotae; quasi dicat Apostolus: Quid mirum, si vos persecuti sint Judaei; quando et

Christum Dominum occiderunt, nec a propriis et domesticis suis prophetis manus impias abstinuerunt. Quin potius consolamini vos et gratulamini vobis, ob societatem passionum Christi et prophetarum ejus. Occiderunt autem Christum Judaei, non suis manibus ei mortem inferendo, id enim jussu Pilati praesidis, milites ejus gentiles fecerunt, sed, quod deterius est, ex odio atque invidia tradendo, accusando et postulando ad mortem. Unde ait ipse ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet,* Joan. 19. Occiderunt ergo voluntate et impulsu suo, licet manibus alienis. Unde et Petrus ad illos Act. 3., *auctorem vitae interfecistis,* et Stephanus Actor. 7. *Cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis.*

Jesum vocat Apostolus Dominum, ut alibi; ratione redemptionis, qua nos sibi ut servos vendicat, quanquam et vere dicitur, quod *Deum* occiderunt; propter communionem idiomatum utriusque in Christo naturae. Non quidem verisimile est, Judaeos, quos Paulus infestos sibi et ecclesiae sentiebat, fuisse ex iis ipsis, qui Christum postulaverant ad necem, fluxerant enim jam a morte Christi septemdecim anni plus minus; sed erant ejusdem gentis, et in facinus illorum hi expresse consentiebant, dicentes bene et juste factum esse. *Prophetas autem occidisse* dicuntur, quia patres ac majores eorum, a quorum moribus et ingenio non recedebant, illos occiderant; ipsi quoque patrum suorum socii in sanguine prophetarum futuri, si in diebus eorum fuissent. Argumento est, quod Christum et Apostolos, eadem, quae prophetae praedicantes, occiderint, patrum suorum mensuram implentes, ut dicitur Matth. 23. Erat ergo consensus et communio sceleris atque malitiae inter ipsos et patres eorum.

Et nos persecuti sunt, Christi Apostolos ac ministros. *Et Deo non placent.* Imo magnopere displicent atque exosi sunt, gravissime ab eo puniendi; tantum abest, ut Deo placeant, et obsequium ei praestent, sicut ipsi arbitrantur. Est igitur liptote, qua minus dicitur, quam significatur. *Et omnibus hominibus adversantur;* sive quia seditiosum erat hominum genus, quodque caeteras gentes prae se contemneret; sive quia saluti generis humani per invidiam et malitiam obsistebant, velut communes orbis terrarum hostes, juxta id, quod sequitur:

16. *Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvae fiant.* Id est, impedientes nos quantum in ipsis est, ne gentibus annuntiemus evangelium salutis. Ea res clara est ex Actis Apostol. *Ut impleant peccata sua semper. Ut* consecutiva particula est, non causalis. Graece εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι, etc. quasi dicat: Atque ita, dum peccare non desinunt, semper peccata peccatis accumulant, donec tandem impleant eorum mensuram usque ad summum; quando jam non aliud eis restabit, quam terribile judicium Dei.

Praevenit enim ira Dei super illos usque in finem. Graece: *Praevenit autem super eos ira in finem.* Quanquam etiam verti potest: *Pervenit,* ut habet Syriaca translatio. Quod verbum et in Latinis quibusdam legitur; tametsi plurium et antiquiorum codicum lectio est: *Praevenit,* quam etiam exhibent et exponunt Ambrosianus, Anselmus, Haimo et alii quidam Latinorum: estque hoc magis proprium et usitatum Graeci verbi significatum. Atque eo modo etiam infra accipitur cap. 4. hujus epist., ubi nos habemus: *Non praeveniemus eos, qui dormierunt.* Multi quoque Latini codices cum Graecis et Syris *autem,* non *enim,* legunt; annuente Ambrosiano textu, qui habet, *sed praevenit.*

Sensus igitur est: Cum post hanc vitam sit tempus irae et vindictae divinae super malos (unde canit ecclesia: *Dies irae, dies illa*), in istos tamen, ut in alios quosdam egregie malos, ira Dei etiam in hac vita exercetur, et tempus suum quodammodo praevenit: dum justo Dei judicio, propter praecedentia peccata, subinde in alia atque alia graviora cadere permittuntur: praevenit, inquam, non aliquando cessatura, sed permansura super eos us-

que in finem, id est, ad extremum usque. Qua phrasi in scripturis significatur aeternitas, ut Psalm. 9. bis in eodem versu: *Non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.* Hic ergo significatur Judaeorum, tanquam a Deo reprobatorum, justa derelictio in peccatis et futura damnatio: quemadmodum et in 2. epist. cap. 2. eorum, qui Antichristum sunt recepturi.

Loquitur autem Apostolus de Judaeis, qui illo erant tempore, nec de omnibus iis: nam et ipse Judaeus erat, et paulo ante laudaverat ecclesias Christianas, quae erant ex Judaeis; sed de populo seu multitudine, quae Christum non recepit; juxta illud Joan. 1. *In propria venit et sui eum non receperunt:* et de cujus infidelitate atque abjectione latius agit Rom. 9. Quare etsi locus praesens referri possit etiam ad futuras generationes illius populi; non tamen ex eo consequens erit falsum esse, quod idem Apostolus Rom. 11. docet, quodque ab omnibus fere patribus traditum est, Israëlem crediturum et salvum futurum, postquam plenitudo gentium intraverit. Nam illud, *usque in finem,* non exponimus de consummatione saeculi, quasi ad illud usque tempus ira Dei permansura sit super Judaeos; sed de permanentia irae divinae usque in aeternum super multitudine eorum, qui ex illo populo sunt a Deo reprobati.

17. *Nos autem fratres, desolati a vobis ad tempus horae, aspectu non corde.* Ostendit, se invitum urgente persecutione ab eis discessisse, de quo vide Act. 17. *Desolati*, Graece *orbati*, vel *exorbati*, ἀπορφανισθέντες, quomodo filius patre, aut pater filiis orbatur. Respicit enim ad id, quod supra de se dixit, *sicut pater filios suos.* Nos autem, inquit, o fratres, orbati vobis tanquam carissimis pignoribus, ad breve tempus, id est per hanc exigui temporis absentiam, idque dumtaxat aspectu, non corde; vel, ut in Graeco et apud Ambrosianum, *facie, non corde:* nam in corde vos semper circumferimus:

Abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio. Id est, vehementi studio egimus atque operam dedimus cum magno vestri desiderio, ut quam citissime faciem vestram videremus; id est, vobis, etiam corpore, praesentes essemus; erat enim Apostoli praesentia corporalis, ad eos in fide nuper suscepta confirmandos, non parum necessaria.

18. *Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel et iterum. Quoniam,* Graece, *propterea* vel *quapropter,* ut habet Ambrosianus. Quapropter, inquit, eo desiderio impulsi, *voluimus,* id est, omnino statueramus venire ad vos, ac nominatim ego Paulus, qui de meo desiderio ac voluntate certius, quam de aliorum testari possum; atque id voluimus semel et iterum, adornantes profectionem. Juxta hanc expositionem solum illud, *ego quidem Paulus,* parenthesi claudendum est. Alii etiam id, quod sequitur, *et semel et iterum,* ad solum Paulum referunt; quod non est necesse. Graece legitur, *et semel et bis,* sed bene vertit interpres.

Sed impedivit nos satanas. Id est, adversarius, nimirum diabolus, qui in scripturis per antonomasiam satanas appellatur. Alibi dicitur impeditus seu prohibitus a Deo, ut Act. 16. *Vetati sunt,* inquit Lucas, *a Spiritu sancto loqui verbum in Asia.* Et rursum: *Tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos spiritus Jesu;* prohibebantur enim occulta Dei suggestione, ne ea loca adirent ad praedicandum evangelium. Hic vero dicit *se impeditum a satana;* quia mali homines instigante satana progressum evangelii impediebant; vel insidias Apostolo struentes in via, vel turbas adversus eum passim in civitatibus suscitantes, vel alia quaecunque obstacula studiose ac malitiose objicientes.

19. *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae?* Sensus est: Non abs re tantopere vos amo ac desidero, utpote qui sitis *spes nostra,* id est, spei nostrae materia; quia pro fructu, quem apud vos feci, praemium a Domino

accepturum me spero. Et *gaudium nostrum,* quia de vestra salute, quam per me Deus operatur, mirifice gaudebo in adventu Christi, quando mihi dicturus est: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Et *corona gloriae,* vel ut in Graeco, *gloriationis,* quia pro labore praedicationis, qua vos ad Christum adduxi, coronam ab eo, quum venerit, exspecto, de qua propter vos gloriabor. Totam hanc partem referimus ad futurum tempus adventus Christi; nam id postulat interrogatio subjuncta.

Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis, in adventu ejus? Id est, nonne vos estis spes nostra et gaudium nostrum et corona gloriae coram Domino nostro Jesu Christo, quum ad venerit redditurus unicuique secundum opera sua? Graece legitur: *An non et vos.* Idque sic urgent Graeci interpretes, quasi velit innuere Apostolus, Thessalonicenses quidem, sed non solos, esse spem ejus et gaudium et coronam; ut qui praeter hos tam multos alios ad salutem adduxerit. Verum simplicius est si dicamus voculam *et* redundare, aut dumtaxat intendendae orationi inservire; quod non infrequens est apud Apostolum. Ita cap. 4. *Sicut et gentes quae* etc., et iterum, *sicut et caeteri, qui spem non habent,* et cap. 5. *non dormiamus sicut et caeteri.* Id animadvertens interpres noster aliquando eam omittit.

20. *Vos enim estis gloria nostra et gaudium.* Affirmatio est ejus, quod duae interrogationes quaerebant, quasi dicat: *Certe vos estis gloria nostra et gaudium coram Domino in adventu ejus;* nempe juxta sensum jam explicatum. Hic quidem in Graeco est *gloria,* non *gloriatio;* sed sensus eodem fere recidit; estque hujusmodi: Per vos ero gloriosus et illustris in regno Christi, ut merito de vobis gloriari possim. Quaeres, quomodo Thessalonicenses vocet *coronam gloriationis suae, et gloriam suam:* cum alibi dicat: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi?* Respondemus, hanc ipsam Apostoli gloriationem, quam ex Thessalonicensibus sibi promittit, non in alia re fundari, quam in cruce Domini, quae est fons omnis gratiae et gloriae.

Jam si recte Paulus homines inferiores se, atque a se institutos, vocat spem, gaudium, coronam et gloriam suam: sane frustra Catholicos calumniantur haeretici, quod beatissimam Dei Matrem iisdem aut similibus nominibus salutent, vocantes eam vitam et spem suam: *vitam,* quod per eam vivant, quatenus illa vitam mundo peperit; *spem* vero propter ejus intercessionem, qua opem et salutem nobis a Filio impetret.

CAPUT TERTIUM.

Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: 2. et misimus Timotheum fratrem nostrum [1]), et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra: 3. ut nemo moveatur in tribulationibus istis [2]): ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. 4. Nam et cum apud vos essemus [3]), praedicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. 5. Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is, qui tentat, et inanis fiat labor noster. 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis

[1]) Apoc. 17, 15. seq. Rom. 16, 21. [2]) Ephes. 3, 13. Hebr. 12, 3. [3]) Act. 17, 1.

fidem et charitatem vestram[1]), et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos: 7. ideo consolati sumus fratres in vobis[2]), in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram, 8. quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. 9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum[3]), 10. nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quae desunt fidei vestrae[4])? 11. Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. 12. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vobis: 13. ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus[5]). Amen.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Indicat, se plurimum consolationis accepisse ex fide et charitate ipsorum, quae ex Timotheo ad eos misso cognoverat. Item, sese magno teneri desiderio invisendi eos: optans, ut in bono magis magisque confirmentur.

1. *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis.* Latinus interpres syntaxim grammaticam neglexit, cum alioqui Graeca oratio probe constet, quam Ambrosianus ita reddit: *Idcirco jam non amplius tolerantes, optimum duximus, ut Athenis soli relinqueremur.* Et sensus est: Cum igitur desiderium vestri non ferrem diutius, nec tamen aditus ad vos daretur: visum fuit adventum et praesentiam meam per alium mihi conjunctissimum, ac velut alterum me, suppleri: sic ut ego solus, tam fideli ac necessario comite destitutus, relinquerer ac remanerem Athenis. Neque enim Graeca vox *residere* significat, ut Erasmus vertit: sed *relinqui.* Quo verbo Apostolus ad exprimendum affectum innuere voluit desolationem suam, quam passus sit ob absentiam Timothei ad Thessalonicenses missi. Hic jam satis apparet, Apostolum de se solo pluraliter loqui. Nam Timotheum ipse sermo sequens excludit: Silam quoque sive Silvanum eodem tempore in Macedoniam fuisse profectum colligitur ex Actor. 18., ubi legitur, una cum Timotheo ad Paulum Corinthi agentem e Macedonia fuisse reversus.

2. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum:* ut per eum meam praesentiam vobis exhiberem; *fratrem suum* vocat, quod eum, ut sincerum operis evangelici socium, fraterno amore diligeret: quem etiam hoc nomine commendat Philipp. 2. *Et ministrum Dei in evangelio Christi.* Graeca sic habent: *Et ministrum Dei et cooperarium nostrum in evangelio Christi.* Haec partim ad commendationem Timothei dicuntur, ut intelligant Thessalonicenses, qualem virum ad ipsos Paulus pro se miserit: partim ad significandum, quam necessarium evangelii cooperarium passus fuerit ipsorum causa a

[1]) Cap. 1, 3. [2]) 2 Cor. 7, 13. Rom. 1, 12. [3]) Cap. 1. 2. [4]) Rom. 1, 10. 11. [5]) Cap. 5, 23. 1 Cor. 1, 7. seq. Phil. 1, 10.

se abesse. Hanc Timothei missionem Lucas Act. 17., ubi commemorat ea quae Paulus Athenis egit, omnino tacuit: quod non mirum, cum et alia multa Pauli acta constet esse ab eo praetermissa. Cur autem miserit ad eos Timotheum, exponit verbis sequentibus.

Ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra. Graece, *de fide vestra,* vel, ut quidam Graecorum codices habent, *nostra:* tametsi *vestra* rectius, suffragantibus item tractatoribus Graecis. Nam et paulo post ait: *Misi ad cognoscendam fidem vestram.* Sensus est: ut vos in fide confirmaret et exhortaretur ad perseverantiam; sive, ut consolaretur vos super negotio fidei vestrae, ne quis propter adversitates, quibus evangelium passim exagitatur, despondeat animum. Nam verbum Graecum παρακαλέσαι commune est ad exhortari et consolari, atque etiam ad deprecari, quod hoc loco legit Ambrosianus.

3. *Ut nemo moveatur in tribulationibus istis.* Id est, ut ne quisquam vestrum turbetur, terreatur, commoveatur ob afflictiones istas et pressuras, quas et vidistis coram, et postea audistis, me pati propter evangelium. Graeca vox σαίνεσθαι proprie quatere significat: sed hic ad animum transfertur. Porro de suis afflictionibus Apostolum loqui sequentia docent:

Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus; quasi dicat: Novum vobis videri non debet, quod haec patiar: neque enim ignoratis, me in hoc ipsum delectum ac praedestinatum esse a Deo, ut passionibus meis, quas evangelii causa sustineo, Christi nomen illustrem. Respicit ad illud, quod de ipso Dominus dixerat ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9.

Quidam istud: *quod in hoc positi sumus,* exponunt generaliter de omnibus Christi fidelibus; nam generales ipsius Apostoli sententiae sunt: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* Actor. 14. et: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* 2 Tim. 3. Verum specialiter Apostolum loqui de seipso, probabilius est; idque etiam exigit subsequens probatio.

4. *Nam et cum apud vos essemus, praedicebamus vobis, passuros nos tribulationes.* Singulariter intellige: Praedicebam vobis, fore ut evangelii causa paterer afflictiones, persecutiones, pericula; praedicebat autem, vel nova revelatione divinitus accepta, vel de ea re certus ex veteri oraculo ad Ananiam facto. *Sicut et factum est, et scitis.* Loquitur de tumultu adversum se concitato, quum esset Thessalonicae: quanquam et ad alias persecutiones, quas post suum inde discessum passus fuerat, extendi potest sententia. Quod enim ait, *et scitis,* intelligi potest, partim experientia, partim fama et relatu aliorum.

5. *Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram.* Quod supra dixerat utens numero plurali, nunc repetit in singulari, quo magis erga eos paternam animi sui solicitudinem declaret. Haec igitur, inquit, causa est, ob quam ego vestri desiderium non diutius ferens, miserim ad vos Timotheum, ut cognoscerem, quemadmodum se haberet fides vestra; num firma esset et constans, an aliqua parte labefactata. Id enim significant verba sequentia.

Ne forte tentaverit vos is, qui tentat. Ne forte, Graece, *ne quo modo,* quae et Ambrosiani lectio est. Idem pro participio Graeco, quod noster interpres in verbum resolvit, *is qui tentat,* legit *ille tentator;* quod et in nostra versione ejusdem participii loco legitur Matth. 3. *et accedens tentator.* Voluit enim tam Apostolus quam Evangelista eo vocabulo, velut diaboli epitheto, significare non actum aliquem transeuntem, sed voluntatem ac studium tentandi, id est, ad malum solicitandi homines: adeo ut glossa interlinealis a D. Thoma probata, sub-

scribente etiam Cajetano, dicat, illud esse diaboli officium; quod tamen improprie dictum intellige: sicut idem S. Thomas explicat 1. p. q. 114. art. 2. Nam proprie quidem officium est, quod quisque facere debet: ac proinde locum non habet nisi in bonis. Sed officium diaboli dicitur homines tentare, quatenùs illud tanquam officium suum studiosissime exercet. Est autem sensus hujus partis ita supplendus: Utpote qui metuam, ne quo pacto tentator ille, scilicet diabolus, occasione mearum afflictionum vos tentaverit, ac tentatione impulerit ad aliquem fidei defectum.

Et inanis fiat labor noster. Sensus: Atque ita labor, quem vobis instituendis insumsi, reddatur irritus et infructuosus; quamvis enim Apostolo salva manerent praemia sui laboris, ipso dicente 1 Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* inanis tamen erat idem labor futurus ex parte eorum, quibus praedicaverat, si nullum apud eos fructum stabilem fecisset. Ex hoc loco, ut ex multis aliis, apertissime docemur, posse hominem fidelem et justificatum a fide et charitate excidere: et opera bona per subsequens peccatum ita mortificari, ut praemio ipsis alioqui debito frustrentur.

6. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annunciante nobis fidem et charitatem vestram.* Participia praeteriti temporis sunt in Graeco, quae et Ambrosianus textus per verba ejusdem temporis expressit. Verum, inquit, cum nuper admodum rediisset a vobis ad nos Timotheus, et annuntiasset, quod in Graeco est, *evangelizasset,* id est bonum nuntium retulisset fidei et charitatis vestrae perseverantis et inconcussae. Hic Timothei reditus ad Paulum Corinthi agentem fuisse videtur, cujus meminit Lucas Actor. 18. dicens: *Cum venisset autem de Macedonia Silas et Timotheus.* Nec mirum, nullam hic Silae fieri mentionem: quamvis enim una redirent a Macedonia Silas et Timotheus; non tamen ex eadem Macedoniae parte, neque ex eadem legatione.

Et quia memoriam nostri bonam habetis semper, id est, cumque nuntiasset, vos retinere bonam et honorificam nostri memoriam, eamque jugem ac perpetuam. *Audite hic discipuli,* inquit Theophylactus in hunc locum scribens, *et discite, praeceptorum vestrorum mentionem semper facere cum laude: vobisipsis namque id proderit, non illis.* — *Desiderantes nos videre: sicut nos quoque vos.* Per hoc significat se ab illis ut praeceptorem a discipulis redamari: quod ut sibi gratissimum commemorat.

7. *Ideo consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram.* Propter haec inquit, a Timotheo nuntiata, consolationem accepi in vobis, sive per vos, id est, per fidem vestram, super omni afflictione et periculis, in quibus versor, quasi dicat: Nihil istorum malorum grave duco, posteaquam cognovi, fidem vestram, de qua metuebam, esse in tuto. *Necessitatem* vocat Apostolus non indigentiam, ut quidam interpretantur, sed, Hebraea phrasi, pressuras et pericula. Unde est illud Psalmi 24. *De necessitatibus meis erue me.*

8. *Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.* Tale est quod dicit: Nam etsi versor in quotidianis mortibus, propter insidias et pericula, quae me circumstant (quotidie enim morior, ait 1 Cor. 15.), tamen horum omnium oblitus, vivere mihi videor et salvus esse, si res vestrae salvae sunt, si vos in fide Christi Domini constantes permanetis. Significatio est ingentis gaudii, quod ex iis, quae Timotheus nuntiaverat, percepit.

9. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis.* Graece, *de vobis.* Similiter Ambrosianus: Et sensus est: quas enim gratias referre Deo possum de vobis, qui perstitistis in fide? quasi dicat, nullas satis dignas ac tanto beneficio pares. Ut autem ostendat, bonum illud, de quo gratias agit, ad se quoque pertinere: continua oratione subjungit:

In omni gaudio, quo gaudemus

propter vos ante Deum nostrum. Clarior est Ambrosiani lectio: *Super omni gaudio, quo gaudemus propter vos coram Deo nostro?* Omne gaudium, more Hebraeo, vocat gaudium immensum et perfectum; quemadmodum et Jocobus Apostolus dicens: *Omne gaudium existimate fratres mei* etc. Jacobi 1. Addens autem, *ante Deum nostrum*, id est, in conspectu Dei nostri, significat, hoc gaudium suum non esse mundanum aut carnale, sed spirituale ac Deo probatum, utpote de bono spirituali conceptum. Innuit autem his verbis Apostolus, et suum gaudium et illorum fidem atque constantiam esse donum ac beneficium Dei. Nam gratiarum actio non est nisi de beneficiis acceptis.

10. *Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram. Abundantius,* Graece ad verbum, *super exabundanti,* quasi dicat superquam abundanter. Ambrosius legit, *abundantissime*, Erasmus vertit, *supra modum.* Itaque significatur oratio vehementer intensa; sicut ea parte, *nocte ac die,* multum extensa et continua. Cur autem tantopere precibus a Deo contendat, ut faciem illorum videat, id est, corpore ipsis praesens sit, declarat id, quod sequitur.

Et compleamus ea, quae desunt fidei vestrae. Ambrosianus, *et suppleamus:* quod verbum magis respondet Graeco καταρτίζειν; cujus haec sunt significata, componere seu coagmentare, instaurare, reficere, resarcire. Utitur eo Matthaeus capit. 4. *reficientes retia sua.* Et Apostolus Gal. 6. *Hujusmodi instruite* sive *instaurate in spiritu lenitatis:* quemadmodum ibi expositum est. Alibi significat aptare aut perficere, ut Luc. 6. Rom. 9. 1 Cor. 1. et Hebr. 10.

Potest igitur complementum, de quo hic est sermo, varie exponi. Complet enim sive supplet ea, quae desunt fidei cujuspiam, qui eum plenius instruit in iis, quae sunt religionis Christianae, docens ea quae nondum audivit; ut cum quis imperfecte catechizatus est. Hoc modo complementum fidei acceperunt Apollo Alexandrinus, et Ephesii quidam tantum scientes baptisma Joannis, et an Spiritus sanctus esset, ignorantes. Actor. 18. et 19. Complet etiam fidem, qui consolatione et exhortatione sua id agit, ut quis firmus et constans sit in fide; pro quo complemento rogabant Apostoli, quando dicebant: *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. 17.

Tertio complet fidem alicujus, qui perfectius eum instituit in fide; non quidem alios a prioribus articulos aut alia fidei mysteria tradens, sed eadem diligentius explicans, et rationibus illustrans, atque contra infideles confirmans. Primus et tertius modus complementi potissimum hic significari videntur. Unde et infra de resurrectione mortuorum plenius eos instruit; et in 2. epistola de die judicii errorem removet ac docet, quaenam tempus illud praecedere debeant. Modus secundus huc pertinere non videtur; jam enim Timotheus illud officium suppleverat missus nimirum, ut supra dictum est, ad exhortandos eos et confirmandos in fide.

11. *Ipse autem Deus et Pater noster.* Id est, Deus, qui idem est et pater noster, ea nimirum ratione, qua nos sibi in filios adoptavit. *Et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.* Verba sunt optantis cum precatione, ut prosperum iter ad eos habeat, ea facturus quae dixit. An autem exauditus fuerit, haud omnino constat; tametsi verisimile est exauditum fuisse, ex iis quae narrantur Act. 20. de secunda profectione Pauli in Macedoniam.

12. *Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem invicem et in omnes.* Alterum adjungit votum seu precationem, eamque magis necessariam, qua eis optat a Deo charitatis augmentum et plenitudinem. Ambrosianus legit, *charitate in invicem,* casu ablativo. Quae lectio consonat cum Graecis; ut probabile sit, nostrum etiam interpretem ita vertisse. Quod enim quidam codices addito pronomine habent, *charitatem vestram in invicem,* longius ab originali

textu recedit, et in antiquioribus MSS. non reperitur; *multiplicet* autem dixit interpres pro eo, quod est, *abundare faciat;* atque hujus significatum adhuc auget verbum sequens, ut sensus Apostoli sit: Precor, ut vos Christus Dominus abundare et exuberare faciat mutua inter vos charitate; nec solum inter vos, sed erga omnes homines, etiam infideles et vestrae salutis inimicos.

Quemadmodum et nos in vobis. Graece, *in vos.* Estque ea lectio in codice Laud. Est enim eadem praepositio εἰς, quae proxime. Partem hanc quidam concludunt sub eadem precatione, quasi sit sensus: Quemadmodum et nos abundare faciat charitate erga vos. Sed cum *nos* in Graeco nominativi casus sit non accusativi, rectius est, ut cum Graecis commentatoribus exponamus in hunc sensum: quemadmodum ego charitate abundo erga vos omnes, ut qui etiam mori paratus sim pro vestra salute. Convenit haec expositio cum aliis locis, in quibus Apostolus se proponit imitandum illis, ad quos scribit, dicens: *Imitatores mei estote* etc.

13. *Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate.* Continuatio est bonae precationis qua dixerat: *Vos autem Dominus multiplicet* etc. Nam illud, *quemadmodum et nos in vobis,* parenthetice interpositum est. Pro duabus vocibus, *sine querela,* in Graeco nomen est compositum, quod verti potest *irreprehensibilia,* ut ad *corda* referatur; quomodo legit Ambrosianus, et vertit Erasmus. Potest etiam verti, *irreprehensibiles,* ut quodam hyperbato referatur ad pronomen, *vos autem* etc. Quod amplexus est Hentenius Oecumenii interpres. Quae sane constructio, etsi durior, non tamen aliena a consuetudine sermonis Paulini.

Adde, quod usu scripturae corda non vocantur irreprehensibilia, aut sine querela, sed homines; quatenus ita vivunt externa conversatione cum aliis, ut non dent locum reprehensioni aut querelae. Proinde videtur Apostoli sententia sic explicanda: Dominus vos abundare faciat charitate, ita ut per eam confirmet corda vestra in omni bono; vos, inquam, reddendo irreprehensibiles atque sine offensione viventes quoad externam conversationem; idque cum sanctimonia, id est, puritate et munditia privata animi et corporis. De qua sanctimonia latius agit ac praecipit cap. sequenti.

Ante Deum et Patrem nostrum. Ambrosianus, *coram Deo et Patre nostro;* id est, ut tales sitis in conspectu Dei patris nostri, quem nihil latet; et non solum in oculis hominum, qui tantum vident ea, quae foris apparent. Periphrasis est verae sanctitatis. *In adventu Domini nostri Jesu Christi.* Id est, utque tales inveniamini in adventu Christi judicis, recepturi ab eo gloriosam mercedem *cum omnibus sanctis ejus.* Vel sic intellige, in adventu Christi Domini venturi:

Cum omnibus sanctis suis. Juxta illud Zach. 14. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.* Vel potius hoc modo: Ut in adventu Christi tales sitis et inveniamini cum omnibus sanctis ejus, id est, cum omnibus per ipsum sanctificatis; quibus tunc ab eo dicetur: *Venite benedicti patris mei* etc. Hic locus contra nostrae aetatis haereticos liquido monstrat veram justitiam et sanctitatem, et quae Dei judicium sustinere possit, haberi in hac vita; semper tamen augendam et perficiendam, nec unquam omnino perfectam, quamdiu hic vivitur. *Amen.* Id est, fiat: tametsi Graeci codices hoc non addunt.

CAPUT QUARTUM.

De caetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu [1], ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. 2. Scitis enim, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum. 3. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra [2]: ut abstineatis vos a fornicatione [3], 4. ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore [4]; 5. non in passione desiderii, sicut et Gentes, quae ignorant Deum [5]; 6. et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus [6], sicut praediximus vobis, et testificati sumus; 7. non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum [7], qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. 9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis [8], ut diligatis invicem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia [9]. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis [10], 11. et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris [11], sicut praecepimus vobis: et ut honeste ambuletis ad eos [12], qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis [13]. 12. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus [14], ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent [15]. 13. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo [16]. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini [17], non praeveniemus eos, qui dormierunt. 15. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei [18] descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus [19]. 17. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

---

[1] 2 Thess. 3, 12. [2] Matth. 5, 48. Col. 3. 10. [3] Act. 15, 29. [4] 1 Cor. 6, 13. 20. [5] Rom. 1, 24. [6] Hebr. 13, 4. [7] Cap. 2, 13. Luc. 10, 16. [8] Joan. 6, 45. [9] Cap. 1, 7. [10] Vers. 1. Cap. 3, 12. [11] Act. 20, 33. seq. 2 Thess. 3, 11. 12. [12] Col. 4, 5. 1 Petr. 2, 12. [13] 1 Cor. 7, 23. [14] 1 Cor. 15, 18. [15] Ephes. 2, 18. [16] 1 Cor. 6, 14. 15, 23. Rom. 8, 11. [17] 1 Cor. 15, 51. [18] Matth. 25, 31. 1 Cor. 15, 51. seq. Apoc. 10, 7. [19] Cap. 5, 10. Joan. 12, 26. 14, 3. Rom. 8, 17. 2 Thess. 2, 14.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Hortatur eos ad munditiam et sanctitatem vitae: ad laborem, quo vitam transigant. Consolatur eos super morientibus: quos resurrecturos docet, simul resurrectionis modum exponens.

1. *De caetero fratres rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu.* Hactenus fidem et constantiam Thessalonicensium commendavit Apostolus: nunc deinceps ad profectum hortatur vitae Christianae. Quod reliquum est, inquit, *rogamus vos et obsecramus*, vel (ut verti potest ex Graeco) *exhortamur per Dominum Jesum;* quod enim ait: *In Domino Jesu,* forma quaedam obtestationis esse videtur.

Ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo. Ut, hoc loco redundat, nec est in Graeco; nam postea exprimitur, *ut abundetis.* Sensus est: Sicut a nobis didicistis, quemadmodum conversari vos oporteat, et quibus actionibus Deo placere, Deumque promereri:

Sicut et ambulatis. Multi codices legunt, *sic et ambuletis;* quanquam praestantiores id habent, quod prius diximus. At in Graeco et Syriaco textu, et apud Graecos interpretes, nihil est quod huic parti respondeat; ut prorsus appareat, a quopiam adjectam esse in favorem Thessalonicensium, ne viderentur nihil adhuc praestitisse eorum, quae hic ab Apostolo praecipiuntur; qua ratione in capite sequenti dicit, *aedificate ulterutrum sicut et factis.* Verum id hoc loco opus non erat; continetur enim in eo, quod sequitur: *Ut abundetis magis.* Dependet hoc a verbis, *rogamus* et *obsecramus.* Et sensus est: Ut in eo quod dixi, magis magisque proficiatis; exigens profectum, utique jam coepisse agnoscit.

2. *Scitis enim, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Graece et Syriace, *dederimus,* numero multitudinis, quemadmodum et habent Latina quaedam MSS. Hactenus enim de se pluraliter loquitur Apostolus; partim quod Silam et Timotheum initio nominatos comprehendat, partim humilitatis causa, ne singulari suae personae quicquam arrogare videatur. Probat autem haec pars illam praecedentem, *quemadmodum accepistis a nobis;* quasi dicat: accepisse vos a nobis dico; nam ipsi scitis ac meministis, quae praecepta bene sancteque vivendi nos vobis, quum istic essemus, tradiderimus; non ut nostra, sed ut Christi Domini praecepta; hanc enim vim habet quod ait, *per Dominum Jesum;* juxta id quod alibi dicit: *praecipio non ego, sed Dominus* 1 Cor. 7. Et quidem ipsius Christi praecepta significari, planum est ex sequentibus.

3. *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Voluntatem* intelligit eam, quae in praeceptis consistit, quam Theologi voluntatem signi vocant. Nam praeceptum Dei est, ut sancti simus. *Sanctificationem* nonnulli interpretantur activam, qua nimirum fideles seipsos sanctificant, abstinentes ab omni immunditia, prout sequitur. Alii passivam intelligunt, secundum id quod dicitur 1 Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem* etc.

At magis verisimile est, Hebraea phrasi *sanctificationem* positam esse pro sanctitate; quomodo Graeci exponunt: sicut justificatio saepe pro justitia sumitur in scripturis; ut Luc. 1. *incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini,* id est, justitiis a Domino praeceptis. Certe sanctificationem pro sanctimonia accipi, manifestum est in eo, quod paulo post sequitur, *in sanctificatione et honore.* Atqui sanctimonia sive sanctitas, in genere, puritatem et munditiam significat eam, quae hominem Deo commendat: sed hic Apostolus respicit ad munditiam peccatis impudicitiae contrariam; veluti probat explicatio subjuncta: *Ut abstineatis vos a fornicatione:* Nomine fornicationis scriptura accipit omnem concubitum viri et mulieris extra conjugium; ut etiam adulterium et incestum comprehendat. Unde Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicatio-*

nis, id est adulterii, et 1 Cor. 5. *auditur inter vos fornicatio;* cum de incestu loqueretur.

4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.* Pergit explicare sanctificationis praeceptum. *Vasis sui* nomine plerique proprium corpus intelligunt; sic enim accipitur 1 Reg. 21. *et fuerunt vasa puerorum sancta.* Alii vero nonnulli, cum quibus sentit S. Thomas in commentario, et ante eum S. Augustinus lib. 1. de nupt. et conc. cap. 8. et lib. 4. contra Julian. cap. 10. propriam uxorem seu corpus uxoris eo nomine significari putant. Pro quibus facit locus huic similis 1 Petri 3. *quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* Simile et illud Proverb. 5. secundum LXX. *bibe aquas de vasis tuis.* Quanquam ibi Graece non est σκεῦος sed ἀγγεῖον.

Re bene expensa videtur utrumvis dictorum recte intelligi. Nam pro eo, quod hic dicit *vas suum*, alibi dicit *corpus suum* aut corpora sua; ut Rom. 1. *corpora sua afficere dicuntur contumelia;* sicut hic contra, *possidere in honore.* Et omnis fornicator dicitur peccare in corpus suum 1 Cor. 6. et Rom. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam* et 1 Cor. 12. *honorem circumdamus membris nostris inhonestis.* Multum etiam urget locus 1 Reg. 21. Nec facit admodum in contrarium locus Petri: quia non dicit vasculo suo, sed vasculo muliebri. Accedit, quod hic sequitur, *non in passione desiderii*, quod non ita commode videtur quibusdam posse referri ad concubitum cum uxore: sed magis pertinet ad alias libidines infandas et innaturales: sicut Rom. 1. et Ephes. 4. Huc etiam facit illud 2 Cor. 4. Habemus *thesaurum istum in vasis fictilibus.* Corpus enim est vas et instrumentum animae. Lyranus quoque et glossa interlinealis de proprio corpore exponunt.

Meminerunt posterioris illius expositionis etiam Theodoretus et Oecumenius: sed eam rejiciunt hac ratione, quia non solum, inquiunt, iis qui uxores habent, praecipit Apostolus, verum etiam innuptis et viduis. Sed haec ratio non convincit: saepe enim in scripturis particularia praecepta dantur, ex quibus generalia debent intelligi. Proinde sensus etiam esse videtur: Item ut noverit unusquisque vestrum propria sua uxore uti cum sanctitate et honore, id est, caste et honeste. Nam et natura nos monet honorem adhibere inhonestis, ipso Apostolo teste 1 Cor. 12. *Quae putamus*, inquit, *ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent* etc. Significat enim, id nos facere impulsu quodam naturae.

Annotant Graeci, Apostolum dicere, *ut sciat;* ad insinuandum, quod castitas et continentia opus habeant exercitio et disciplina. Caeterum in eo quod ait, *possidere*, id est, uti tanquam re sua, significatum est virum jure conjugii habere potestatem corporis uxoris suae: quod et vicissim aeque de muliere, respectu viri, fatendum est; quemadmodum aperte docet idem Apostolus 1 Cor. 7. dicens: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Porro quid sit quod dixit, *in sanctificatione et honore*, consequenter declarat ex opposito.

5. *Non in passione desiderii.* Erasmus vertendum putavit, *non cum affectu concupiscentiae.* Sed revera nomen passionis hoc loco significantius est, idemque etiam Latinis auctoribus usurpatum in ea significatione, quam hic Apostolus attendit, quemadmodum et admonuimus ad eum locum Rom 1. *tradidit eos in passiones ignominiae;* Latine etiam, et significanter, pro *passione, morbus* verti poterat: quomodo locum hunc legit Augustinus lib. 1. de nupt. et concup. cap. 8. *Non in morbo desiderii.* Sive autem morbum sive passionem legas, significare voluit Apostolus motum libidinis adeo vehementem atque effraenem, ut erumpat in actus, quibus dignitas conjugalis dehonestetur: cujusmodi quidem actus mor-

talia peccata sunt in conjugibus. Qui vero conjuges a talibus abstinent, neque tamen solius generationis causa commiscentur, sed voluptatem in eo opere quaerunt; intra limites conjugalis castitatis se interim cohibentes: nisi gravior accedat circumstantia, non plus quam venialiter peccant; juxta doctrinam Apostoli 1 Cor. 7. dicentis, *revertimini in idipsum, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*: qui proinde, juxta mentem ejusdem Apostoli, vas suum adhuc possident in sanctificatione et honore; licet minus perfecte, quam si solius causa generationis convenirent.

Sicut et gentes, quae ignorant Deum. Graece, *quae non noverunt Deum,* nam ipsum non nosse Deum, homini ratione utenti peccatum est. Significat autem, Dei ignorantiam fuisse causam, cur gentiles sese in omne genus turpium voluptatum immergerent. Nam ignorantia Dei tollit timorem Dei, qui vindex est talium peccatorum, uti statim post dicitur. Similis est locus Ephes. 4., ubi de gentibus loquens alienatis a vita Dei per ignorantiam et caecitatem cordis ipsorum, ita subjungit: *Qui desperantes semet ipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in avaritia.*

6. *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.* Partem hanc Ambrosianus, Anselmus, Aquinas et alii plerique Latini interpretes intelligunt de fraude et injuria, quae fit in mercimoniis aliisve contractibus; id quod Erasmi quoque versio sonat, quae sic habet: *Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum.* Verum Hieronymus in comment. epist. ad Ephes. exponens illud modo citatum cap. 4. *in operationem immunditiae omnis in avaritia,* docet hunc locum, perinde ut illum, agere de avaritia turpium voluptatum. Nam pro eo, quod Latine redditum est, *circumveniat*, aut, ut legit Hieronymus, *circumscribat,* in Graeco verbum est πλεονεκτεῖν, a quo πλεονεξία, id est, avaritia; quo vocabulo usus est ad Ephes. Apostolus, et cujus ibi significationem explicuimus. Itaque secundum Hieronymum sensus est: Ne quis terminos sui conjugii transgrediens, alienum torum invadat ac violet, atque ita amplius quam fas sit appetendo, proximum suum in hujusmodi negotio fraudet, injuriaque afficiat. Quae descriptio est adulterii. Nam et verbum Graecum, quod supergredi, sive transgredi, sive transcendere significat, apprime quadrat huic significato: proprium enim adulterorum est (quod et Latinum nomen importat) ad alteram, id est, alienam uxorem transire.

Porro *negotium,* Graece πρᾶγμα, quod generalem habet significationem, verecunde dixit Apostolus pro concubitu. Quod insinuat articulus praefixus, ἐν τῷ πράγματι, tanquam referendum sit ad rem seu negotium aliquod certum; videlicet de quo jam dixerat, *ut abstineatis vos a fornicatione;* cujusmodi usum hujus vocabuli observare est etiam apud Clementem Romanum, si tamen is auctor, lib. 3. constitut. Apostol. cap. 2., ubi inter ecclesiae viduas cooptari prohibentur adolescentiores viduae; ne, excusando se ferre non posse fervorem aetatis, aliquando iterum nubentes in negotio sint; id est, in illicito concubitu versentur. Id quod clarius explicant verba ibidem sequentia: Subveniendum vero et opitulandum est illis, ne, excusando se derelinqui, turpi negotio implicentur.

Porro sensum praesentis loci, quem attulimus ex Hieronymo, tradunt omnes Graeci tractatores: quibus subscribit Cajetanus et alii quidam recentiores; denique et Erasmus in paraphrasi. Nec alio referri partem hanc patitur paulo post subjuncta ratio totius exhortationis, cum ait: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Dicit autem, *fratrem suum,* id est, Christianum, a parte totum intelligens, hoc est quemvis proximum. Non enim ita fratris prohibet injuriam, ut extranei permittat, sed fratrem nominavit, quia de eo magis erat metuendum.

Quoniam vindex est Dominus de his

omnibus. Dominum more suo Christum dicere videtur, de cujus adventu ad judicium eos commonefecit in fine capitis praecedentis, quasi dicat: Christus Dominus, quem judicem omnes expectamus, horum omnium, quae dixi, vindex adveniet: secus quam gentes existimant, quae Deum judicem ignorantes, talia sine timore perpetrant. *Sicut praediximus vobis et testificati sumus.* Graece et Syriace: *Sicut et praediximus* etc. Consonat Ambrosiana versio, cum nostris quibusdam MSS. Sensus: Sicut jam ante, quum apud vos essemus, contestando ac denuntiando vobis diximus: ut fieri solet in re gravi. Nam alioqui gentiles hujusmodi libidinis peccata fere pro nihilo ducebant.

7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Graeca volunt ablativos, *in immunditia, in sanctificatione:* sed ita, ut utraque praepositio (sunt enim in Graeco diversae praepositiones, ἐπὶ et ἐν) serviat causae significandae: quam et Graeca scholia explicant, et Erasmus sua versione expressit hoc modo: *Non enim vocavit nos Deus immunditiae causa, sed ad sanctificationem,* hoc est, non vocavit nos Deus ad cultum et religionem suam, non fecit nos Christianos, ea lege atque eo fine, ut viveremus in immunditia, ac turpibus voluptatibus operam daremus; sed ut ab impuritate vitae prioris emundati, sanctimoniae studeremus. Nam pro *sanctificatione sanctimoniam* hic legit Ambrosianus. Adhibet ergo Apostolus argumentum ductum a causa finali vocationis ad Christianismum.

8. *Itaque, qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Graeca et quaedam Latina non addunt, *haec;* quod tamen supplendae sententiae gratia recte a Latino interprete potuit addi. Loquitur enim Apostolus de praeceptis jam datis, et respicit ad ea, quae dixit sub initium exhortationis: *Scitis, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum,* et iterum: *Haec est enim voluntas Dei* etc. Quibus utique verbis significavit, se proponere Dei praecepta; quoniam et Christus Deus est. Igitur, qui spernit ac rejicit illa praecepta, non tam spernit hominem Dei ministrum, a quo proponuntur; quam ipsum Deum, a quo data sunt. At nihilominus etiam ille non hominem spernit, sed Deum, qui recusat obedire legibus ac mandatis ab humana legitima potestate profectis; sive ea potestas sit Ecclesiastica, sive politica. *Non est enim ulla hujusmodi potestas nisi a Deo; proinde, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* Apostolo teste Rom. 13. Unde et Dominus ad discipulos suos: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 10. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. 18. Tale est et illud Mosis ad populum adversum se murmurantem: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Exod. 16. Et quamvis Apostolus hoc loco respiciat, ut dixi, ad praecepta divina, quae praeposuerat; sententia tamen generalis est, eademque, ex ipsius etiam Apostoli mente, patens ad Apostolica praecepta, qualia Timotheo, Tito, Corinthiis dedit. Ob hanc enim fortasse causam indefinite locutus est: *Itaque, qui spernit,* non addito pronomine.

Qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. Juxta hanc nostram lectionem pars ista pertinere videtur ad commendandum hominis praecipientis auctoritatem, quasi dicat: Qui spernit ea, quae nos Apostoli praecipimus, non nos homines spernit, sed Deum, qui per Spiritum sanctum, quem nobis impertivit, nos fecit verbi sui ministros, ac potestatem dedit praecipiendi. Sunt enim haec Spiritus sancti dona. Congruit cum hoc sensu, quod ait 1 Cor. 7. *Puto, quod et ego Spiritum Dei habeam.* At in Graeco sic legitur, *qui dat,* vel secundum alios codices, *qui dedit Spiritum S. suum in vos,* et codex Latinus Laudensis habet, *in vobis.* Hoc est juxta Graecorum expo-

sitionem: Qui per Spiritum suum, quem vobis dedit in baptismo, vos sanctificavit, et in vobis habitat. Quapropter injuria ejus, qui memorata Dei praecepta spernit, polluens se per immunditiam, peculiariter etiam redundat in Spiritum S., quem peccando expellit et contumelia afficit. Ad eundem modum Cajetanus exponit. Nonnulli quidem Graeci codices pronomen habent primae personae, *in nos,* atque ita legisse videntur interpretes quidam Graeci: sensum tamen eundem reddunt, quem caeteri. Nam et paulo ante sub prima persona Thessalonicenses comprehendit Apostolus, dicens: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam.* Ambrosianus quoque, licet legat uti nos habemus, excepta vocula *etiam;* intellectu tamen cum Graecis convenit.

9. *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis.* Huc usque sanctificationis praecepta: sequitur nunc exhortatio de charitate fraterna, quam Paulus una composita dictione φιλαδελφίαν, nominat, id est, amorem fraternum. Sic enim mutuum Christianorum inter ipsos amorem Apostoli vocitabant: estque idem vocabulum Rom. 12. et Hebr. 13. Quo utroque loco Latine legitur, ut hic, *charitas fraternitatis.* Nec in Graeco est, *non necesse habemus;* sed *non necesse habetis scribere vobis,* id est, ut scribam vobis.

Igitur sensus est: De charitate fraterna, qua nimirum vos invicem Christiani diligatis, non admodum opus habetis, ut hac Epistola vos admoneam. Tacite significat, eos omnino opus habuisse admonitione superiori, quae erat de sanctimonia seu munditia vitae: difficile enim erat, homines gentiles immunditiae peccatis assuetos, a talibus subito revocare. Unde praecepta ejus generis fore per singulas Epistolas inculcat Apostolus.

Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. In Graeco nomen est compositum, θεοδίδακτοι, id est, a Deo docti vel edocti, ut legit Ambrosianus, sive *divinitus docti,* ut vertit Erasmus, pro quo apud Joan. 6. etiam in Graeco duae voces leguntur ex Jes. 54. secundum LXX. δίδακτοι θεοῦ, id est, *dociles Dei,* ut vulgatus interpres reddidit; vel melius, *docti a Domino,* ut Hieronymus in Jes. Probat Apostolus id, quod dixit, nempe Thessalonicenses opus non habere, ut ab ipso de charitate fraterna admoneantur; utpote praeoccupatos a Deo doctore et magistro, a quo jam edocti erant, se invicem diligere; qui enim doctus est a Deo, ad eandem rem non indiget hominis magisterio. Similis plane consequentia est Hebr. 8. ex Jer. 31. *Non docebit unusquisque proximum suum, dicens, cognosce Dominum; quoniam omnes scient me,* scilicet a me docti. Nam praecedit, *dabo leges meas in mente eorum.* Simile et illud 1 Joan. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus,* hoc est, quod ibidem superius dicit, *vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia.*

Sed quia bifariam accipi potest, doctum esse a Deo: vel solummodo secundum *intellectum,* quomodo docti sunt, qui sciunt et non faciunt; vel etiam secundum *affectum,* quomodo docti sunt omnes et soli, qui faciunt, quod faciendum noverunt: de posteriori modo sine dubio praesens locus, ut et alter apud Jeremiam, accipiendus est, non de priori; quomodo Pelagius accipit in hujus loci commentario, referens hanc doctrinam ad mandatum dilectionis a Christo generatim omnibus datum. Nam qui hoc tantum modo doctus est a Deo, adhuc opus habet admonitione humana, qua excitetur et urgeatur, ut faciat, quod facere didicit.

Et prior quidem modus filiorum est veteris testamenti, posterior autem filiorum novi testamenti, ad quos pertinet illa promissio prophetica a Christo apud Joannem allegata: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* Jes. 54., quam promissionem et in se cupiebat impleri, qui dicebat ad Dominum: *Doce me facere voluntatem tuam,* Psalm. 142. Ejusdem θεοδιδασκαλίας egregia laus est in alio Psalmo: *Beatus homo, quem tu*

erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. Vide Augustinum lib. de gratia Christi cap. 13. et 14. et super illud Psalm. 118. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* Denique, quos intelligat Apostolus doctos a Deo, declarant sequentia ejus verba:

10. *Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia.* Clarius ita vertas ex Graeco: *Etenim facitis haec erga omnes fratres, qui sunt per universam Macedoniam;* id est, passim erga eos exercetis opera dilectionis, largiendo ac benefaciendo. Ex quo non solum probat, eos diligere fratres, cum juxta Gregorium probatio dilectionis exhibitio sit operis; verum etiam ostendit, eos a Deo doctos esse, ut id facerent juxta sensum supradictum; nam ad eam doctrinam pertinet ipsum velle et facere, quod Deus in eo, quem sic docet, efficaciter operatur.

Quocirca non est audiendus Joan. Cassianus, qui lib. 10. institut. mon. cap. 7. excutiens hunc Apostoli locum, vult majus aliquid esse hoc posterius illo priori, quasi sint, qui didicerint a Deo diligere invicem, nec tamen id praestent, qui vero praestant, aliquid suum adjiciant beneficio doctrinae a Deo acceptae. Verum id rejiciendum ad errores illius auctoris haeresi Pelagianae affines, de quibus a B. Prospero notatus est. Certe Christus ipse Joan. 6. sensum ejusmodi manifeste destruit, ubi cum ex propheta citasset illud: *Et erunt omnes docibiles Dei;* exponendo subjunxit: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Id est, omnes docti a Deo veniunt ad me per fidem et charitatem: quod est facere. Est igitur in his duobus reciproca consequentia: Doctus est a Deo, ergo facit; et contra: Facit, ergo doctus est a Deo. Haec enim est Apostoli hoc loco; illa Domini in Evangelio.

Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis. Id est, ut in hac fraterna charitate, quam a Deo didicistis, eodem doctore studeatis proficere. Id admonet, ne, quia laudavit eos, existiment, sibi in eo genere jam nihil deesse. Quod interpres nunc vertit, *rogamus,* idem verbum initio capitis vertterat, *obsecramus:* nec male quadrat utrique loco verbum *hortamur,* quod hic est apud Ambrosianum.

11. *Et operam detis, ut quieti sitis.* Superius commendavit Thessalonicensium charitatem ac beneficentiam in fratres: hac eorum liberalitate quidam pauperiores abutentes otio et inertiae vacabant, discurrentes per domos, et inhiantes mensis divitum, atque in res alienas curiosi, adeo ut hoc nomine etiam apud infideles male audirent. Igitur hujusmodi vitia Apostolus et hoc loco, et acrius in 2. epist. cap. 3. castigat. Graecum verbum, pro quo nos habemus, *operam detis,* significat eniti, quomodo legit Ambrosianus; id est, magno conatu quippiam agere; translatum a more hominum ambitiosorum, qui summo studio et animi contentione nituntur ad honores.

Hortatur ergo Apostolus, sedulo dent operam, *ut quieti sint,* id est, placide et sine tumultu agant, aliorum quietem non turbent, alienis officiis et negotiis non se misceant, sed propria curent. Id enim est, quod sequitur: *Et ut vestrum negotium agatis.* Graece, *et agatis res proprias.* Vult unumquemque suae vocationi et operi intendere, non alienis rebus sese ingerere. Prohibet ergo duo vitia plerumque conjuncta, otiositatem et curiositatem. Eodem pertinent, quae sequuntur:

Et operemini manibus vestris. Graece *propriis manibus vestris.* Qui sermo videtur emphasim habere. Quum autem nominat *opus manuum,* ex specie genus vult intelligi: maxime, quia ad populum scribit, in quo plurimorum est, ea quae manibus fiunt opera exercere: sub quibus omne opus servile intelligitur. Nam in 2. epist., ubi vehementius hanc rem urget, non addit, *manibus.*

Objicere solent hujusmodi Scripturas adversarii monachis mendicantibus, velut cogendis ad opus manuum: cum nec ipsi, qui haec objiciunt, manibus operentur. Neque enim omnibus omnino praecipitur, ut operentur manibus, aut mechanicum aliquid exerceant: sed iis, qui egent, ac

sublimioribus functionibus non sunt addicti. Atqui religiosi mendicantes student et vacant praedicationi verbi Dei, aliisque id genus actionibus, quibus salus populi Christiani promovetur: cumque ratione hujus ministerii possent a populo exigere vitae stipendia, juxta id, quod Christus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant, huic tamen potestati renuntiantes, rogare malunt et mendicare, neque cogentes quenquam ad tribuendum, neque jus obtendentes. Quod utique magnae perfectionis est, qui nec ipsi tamen opus manuum, ubi tempus suppetit, ac res postulat, ad exemplum Pauli Apostoli subterfugiunt aut praetermittunt, quo minus graventur ii, quibus ad salutem subserviunt.

Sicut praecepimus vobis; quum apud vos essemus; jam tum enim coeperat haec vitia in eis observare.

Et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. Conjunctionem *et* Graeca non addunt, ut nec Ambrosianus. Etenim secundum Graecam lectionem pars non pendet a verbo *rogamus,* sive *hortamur,* ad quod superiora referuntur, quasi sensus sit, rogamus etiam, ut honeste ambuletis etc., sed praecedentium causam quandam finalem significat hoc sensu: Ad ea, quae dixi, studiose facienda, vos cum obsecratione cohortor, ut iis observatis decenter atque honeste vos geratis erga eos, qui non sunt Christiani, sed adhuc a Christi fide et vestra societate alieni; apud quos mendicare, aut propter inopiam impudentius agere, scandalosum sit ac vestrae professioni dedecorosum.

Et nullius aliquid desideretis. Rerum alienarum concupiscentia vitiosa est, etiamsi res illae per injustitiam non quaerantur: vetatur enim hoc concupiscentiae vitium postremo decalogi praecepto: *Non concupisces rem proximi tui,* contra quod peccavit Achab volens emere justo pretio suamque facere vineam Naboth, 3 Reg. 21. Tale igitur alienae rei desiderium hic ab Apostolo notari putant plerique Latinorum: de quo et scriptum sit Prov. 21. *desideria occidunt pigrum.*

Agit enim Apostolus de hominibus otiosis, qui cum propria negotia negligant, animus eorum semper versatur in rebus alienis aut scrutandis aut concupiscendis.

Verum Graeca alium sensum postulant. Sic enim habent: *et nullo opus habeatis,* id est, nulla re indigeatis, quasi dicat Apostolus: et ut quisque de suo habeat unde vivat, nec otio suo fratribus oneri sit, et infidelibus scandalo. Ex quo tamen sensu etiam id consequimur, quod nostra lectio sonat, ut per suam inertiam egentes inordinate atque inhoneste res alienas appetant.

12. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus.* Graece, *de iis qui dormierunt:* quemadmodum et noster interpres paulo post vertit semel et iterum: pro quo recte Erasmus et alii, *obdormierunt,* id est, somno sopiti sunt. Vide quae diximus ad illud 1 Cor. 15. *Quidam autem dormierunt.* Non dubium quidem, quin Thessalonicenses, inter alia religionis Christianae mysteria, fuerint etiam de resurrectione mortuorum, deque adventu Christi judicis coram ab Apostolo diligenter instituti; nam hujus adventus tanquam ab illis crediti et exspectati jam bis meminit superius, scilicet in fine primi et tertii capitis.

Verum quia nondum haec fides satis eorum animis erat infixa, fiebat, ut pro veteri consuetudine, quasi adhuc gentiles essent, spem resurrectionis non habentes, mortuos suos immoderatius lugerent; hoc igitur vitium in eis nunc corrigit Apostolus; ac statim ipso vocabulo, quo mortuos vocat *dormientes,* resurrectionis ingerit cogitationem, quasi dicat: Mors, ob quam caros vestros velut extinctos et amissos lugetis, tantum somnus quidam est, a quo sint ad vitam excitandi. Ita passim Scriptura de mortuis loquitur, bonis ac malis, idque in testimonium futurae resurrectionis. Argumento est, quod de brutis animalibus nusquam ita loquatur, sed de solis hominibus, nimirum significans, homines morte non penitus, uti bestias, extingui; sed, ut in iis, qui dormiunt, animas interim vivere, corpora

vero e somno mortis aliquando evigilatura. Unde est, quod a primis Ecclesiae temporibus loca deputata sepulturae mortuorum coemeteria, id est, dormitoria, fuerint appellata.

Ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent. Illud *et* quoad sensum redundat. Nondum dicit, quid nolit eos ignorare, id est, quid velit eos scire de dormientibus, sed prius causam interponit, propter quam de illis docendi sint. Ea est, ut de mortuis non doleant sicut gentiles, qui destituti lumine fidei, spem resurrectionis ac vitae post mortem secuturae nullam habent. Non igitur prohibet Apostolus, ne contristentur super mortibus amicorum, sed ne more infidelium contristentur. Nam ut ait B. Augustinus serm. 32. de verbis Apostoli, quem totum in sua collectanea hujus loci transcripsit venerabilis Beda: *De mortuis iis, qui diliguntur, est quaedam tristitia quodammodo naturalis: mortem quippe horret non opinio, sed natura,* et infra: *Permittantur itaque pia corda de carorum suorum mortibus contristari, dolore sanabili, et consolabiles lachrymas fundant, conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles quando moriuntur paululum a nobis abire et ad meliora transire.* Sic ille. Certe et Paulus ipse tristitiam super tristitiam habiturus erat de morte Epaphroditi, ut ipse testatur ad Phil. 2., sed non ut ii, qui spem non habent.

13. *Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit.* Hic jam incipit dicere, quid scire eos velit, non tamen quasi novum aliquid et prorsus iis inauditum docens, sed eadem, quae docuerat, repetens et explicans. Conjunctio *si* non dubitantis est, sed praesupponentis; affert enim, quod dicit, pro firmissimo fundamento certissimoque argumento ejus, quod sequitur: *Ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Illud *per Jesum*, non liquet, quo referatur, utrum ad praecedens verbum, an ad subsequens, hoc est, an sensus sit: *qui dormierunt per Jesum,* id est, qui mortui sunt in fide Christi Jesu; an vero sit sensus hujusmodi: *per Jesum,* id est, per meritum Christi Jesu, *adducet eos.*

Utriusque constructionis Graeci interpretes meminerunt, sed prior magis esse videtur ex mente Apostoli; sic enim nominat hoc loco *dormientes per Christum,* quomodo 1 Cor. 15., ubi de eadem re multo fusius agit, *dormientes in Christo* nominavit; Cyprianus quoque in serm. 1. de mortal. locum hunc citans legit, qui dormierunt in Jesu. Addit autem Apostolus *per Jesum,* ut de sola fidelium ac piorum resurrectione se loqui significet, quemadmodum et de ea sola disserit in prima ad Cor. Haec enim pertinebat ad consolationem fidelium.

Quod igitur Apostolus dicit, ejusmodi est: Quandoquidem credimus ac certissime tenemus, Jesum Christum mortuum esse atque a morte resurrexisse: sane nec dubitare debemus, futurum, ut Deus eos, qui in Christo mortui sunt, una cum eo redivivos adducat, sistatque in ipsius adventu. Nam oportet membra capiti suo conformari, eoque adduci, ubi caput est. Simili ratiocinatione utitur ad Corinthios, dum ex Christi resurrectione nostram probat resurrectionem, ea scilicet ratione, quod Christi resurrectio sit nostrae resurrectionis exemplar et forma, quodque Christus resurrexerit ut primitiae dormientium. Hujus probationis vim plenius expositam require in comment. loci memorati ad Cor.

14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini.* Modum resurrectionis descripturus fidem conciliat, affirmans se non suum, sed Domini verbum proferre in medium. Et sensus est: Hoc, quod dicturus sum, annuntio vobis tanquam verbum Domini, id est, tanquam doctrinam a Christo Domino acceptam. Nam Apostolus Evangelium suum, in quo et mortuorum resurrectio continetur, non ab homine, sed a Christo Jesu per revelationem acceperat, Gal. 1.

Quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Graeca

habent *in adventum Domini,* quibus applaudunt MSS. Latina, suffragante etiam editione Clementina. Accedunt item Ambrosianus et Primasius, quorum prior sic legit: *Qui subrelicti sumus in adventum Domini.* Qua lectione constituta, dubitatur, utrum illa pars *in adventum Domini* cum praecedentibus cohaereat, an cum sequentibus. Verum plerique omnes recte praecedentibus adjungunt. Sensus enim est: Hoc vobis dico, quod nos, qui viventes erimus ac relicti sive superstites usque in adventum Christi Domini, non solum non glorificabimur et regnabimus cum Christo sine illis, qui jam obdormierunt, sed nec eos ad Christi occursum praeveniemus. Loquitur Apostolus in prima persona, dicens: *Nos, qui vivimus, qui residui sumus* etc., non velut dubius aut incertus, ut nonnulli suspicati sunt, an forte se vivo futurus esset Domini adventus; nam hujusmodi opinionem instantis diei Domini, natam ex suis verbis, diserte in 2. Epist. rejicit, docens quaenam et quanta sint, quae illum diem adhuc praecedere debeant: sed ita loquitur, partim quidem ut Thessalonicensium animos in exspectationem adventus Domini teneat erectos atque suspensos, quo diem illum quasi brevi venturum semper habeant prae oculis, semperque ad eum parati sint, id enim admonet eos mox cap. seq.; partim vero, quod personam induat electorum, qui in adventu Dominico residui sive superstites erunt, id est, vivi reperientur, nolens explicare, num iidem illi, an alii futuri sint ab iis, qui tunc vivebant.

15. *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de coelo.* Describit adventum Domini magnificum et gloriosum a circumstantiis quibusdam, quae potentiam et majestatem venientis commendent. *Descendet,* inquit, *de coelo ipse Dominus Jesus,* non per nuntium aut vicarium, quomodo Deus per angelum, etsi maximo terrore immisso, dedit legem in monte Sina, sed in sua persona atque in suo corpore, cum quo ascendit in coelum. Sic enim de eo angeli testantur Act. 1. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.*

Descendet autem *in jussu,* quod Erasmus vertit *cum hortatur.* Nam Graece vox κέλευσμα apud auctores profanos significat exhortationem, qua nautae seu milites se mutuo cum clamore vel cantu solent incitare ad rem strenue gerendam. In qua significatione etiam Hieronymus eo vocabulo usus est in vertendo Jeremia cap. 25. 48. et 51. Hoc si placeat, intelligi poterit clamor ille, de quo apud Matth. 25. in parabola decem virginum: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

Verum Graeci interpretes vocem hanc acceperunt secundum primam et propriam ejus significationem, qua procul dubio jussum, mandatum, imperium significat; intelligunt autem imperium ipsius Domini, quo repente jubebit omnes ministros suos praesto esse et comites ad suum descensum. Alii referunt ad illam vocem, de qua Joan. 5. dicitur, quod *omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis,* scilicet Christi, ipsos a morte ad vitam revocantis. Vox enim Christi hominis de coelo descendentis ita erit instrumentum excitationis omnium mortuorum, sicut ejusdem vox in terra agentis instrumentum fuit resuscitandi Lazari, quando clamavit: *Lazare, veni foras.*

Item descendet *in voce Archangeli,* id est, Archangelo Michaële velut praecone Domini adventus clarissimum sonitum quaqua versum edente. Nomine *archangeli* significatur omnium angelorum princeps, hunc autem non alium esse, quam Michaëlem, tum ex Epist. Judae, tum ex Apoc. Joan. cap. 12. manifeste patet. Eundem vero toti Ecclesiae custodem a Deo praefectum esse, justa ratione creditur, ut qui tempore etiam veteris testamenti dux ac princeps populi Dei fuerit, quemadmodum ex Daniele cap. 10. et 12. et aliunde potest doceri.

Jam quod addit *in tuba Dei,* quam 1 Cor. 15. vocat *tubam novissimam,* videtur esse ejusdem emphatica repetitio, ut

non aliud sit *tuba Dei,* quam *vox archangeli,* quae per metaphoram hoc nomine vocetur a claritate et magnitudine soni, penetraturi, ut ita dicam, usque ad aures mortuorum dormientium in sepulchris. Cum enim divinae virtutis sit mortuos excitare, merito vox illa, qua id fiet, *tuba Dei* nominatur. Hujus tubae ac vocis meminit etiam Dominus apud Matth. 24., cum de suo ipsius adventu ita loquitur: *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis* etc.

Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Nimirum continuo ad vocem archangeli et ad sonitum tubae. Sic enim et in loco allegato Matthaei significatur, tuba et voce magna sonante resuscitandos electos, ut deinde ministerio angelorum congregentur in unum locum. Sic et Apostolus 1 Cor. 15., cum dixisset tubam canturam, mox adjecit: *et mortui resurgent incorrupti.* Mortuos autem, *qui in Christo sunt,* sive, ut est in Graeco: *mortuos in Christo,* nunc vocat, quos paulo ante: *dormientes per Jesum,* id est, mortuos in fide et societate Christi, quos eosdem Matthaeus electos vocat. Etenim, ut jam supra dictum est, de sola justorum sive electorum resurrectione agit Apostolus hoc loco. Porro quod nos habemus: *resurgent primi,* Graece est *primum,* quomodo et S. Augustinus legit de civit. lib. 20. cap. 20. Quem vero ordinem insinuet ea dictio, sequentia docebunt.

16. *Deinde et nos, qui vivimus, qui relinquimur.* In Graeco sunt eaedem voces, quae supra, *qui vivimus, qui residui sumus.* Ubi etiam expositum est, qua ratione loquatur Apostolus in prima persona. Non est autem hic supplendum: *resurgemus,* quasi dicere velit, illi primi resurgent, deinde nos resurgemus, sed orationem perficit pars sequens:

Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra. Graece: *simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra.* Circa hunc locum multa quaeruntur, breviter a nobis expedienda. Primum, cum dicat Apostolus 1 Cor. 15., in momento et in ictu oculi futuram omnium resurrectionem, aut secundum Graecos codices, omnium immutationem, quomodo hic dicit aliquos resurrecturos primos, scilicet eos, qui praemortui fuerint in Christo? Nam inde consequens videtur, caeteros, id est eos, qui vivi reperientur, posterius resurrecturos, et proinde etiam posterius immutandos. Respondeo, id ex hoc loco non esse consequens, nam ordo temporis significatus his vocabulis *primum* et *deinde,* non est inter resurrectionem aut immutationem horum et illorum, sed inter resurrectionem aliquorum et raptum omnium. Id quod verba ipsa plane significant: *primum,* inquit, *mortui, qui in Christo sunt, resurgent, deinde nos una cum illis rapiemur in aëra,* quem ordinem etiam B. Thom. in comment. declarat. Relinquit autem Apostolus intelligendum id, quod ad Corinthios scribens exprimit, nempe eos, qui superstites erunt, eodem momento ad beatam immortalitatem immutandos, quo mortui ad eam resurgent.

Sed hinc jam oritur secunda quaestio: Num igitur superstites illi sine morte media transmutandi sint et transituri ad statum incorruptionis? Nam neque mortis neque resurrectionis eorum hic ulla fit mentio. De hac quaestione Graecorum sententia est affirmativa, quam et Cajetanus sequitur: atque ea sane tam ex hoc loco, quam ex 1 Cor. 15. et 2 Cor. 5. multum accipit probabilitatis. Origenes sane lib. 2. contra Celsum intelligit vivos et immutandos diversos ab iis, qui resuscitabuntur. Et Epiphan. haeresi 64. tractans hunc locum, ait: Qui rapitur, nondum mortuus est; et hinc docet, quod in resurrectione erunt eadem corpora, quae nunc: quia sicut rapti et non mortui habebunt eadem corpora, sic mortui et resuscitati; erunt enim utrique in eodem statu felicitatis. Augustinus quoque ad Dulcitium quaest. 3. ait: Ipsa verba Apostoli hoc loco clamare videntur, quod non morientur hi, de qui-

bus dicit: *Deinde nos, qui vivimus* etc. Videatur et venerabilis Beda hic.

Sed quoniam etiam in contrarium multa et magna sunt argumenta, partim ex variis Scripturae testimoniis, quae mortem omnibus communem faciunt, partim ex ratione petita, quae Latinos Patres plerosque in diversam sententiam adduxerunt; ideo diximus in comment. utriusque Epist. ad Cor., quid ad memorata Apostoli loca responderi possit. Cujus responsionis summa est: Eos, qui vivi reperientur in adventu Domini, morituros quidem, non tamen censendos in eorum numero, quos Apostolus ad Corinthios et hoc loco *dormientes* vocat. Dicuntur enim Apostolo *dormientes,* quos Christus Joan. 5. vocat *eos, qui in monumentis sunt,* qui et Dan. 12. dicuntur *dormire in terrae pulvere,* ut nimirum ea voce significetur somnus seu quies aliquanti temporis, qualis est mortuorum in sepulchris, non autem eorum, qui morientes paulo post reviviscunt potius, quam resurgunt. Nam resurgere more Scripturae dicuntur, qui e sepulchris surgunt, atque e somno mortis excitantur. Tali igitur modo non resurgent, qui vivi tunc reperientur, quia beatam illorum immutationem somnus mortis et sepulturae quies non praecedet, sed tantum modica quaedam ac brevissima dormitatio. Pleniorem hujus difficultatis explicationem petat, qui volet ex commentariis nostris in 4. distinct. 43. Vide etiam, quae dicimus ad hujus epistolae cap. 5. vers. 3.

Tertio, de iisdem illis quaeritur, si morituri sunt, quando morituri, quando item revicturi? Quidam dicunt id futurum in raptu, quo in sublime ferentur obviam Christo; putant enim totam eorum immutationem, qua vitam accipient immortalem, in ipso raptu perficiendam. Ita sentiunt Augustinus lib. 20. de civit. cap. 20. et Ambrosianus in hujus loci comment. Horum opinionem refert Magister sent. lib. 4. dist. 43., nihil tamen ipse definiens. Neque enim satis consistere videtur ea opinio cum Apostolo 1 Cor. 15., dicente secundum Latinorum quidem lectionem, quod omnes simul resurgent; secundum Graecam vero, quod omnes simul immutabuntur; videlicet in momento et ictu oculi. Quorum neutrum secundum dictam opinionem futurum esset, non ergo in raptu aliqui morientur aut reviviscent. Adde, quod raptus ille fiet non solum post mortuorum resurrectionem, verum etiam post judicis sententiam, dicentis: *Venite benedicti* etc. Prius enim est, ut venire jubeantur, deinde ut veniant, quod erit per raptum in sublime.

Quocirca longe verisimilius est, eos, qui vivi reperientur, morituros esse, dum adhuc in terra erunt; et quidem per ignem conflagrationis, qui secundum scripturas praecedet ante faciem, id est, conspectum et adventum judicis; resuscitandos autem et immutandos simul cum caeteris antea mortuis: quemadmodum ostendimus in 4. dist. 47.

Quaeres, quomodo ergo dicit Apostolus, *qui vivimus rapiemur?* Respondeo non dicere Apostolum: Qui vivi reperiemur, quando incipient apparere signa Dominici adventus, postea, audita Judicis sententia nos ad se vocantis, rapiemur una cum caeteris electis in ejus occursum; sed morte ac suscitatione inter illam vitam et hunc raptum media.

Quarta quaestio est de ipso raptu. Nam quomodo rapientur illi, quorum corporibus inerit, virtus agilitatis, qua se ipsa possint ad nutum animae in omnem partem facillime movere, cum raptus motum significet violentum? Respondeo, motum, quo sancti ferentur in sublime obviam Christo, raptum vocari, non ob violentiam, quae ibi nulla futura est: sed vel propter celeritatem, quomodo dicit poëta: *Quo nunc se proripit ille?* qua ratione etiam de Christo intelligi potest illud Apoc. 12. *Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus,* id est, celerrime sublatus; nam et quae celeriter fiunt, raptim fieri dicuntur: vel quia motus ille, quamvis non contra naturam futurus sit, utpote procedens ab interna virtute seu dote agilitatis, erit tamen supra naturam; quemadmodum et ipsa dos futura est su-

pernaturalis: vel denique raptus idcirco vocatur, quia non ita fiet ab interna virtute, quin etiam magnum momentum adferat externum illud objectum, quodammodo trahens et rapiens ad se beatos, ipse nimirum Christus, ad quem in sublimi conspectum et gloriosum, tanquam ad caput suum, omnia membra, velut ab ipso attracta, sese quam celerrime movebunt; nam ab objecto trahi et rapi quippiam, notum est; ut ovem a ramo viridi sibi ostenso, puerum a pomo, filium a matre conspecta, ac vicissim matrem a filio; quae tamen omnia moventur etiam ab interna quadam et insita virtute.

Postremo quaeritur, quomodo dicat Apostolus, nos in nubibus obviam ituros Christo, cum post sui innovationem nulla mixta corpora (homine excepto), ne quidem imperfecta, cujusmodi sunt nubes, habiturus sit mundus. Eadem quaestio est ex tribus evangelistis Matthaeo, Marco et Luca testantibus, Christum in nubibus venturum ad judicium. Quidam per nubes intelligunt ipsa beatorum gloriosa corpora; sed minus recte, nam ut aliquo modo possit ea expositio praesenti loco accommodari: minime tamen congruit ei sententiae, quam ex evangeliis allegavimus. Adde, quod ita dicuntur hoc loco sancti in nubibus obviam ituri Christo, sicut Act. 1. de Christo in coelum ascendente dicitur: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ubi nubem interpretari ipsum corpus Christi res ipsa non patitur. Alii nullum incommodum putant, si dicantur verae nubes, per Dei providentiam ad momentum illic adfuturae, in ministerium electorum; scilicet ut eos statim suscipiant et abscondant a conspectu reproborum: sicut vera fuit nubes, quae Christum suscepit ac submovit ab oculis mortalium. Nam *omnia propter electos.* Tertio, dici potest, per nubes in his omnibus locis intelligi constitutionem quandam aëris densam et splendidam, nubi candidae similem, quae id officii praestitura sit, ut et Christum venientem comitetur et sanctos ei occurrentes subvehat, atque impiorum oculis subducat. Sic enim et locum Act. 1. intelligi nihil prohibet.

Et sic semper cum Domino erimus. Id est, omnes simul, illo raptu aggregati Christo Domino in excelso aëre, atque inde in coelum una cum eo subvecti, perpetua ejus praesentia fruituri sumus, semperque cum eo regnaturi, ac bonorum humanitatis ejus, tanquam membra capiti sociata, participes futuri: quorum quidem bonorum maximum est, videre Deum facie ad faciem. Haec quippe complectitur illa locutio: *Esse cum Domino.* Hinc vero consequens non est, animas sanctorum ante diem extremi judicii non visuras essentiam Dei, ut perperam docent haeretici; quos satis redarguunt alia Apostoli loca 2 Cor. 5. et Philip. 1., et illud Christi ad latronem, *hodie mecum eris in paradiso,* Lucae 20. Non enim de animabus loquitur nunc Apostolus, sed de hominibus; qui profecto non ante cum Christo futuri sunt, quam a morte revixerint ad vitam immortalem.

Caeterum ex hoc loco manifeste duo refelluntur errores: Origenis et Chiliastarum; nam si semper cum Christo futuri sumus: non magis nostra, quod voluit Origenes, quam Christi felicitas aliquando finem habebit. Et si statim a resurrectione Christo occurremus in coelum, semper cum eo mansuri; falluntur Chiliastae, qui regnum mille annorum post resurrectionem nobis in terra promittunt, quo demum finito cum Christo regnaturi simus in coelis.

17. *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Conclusio est, qua monet, ut hujusmodi sermonibus de Christi adventu et piorum resurrectione, regnique perpetua cum Christo societate futura, sese mutuo consolentur, ac dolorem leniant eorum, qui caros suos lugent amissos. Quanquam illud, *in verbis istis,* juxta phrasim Hebraeam, qua *verbum* pro re saepenumero accipitur, sic exponi potest: Itaque vos invicem consolamini in iis rebus, quas jam dixi; nimirum earum commemoratione mutuam fidem et spem excitando.

CAPUT QUINTUM.

De temporibus autem et momentis[1]), fratres non indigetis, ut scribamus vobis. 2. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet[2]). 3. Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus[3]), sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 4. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat[4]): 5. omnes enim vos filii lucis estis et filii diei[5]): non sumus noctis, neque tenebrarum[6]). 6. Igitur non dormiamus sicut et caeteri, sed vigilemus[7]) et sobrii simus. 7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. 8. Nos autem, qui diei sumus[8]), sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis[9]), et galeam spem salutis[10]): 9. quoniam non posuit nos Deus in iram[11]), sed in acquisitionem[12]) per Dominum nostrum Jesum Christum, 10. qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus[13]), simul cum illo vivamus[14]). 11. Propter quod consolamini invicem, et aedificate alterutrum[15]), sicut et facitis. 12. Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, 13. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum[16]): pacem habete cum eis. 14. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes[16]). 15. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat[18]): sed semper, quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. 16. Semper gaudete[19]). 17. Sine intermissione orate[20]). 18. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. 19. Spiritum nolite extinguere[21]). 20. Prophetias nolite spernere[22]). 21. Omnia autem probate: quod bonum est tenete[23]). 22. Ab omni specie mala abstinete vos. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur[24]). 24. Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet[25]). 25. Fratres orate pro nobis. 26. Salutate fratres omnes in osculo sancto[26]). 27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus. 28. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum[27]). Amen.

---

[1]) Matth. 29, 36. Act. 1, 7. [2]) Matth. 24, 43. 44. [3]) Matth. 24, 37. 38. [4]) Matth. 24, 43. [5]) Rom. 13, 12. [6]) Luc. 12, 35.—40. 21, 34. Joan. 12, 36. Eph. 5, 9. [7]) Matth. 25, 13. [8]) Rom. 13, 12. [9]) Hebr. 10, 24. 25. [10]) Eph. 6, 14.—17. [11]) 2 Petr. 3, 9. [12]) Cap. 4, 17. Joan. 3, 16. [13]) Cap. 4, 15. Rom. 14, 7. seq. [14]) Joan. 10, 11. 12, 26. [15]) Rom. 15, 2. Phil. 2, 4. [16]) 1 Tim. 5, 17. [17]) 2 Thess. 3, 15. [18]) Matth. 5, 39. seq. [19]) Phil. 4, 4. [20]) Luc. 18, 1. seq. Col. 4, 2. [21]) Eph. 4, 30. [22]) 1 Cor. 14, 1. 3. [23]) 1 Joan. 4, 1. [24]) Cap. 4, 3.—5. 13. 1 Cor. 6. 20. [25]) Phil. 1, 6. [26]) Rom. 16, 16. [27]) Rom. 16, 24.

SUMMARIUM CAPITIS QUINTI.

Docet, diem Domini esse incertum: monens unumquemque, ut vigilet et verseiur in operibus lucis. Commendat eos, qui praesunt, aliaque pietatis praecepta tradit.

1. *De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis.* Reprimit humanam curiositatem, quae non contenta rebus scitu necessariis, ad inutilia et supervacanea cognoscenda, aut certe ad ea, quorum cognitio mortalibus est denegata, desiderium extendit. Qui enim didicerunt, Christum in fine saeculi venturum ad judicium et mortuos omnes resurrecturos; moveri solent ad quaerendum ulterius, post quantum temporis spatium ea sint futura. Qualem inordinatam sciendi cupiditatem etiam Christus in discipulis suis cohibuit Actor. 1., dicens: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Ad quae Domini verba videri potest hic Apostolus respexisse. *Momenta* dixit interpres utroque loco, quod Graece est καιροὺς: Erasmus utrobique vertit, *articulos temporum;* nam inter χρόνον et καιρὸν hoc interest, quod χρόνος absolute significet tempus certamve temporis mensuram, ut saeculum, diem, horam: καιρὸς vero tempus opportunum, aut constitutum rei cuipiam agendae. Tale igitur est, quod Apostolus dicit: Necessarium vobis erat, ut ad confirmandam fidem et spem vestram, et ad lugentium consolationem, scriberem de futuro Christi adventu et de mortuorum resurrectione: ut autem vobis significem tempora temporumque articulos et momenta, quibus ea sint implenda, non opus habetis, nec attinet ea scribere; imo nec scribi a me possunt, quia Dominus ea latere voluit, adeo ut dicat, diem illum et horam nec angelis cognita esse.

2. *Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Diligenter*, ex Graeco rectius alii vertunt, *exacte, plane. Veniet,* Graece ἔρχεται, praesentis temporis verbum, sed passim pro futuro solitum usurpari. Cujus loco diversum futuri temporis verbum est apud Petrum in 2. epist. cap. 3., cum alioqui dicit hoc ipsum, quod Paulus: *Veniet dies Domini, ut fur in nocte.* Sic enim ibi in Graeco legitur. Hinc etiam liquet, ἔρχεται non tantum referri ad id, quod sit brevi venturum, quodque jam sit in procinctu, ut veniat: nam dies extremi judicii a temporibus Apostolicis utique longe aberat, et adhuc ignoramus, quam sit nobis vicinus. Itaque sensus est: Nam ipsi vos, a me dudum edocti, plane nostis, quod dies ille Dominici adventus ita superveniet orbi inexspectatus, sicut fur nocte supervenit hominibus secure dormientibus. Non sentit Apostolus, adventum Domini futurum in nocte: nam et hoc incertum est, nocte an die, mane an vespere, venturus sit Dominus; sed docet, more nocturni furis diem illum futurum hominibus omnino improvisum.

Quaeres, quomodo igitur Christus in evangelio signa quaedam, illius diei prognostica, commonstret, dicens: *Erunt signa in sole et luna et stellis* etc. Luc. 21. Respondeo: Ea signa praecessura quidem aliquantulum ipsum *Domini adventum;* non tamen praecessura *diem Domini:* nam tempus illorum signorum sub die Domini comprehenditur, erit enim *dies Domini,* totum illud tempus signorum praecedentium et Domini venientis. Quod tamen tempus verisimiliter non multorum erit dierum; sed paucorum aut forsitan unius diei tantum. Non enim Deo difficile erit, ea omnia aliquot horarum spatio peragere.

3. *Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Omnibus quidem dies illo veniet ut fur nocturnus, qui ab omnibus ignorabitur, sed solos malos opprimet imparatos; unde et iis solis interitum adferet. Nam boni, quamvis diem adventus Domini ignorent, ad eum tamen semper parati sunt et praemuniti. Hic autem Apostolus de malis loquitur, praesertim

infidelibus et piorum persecutoribus. Qui cum sibi videbuntur alta pace frui et putabunt omnia esse tuta (id enim Graeca vox significat ἀσφάλεια, quam noster interpres *securitatem*, Ambrosianus *firmitatem* reddit), tunc repentinus interitus eis imminebit. Quod enim nos habemus *superveniet*, Graece est, ἐφίσταται, instat, imminet, quo praesentis temporis verbo significantius exprimitur proximum et certum exitium.

Sicut dolor in utero habenti. Ambrosianus, *quemadmodum dolor partus praegnanti.* Nam Graeca vox ὠδίν proprie dolorem parturientium significat: ut sit sensus, sic illis repente superventurum interitum, sicut mulierem gravidam ex improviso, dum aliud agit, occupant dolores partus; aptissima est et scripturis frequentata haec comparatio.

Et non effugient. In Graeco modus est potentialis cum duplici negatione: καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν, quasi dicat, nec ulla ratione poterunt effugere malum imminens, sed certissime ab eo comprehendentur. Cajetanus hunc impiorum interitum interpretatur non in morte, sed in termino viae: nam, inquit, ex tunc reddentur obstinati in sua malitia, tanquam in ea mortui. Sentit enim, malos, qui in adventu Domini superstites reperientur, aeque ut bonos, sine morte media commutandos in statum perpetuum meritis eorum respondentem. Sed quia communior est ac probabilior opinio, omnes esse morituros: rectius quoque interitum hunc, de quo Apostolus, id est aeternam damnationem, impiis in morte superventuram, atque in resurrectione complendam esse dicitur. Mortem autem repente, sed non sine gravissimo cruciatu, eis inferet ignis conflagratorius, qui faciem Christi judicis advenientis antecedet. Annotant quidam, Apostolum addidisse, *et non effugient,* ut ostenderet, comparationem mulieris in partu dolentis non per omnia convenire: nam dolor ejus statim a partu mutatur in gaudium propter natam sibi prolem. At impiorum interitus semper durabit. Verum arbitror, Apostolum non id velle: non effugient interitum semel ab eo occupati, sed: non effugient, sic ut in eum non incidant.

4. *Vos autem fratres non estis in tenebris.* Doctrinam praecedentem convertit in locum moralem, quo Thessalonicenses admonet suae vocationis, ut secundum eam viventes non imparati deprehendantur in die Domini. *Vos autem,* inquit, *fratres, non estis in tenebris,* id est: Vos cum sitis illuminati per fidem vivam, non jam estis in nocte tenebrarum, id est, infidelitatis ac caeterorum vitiorum.

Ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Id est, ut dies illa Domini vos operibus tenebrarum deditos ac somno ingnorantiae et negligentiae consopitos, velut fur nocturnus, inveniat et comprehendat. Quamvis enim, ut dixi et probari potest ex Apoc. 15., dies Domini sicut fur in nocte venturus sit omnibus, quatenus omnes omnino latebit; non tamen omnes sicut fur comprehendet, hoc est opprimet ac perdet: sed eos solos, quos somno ac tenebris occupatos inveniet, id est, malos. Jam quod de die adventus Dominici commonet; id consequenter de die mortis et exitus singulorum, quo judicium agitur particulare, vult intelligi. Nam talis quisque exhibebitur in universali judicio, qualis in morte fuerit inventus: et sicut diem Domini venturum scimus, quando venturus sit, ignoramus; ita et diem mortis nostrae. Quare eadem est exhortatio de hujus atque de illius diei exspectatione; quemadmodum pluribus verbis docet Augustinus epist. 80. ad Hesychium.

5. *Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei.* Particulam *enim,* quae et in Syriaca versione legitur, Graeca non addunt; tametsi sensus causalis est; continet enim haec pars probationem ejus, quod dixit: *Non estis in tenebris;* quia nimirum *omnes vos,* inquit, *estis filii lucis atque diei,* id est, fide illuminati, et ad opera lucis ac diei (quae sunt opera fidei, caeterarumque virtutum) exercenda per Christi gratiam vocati. Metaphora lucis ac tenebrarum, item diei ac noctis, pro fide et infidelitate, virtutibus ac vitiis,

et utriusque generis operibus Christo et Apostolis ejus familiaris fuit: quod liquet etiam ex Petri et Joannis epistolis: *filios* autem *lucis* et *diei* vocat Hebraea phrasi, quod addicti sint operibus lucis ac diei. Sic Ephes. 5. *Ut filii lucis ambulate.* Dicit autem, *omnes vos,* non quod sciret, omnes fideles, qui erant Thessalonicae, nemine excepto, justos esse (soli quippe justi sunt filii lucis et diei): sed quia de singulis eam habebat fiduciam, quod justi essent. Aut dixit, *omnes vos,* non distributive, sed collective, significare volens ipsam congregationem, quae sancta erat, etsi non singuli sancti. Qua ratione passim eos, ad quos scribit, sanctorum appellatione honorat.

Non sumus noctis neque tenebrarum, scilicet filii, id est, noctis ac tenebrarum opera sectantes: juxta metaphoram, de qua modo diximus. Mutat personam Apostolus, ut innuat, id quod dicit omnium esse Christianorum. Ambrosianus tamen et Syrus interpres secundam personam retinent. Et quidem Syriaca versio sic habet: *Non autem estis filii noctis, neque filii tenebrarum.*

6. *Igitur non dormiamus, sicut et caeteri; sed vigilemus et sobrii simus.* Persistit in metaphora diei ac noctis, atque ex ea materiam sumit exhortationis. Quoniam, inquit, non noctis sed diei filii sumus: igitur ne dormiamus, quasi in nocte, id est, ne corripiat nos oblivio judicii Domini, et somnus peccatorum, uti caeteris contingit, nimirum infidelibus, qui sunt noctis filii; sed vigilemus, et sobrii simus, quasi in die, hoc est, semper simus in exspectatione judicis venturi, quod est vigilare; semperque justis ac temperatis actionibus intenti, quod est sobrios esse. Similis exhortatio est ex allegoria noctis ac diei Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum* etc.

7. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Graece et Syriace, *qui inebriantur, nocte inebriantur.* Ambrosianus: *Et qui inebriantur, nocte sunt ebrii.* Sensus: Experientia notum est, homines nocte dormire, et nocte inebriari, id est, ad somnum et ebrietates plerumque noctem eligere, velut tempus commodum; sciunt enim, quam male congruant diei hujusmodi actiones. Nos igitur, qui diei filii sumus, ab iis actionibus, quae per somnum et ebrietatem significantur, abstineamus et faciamus id, quod sequitur.

8. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus.* Id est: Nos Christiani, *qui sumus filii diei* (id enim rursus hic exprimit interpres Syrus), iis actionibus incumbamus, quae per sobrietatem significantur, quale est omne genus honestarum et piarum actionum. Quarum fontes aperit sequentibus verbis: *Induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis.* Innuit, filiis lucis non solum vigilandum, sed etiam pugnandum esse, dum eis arma suppeditat, quibus se contra adversarium defendant. Ea sunt *fides et charitas* pro *lorica,* et *spes* pro *galea.* Conferendus hic locus cum eo, qui est Ephes. 6., ubi Christiani militis armaturam plenius describit, ac verbis paulum diversis, tametsi in sensu nulla repugnantia est. Quam enim hic appellat *loricam fidei et charitatis,* illic *loricam justitiae* nominat, eo quod justitia Christiana non alia sit, quam fides charitati conjuncta et per eam operata. Quam quidem loricam seu thoracem vocat, quia sicut thorax militaris vitalia membra protegit, ita fides charitate exercita vitam animae custodit. *Justus enim ex fide vivit.* Cur autem eandem fidem in epist. ad Ephesios scuto comparet, in illius loci comm. dictum est.

Ejus porro, quod sequitur, *et galeam spem salutis,* videri potest haec esse constructio: *Et galeam salutis, spem,* ut genitivus *salutis* ad *galeam* referatur. Sic enim habetur Ephes. 6. *Et galeam salutis assumite.* Item Jes. 59. *Et galea salutis in capite ejus.* Sensus est: Et pro galea salutari spem induti, spem, inquam, coelestium bonorum, qua caput nostrum, id est, principium et intentio operum nostrorum in Deum erecta persistat. Ex his tamen, quae sunt vers. seq.,

communis et obvia constructio defendi potest. In sensu nil mutatur.

9. *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis.* Confirmat, quod dixit, spem pro galea assumendam esse. Nam, inquit, Deus non posuit, constituit, ordinavit nos ad iram seu vindictam, id est, non praedestinavit nos ad aeternam damnationem, sed ad aeternam salutem efficaciter acquirendam. Hebraea phrasi dicuntur *positi* in hoc aut illud, id est, destinati. Sic cap. 3. hujus epistolae, *in hoc positi sumus. Ira* quoque pro vindicta seu punitione, Hebraismus est. Fallitur autem Erasmus, dum a verbis Apostoli recedens ita vertit: *Non constituit nos Deus, ut iram concitemus, sed ut salutem consequamur.* Plus enim est, quod dicit Apostolus, nempe, nos non esse reprobatos a Deo, sed electos. Sunt autem verba bonae spei ac fiduciae, quibus Thessalonicensium animos excitat, ut per bona opera contendant eo, ad quod electi sunt, pervenire. Recte vero Cajetanus ex eo, quod Apostolus negat Deum nos posuisse in iram: consequens esse docet, reprobos a Deo positos in iram: idque juxta doctrinam ejusdem Apostoli fuse traditam in epist. Rom. Positi sunt enim, inquit, ad suscipiendam divinam justitiam vindicativam in aeternum.

Per Dominum nostrum Jesum Christum. Referri potest haec clausula vel ad verbum *posuit,* vel ad proximam partem, *in acquisitionem salutis.* Et illo quidem modo sensus est: Deus per Christum nos praedestinavit ad salutem. Hoc autem modo sensus erit: Deus praedestinavit nos ad salutem per Christi merita nobis acquirendam. Uterque sensus bonus est: sed prior magis esse videtur Paulinae mentis. Nam a Deo per Christum nos electos esse, sermo est Apostolo frequens. Ephes. 1. et alibi.

10. *Qui mortuus est pro nobis.* Hoc quoque dicit in persona electorum. Etenim quamvis sanguis et mors Christi sufficiens sit pretium pro redemptione totius humani generis: effectus tamen atque proprietas redemptionis et salutis penes solos electos est, Domino dicente: *Ego animam meam pono pro ovibus meis.* Joan. 10. et Joan. 17. *Non pro mundo rogo.* Mortuus est autem pro nobis: ne nos maneremus in morte, sed ut in aeternum viveremus. Hoc enim sequitur.

Ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Triplicis somni meminit in superioribus. Primus erat somnus mortis, de quo dixerat: *Nolo vos ignorare de dormientibus.* Secundus peccati, de quo paulo ante dixit: *Igitur non dormiamus sicut et caeteri.* Tertius naturae, de quo subjunxit: *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt.* Huic autem triplici somno triplex vigilia respondet, vitae, justitiae et naturae. Constat autem, hoc loco non intelligi somnum secundi generis; et proinde nec vigiliam ei oppositam. Sed utrum de tertio, an vero de primo genere somni et vigiliae loquatur, quaerendum est. De tertio sensus est hujusmodi: Christum pro nobis mortuum esse, ut sive corpore vigilemus, sive dormiamus: id est, in omnibus, quae agimus aut patimur in hac vita, simul cum ipso vivamus: ut sicut illius vita justitia est, ita nos illi, juste vivendo, conformemus. Haec Cajetani est expositio.

Verum alii fere omnes tam Graeci quam Latini de primo genere interpretantur, eo sensu, quem dilucide tradit Ambrosianus. Idcirco, inquit, mortuus est pro nobis Dominus Jesus et resurrexit; ut sive vigilemus, hoc est, vivamus; sive dormiamus, id est, mortui simus, una cum illo aeterna vita fruamur. Hic sensus omnino probabilis est, respicit enim Apostolus, ut idem auctor submonet, ad doctrinam suam superiorem, qua dixit fideles in adventu Domini, tam mortuos quam viventes, obviam ituros Domino, et sic semper cum eo futuros, id quod proprie est vivere cum Christo, secundum phrasim scripturae; quam vitam significavit etiam nomine salutis in parte praecedenti. Nam alioqui, durante mortali hac vita, magis in Christo, quam cum

Christo vivere dicimur. Denique confirmat hunc intellectum, quod exhortatiunculam, qua doctrinam de beata resurrectione supra traditam concluserat, nunc repetit dicens:

11. *Propter quod consolamini invicem,* scilicet per ea, quae de resurrectione mortuorum et vita pepetua cum Christo ducenda jam ex me audivistis. Minus placet, quod alii vertunt, *exhortamini vos mutuo.* Nam, ut dixi, repetitio est ejus, quod semel dixit: *Itaque consolamini invicem in verbis istis. Et aedificate alterutrum,* id est, mutuam salutem promovete piis sermonibus, quibus ad spem beatae resurrectionis et vitae aeternae fratrum animi excitentur. *Sicut et facitis.* Hoc addit, quo gratior sit exhortatio laudi permixta.

12. *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos.* Subjicit nunc alia quaedam praecepta ad institutionem vitae Christianae spectantia. Ac primo loco commendat honorem debitum ecclesiae praefectis ac ministris. *Rogamus,* inquit, *vos, fratres, ut noveritis* sive agnoscatis, id est, rationem ac respectum habeatis eorum, *qui laborant inter vos,* docendo et Christi sacramenta administrando, et caetera, quae salutis vestrae sunt, procurando. *Novisse* pro eo, quod est approbare, frequentissimum est in sacris literis. Verum agnitio praesentis loci potissimum consistit in obedientia, reverentia et rerum ad vitam necessariarum prompta ac liberali subministratione. Quae omnia uno honoris vocabulo alibi significantur.

Et praesunt vobis in Domino. Id est, in his, quae ad Christi Domini religionem spectant. Distincta est haec pars a praecedenti; quia non omnes, qui in ecclesia laborant, etiam praesunt aut regimen habent aliorum. *Et monent vos,* nempe de iis, quae agere aut fugere debeatis. Hic comprehenduntur etiam exhortationes et correptiones; sunt enim ejusdem generis cum admonitione. Et quamvis hujusmodi actiones etiam privatorum sint hominum; praecipue tamen atque ex officii ratione pertinent ad praefectos. Addit autem hanc partem Apostolus, eo quod admonitiones et correptiones solent esse graves et odiosae peccantibus: quasi dicat, eo nomine propensius amandi et honorandi vobis sunt praepositi vestri, quod ita sincere faciant officium, ut nec gratia cujusquam nec offensione moveantur, quo minus ea, quae salutaria cuique sunt, impendant.

13. *Ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* Graeca sic ad verbum, *et ducere illos super exabundanti, in charitate* etc. Pendet autem adhuc sententia a verbo *rogamus;* et sensus est: Item rogamus, ut aestimetis eos summopere, ut habeatis eos in magno pretio, propter opus excellentissimum, in quo versantur, quod est procuratio salutis vestrae: idque faciatis non metu aut simulatione, sed in charitate sive per charitatem, qua tales justum est diligi. Priorem partem Ambrosianus legit hoc modo: *Ut illis summum honorem habeatis,* honorem autem interpretatur illum, de quo 1 Tim. 5. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.*

Sed quaeret aliquis, an praelatis non facientibus ea, quae sui sunt officii, debeatur a fidelibus honor, sive qui in obedientia et reverentia consistit, sive qui in subministratione bonorum temporalium. Negant enim id haeretici, tam hodierni, quam vetustiores: inter quos Joannes Wicleff dicebat, parochianos posse praelatis suis, propter eorum peccata, ad libitum suum auferre decimas. Probant autem ex Apostolo, qui hoc loco et ad Tim. eos demum vult agnosci et honorari, et in pretio haberi, qui laborant, qui admonent, qui bene praesunt. Unde et hic expresse dicit, *propter opus illorum.* Respondemus, Apostolum nusquam docere, quod praefecti male fungentes officio non sint honorandi, sed magis contrarium innuere, dum principes etiam infideles et impios, quales fuere Claudius et Nero, vult agnosci et honore affici Rom. 13. Tit. 3. Nam et Petrus Apostolus 1 epist. 2. praecipit ser-

vis, *ut subditi sint dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Quanquam non dubium est (id quod Apostoli verba tam ad Tim. quam hoc loco significant), magis et abundantius honorandos esse eos, qui bene praesunt, quam qui male. Dum tamen hos in officio tolerat ecclesia, fideli populo non licet subtrahere vel obedientiam vel sustentationem jure decretam, quales sunt decimae. Quapropter memorata Wicleffi verba merito damnata sunt in concilio Constantiensi sub artic. 18. Nec valet haereticorum argumentatio: Mali praelati indigni sunt honore: ergo non sunt honorandi; nihilo magis quam si sic argumenteris: Mali homines indigni sunt amore: ergo non sunt amandi: nam debitum honoris et amoris non est ex dignitate illorum, sed ex statu et conditione: quia praefecti, quia proximi.

Pacem habete cum eis. Variant hic Graeci codices; nam alii legunt ἐν αὐτοῖς, *in eis:* alii vero, nominatim qui de Complutensibus expressi, reciproce, ἐν ἑαυτοῖς, *in vobis ipsis,* id est, inter vos. Sic et Oecumenius Graece; et commentator Ambrosianus Latine. Utriusque lectionis meminit Theophylactus. Noster interpres priori modo legisse videtur, ut sit sensus: Pacem habete ac retinete cum iis, qui vobis praesunt, cavete sedulo, ne qua occasione dissidium inter vos et illos excitetur. Nisi enim pax constet inter plebem et pastorem, fructus in plebe ex pastoris ministerio sperari non poterit.

Caeterum posterior lectio, secundum quam admonet Thessalonicenses, ut inter se mutuo pacem habeant foveantque, magis germana videtur; tum quia novum praeceptum est nulla conjunctione cum praecedentibus cohaerens, tum quia prioris lectionis sensus in superioribus satis includitur, velut minus in majori, ut ne dicam, quod nec Graecae nec Hebraicae proprietatis est ita loqui, *pacem habete in eis,* id est, cum eis. Potius id vertendum esset, *inter illos;* sed sensus haud convenit. Itaque videtur Apostolus, ad finem epist. accedens, ita Thessalonicensibus commendasse pacem mutuam, dicendo, *pacem habete inter vos;* sicut Corinthiis sub finem secundae epistolae, dicendo absolute, *pacem habete.* Nam et quod illic continuo addit, *et Deus pacis erit vobiscum;* hic, quibusdam interpositis, subjungit, ita dicens: *Deus pacis sanctificet vos* etc.

14. *Rogamus autem vos fratres.* Hic jam alloquitur eos, qui praesunt, et partes quasdam eorum officii attingit. Nam ad praefectos haec dici (licet quae dicuntur, suo quodam modo praestari possint ac debeant etiam a privatis), tam Latini quam Graeci interpretes annotant. *Rogamus,* παρακαλοῦμεν, verti potest, obsecramus, exhortamur. *Corripite inquietos.* Graece, *admonete inordinatos.* Est enim idem verbum, quod paulo superius, *et monent vos;* tametsi admonitio hujus loci non sine correptione fieri debet. Et ipse Erasmus *correptionem* vertit Ephes. 6. *Inordinatos* autem sive incompositos intelligit aut in genere eos, qui pacem et tranquillitatem publicam turbant malis ac dissolutis moribus, quod genus hominum nusquam deest; aut speciatim eos, quos praecedenti capite notavit inquietos et otiosos, et laborem fugientes, atque alienarum rerum curiosos. Contra quos apertius adhuc et severius agit sub finem 2. epist., ubi eadem vox Graeca semel et iterum legitur. Vocantur autem *inordinati,* quod nec suum servent locum et ordinem agentes ea, quae sui sunt officii, et aliorum ordinem inquietudine et curiositate sua perturbent; metaphora sumpta a militibus sparsis et inconditis, quique (ut ait Cicero) non sunt in numeros coacti.

Consolamini pusillanimes. Pusillanimis est, cui animus ad magna deficit; tales consolatione erigendi sunt, ne in adversis animum despondeant, ne graviori tentatione pulsati victoriam desperent. Ita Paulus illi Corinthio ob incestum excommunicato, jamque poenitenti et afflicto, *ne abundantiori tristitia absorbeatur,* vult adhiberi consolationis remedium 2 Cor. 2.

Suscipite infirmos. Ambrosianus legit,

opitulamini infirmis; alii vertunt *sublevate infirmos.* Alii *sustinete.* Sic et interpres Syrus: *Sustinete onus debilium.* Graecum verbum duo videtur complecti, tolerantiam et auxilium; quae satis apte significantur Latino verbo, *suscipite.* Vult igitur Apostolus, eos, qui fide sunt infirmi, quique in via Dei facile scandalizantur, tolerando foveri et confirmari. Sic alibi praecipit: *Infirmum in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationum.* Et iterum: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Rom. 14. et 15.

Patientes estote ad omnes. Graece: *Longanimes,* id est, lenes et mansueti estote erga omnes, non solum infirmos et pusillanimes; verum etiam erga inquietos. Virtus cum omnibus, tum iis qui praesunt in primis necessaria: omnibus quidem, juxta illud fidelibus in genere praescriptum Tit. 3. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines;* peculiariter autem episcopis et praefectis, juxta id quod Timotheo praecipit Apostolus 2 epist. 2. *Servum Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.*

15. *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.* Praefectos admonet, ut non solum ipsi se non vindicent de injuriis acceptis, verum etiam pro officio caveant, ne qui sint inter fideles vindictae cupidi, qui malum pro malo rependant. Prohibetur enim appetitus vindictae, qua malum proximi quaeritur; non ordo justitiae, qua malum commissum a legitima potestate punitur, ut fiat compensatio.

Sed semper quod bonum est sectamini invicem, et in omnes. Graece *persequimini, et ad invicem et ad omnes.* Verbum idem, quod 1 Cor. 14. *Sectamini charitatem;* quo significatur ardens studium ad rem quampiam. Itaque sensus est: Quin potius, *semper,* id est, omni occasione, quam maxime studete omnibus benefacere, non solum fratribus, verum etiam infidelibus et persecutoribus vestris. Praeceptum vere Christianum, idque omnibus commune; qualia sunt et quae jam sequuntur.

16. *Semper gaudete,* gaudio spirituali; hoc enim inter adversitates et pressuras singulare levamen est, iis praesertim, qui patiuntur pro Christo. Sensum et rationem hujus praecepti plenius exposuimus ad illud Phil. 4. *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.*

17. *Sine intermissione orate.* Idem est cum illo Lucae 18. *Oportet semper orare.* Quod quomodo sit intelligendum quaeritur, cum humanae conditionis infirmitas non ferat perpetuam et nunquam intermissam orationem. Unde qui hoc proprie, sicuti verba sonant, intellexerunt, putantes id praecipi, ut aliis negotiis omissis incessabiliter oremus; inter haereticos numerantur sub nomine Euchitarum, apud Epiphanium haeresi ultima: et apud Augustinum haeresi 57. Neque tamen sufficit hoc praeceptum exponere de virtuali perpetuitate orationis, aut desiderio vitae aeternae virtuali; quomodo nonnulli illud exponunt. Nam qui actu rarissime oraret, etiamsi virtualem orandi affectum ac vitae aeternae desiderium interim retineret; non satisfaceret huic praecepto, quod actum procul dubio requirit.

Augustinus, loco memorato, praecipi putat, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora, quem secutus in commentario B. Thomas ait: Ille semper orat, qui statutas horas non intermittit. Et adducit locum similem ex 2 Reg. 9., ubi David ait ad Mephiboseth: *Tu comedes panem in mensa mea semper,* id est, quotidie statutis horis.

Verum simplicius est, ut dicamus in vocabulo *semper* esse quandam hyperbolen; ut sensus praecepti sit, multum et frequenter orandum esse; quemadmodum et illud Ephes. 6. *orantes omni tempore,* a nobis expositum est. Ubi Theophylactus: Non statis tantummodo horis, sed omni tempore vult orandum. Nam si quis frequenter oret, non tamen id faciat certis ac statutis temporibus, ut cui tempora ad orandum constituta non sunt, is utique

ad sensum praecepti: *Semper, et omni tempore, ac sine intermissione* Deum *orare* dicetur. Sic Apostolus alibi se sine intermissione memoriam facere dicit eorum, ad quos scribit; ut Rom. 1. 2 Tim. 1. Ad hunc modum Apostoli praeceptum exponit Athanasius de Antonio scribens: *Orabat frequenter: quippe qui didicerat, quod oporteret sine intermissione Dominum orare.* Nec secus Ambrosius, qui lib. 1. de Abel et Cain cap. 9. Christi praeceptum sic explicat: Impense et frequenter monuit orandum; non ut fastidiosa continuetur oratio, sed ut assidua frequenter effundatur. Porro manifesta praecepti ratio est, quia semper et in omnibus opus habemus auxilio Dei; quod proinde nobis quam frequentissime implorandum est.

18. *In omnibus gratias agite. In omnibus,* intellige bonis, id est, iis quae vobis bona sunt. Nam de peccatis vel nostris vel alienis impium esset Deo gratias agere. Caeterum in iis, quae mala poenae vocantur, eatenus agendae gratiae, quatenus et illa nobis bona sunt et salutaria. Sic enim amplectenda sunt loco divini beneficii. Unde praeceptum hoc Graeci atque Latini interpretes ita exponunt: *In omnibus,* tam adversis quam prosperis, *Deo gratias agite.* Sed quia praecipua bona nostra sunt ea, quibus Deo placemus, id est, virtutes et earum actus; idcirco vel maxime de iis omnibus, ex Apostoli praecepto, gratiae sunt agendae; prout eundem hunc locum explicat Ambrosianus commentator. Hinc ergo, certissimo argumento, colligitur, Deum omnis boni in nobis auctorem esse; nam gratias agere Deo pro bonis, quae te non putes ab eo accepisse, non esset Deo gratias agere, sed Deum irridere, ait S. Augustinus. Simile praeceptum est ac similiter a nobis expositum Eph. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus.* Estque hoc hominis vere Christiani, in omnibus Deo gratias agere.

Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. Graeca et Syra sine universali signo legunt, *ad vos,* sive, *erga vos.* Ambrosianus quoque signum non addit. Quidam causalem hanc pericopen referunt ad id solum, quod proxime praecessit, hoc sensu: Moneo, ut in omnibus gratias agatis; quia Dei voluntas est, Deoque vehementer acceptum, ut grati sitis erga ipsum, a quo tam innumera beneficia accepistis. Verum nihil prohibet, imo convenientius est, ut referatur haec pars etiam ad caetera praecepta praecedentia, quasi dicat Apostolus: Haec non mea, sed Dei praecepta sunt; nam Dei voluntas est, Christo docente tradita, ut vos haec faciatis. Voluntatem igitur intellexit praeceptivam; quam et superiori capite, dicens: *haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

19. *Spiritum nolite extinguere.* Rursus quaedam praecepta subjicit, quae magis ad ecclesiae praefectos specialiter, quam ad universam plebem pertineant. Quod praecipit de spiritu non extinguendo, Augustinus epist. 23. ad Bonifacium sic intelligit: Spiritum sanctum ne extinguite, quantum in vobis est. Nam ille extingui non potest; sed extinctores ejus merito dicuntur, qui sic agunt, ut extinctum velint. Adducit autem locum similem ex epist. Cypriani de lapsis, ubi dicit, infantes ad idola a parentibus attractos, amisisse quod in baptismo acceperant. *Amiserunt,* inquit Augustinus, quantum attinebat ad scelus parentum: cum gratia baptismi parvulis nihil peccantibus non posset auferri.

Chrysostomus autem et alii plerique, per Spiritum sanctum metonymice charismata ejus accipiunt, id est, ea Spiritus sancti dona, quae dantur ad aliorum utilitatem; cujusmodi multa ab Apostolo enumerantur 1 Cor. 12. Qui commentarius haud dubie congruit cum iis, quae sequuntur. Respicit autem Apostolus praecipue ad ea dona, quorum usus erat in conventibus fidelium; ut sensus sit: Nolite prohibere, quo minus quisque proferat in medium id, quod a Spiritu sancto accepit; sive ut linguis loquatur, sive ut eas interpretetur, sive ut annuntiet occulta mysteria, sive ut scripturas exponat;

haec enim prohibere, esset Spiritum sanctum in donis suis extinguere.

Sed et illi Spiritum sanctum extinguunt, qui miracula, quae etiam hodie sancti Spiritus operatione multis in locis fiunt, obscurare conantur; aut, quod pejus est, ea daemonum praestigiis adscribunt, quae sicut olim scribarum et pharisaeorum calumnia fuit adversus Christum; ita nunc est haereticorum adversus ecclesiam Christi.

Porro non sentit Apostolus, permittendum esse omnibus inspirationem aliquam habentibus, indiscrete et confuse loqui in ecclesia; sed ut haec agantur ordinate ex eorum judicio, qui praesunt: quemadmodum ipse late praecipit 1 Cor. 14., ita tandem concludens: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.*

20. *Prophetias nolite spernere. Prophetias* in genere vocat sermones, quibus ex inspiratione divina proferebantur occulta quaedam; sive ea essent res futurae, sive scripturarum sensus, sive alia quaecunque latentia mysteria. Sic enim generaliter accipi donum prophetiae apud Apostolum, ostendimus ad illud 1 Cor. 14. *Magis autem ut prophetetis.* Igitur hujusmodi sermones si a fratribus in medium adferantur, non vult in universum contemni et abjici, ne spiritus extinguatur. Adversus hoc praeceptum peccant et illi, qui revelationes privatas, quibuscunque hominibus factae legantur, toto genere spernunt atque rejiciunt. Etenim haec omnia prudenter examinanda sunt, ut sciatur, quid tenendum, quid rejiciendum. Unde sequitur:

21. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Hoc est: Omnia, quae dicuntur a fratribus tanquam prophetantibus, diligenter expendite, discutite et dijudicate, qualia sint: et quicquid inveneritis bonum sanaeque doctrinae consentaneum, id retinete. Hac Apostoli sententia dupliciter abutuntur haeretici; et quoad res, et quoad personas. Volunt enim omnia sacrosanctae fidei dogmata revocari ad examen, etiam ea, quae jam olim ab ecclesia definita sunt. Item volunt omnes fideles esse earum controversiarum judices; ad quos nimirum probandi, id est, examinandi ac dijudicandi munus pertineat. Utrumque certe absurdissimum, nec alio tendens, quam ut in doctrina fidei nihil unquam certi sit, dum omnia omnium examini et judicio semper relinquuntur. Nec ullo modo tantae absurditati favet hoc Apostoli praeceptum: *Omnia probate.* Non enim de omnibus omnino hoc dicit, sed de iis, quae nova proferebantur a fratribus, et probata nondum erant; haec enim dijudicari oportebat, secundum id, quod idem Apostolus praecipit Corinthiis, dicens: *Prophetae duo aut tres dicant; et caeteri dijudicent* 1 Cor. 14. Ea vero, quae ab ipso caeterisque Apostolis tradita erant ecclesiis, non dijudicari vult, sed teneri; ut in 2. ad eosdem Thessal. epist. cap. 2. *Tenete,* inquit, *traditiones, quas didicistis,* et 1 Cor. 11. *Laudo vos, quod sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.*

Porro quae dijudicanda et probanda adhuc occurrebant, ea non ab omnibus probari praecipit, sed a praefectis; ad quos id officii spectabat. Jam enim dictum est, haec praecepta, quorum istud tertium est, ut et superiora nonnulla, potissimum ad eos, qui praesunt, dirigi. Sicut enim in Apostolicis literis alia dominis, maritis, parentibus; alia servis, uxoribus, filiis praecipiuntur; sic alia praefectis, alia plebi fidelium. Quod qui non observat, necesse est, ut omnium officia confundat.

Si quis tamen hoc praeceptum, quo jubemur omnia probare, malit intelligere de probatione, seu judicio discretionis, quemadmodum et illud paulo ante citatum: *Caeteri dijudicent;* ei non admodum refragabimur, modo fateatur, etiam hoc judicium non omnium esse, sed paucorum; utpote eorum, qui, ut Apostolus loquitur Hebr. 5., *pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali;* quique praediti sunt dono discretionis spirituum, de quo 1 Cor. 12. Denique, qui spirituales sunt, non animales, nam *animalis homo non percipit*

ea, quae sunt spiritus Dei; spiritualis autem judicat omnia. 1 Cor. 2. Dummodo etiam fateatur, hujusmodi judicium submitti oportere judicio ejus, qui publicam habet ejus rei auctoritatem; quales in ecclesia sunt episcopi, atque imprimis Romanus pontifex.

Quare si quis contendat omnibus fidelibus dictum, ut omnia probent; id profecto non aliter iis competet, quam quatenus sciunt, audiendam sibi esse vocem sui pastoris et manendum in eo, quod acceperunt ab initio, et tenendum, quod tenet Ecclesia, atque ex his principiis judicant de unoquoque dogmate proposito. Si quid autem novum ac dubium exoritur, non praesumunt privato examinare judicio, sed ad pastores et praelatos Ecclesiae examinandum ac judicandum remittunt. Conferatur hic locus cum eo, quod praecipit Joan. 1. Epist. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Sunt enim praecepta similia ac similiter intelligenda.

Ex quo quidem intellectu jam id etiam liquet, quam inepte ejusmodi Scripturae loca detorqueant haeretici ad perniciosam illam licentiam, qua volunt omnium librorum lectionem omnibus esse permissam. Nam libri, quos ut haereticos aut alioqui noxios Ecclesia damnavit, non amplius probandi, id est, examinandi sunt, sed fugiendi. Qui vero probandi adhuc restant, non ab omnibus sunt probandi, sed ab iis, quibus id munus ex ordinaria aut delegata potestate competit. Disseruimus eo de argumento tribus orationibus panegyricis.

22. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Potest etiam verti in genitivo: *Ab omni specie mali,* quomodo reddidit Oecumenii interpres et alii nonnulli. Praeceptum generale est, quo monet, ne quis agat, quod mali, id est peccati, speciem prae se ferat, etiamsi per se malum non sit. Hoc autem praeceptum est cavendi scandali, quo nimirum proximis occasio peccandi praebetur. Neque necesse est hanc partem interpretari, quod quidam faciunt, ut connexionem habeat cum iis, quae proxime praecedunt. Nam potius videtur Apostolus refricare memoriam ejus, quod praecepit capite superiori: *ut honeste ambulent ad eos, qui foris sunt.* Maxima enim cura erat Apostolis, ne quid committerent fideles, per quod religio Christiana apud infideles male audiret.

23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia.* Clausurus Epistolam precatur eis a Deo pacem et sanctitatem; pacem quidem tacite in eo, quod dicit: *Deus pacis,* scilicet auctor: sanctitatem vero, id est, vitae puritatem, expresse, cum ait: *Sanctificet vos per omnia.* Cum enim utrumque praecepisset in superioribus, alterum hoc capite: *pacem habete,* alterum capite praecedenti: *haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra,* nunc utrumque eis exoptat a Deo, nempe ut ostendat, non posse a nobis impleri Dei praecepta, nisi Deus ipse dederit. Porro quod noster interpres vertit: *per omnia,* Graece est ὁλοτελεῖς, quasi dicas: totaliter atque omni parte perfectos, pro quo textus Ambrosianus habet: *per omnia perfectos,* quemadmodum et legit Hieronymus hunc locum citans in Epistola 150. ad Hedibiam q. 12. Plerique uno simplici vocabulo vertunt: *Sanctificet vos totos.* Significatur enim totum quoddam in partes distribuendum, quae distributio sequitur:

Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Graece: *et integer vester spiritus* etc. Illud autem: *sine querela,* pro quo Graece est *irreprehensibiliter,* ab Erasmo sic explicate redditur: *ita ut in nullo possitis culpari. In adventu,* dixit pro *in adventum.* Vide comment. ad illud 1 Cor. 1. *In die adventus* etc. Cum autem manifeste distinguat Apostolus haec tria: spiritum, animam et corpus; non tamen inter omnes convenit, quod sit inter spiritum et animam discrimen. Qua de re videre est Theophylactum et alios, ac nominatim Hieronymum q. 11. ad Hedib., ubi hunc locum tractat. Maxime proba-

bile est, ut per spiritum intelligatur rationalis pars animae; per animam vero, pars ejusdem sensitiva, qua communicamus cum brutis animantibus. Sic enim ea recte distinguuntur etiam in Cantico trium puerorum, ubi dicitur: *Benedicite spiritus et animae justorum Domino.* In quem locum vide Annot. nostras et comment. ad 1 Cor. 5. Utrum autem ea duo re ipsa, an vero, quod magis receptum est, sola ratione distinguantur, Philosophi disputant. Confer B. Thomam hic et in cap. 4. ad Hebr.

Igitur hujus loci sensus est ejusmodi. Precor, ut Deus pacis vos totos ac per omnia sanctificet, id est, spiritu, anima et corpore mundos constituat, utque integre et omni ex parte haec omnia non modo coram Deo immaculata, verum etiam coram hominibus irreprehensa serventur, et servata inveniantur in adventu Domini, quando reddet unicuique secundum opera sua. Idcirco autem Apostolus ita studiose partes hominis recenset, ne quis existimaret, satis esse, si corporis mundities conservetur; cum imprimis necessarium sit, tam superiorem animae partem quam inferiorem, id est, mentem, voluntatem, sensus ipsos internos atque externos ab omni sorde peccati puros custodiri. Credibile est, dum nominat *corpus,* iterum tacite hortari ad castitatem servandam.

24. *Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam faciet.* Id est, Deus, qui vocavit vos in societatem filii sui, sicut dicitur 1 Cor. 1.: vocavit, inquam, per Evangelium, donando fidem et justitiam; verax et fidelis est in promissis, qui proinde etiam faciet, ut immaculati inveniamini in adventu Domini. Hoc est: Idem ipse dabit perseverantiam, hanc enim omnibus electis promisit, in quorum numero vos esse confido. Similis est locus 1 Cor. 1. *Qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis* etc.

25. *Fratres, orate pro nobis.* Quid cupiat orationibus fratrum sibi impetrari, declarat in 2. Epist. dicens: *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur* etc. Porro si recte et citra Christi mediatoris injuriam, Paulus petit a Thessalonicensibus, ut pro se orent: igitur mera calumnia est haereticorum, dicentium, Catholicos injuriam facere Christo, dum Sanctos cum eo regnantes invocant totidem verbis: *Orate pro nobis.*

26. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* Similis salutatio in Epist. ad Rom. et utraque ad Cor. Inde sensus repetatur.

27. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola haec omnibus sanctis fratribus.* Scilicet iis, qui apud vos sunt. Fit haec adjuratio ad solos praefectos, quos sacrosancte obtestatur, ut curent legi Epistolam omnibus fidelibus, tanquam in re valde necessaria: scilicet propter quosdam fratres inordinate viventes, de quibus plura in 2. Epist., quos omnino volebat conscios esse eorum, quae scribebat, ut corrigerentur. Haec autem adjuratio non aliud est, quam sacra maximeque seria obtestatio, qua nimirum assumpto Christi nomine a praefectis postulat, ut Epistolam omnibus fratribus legendam curent.

28. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum, Amen.* Concludit Epistolam consueta valedicendi forma, qua Christi gratiam iis precatur, eo nomine comprehendens omne genus beneficiorum, quae nobis a Deo per Christum donantur. Graeci codices hanc addunt subscriptionem: Ad Thessalonicenses prima, scripta ex Athenis. Verum de ea re satis dictum in argum. Epist.

IN EPISTOLAM SECUNDAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD THESSALONICENSES
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Secundae ad Thessalonicenses Epistolae scribendae plures causae fuerunt. Cum enim revisere eos Paulus statuisset atque ejus rei spem fecisset, in priori Epistola cap. 3. dicens se Deum orare, ut rursus videat faciem eorum, et compleat ea, quae desunt ipsorum fidei: variis tamen negotiis ac forte etiam periculis impeditus et prohibitus, ad eos non rediit. Quare per Epistolam id nunc facit, quod praesens facturus fuerat. Primum igitur animos eorum confirmat in adversis, quae pro Christi nomine tolerabant; ostendens, quanta et ipsos gloria et adversarios vindicta secutura sit. Idque agit primo capite.

Deinde, quoniam in superiori Epistola de resurrectione mortuorum et adventu Christi ita locutus videbatur, quasi brevi futura essent, dicens in prima persona: *Nos, qui vivimus, qui residui sumus* etc., admonens quoque Thessalonicenses, ut ad illum diem vigilarent, ne eos ex improviso opprimeret, turbati hinc erant, suspicantes diem Domini jam instare. Quam opinionem insuper augebant rumores temere sparsi de eadem re. Hunc igitur errorem corrigit secundo capite, docens non prius Christum adventurum, quam apparuerit Antichristus, illius adventu destruendus.

Postremo, cum intellexisset, nondum emendatos esse eos, quos in Epistola priori notaverat ut otiosos et inquietos, nunc eosdem acrius et pluribus verbis castigat, excommunicandos denuntians ni resipiscant. Hanc Epistolam inter Paulinas ordine temporis secundam esse, utpote proxime scriptam post priorem ad Thessalonicenses, recte censent eruditi. De loco minus inter eos convenit.

Athenis scriptam significat hypographe Graecorum codicum, sed hoc ex iis, quae in argumento prioris Epistolae diximus, facile refellitur. Nam si priorem scripsit, postquam Athenis discesserat, quo postea non est reversus, certe non potuit posteriorem in ea urbe scripsisse. Qui vero Romae scriptam tradunt, ut Athanasius in Synopsi et Oecumenius in commentario, nimium distrahunt eam a priori, cum ex connexione argumenti et iisdem personis in fronte Epistolae nominatis satis

constet, hanc post illam brevi temporis intervallo scriptam esse.

Quare verisimilius putamus cum Cardinale Baronio, hanc quoque, sicut priorem, e Corintho, ubi Paulus teste Luc. Act. 18. sesquianno resedit, missam fuisse. Per quos autem missa fuerit, incertum est. Argumenta quidem Latina Titum Diaconum et Onesimum acolytum nominant: verum si scripta est Epistola priusquam Paulus Romam veniret, ubi in vinculis Onesimum Christo genuit: nulla ratio est, cur per eum missa dicatur.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, et Sylvanus, et Timotheus [1]), Ecclesiae Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas [2]) uniuscujusque vestrum in invicem: 4. ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei [3]), pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis [4]), 5. in exemplum justi judicii Dei [5]), ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini; 6. si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant [6]): 7. et vobis, qui tribulamini, requiem [7]) nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo cum Angelis [8]) virtutis ejus, 8. in flamma ignis [9]) dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, 9. qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus [10]): 10. cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. 11. In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster [11]), et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute [12]), ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis [13]), et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.

---

[1]) Act. 18, 5. 1 Thess. 1, 1.—13. 2 Cor. 1, 19. [2]) 1 Thess. 1, 2. 3. [3]) 1 Thess. 1, 7. 8. [4]) Matth. 5, 12. Act. 17, 5. Rom. 8, 17.—23. [5]) Phil. 1, 28. [6]) Luc. 18, 7. seq. 1 Cor. 3, 17. 1 Petr. 2, 23. Apoc. 18, 6. 7. [7]) Matth. 5, 11. 12. [8]) Matth. 25, 31. 1 Thess. 4, 16. [9]) 2 Petr. 3, 7. [10]) Matth. 25, 41. 7, 23. [11]) Cap. 2, 16. 17. [12]) 1 Thess. 3, 12. 13. [13]) 1 Petr. 1, 7.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Deo gratias agit pro fide et constantia Thessalonicensium: addens, eos merito patientiae accepturos praemium, persecutores autem poenas daturos, in adventu Domini.

1. *Paulus, et Silvanus, et Timotheus Ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Eadem plane epigraphe cum ea, quam posuit in priori Epistola: nisi quod hic dicat: *In Deo Patre nostro,* cum illic absolute dixerit: *In Deo Patre.* Nunc enim addens *nostro,* significat Deum, qui Christi pater est, ut filii naturalis, etiam nostrum esse patrem ut filiorum adoptionis: per hoc innuere volens dignitatem vocationis nostrae, qua vocati sumus in societatem et fraternitatem filii Dei.

2. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* De hac imprecatione, quae Paulo omnino familiaris est, satis dictum in praecedentibus Epistolis, in quibus ferme omnibus habetur.

3. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis fratres.* Dum agnoscit debitum gratiarum actionis: ostendit ea bona, quae consequenter enumerat, illius esse beneficia, cui gratias deberi profitetur. Adverbium *semper,* non verbum *debemus,* sed *gratias agere,* determinat: id quod ex aliis Epistolis satis liquet. *Gratias agimus,* inquit, in 1 Thess. 1. *Deo semper pro omnibus vobis.* Et sane plus est debere semper gratias agere, quam semper debere gratias agere. Plus, inquam, est debere perpetuam gratiarum actionem, quam perpetuo eam debere. Caeterum, quo sensu semper agendae sint Deo gratiae, dictum est alibi. *Semper,* id est, assidue, quam frequentissime.

Ita ut dignum est. Non est sensus, pro dignitate benefactoris, aut pro magnitudine beneficiorum, quasi his ex aequo respondere debeat nostra gratiarum actio, quod est impossibile: sed est sensus: uti par est, uti postulat a nobis ratio justitiae erga Deum. Explicat enim, quod dixerat: *Debemus.* Ex hoc loco sumptum videtur, quod sacerdos ad altare canit: *Gratias agamus Domino Deo nostro:* quodque ei respondetur: *Dignum et justum est:* et quod ille vicissim et cum repetitione respondet, dicens: *Vere dignum et justum est, nos tibi semper et ubique gratias agere.*

Quoniam supercrescit fides vestra. Id est, quod fides vestra vehementer augetur, quod in fide plurimum proficitis. Augmentum seu profectum intelligit secundum intensionem ac fervorem: cujus indicium erat, quod persecutionibus fidei causa commotis non cederent, uti commemorat in sequentibus.

Et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem. Graeci et Syri addito signo universali legunt: *Uniuscujusque omnium vestrum.* Eadem lectio est textus Ambrosiani, et quorundam codicum Latinorum. Sensus est: Et quod vestrum omnium charitas cujusque in alterum exuberat: nimirum declarata quotidianis et frequentibus beneficiis, quae vobis mutuo impenditis. Observandum, quod cum in priori epistola fidem et charitatem Thessalonicensium laudasset: nunc praedicat utriusque incrementa, sed ita ut totum utrobique Deo referat acceptum per gratiarum actionem. Quod idem nobis esse faciendum in omni bono opere, quod facimus, bene et christiane admonet Theophylactus.

4. *Ita, ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei.* Hoc est, ut nos ipsi de vobis gloriemur apud alias Ecclesias Dei: vestro exemplo cohortantes caeteros: idque non solum commemoratione vestrae fidei et charitatis crescentis in dies, verum etiam patientiae fide subnixae, de qua sequitur:

Pro patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus. Materiam gloriationis significat. Ita ut gloriemur, inquit, de tolerantia et fide vestra, quam monstratis patienter et fortiter ferendo persecutiones et afflictiones Evangelii causa vobis illatas. Patien-

tiae fidem adjungit, eo quod fide Christi ac spe futurorum bonorum ad ferendas persecutiones animati fuerant Thessalonicenses. Quam fidei efficaciam ad ferenda fortiter quaeque adversa multis sanctorum exemplis late comprobat idem Apostolus Heb. 11.

5. *Quas sustinetis, in exemplum justi judicii Dei.* Graece sine praepositione legitur hoc modo: *Quas sustinetis, exemplum,* seu potius indicium, documentum, *justi judicii Dei.* Nam Graeca vox ἔνδειγμα proprie significat ostensionem. Nec liquet in Graeco textu, sitne nominativi casus, et appositive referatur ad personas; an vero casus accusativi, ut referatur ad tribulationes. Nam et ipsi Thessalonicenses adversa sustinentes, intelligi possunt esse exemplum justi judicii Dei: et nihilominus ipsae adversitates, quas sustinebant, recte ejusmodi exemplum intelliguntur. Priori modo construitur a fronte verbi *sustinetis:* posteriori, cum relativo *quas* appositive jungitur. Utrumque recipit etiam nostra versio. Nam quod dicit: *In exemplum,* perinde est, atque si diceretur, velut exemplum; hoc autem tam ad personas, quam ad passiones referri potest. Cum nostra lectione consentit Ambrosianus, nec non editio Syriaca, quae legit: Ad ostensionem.

Porro alii post verbum *sustinetis,* punctum faciunt: deinde, quod sequitur, separatim legunt: *Exemplum* seu documentum *justi judicii Dei:* quasi dicat Apostolus, ea res, quam dixi, certum est argumentum et indicium justi judicii Dei. Atque haec distinctio Graecorum est. Omnis tamen haec varietas facile ad unum eundemque sensum aptari potest.

Sed jam quaeritur, quid sentiat Apostolus, cum dicit, ea quae Thessalonicenses patiebantur, aut ipsos talia patientes, esse exemplum, ostensionem, probationem justi judicii Dei. Graeci quidem mentem Apostoli sic explicant: Quas afflictiones sustinetis, ut demonstretur justum Dei judicium. Quando enim vos afflictos coronat, illos autem, qui vos afflixerint, punit: justitia ejus apparet. Ita Theophylactus. Huic expositioni respondere videntur ea, quae continuo sequuntur de remuneratione bonorum et punitione malorum.

Verum obstat, quod illa Dei justitia, qua in futuro saeculo coronabit eos, qui hic injuste fuerint afflicti, et puniet eos, qui afflixerunt: nullo modo demonstrari videtur hominibus ex eo, quod Thessalonicenses ab adversariis affligebantur. Nam ex oppressione bonorum et prosperitate malorum in hoc saeculo magis tentari solent homines ad negandam Dei justitiam et providentiam erga genus humanum, ut patet ex Psalm. 72. Jer. 12. Hab. 1. et aliis Scripturae locis.

Quocirca alii, verba Apostoli simpliciter, ut sonant, accipientes, in hunc sensum ea interpretantur: Quod vos, qui cultores Dei estis, sustinetis persecutiones et tribulationes; argumentum est justi judicii Dei, quod aliquando exercebit in impios. Nam qui bonis non parcit in hoc saeculo, cogitandum utique relinquit, qua severitate malos plectet in futuro judicio. Sensum hunc perspicue tradunt Anselmus, Thomas et glossa ordinaria: velut pro commentario adducentes locum persimilem ex Apostolo Petro, qui in epist. 1. cap. 4., cum de Christianorum persecutionibus ageret, ita subjecit: *Quoniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?*

In hanc sententiam etiam Augustinus locum praesentem accepit libro exposit. inchoatae super epist. ad Rom., tractans illud cap. 1. *Gratia vobis et pax,* ubi tum ex hoc loco, tum ex aliis Scripturae testimoniis et exemplis, inter quae refert etiam memorata verba B. Petri, late docet, justitiae divinae tantam esse constantiam, ut cum poena spiritualis et sempiterna poenitenti fuerit relaxata, pressurae tamen, cruciatusque corporales, quibus etiam martyres exercitatos novimus, postremo etiam mors ipsa, quam peccando

meruit nostra natura, nulli relaxetur. Quod enim, inquit, etiam justi homines et pii tamen exsolvunt ista supplicia, de justo Dei judicio venire credendum est. Quin et Beda in commentario, recitatis utriusque Apostoli verbis, ex alio quodam Augustini loco, qui est lib. 22. contra Faustum cap. 2., ita subjungit: Hinc etiam intelligitur, quomodo non parcatur impiis, tanquam sarmentis praecisis ad combustionem; quando justis non parcitur propter perficiendam purgationem. Eundem Augustinum vide lib. 13. de civit. cap. 5. et 6. et in explanatione Psalm. 118. super illud: *Omnes viae tuae veritas.* Item Prosperum ad eundem Psalmi versiculum, et sententia 148. His adde, quod justum Dei judicium in Scripturis ferme non aliter accipitur, quam pro judicio puniente peccata sive justorum, sive injustorum.

Praeterea, non parum aedificat hic intellectus, quo admonentur isti in afflictione positi, ne putent se immerito pati, sed humiliter et veraciter agnoscant, in eo quod injuste ab hominibus patiuntur, se juste pro peccatis suis a Deo castigari; juxta illud Heb. 12. *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Denique sensui huic probe quadrant sequentia Apostoli verba, uti mox apparebit.

Interim notandum, ex hoc loco sic intellecto manifeste refelli haeresim Calvini ac caeterorum nostri temporis sectariorum, qua communiter docent, esse contra divinae justitiae rationem, ut post remissionem poenae aeternae remaneat adhuc luenda poena temporalis; quasi non posset Deus remissa poena principali, juste reservare aliquid ab eo, qui peccavit, solvendum; praesertim si cessurum sit in ipsius solventis utilitatem et salutem, quemadmodum de Thessalonicensibus ostendunt verba, quae sequuntur.

Ut digni habeamini regno Dei. Potest etiam verti, *ut digni sitis;* aut: *ut digni reddamini regno Dei.* Quas, inquit, afflictiones in argumentum justi judicii Dei sustinetis, eo fine et fructu, ut per eas repurgati atque mundati, tanquam aurum in camino probationis, efficiamini digni regno Dei, in quod nihil intrat, quod non omni ex parte purum et mundum sit. Nam coelestis illius civitatis omnes lapides sunt velut aurum mundum. Apoc. 21. Monstrat hic locus contra haereticos, vitam aeternam, quae in regno Dei intelligitur, non ita gratiae Dei tribuendam esse, ut non etiam dignitati et meritis hominum a gratia Dei profectis retribuatur. Non sentit autem Apostolus, justos non prius esse dignos regno Dei, quam perfecte mundati fuerint ab omni vitio ac debito poenae: sed quo magis purgantur, eo magis effici dignos, neque prius in regnum admittendos, quam plene, perfecteque purgati fuerint.

Pro quo et patimini. Sensus duplex occurrit. Unus est: Pro quo regno Dei consequendo tanta patimini; ut significetur praemium, quod spectant ii, qui patiuntur. Alter sensus: Propter quod Dei regnum a vobis creditum et speratum impii vos affligunt; ut significetur causa, quae movet impios ad persequendum pios. Ideo namque eos persequuntur, quia credunt in Christum, exspectantes ab eo coelestis regni societatem. Ita fideles dicuntur pro Christo pati et propter justitiam Matth. 5. et alibi. Uterque sensus probabilis est.

6. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant.* Respicit ad illud, quod dixit: *Ut digni habeamini regno Dei.* Quod ait: *Si tamen,* non dubitantis est, sed affirmantis: nam Graecum εἴπερ pro ἐπεῖπερ, id est, siquidem, quandoquidem, esse positum annotant Graeci. Ambrosianus quoque legit, *siquidem:* atque ita aliam literam habere S. Thomas admonet. Quanquam nihil prohibet, particulam εἴπερ, *si tamen,* consueta significatione accipi, sed ita, ut ex schemate sermonis vehementior existat affirmatio, dum quasi existimandum relinquitur id, de quo nefas sit dubitare; quemadmodum etiam a Graecis annotatum est. Talis sermo est Domini apud Mal. 1. *Si pater ego sum:*

ubi est honor meus? et si Dominus ego sum; ubi est timor meus? Significat ergo Apostolus, vel maxime justum esse apud Deum et proinde ab ejus justitia exspectandum, ut afflictiones et supplicia retribuat iis, qui pios affligunt. Verum id non statim, sed suo tempore; juxta responsum sanctis animabus datum in Apoc. cap. 6.

7. *Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum. Requiem,* Graece ἄνεσιν remissionem, relaxationem, scilicet a pressuris hujus mundi; quam Joannes vocat *requiem a laboribus.* Apoc. 14. Addit autem, *nobiscum,* id est, cum Apostolis Christi et ministris Evangelii; ut eo magis animet Thessalonicenses ad ferenda fortiter adversa pro Christo, tanquam certissime futuros remunerationis socios cum sanctis Apostolis, cum quibus fuerint participes afflictionis. Ubi rursum docemur, requiem futurae vitae pro opere patientiae reddi fidelibus ex justitia. Non tamen hinc sequitur, parem esse justitiam retribuentis vitam aeternam pro bonis operibus, et supplicium aeternum pro malis: quia tantum in generali ratione justi conjungit Apostolus haec duo, cum in specie multum differant. Malis enim operibus ex rei natura debetur aeternum supplicium: bonis autem vita aeterna, solummodo ex positiva Dei ordinatione. Nam Deus benefaciendo creaturae non fit ei debitor, nisi quatenus ipse liberaliter constituit ac promisit, praemium se daturum pro bono opere, quod dedit.

In revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus. Sensus est, ea, quae dicta sunt, tunc futura, quando Dominus noster Jesus, qui nunc ab hominum aspectu remotus est, revelabitur de coelo, id est, palam, omnibusque conspicuus apparebit, de coelo veniens cum angelis, virtutis seu potentiae suae administris, videlicet per eos separaturus malos a bonis, et suam exsecuturus adversus malos sententiam, ut habetur Matth. 13. et 24. et alibi. Tempus igitur significat, quo et bonis requies, et malis supplicium retribuendum sit. Loquitur autem de retributione universali et perfecta; quando non animae solae, sed homines anima et corpore constantes recipient a Christo judice plenam operum suorum mercedem. Unde nihil facit hic locus pro iis, qui beatitudinem sanctarum animarum, quae in Dei visione consistit, differri volunt usque ad diem extremi judicii. Nam ea ratione sequeretur, nec requiem iis tribuendam ante illud tempus: hanc enim nominat Apostolus. Sequeretur etiam, animas impiorum ante idem judicii tempus non cruciari apud inferos: similiter enim de malorum poenis et bonorum praemiis Apostolus loquitur.

8. *In flamma ignis.* Graece: *In igne flammae,* quemadmodum legit Ambrosianus: tametsi Theophylactus legisse videtur, uti nos habemus. *In flamma ignis.* Sensus est: Christum venturum cum igne flammeo, id est, urente simul et lucente, ut et horrorem, primo statim aspectu omnibus impiis inferat, et contactu eosdem cruciabiliter urat. Sermo est de igne conflagrationis, ut vocari solet, antecessuro Domini adventum atque judicium, cujus et alibi frequens est mentio, ut Psalm. 49. et 96., Jes. 66., Dan. 7., Joël. 2., 1 Cor. 3. ac praecipue 2 Petr. 3. De hujus ignis usu variisque effectibus, cujusmodi sunt, praecedere judicem, innovare mundum, purgare bonos, cruciare malos; accurate egimus ad dist. 47. lib. 4. Sent. et in comm. 1 Cor. 3. Hoc autem loco meminit ejus Apostolus peculiariter, tanquam ministri, quo divina justitia malos puniet, de qua punitione jam sequitur:

Dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum. Participium *dantis,* non ad genitivum *ignis* aut *flammae,* quod prima facie apparet, sed ad *Domini Jesu* referendum est, ut ex Graeco patet. Itaque sensus est: Christum Dominum de coelo venturum, qui per ignem illum flammeum infligat ultionem omnibus iis, qui Deum non noverunt, etiam quibus Christus est praedicatus. Nam et illis ignorantia Dei peccatum est, et non solum poena peccati, quia Dei notitia legis est naturae, a qua nemo ratione utens excusatur, ut

docetur Sap. 13. Quo etiam pertinet Psalmus ille Davidicus: *Coeli enarrant gloriam Dei* etc. Unde passim in Scripturis ira Dei denuntiatur adversus eos, qui Deum ignorant. *Effunde iram tuam,* inquit David, *in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt* Psalm. 78. Vide Augustinum lib. 2. quaest. Evang. q. 46., ubi tractans illud: *Sciebam, quia homo austerus es, metens, ubi non seminasti,* docet, eos, qui Deum ignorant, idcirco inexcusabiles esse, quod ex rebus creatis pervenire possint in notitiam creatoris, quodque praedicatores eorum sint coelum et terra. Similia docet lib. 10. confess. cap. 6. et lib. de gratia et lib. arb. cap. 3., ex quo loco Beda suum hujus loci commentarium desumpsit.

Et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Id est, qui non credunt Christi Evangelio sibi praedicato. Quae fides obedientiae nomine saepe significatur in Epistolis Paulinis eo, quod nemo credat mysteriis a Deo revelatis, nisi spontanea voluntatis inclinatione captivet intellectum suum in obsequium Christi, quod ad humilitatem et obedientiam pertinet. Et quidem hi, qui Evangelio audito non credunt, gravius peccant, ac proinde etiam gravius punientur, quam qui non audito Christi Evangelio Deum ignorant, quemadmodum Augustinus docet loco supra citato de gratia et lib. arb. Qui vero credunt quidem Evangelio, sed non vivunt, ut credunt; cum iis, qui non obediunt Evangelio, censebuntur in poenis, quia fidem factis negant.

9. *Qui poenas dabunt in interitu aeternas.* Graece: *Qui poenam luent, interitum aeternum.* Ambrosianus autem legit: *Qui poenas solvent in interitum.* Secundum Graecam lectionem appositio est, qua significatur, omnes supra dictos luituros poenam qualemcunque, sed eam, quae sit interitus aeternus. Sed quaeres, si interitus, quomodo aeternus? Quod enim interit, aeternum esse non potest. Respondeo sic interitum dici aeternum, sicut mortem aeternam, non qua illi, quibus accidit, esse desinant, sed qua semper et in aeternum sint miseri. Igitur et hic locus contra Origenistas ostendit, poenas impiorum aeternas fore.

A facie Domini et a gloria virtutis ejus. Graece: *fortitudinis ejus.* Significatur causa punitionis impiorum ex parte Christi Judicis; et sensus est: Christum Dominum venturum ad judicium ea forma, gloria, majestate et ostensione fortitudinis ac potententiae, ut sola ejus praesentia et conspectus, quam vocat faciem Domini, et potentia gloriosa ac palam mundo manifestata, sufficiat ad perdendum impios. Si enim daemones praesentiam Christi versantis in terris non sustinebant, quanto minus praesentiam ejus cum tanta majestate venientis ad judicium impii sustinere poterunt? Haec de poenis impiorum commemorare voluit Apostolus ad consolationem piorum, ad quam non solum pertinebat, ut scirent, quibus ipsi praemiis essent afficiendi, verum etiam quanta suos adversarios ultio esset consecutura, juxta illud Psalmi: *Laetabitur justus, cum viderit vindictam* Psalm. 57.

10. *Cum venerit glorificari in Sanctis suis.* Reflectit sermonem ad gloriam electorum, quae tempore non separabitur a vindicta impiorum. Simul explicat, quod proxime dixerat: *a gloria virtutis ejus.* Ea, quae dixi, inquit, tunc futura sunt, cum venerit Dominus, *ut glorificetur,* id est, gloriosus appareat *in Sanctis suis.* Quod nimirum fiet, dum eos ad gloriae suae similitudinem evehet, et membra capiti, hoc est, sibi ipsi, reddet conformia. Nam gloria capitis est sanitas et pulchritudo totius corporis, praesertim si fuerit a capite derivata.

Et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt. Graece ad verbum: *Et mirificari in omnibus credentibus,* id est, iis, qui nunc credunt. Nam in Domini adventu fidei locus non erit, quando res prius credita, praesens exhibebitur. Intelliguntur autem credentes cum affectu et operatione consentanea iis, quae credunt. Nam eosdem hic vocat credentes, quos prius sanctos. Sensus est: Et ut appareat

admirandus in fidelibus suis, dum eos, olim abjectos et miseros, usque ad miraculum claros et beatos efficiet. Metaphora quaedam est in verbo *mirificari* sive *admirabilis fieri.* Non enim proprie quisquam tunc mirabitur, quia causa non latebit, sed *mirificandus* dicitur Dominus propter excellentiam gloriae, qua sanctos suos donabit; quomodo solent homines admirari artificem propter operis praestantiam; unde et de impiis justorum gloriam conspecturis dicitur Sap. 5., quod *mirabuntur in subitatione insperatae salutis.*

Quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. Ambrosianus ita legit: *Quia fidem habuit testimonium nostrum* etc. Alii clarius ita reddunt: *Quia fides habita est testimonio nostro inter vos* vel *apud vos in die illo.* Nam Graeca praepositio ἐπὶ, accusativo juncta, sic etiam recte exponitur. Porro nonnulli particulam hanc extremam, *in die illo,* referunt non ad ea, quae proxime praecedunt, sed ad verba superiora: *glorificari* et *admirabilis fieri,* ut id, quod sequitur: *quia creditum est testimonium nostrum super vos,* parenthesi intercipiatur. Quod tamen haud putamus necessarium, neque consonum menti Apostoli: qui, quod generaliter de sanctis dixerat, nunc ad Thessalonicenses accommodat, ut connexio sermonis et sensus sit hujusmodi: in omnibus sanctis et credentibus, etiam vobis, quia testimonium nostrum, id est praedicatio nostra, fide suscepta est a vobis, cum spe retributionis in illo die percipiendae, vel a vobis respicientibus ad illum diem, scilicet adventus Domini, de quo dixi: *Cum venerit* etc. Doctrinam evangelicam *testimonium* vocat, quia sincerus Evangelii praedicator non sui capitis inventa, sed visu vel auditu divinitus accepta, tanquam testis fidelis, tradere ac docere debet. Unde Christus Apostolos testes suos esse praecipit Luc. ult. et Act. 1. et de iis dicitur, quod *magna virtute reddebant testimonium resurrectionis Christi* Act. 4.

11. *In quo etiam oramus semper pro vobis.* Graece: *In quod* vel *ad quod;* neque enim potest ad diem referri, quia genus discrepat, sed referendum ad ea, quae dixit de gloria Sanctorum, in quibus etiam Thessalonicenses comprehendit; ut sensus sit: Ad quam rem, scilicet ut etiam in vobis Christus, cum venerit, glorificetur et admirabilis fiat, nos Deum assidue pro vobis oramus, id petentes, quod sequitur:

Ut dignetur vos vocatione sua Deus noster. In Graeco non additur *sua,* sed articulus est, cujus vim alii reddentes, ita vertunt: *Ut vos dignos habeat ista vocatione Deus noster,* tametsi sensus eodem recidit, nam non alia quam Dei vocatio intelligitur. Sed quae vocatio? Non enim intelligi potest vocatio ad fidem, jam enim fideles erant Thessalonicenses, et proinde ad fidem vocati non quomodocunque, sed efficaciter.

Sunt, qui vocationem intelligant eam, qua Christus electos suos vocaturus est illis verbis: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum* etc. Quod ut non male dicatur, tamen probabilius est significari vocationem ad fidei sanctaeque conversationis perseverantiam, quae in termino hujus vitae completur. Quae quidem est efficax vocatio ad regnum et gloriam Sanctorum, de qua in praecedentibus locutus est, de qua dicitur in Apoc. 19. *Beati, qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt.*

Ex hoc loco doceri potest, eos, qui vocati sunt ad fidem, non statim certos esse de vocatione ad gloriam, quemadmodum interpretes Graeci recte declarant exemplo quinque virginum fatuarum, et ejus, qui convivium erat ingressus sine veste nuptiali Matth. 22. et 25., illud quoque sciendum, vocationem hanc non eandem esse cum electione, sed potius effectum electionis. Quos enim ab aeterno Deus elegit ad gloriam, eis in tempore dat sanctae fidei perseverantiam, in qua consistere diximus hujus loci vocationem.

Non tamen hinc colligas, homines per opera dignos effici hac vocatione, quoniam

dicit: *Ut dignetur vos vocatione* etc.; nam perseverantia non cadit sub meritum: sed dicitur Deus dignari nos vocatione sua, quia per gratiam suam nos vocat, licet alioqui indignos seu non promeritos perseverantiam. Significatio enim est liberalitatis in dante, non dignitatis in accipiente. Quomodo dicere solemus: Ille vir tantus me dignatus est mensa aut colloquio. Porro sensum praedictum, a plerisque traditum, confirmant etiam sequentia:

Et impleat omnem voluntatem bonitatis. Voluntatem Graece εὐδοκίαν, pro qua noster interpres nunc *bonam voluntatem*, nunc *beneplacitum,* nunc *propositum* vertit. De qua voce plenius egimus ad illud Eph. 1. *Secundum propositum voluntatis suae.* Nam utitur ea passim Apostolus ad significandum aeternum Dei propositum erga eos, quos vult ad salutem perducere, quam uno vocabulo dicimus electionem seu praedestinationem. Itaque sensus est: Et ut compleat aeternum beneplacitum bonitatis suae, qua vos elegit ad consortium gloriae Christi. Completur illud in hac vita maxime per donum perseverantiae. Loquitur autem Apostolus ex bona fiducia de Thessalonicensibus, ut electis a Deo.

Et opus fidei in virtute. Subaudi *impleat.* Sensus autem est: Et ut in vobis perficiat, et ad finem perducat *opus fidei,* id est, patientiam in adversis, per quam maxime fidei virtus relucet, et de qua sermo fuit in superioribus. Idque faciat *in virtute* seu potentia, id est, potenter. Nam potentia gratiae Dei maxime perspicitur in tolerandis adversis pro Christi nomine. De hoc opere fidei Jacobus Apostolus ita scribit cap. 1. suae Epistolae: *Scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habeat.*

12. *Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis. Clarificetur,* Graece *glorificetur,* quomodo paulo ante vertit interpres, ut qui haec duo pro iisdem soleat habere. Declarat Apostolus causam finalem tam orationis suae quam eorum, quae petit oratione; haec, inquit, peto vobis a Deo praestari, ut in vobis et per vos Christus Dominus noster laudetur et glorificetur etiam in hoc saeculo. Nam fides, amor et constantia servorum omnia pro domino suo tolerantium, ut dicere possint: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia?* magna profecto gloria Domini est. Ita locum hunc explicat Theophylactus. Sed plenior erit commentarius, si addas, ideo maxime in Christi gloriam redundare Thessalonicensium virtutes, quod earum ipse Christus sit auctor.

Et vos in illo. Finem secundarium adjungit, qui est, ut ipsi vicissim glorificentur in Christo, id est, per Christum; idque sive in hoc saeculo, sive, juxta aliorum expositionem, in futuro. Nam sicut servorum virtus gloria Domini est, ita e diverso dignitas et excellentia Domini servos efficit gloriosos, praesertim Christianos, quibus non in alio quam in Christo gloriari concessum est.

Secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi. Duo bona Thessalonicensium dixerat; alterum, quod in eis Christus clarificandus esset; alterum, quod ipsi in Christo. Ubi, ne quid sibi ipsis tribuant, extrema hac parte totum refert ad gratiam, id est, gratuitam beneficentiam Dei, tanquam largitoris, et Christi Domini, velut hoc nobis promeriti.

CAPUT SECUNDUM.

Rogamus autem vos fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostrae congregationis in ipsum [1]: 2. ut non cito moveamini

[1] I. Thess. 4, 13. seq.

a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam[1]), quasi instet dies Domini. 3. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis[2]), 4. qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus. 5. Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis[3])? 6. Et nunc, quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore. 7. Nam mysterium jam operatur iniquitatis[4]): tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui[5]), et destruet illustratione adventus sui eum: 9. cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, 10. et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt[6]), ut salvi fierent. 11. Ideo mittet illis Deus operationem erroris[7]), ut credant mendacio, 12. ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati[8]). 13. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias[9]) in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis: 14. in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi[10]). 15. Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram[11]). 16. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, 17. exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono[12]).

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Docet, non prius Christum venturum ad judicium, quam revelatus fuerit homo peccati: quem, postquam signis mendacibus multos seduxerit, Dominus interficiet. Hortatur, ut persistant in traditionibus acceptis.

1. *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi.* Aggreditur principalem hujus Epistolae materiam, de qua diximus in argumento. Suborta enim erat Thessalonicensibus opinio, partim ex verbis quibusdam Epistolae prioris, partim ex aliis causis hic indicatis, diem adventus Domini brevi adfuturum. Quae res animos illorum metu ac terrore non parum turbaverat. Hanc igitur eorum opinionem corrigit. Incipit autem ab obtestatione, quam sumit ex re praesenti, de qua et locutus jam erat, et adhuc locuturus. Quamvis enim Graeca

---

1) Cap. 3, 17. 2) Matth. 24. 4. seq. 1 Joan. 2. 18. 3) Act. 17, 1. 4) 1 Joan. 2, 18. 5) Jes. 11, 4. 6) Vers. 12. 13. 7) Rom. 1, 21. 22. 24. 25. 8) Joan. 3, 19. 20. 9) Ephes. 1, 4. 10) 1 Thess. 2, 12. 4, 17. 11) 1 Thess. 4, 1. 2 Tim. 3, 14. 12) Cap. 1, 11. 1 Thess. 3, 13. Eph. 3, 16.

sic verti possint: *De adventu Domini nostri* etc., plus tamen habet efficaciae forma obtestationis *per adventum Domini*, scilicet eum ipsum, quem verebantur ut terribilem. Totus autem hic locus refertur a S. Aug. De civit. Dei lib. 20. cap. 19.

Et nostrae congregationis in ipsum. Ambiguitas est in Graeco. Juxta nostram versionem hic repetenda esset dictio, *adventum*, a quo reguntur genitivi, *nostrae congregationis*. Sed sine dubio incommodus est hic sermo, *per adventum nostrae congregationis.* Quocirca melius alii per accusativum sic vertunt: *Et nostram congregationem;* vel *nostri aggregationem* seu *collectionem in ipsum;* ut ab eadem propositione ὑπὲρ regantur adventus et congregatio. *Et nostri congregationem in ipsum*, legit Hier. epist. 152. Est enim haec altera pars obtestationis, qua nimirum Thessalonicenses obsecrat per eam aggregationem, qua tum ipsi, tum caeteri electi, Christo veniente colligentur ad ipsum, ut ad caput suum; de qua dixit in superiori Epistola: *Simul rapiemur obviam Christo:* et de qua ipse Christus Luc. 17. *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.* Nam ad eam Domini sententiam hic allusisse Paulus videtur. Obsecrat autem non solum per adventum Domini, verum etiam per fidelium ad eum congregationem in adventu futuram, velut per rem summis votis exoptatam. Huic interpretationi consonat etiam Syriaca versio.

2. *Ut non cito moveamini a vestro sensu.* Graece, *a mente,* sive *intellectu;* nec additur pronomen. Alii pro *mente, sententiam* vertunt. Sed haec fere eadem sunt; nam sensus est: Ne cito dimoveamini a sententia seu doctrina, quam a nobis acceptam mente tenetis, scilicet de tempore adventus Domini. Respicit enim Apostolus ad ea, quae praesens docuerat Thessalonicenses, de quibus ait infra: *Num retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?* Est autem et hic subaudiendum, quod in fine periodi exprimit, *quasi instet dies Domini:* non autem supplendum, quod Erasmus supplet in paraphrasi, *si proferetur adventus Domini;* quasi sensus sit: Si videatis adventum Domini in longum differri, ne propterea fluctuetis animo haesitantes, num vera sint, quae de adventu Domini et glorificatione vestra futura a nobis accepistis. Hujusmodi quidem admonitionem videre est apud B. Petrum 2. Epist. 3. adversus eos, qui dicebant: *Ubi est promissio aut adventus ejus* etc.? Verum huic loco, ubi sermo est ad eos, qui contrario errore laborabant, putantes vicinum esse diem Domini, non quadrat ea admonitio.

Neque terreamini. Graece, *turbemini;* sive ut Ambrosianus legit, conturbemini. Sed haec turbatio ex errore erat, quem causabat opinio appropinquantis judicii. Igitur hic locus, docet cogitationem futuri judicii etiam piis incutere terrorem; non ob aliud sane, quam quia nemo scit, qualis ibi judicabitur, cum ipse etiam Apostolus de se dicat: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum* 1 Cor. 4. Unde judicium illud extremum ut tremendum ac terrore plenum nobis passim in Scripturis proponitur.

Neque per spiritum. Subaudi, *quasi divinum et propheticum:* nam ut in superiori Epistola monuit cap. 5., Spiritus quidem non extinguendus, neque prophetiae spernendae: sed omnia probanda. Unde et Joannes Apostolus praecipit 1 Joan. 4., *ne omni spiritui credamus, sed ut probemus spiritus, si ex Deo sint.* Hinc apparet, quosdam spiritu mendacii deceptos, annuntiasse Thessalonicensibus instantem Domini adventum. Quod verisimilius est, quam quod alii dicunt, impostores quosdam studio confinxisse prophetiam. Supponit enim Apostolus spiritum, veluti mox sermonem et epistolam; sed exigit discretionem, quis spiritus, cujus sermo, cujus epistola.

Neque per sermonem. Intellige quasi a nobis profectum: dicit enim sub finem capitis: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per*

epistolam nostram. Ubi *sermonem* intelligit suum, sicut *epistolam.* Quod ergo in parte sequenti additur, *tanquam per nos,* etiam huc referendum est. Erant enim, qui mentiebantur, se ex ore Pauli audivisse, quod instaret dies Domini.

Neque per epistolam tanquam per nos missam. In Graeco et Syriaco non additur, *missam;* sed interpres id adjecit explendae sententiae causa; pro quo alii *scriptam* addunt. Verum hae additiones nimium restringere videntur mentem Apostoli; cum nihil obstet, quo minus haec particula, *tanquam per nos,* etiam ad *sermonem,* referatur, uti dictum est. Quod ut commode fieri possit, Erasmus et Hentenius ita vertunt, *tanquam nobis auctoribus.* Potest et hoc modo: *tanquam a nobis profecta.* Ex hoc loco patet, fuisse nonnullos, qui etiam Epistolam proferrent velut jussu, aut nomine Pauli scriptam, ex qua probarent commentum suum de instante die Domini.

Atque hinc discimus, quam vetus sit impudentia, libris aut Epistolis suppositiis adscribendi magnorum auctorum nomina; ut proinde plusquam necessarium sit in Ecclesia judicium, quo discernantur libri sacri ab apocryphis, ac genuini ab adulterinis. Quod quidem judicium certum ac definitum non aliunde petendum est, quam ab iis, qui praesunt Ecclesiae Catholicae, quae columna et firmamentum est veritatis.

Quasi instet dies Domini. Graece: *dies Christi;* tametsi Theophylactus et Syrus interpres *Domini* legunt. Non sine causa Apostolus tam solicite studet opinionem instantis diei Domini fidelium mentibus eximere; ne videlicet hac opinione delusi, putarent, vanam et fabulosam esse promissionem adventus Dominici et suae glorificationis; et per hoc a fide Christiana recederent, quemadmodum Augustinus docet epist. 80. ad Hesychium.

3. *Ne quis vos seducat ullo modo. Seducat,* Graece *decipiat.* Non contentus aliquot modos deceptionis removisse, scilicet per spiritum, per sermonem, per epistolam; nunc simul omnes excludit, dicens: *Ne quis ullo modo vos decipiat,* scilicet persuadendo, Christum statim esse venturum. Vocat hanc Apostolus *deceptionem,* non propter simplicem falsitatem, sed quia fidelibus valde periculosus, uti jam declaratum est, futurus erat hic error. Ex quo intelligitur, quam male mereantur de religione Christiana, qui conjecturas nescio quas secuti, certum aliquod tempus venturi judicii audent designare.

Quoniam nisi venerit discessio primum. Sententiam hanc Apostolus, dum multis additis protrahit, suspensam et imperfectam reliquit: quae tamen facile suppletur, hoc modo: *Quoniam non veniet dies Domini, nisi primum venerit discessio* etc. Diem Domini nondum instare, ex eo docet, quod quaedam res non parvi temporis aut momenti, quae nondum acciderunt, praecedere illum debeant.

Porro totus hic locus propheticus est, ut proinde mirum non sit, si obscuritatem et difficultatem habeat, quae commentatores exerceat; praesertim cum ea praedicantur, quae nec hodie sunt impleta, nisi tantum aliqua ex parte; quemadmodum infra docebimus. Pro *discessione,* Graece est, ἀποστασία, quae vox *defectionem* significat; ut cum quis deficit ac recedit ab eo, cui subjectionem et obedientiam debebat. Atque ita legit Ambrosianus. Nam quod Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 19. legit: *Nisi venerit refuga primum,* quod Graece diceretur ἀποστάτης, in nullis, quod sciam, invenitur Graecis codicibus; tametsi illius lectionis in Latinis exemplaribus repertae etiam Sedulius meminerit.

Quaeritur ergo, quam ἀποστασίαν seu defectionem hic dicat Apostolus. Graeci interpretes eo nomine significari putant ipsum hominem, de quo consequenter loquitur, id est Antichristum, velut auctorem, ducem et principem defectionis cujusdam universalis hominum a Christo. Verum alii probabilius non personam, sed rem ipsam intelligunt, juxta propriam vocabuli significationem: et quidem eam

rem, quae personam, de qua deinceps agitur, praecedat. Id enim velle videtur Apostolus illo adverbio *primum*.

Dicessionem igitur multi interpretantur eam, qua omnes gentes Romanorum imperio subjectae ab eo recedant; Apostolum autem dicunt id exprimere noluisse, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat, aeternum fore suum imperium. Ita Hieronymus epist. 151. ad Algasiam q. 11. et Ambrosianus in comm. Quos utraque glossa tam ordinaria, quam interlinealis, et alii non pauci sequuntur, inter quos etiam Cajetanum numero.

Sed aliis non placet haec interpretatio: primum quoniam, uti testatur S. Thomas et Liranus, et res ipsa probat, jam olim a Romano imperio gentes, quotquot ei subjectae erant, desciverunt; solumque pene nomen imperii Romani hodie reliquum habemus; nec tamen venit Antichristus, quem venturum statim post apostasiam Apostolus significat. Deinde quia non ita terreno regno spirituale suum regnum, id est, Ecclesiam, Christus alligavit, ut illo florente ipsa floreret; et illo deficiente, deficeret, aut in angustias redigeretur. Nam Romani imperatores florente adhuc imperio Christi Ecclesiam vel maxime persecuti sunt; nec solum ethnici, verum etiam nonnulli Christianam fidem professi, atque in haeresim, vel schisma prolapsi; nec Graeci modo, verum etiam Latini. Quae res ex historiis notissima est.

Adde, quod a Prophetis praenuntiata est Ecclesia non in uno regno futura, sed diffundenda per omnes gentes, et per omnia regna terrarum, ut Psalm. 71. *Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.* Jes. 60. *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Denique nomen apostasiae in sacris literis magis sonat defectionem spiritualem, qualis est a fide et religione, quam politicam, qualis ab imperio terreno; quae etiam sine peccato contingere potest. Unde 1 Tim. 4. ubi dicitur, quod *in novissimis temporibus discedent quidam a fide;* rursus est Graecum verbum a quo derivatur ἀποστασία.

Rectius itaque, et sacris Scripturis convenientius sentire videntur, qui apostasiam hanc interpretantur defectionem a fide Catholica, eamque universalem: qua nimirum non tantum personae, quamvis multae, quod prioribus saeculis saepe accidit, sed etiam regna et provinciae omnes, aut pene omnes recedent ab Ecclesia Catholica, et ab obedientia ejus, quem suum in terris vicarium, suaeque Ecclesiae pastorem Christus constituit, hoc est, successoris B. Petri Apostoli, Romani Pontificis. Ita discessionem hanc intellexerunt Anselmus et Aquinas in commentariis. Quibus accedit Dominicus Soto in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. Nec dissentit Liranus. Quamvis enim videatur distinguere inter recessum ab obedientia Romanae Ecclesiae, quomodo Graeci ab ea jamdudum recesserunt, et inter recessum a fide Catholica, malitque posterioris modi recessum intelligere: res tamen eodem recidit. Quicunque enim ab obedientia Romanae Ecclesiae recesserunt, iidem aut statim etiam Catholicam fidem deseruerunt, aut certe non diu in ea permanserunt; uti de ipsis Graecis schismaticis manifestum est.

Confirmat hanc expositionem auctoritas B. Thomae Cantuariensis martyris, qui in epist. quadam ad Episcopos Angliae sic loquitur: Stabit Ecclesia, etsi saepius concussa, in ea fortitudine et firmitate, in qua fundata est, donec veniat generale dissidium, donec filius ille perditionis surgat. Ubi *generale dissidium* intelligit haud dubie generalem, quam diximus ab Ecclesia Catholica defectionem. His consonant ipsius Christi verba in Evangelio dicentis Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quasi dicat vix inventurum, propter praecedentem apostasiam.

Porro quod nostri temporis haeretici, primo auctore Luthero, defectionem intelligi volunt eam, qua receditur a vero Dei cultu, et a fide promissionum Christi; et eam defectionem dicunt ante mille annos et ultra fieri coeptam, et deinceps auctam, et confirmatam in Ecclesia per

ejus praelatos: id velut ab haeretico spiritu profectum, et in Ecclesiam Christi sponsam vehementer injuriosum et blasphemum, atque a filiis desertoribus et apostatis ad palliandum crimen impiae suae defectionis excogitatum, prorsus execramur. Imo vero illi ipsi, qui haec excogitant, et quicunque cum illis generalem hanc ab Ecclesia Catholica, et ab obedientia capitis ejus Romani Pontificis apostasiam promovent, uti hodie insigniter facit Jacobus rex Angliae, viam haud dubie sternunt Antichristo. Proinde, si quaeras an ea discessio, quam interpretati sumus, completa sit, an adhuc complenda: respondeo, satis experientia notum esse, quod magna parte, non tamen omnino, completa sit; et proinde nondum venisse, sed adhuc venturum esse eum, de de quo sequitur:

Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. Haec Antichristi epitheta sunt. *Homo peccati* dicitur Hebraea phrasi homo insigniter malus ac scelerosus, et in quo, ut ait Hieronymus ad Algasiam, fons omnium peccatorum est. Aut ideo vocatur *homo peccati,* quia, sicut patet ex sequentibus, superbia mater omnis peccati in eo tanta erit, ut extollat se supra omne, quod dicitur Deus, seseque tanquam Deum ostentet et coli faciat. B. Thomas interpretatur, quod erit omnium hominum pessimus, ut Christus omnium optimus. Idem *Filius perditionis* dicitur, id est, homo perditione dignissimus et aeternae perditioni destinatus, quasi ex perditione tanquam matre genitus; scilicet ea locutione, qua quidam in scriptura vocantur filii mortis. Sic et Judam proditorem Christus filium perditionis appellavit. Joan. 17. Aptissime vero Apostolus prius dixit, hominem peccati, deinde, filium perditionis: quia peccatum perditionis est causa. Unde et in sequentibus prius describit peccatum ejus, deinde perditionem.

Ex hoc autem, quod *hominem peccati* vocat, eorum opinio refellitur, qui putaverunt, Antichristum non hominem fore, sed diabolum, aut daemonem in assumpto corpore. Qui vero eum imaginantur futurum diabolum incarnatum, id est, simul angelum et hominem, quomodo Christus idem est Deus et homo, multo absurdius sentiunt: tum quia id sine ingenti miraculo fieri non posset, quod hic non est agnoscendum; tum vero, quia nec omnino fieri potest, ut diversae naturae in uno supposito creato conjungantur, propterea quod ad suppositandum, ut loquuntur, plures naturas, requiratur virtus infinita, cuius capax non est suppositum creatum. Erit igitur Antichristus homo, non diabolus, sed diaboli praecipuum organum; utpote *cujus adventus erit,* ut infra dicitur, *secundum operationem Satanae* etc.

Sed hic altera existit haereticorum blasphemia, dicentium, hunc hominem peccati, filiumque perditionis ab Apostolo praedictum ac descriptum, esse Romanum Pontificem. Quam impietatem, Antichristi praecursoribus dignam, quum multis, solidisque rationibus refutaverimus in comment. super 4. Sent. dist. 47., nunc satis erit ostendisse, quam ab illo commento sint aliena, quamque repugnantia, quae hic de Antichristo scribuntur. Atque illud imprimis, quod eum Apostolus describit velut unam ac singularem personam, vocans eum hominem peccati et filium perditionis. Nam in Graeco his nominibus praeponuntur articuli, certum aliquod individuum designantes; ut demonstrative vertere potuerit interpres, *ille homo peccati, ille filius perditionis;* quemadmodum paulo post vertit: *Ille iniquus.* Nam et Erasmus utroque loco pronomen demonstrativum addendum putavit. Atqui Pontifices Romani, quibus Antichristi nomen haeretici impingunt, non unam constituunt personam singularem, sed multi sunt homines, alii aliis in eadem dignitate jam olim succedentes.

Accedit huic argumento, quod ait: *Et revelatus fuerit* et infra: *Tunc revelabitur ille iniquus.* Sensus enim est, Antichristum, statim ut exortus fuerit, ea faciens, quae mox de eo commemorantur,

per eadem illa piis omnibus fore manifestum; quomodo et Christi adventus, quia manifestus erit, ab eodem Apostolo revelatio vocatur, capite superiori et alibi. At Romani Pontifices totis mille ac fere quingentis annis ecclesiam Christi rexerunt, priusquam Antichristi contumeliam audirent vel ab ullo haereticorum. Primus enim Martinus Lutherus hoc nomine Christi vicarium appellare ausus est; nec prius quam fuisset propter haeresim ab eo excommunicatus ac diabolo traditus: ut non ab alio, quam diabolo magistro didicerit ita loqui; quemadmodum Judaei a patre diabolo didicerant, quod Christo dicebant: Samaritanus es tu et daemonium habes, Joan. 8.

4. *Qui adversatur.* Graece participium est ἀντικείμενος, quod et nominaliter accipi solet pro contrario, sive adversario. Unde Erasmus et Hentenius: *Qui est adversarius.* Quanquam verti etiam potest: *Ille adversarius,* propter articulum praefixum; ut et hac parte significetur, Antichristum fore certum quempiam hominem. Hieronymus hunc locum sic exponit: Qui adversatur Christo, et ideo vocatur Antichristus. Alii partem hanc referunt ad id, quod sequitur, id est, ad *omne, quod dicitur Deus* etc., ut sensus sit: eum ex instituto futurum hostem et adversarium Dei, et quodammodo bellum ei indicturum. Quid vero magis alienum a Romano Pontifice, qui cultum unius veri Dei ex professo, atque omni studio propugnat et promovet? licet haeretici suo more calumniose atque impudenter falsum cultum vocitent.

Et extollitur supra omne, quod dicitur Deus. Plerique Graeci codices masculino genere legunt, *supra* sive *adversus omnem, qui dicitur Deus.* Sic enim 1 Cor. 8. *Sunt qui dicuntur Dii.* Sed haec varietas nihil ad sensum. *Et quod colitur.* In Graeco nomen est σέβασμα, quod alii *numen* vertunt; tametsi Graecae vocis significatio generalior est; extenditur enim ad omnia, quae solent homines cultu religionis, seu vero, seu falso, venerari, ut sunt arae, delubra, statuae, simulacra. Nam Act. 17., ubi nos legimus Paulum dicentem: *Praeteriens et videns simulacra vestra, inveni et aram* etc., pro *simulacra* Graece est σεβάσματα, quod Erasmus vertit *culturas;* alii, *cultus.* Quae versiones congruunt cum eo, quod hic reddidit noster interpres, *quod colitur.*

Est igitur hujus loci sensus, juxta communem Patrum expositionem: Qui sese efferet supra omnem vero aut falso nomine Deum, atque evertet omnem cultum seu verum, seu falsum; ut, quemadmodum sequentia docent, ipse solus colatur. Hujus rei quandam imaginem habemus in rege Nabuchodonosor, qui jussit omnes Deos terrae exterminari, ut ipse solus diceretur Deus, Judith. 3. Figuram autem expressam Antichristi gessit hac in re Antiochus Illustris; de quo praedicitur Dan. 11., quod *elevabitur et magnificabitur adversus omnem Deum; quodque adversus Deum Deorum loquetur magnifica; nec quemquam Deorum curabit; quia adversum universa consurget.* Jam nec horum quicquam, nisi per summam impudentiam, affingi potet Romano Pontifici. Nec digna sunt refutatione, quae quidam non minus impie, quam calumniose et scurriliter de Romano Pontifice fabulantur, ut hunc locum adversus eum detorqueant.

Ita ut in templo Dei sedeat. Graece: *Ita ut in templum Dei, tanquam Deus, sedeat;* tametsi non omnes Graeci codices hoc loco addunt, *tanquam Deus;* quod nec in Syriaco legitur. Porro lectionis Graecae, *in templum Dei,* meminit etiam August. lib. 20. de civit. cap. 19., atque illi quemdam intellectum accommodat, sed improbabilem. Nam Latini omnes interpretes per ablativum reddunt: in templo; cum et Graeci sermonis proprietas diligenter expensa id exigat.

Ostendens se tanquam sit Deus. Graece: *Ostendens seipsum, quod sit Deus,* id est, *seipsum esse Deum;* ut alii vertunt. Pro *ostendens,* Ambrosianus et Augustinus legunt, *ostentans,* nonnulli vertunt, *prae se ferens.* Dubium hic est, de

quo Dei templo loquatur Apostolus. Quidam templum Hierosolymitanum intelligunt. Quamvis enim destructum sit illud, quod erat tempore Pauli; aliud tamen ejus loco aliquando reaedificandum dicunt, sive a Judaeis, sive ab ipso Antichristo, ut ipse in eo colatur. Verum si Antichristus sibi tanquam Deo construet templum: non illud Apostolus *templum Dei* vocaret; nihilo magis, quam templum Jovis aut Dianae eo nomine dignaretur.

Cajetanus putat, non aliquod determinatum templum significari, sed sensum esse, quod in quocunque templo Deo dicato sessurus sit Antichristus tanquam illud sibi dicatum esset. At vero Hieronymus in epistola dudum citata, verius arbitratur, Apostolum per templum Dei ecclesiam significasse. Quam interpretationem post glossam interlinealem etiam S. Thomas recipit, nec Augustinus rejicit. Chrysostomus quoque ac Theodoretus et caeteri Graeci de ecclesiis Dei (pluraliter enim loquuntur) Apostolum exponunt; quod in idem recidit. Nam ecclesia Dei ex multis particularibus constat ecclesiis.

Hic sensus probabilitatem accipit ex eo, quod, sicut tempore Machabaeorum, ut habetur 1 Mach. 1., in templo Dei, quod erat Hierosolymis, stetit abominandum idolum desolationis, de quo prophetaverat Daniel, cap. 9., et sicut posteriori tempore statua Caesaris, teste Hieronymo super Matth. 24., in eodem templo, velut secunda abominatio collocata fuit: ita et in ecclesia Dei (cujus insignem typum praetulit templum illud Hierosolymitanum) videatur sessurus homo peccati; quem abominationes illae priores praefiguraverunt.

Sed quaeritur, quomodo sessurus sit in ecclesia Christi Antichristus, qui, ut Christi adversarius, ita Christianorum futurus est gravissimus persecutor. Et quidem haeretici jactant facilem esse intellectum de Romano Pontifice, quem constat in templo Dei, quod est ecclesia, sedere ac praesidere. Verum caetera, quae addit Apostolus, minime quadrant. Nam in ecclesia sedere quocunque modo, etiam cum potestate, quamplurimis est commune. Sic enim omnes episcopi in ea sedent, ac sederunt. Etenim id habet vetustissima loquendi consuetudo, tam apud Graecos, quam Latinos scriptores, ut episcopi sedere in ecclesiis suis dicantur, pro eo quod est, cathedratica potestate eis praesidere. Sed Antichristo est proprium, quod in templo Dei, tanquam Deus, sedeat et seipsum ut Deum ostendat. Id autem Romano Pontifici competere, qui Christi vicarium se profitetur, quique servum Dei ac servorum ejus se nominat et praestat, omnium ecclesiarum solicitudinem gerens; tantum abest, ut Deum haberi se velit, aut aliquid divinum usurpet: id, inquam, nemo, nisi odio Satanico excaecatus, dixerit.

Sedebit itaque in templo Dei Antichristus, ostentaturus se pro Deo; quia viribus ac potentia ecclesiam Dei invadet, ejusque loca occupabit, et, ut ait S. Thomas, multi de ecclesia eum recipient; intellige, per haeresim et schisma prius separati. Occupatis autem ecclesiarum templis, aliisque locis, per eam superbiam, de qua dictum est, quod extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, faciet se in iisdem locis, eliminato veri Dei cultu, tanquam Deum coli; praesertim accedente signorum et prodigiorum exhibitione, de quibus infra; per quae Deum sese imperitis probabit. Et hoc pacto verificatur etiam Cajetani expositio, qua dicebat, Antichristum sessurum passim in templis Deo dicatis. Quo spectare videtur etiam Graecorum commentarius: nam per ecclesias, usu fidelium, oratoria seu templa significantur.

5. *Num retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?* Graece: *An non meministis, quod* etc. Sic et Ambrosianus. Est autem haec tacita objurgatio, quasi dicat: Cum haec vobis praesens dixerim; non debebatis commoveri rumoribus aliquorum dicentium instare diem Domini. Vel hinc liquet, ait Theophylactus, quod haud pauca Paulus mysteria tradiderit, quae literis non sint mandata. Nam eadem, quae hic

de apostasia et Antichristo scribit, coram apud Thessalonicenses clarius ac plenius tradiderat; ne haec quidem scripturus, nisi occasio compulisset. Plus autem sermone, quam scripto, de hac re tradidisse Apostolum liquet ex eo, quod sequitur:

6. *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.* Sensus est: Nostis ex iis, quae dixi vobis, quid obstet, quidve sit in mora, cur nunc ille homo peccati non manifestetur, sed tandem suo, id est, congruenti ac divinitus praestituto tempore venturus sit ac manifestandus. Noverant utique Thessalonicenses, quibus dixerat Paulus. At nos nescimus, sed conjecturis utimur: nam quidam τὸ κατέχον, *id quod detinet,* de gratia Spiritus sancti dictum putant quantum ad charismata. Quod bene refellit Theophylactus, quia jam olim charismata cessant; nec tamen venit Antichristus.

Veteres plerique commentatores tam Graeci, quam Latini, quibus et Hieronymus assentitur in epist. ad Algasiam, Romanum imperium existimant significari, mentemque Apostoli esse, quod non prius, quam illud deletum fuerit, revelandus sit Antichristus, ut qui non sit habiturus facultatem agendi, quae velit adversus ecclesiam, nisi imperio Romano prius dissoluto. Id vero Paulum aperte dicere noluisse, ne calumniam pateretur, quasi Romano imperio, quod aeternum fore sperabatur, male optaret, quemadmodum jam superius dictum est. Ita quidem illi, qui stante Romano imperio scripserunt. Sed hanc opinionem ipsa jam dudum experientia redargui monstravimus eodem loco. Nec vero probatur Augustino; quamvis eam, ut ipse vocat, suspicionem commemoret.

Sunt alii, qui dilationis causam interpretentur, quod prius oporteat evangelium praedicari in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc, inquit Dominus, veniet consummatio. Matthaei 24. Verum quid opus erat Apostolo, hanc causam reticere, et non potius aperte declarare; cum et res auditu grata sit, et nihil periculi contineat?

Proinde, si quid in
cendum est, videtur A
σίαν, de qua supra locu
velle; quae quoniam re
est et odiosa, non erat
petenda. Scitis, inquit, partim ex sermone meo coram habito, partim ex antedictis, quid remoretur adventum illius hominis peccati: non enim revelabitur, nisi prius apostasia, seu discessio venerit. Nam non solum oportet apostasiam praecedere diem Domini, verum etiam adventum Antichristi: hic enim ordo supra significatus est, quemadmodum illic annotavimus. Idemque congruens est, quia per ἀποστασίαν, id est, generalem illam regnorum et populorum ab ecclesia Catholica defectionem, via praeparabitur Antichristo; sicut hodie paulatim magnis, proh dolor, incrementis, fieri videmus. Potest haec sententia facile colligi ex iis, quae scribit Augustinus loco supra citato: quin et cum verbis Apostoli consequentibus bene convenit, uti mox videbimus. Quod si tamen nec istud placet; lubens cum Augustino fatebor, me, quid Apostolus dicat, ignorare. Quo tandem etiam B. Thomas delabitur, addens rem non esse multum necessariam ad sciendum.

7. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis.* Quamvis, inquit, homo peccati nondum venerit, sed suo tempore sit revelandus; jam nunc tamen mysterium operatur iniquitatis. Hoc multi sic intelligunt, quasi dictum de homine peccati, id est Antichristo, scilicet eum jam operari mysterium iniquitatis. Atque hinc colligunt haeretici, Antichristum jam tunc Apostolorum temporibus fuisse etsi nondum revelatum. Non enim, inquiunt, operari poterat mysterium iniquitatis (hoc est, secundum eorum expositionem, furtim et clanculum moliri oppressionem Ecclesiae, quod aperte facturus est suo tempore), nisi jam tum existeret. Ex quo sane colligendum nobis relinquunt grande mysterium impietatis, Petrum Apostolum fuisse Antichristum. Si enim, uti contendunt, Romanus Pontifex Antichristus est; extitit autem Antichristus Apostolorum

tempore, nec alius tunc Romanus Pontifex fuit, nisi B. Petrus: igitur Petrus erat Antichristus. Sed mysterium hoc adeo blasphemum est et impium, ut ipsi, qui conceperunt, palam proferre non audeant.

At Catholici commentatores non pauci, Hieronymus imprimis, locum hunc de Nerone interpretantur; sed sensu nonnihil variant. Nam alii *mysterium* accipiunt accusativo casu, ut sensus sit, hominem illum peccati, id est, Antichristum, etsi nondum venerit, jam tamen in alio sibi multum simili, tanquam in figura ac praecursore suo, videlicet in Nerone mysterium iniquitatis operari, hoc est, ea mala atque peccata agere jam ex parte, persequendo fideles, et divinos honores appetendo, quae potentius ac plenius ipse per se atque in propria persona facturus est Antichristus.

Secundum alios, *mysterium* nominativi casus est, et sensus verborum hujusmodi: Nam mysterium iniquitatis, id est Nero (quem mysterium iniquitatis ab Apostolo vocari dicunt, eo quod sit typus Antichristi), jam talia quaedam operatur, qualia facturus est ipse Antichristus. Ita fere Chrysostomus et ejus sequaces. Augustinus vero cum hanc de Nerone interpretationem loco saepe citato retulisset; consequenter adjecit, quid alii quidam, ex hac occasione, de eodem Nerone fuerint opinati. Unde nonnulli, inquit, ipsum resurrecturum et futurum Antichristum suspicantur. Alii vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus; et vivum occultari in vigore ipsius aetatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus; donec suo tempore reveletur et restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est haec opinantium tanta praesumptio. Haec ille. Et tamen istarum opinionum ab Augustino reprehensarum posterior apud Sulpitium legitur lib. 2. historiae sacrae. Qui et in secundo dialogo sub finem vel eandem, vel similem omnino sententiam B. Martino Turonensi adscribit, aut certe affingit. Nam dialogus ille inter Apocrypha relatus est a Gelasio Papa sub titulo Posthumiani et Galli, qui in eo sunt interlocutores.

Caeterum universus hic de Nerone commentarius, quamvis hos aliosque auctores habeat, evertitur observatione temporis, quo Paulus hanc epistolam scripsit; quemadmodum subtiliter animadversum est a Cardinale Baronio ad annum Domini 70. et facile colligi potest ex iis, quae nos in argumento utriusque epistol. diximus. Non enim sub Nerone principe scripta est haec epistola, ut de illo dictum intelligi possit, *mysterium jam operatur iniquitatis;* sed ante ejus imperium annis circiter tribus, Claudio adhuc regnante. Quanquam nec primis imperii sui annis Nero ita se gessit, ut de eo verificari possit haec Apostoli sententia.

Quocirca dimisso hoc commentario scire imprimis oportet, verbum *operatur,* Graece ἐνεργεῖται, passive exponendum esse, sicut haec verba, *deprecatur* et *recordatur.* Psalm. 134. *In servis suis deprecabitur;* id est exorabitur. Ezech. 18. *Omnes justitiae ejus non recordabuntur,* id est, non erunt in memoria. Simile in aliis verbis, quae deponentia vocantur, videbit lector Psalm. 77. sub finem, Eccl. 24, 3. Matth. 7, 2. 1 Cor. 12, 26. Hebr. 13, 16. Sunt autem ista: Lamentatae, admirabitur, remetietur, gloriatur pro glorificatur, promeretur, et plura facile suppeditabunt Grammatici diligentiores. Ennius dixit domum dominari passive, referente Tullio. Ipse Tullius passive dicit: opinatis bonis, et opinatis malis, in Tuscul. Sic autem et verbum *operatur,* et Graecum ei respondens, accipiendum esse, latius ostendimus ad illud Gal. 5. *Fides, quae per charitatem operatur,* ubi inter alia exempla hujus acceptionis e Paulinis epistolis allata, etiam praesentem locum adducebamus, ut hic non sit opus, ad id probandum immorari. Tantum addo, doctos quosdam Pauli interpretes (Fabrum et Bajum) hujus expositionis meminisse: quosdam etiam vertisse *agitur,* aut *peragitur*; sed et Victorinum martyrem in comment. super Apoc. ita citare hunc locum: *arcanum malitiae*

jam oritur. Quod similiter passivam habet significationem, quasi dicat: Jam nunc incipit agi. Et B. Hieronymus in prooemio Dialogi adversus Pelag. ita hunc locum citat, ut verbum hoc passive accipi debeat.

Hoc igitur constituto: quaeritur, quodnam Apostolus vocet *mysterium iniquitatis;* et quomodo illud (passive) *operetur,* id est, agatur. Respondeo, *mysterium iniquitatis* intelligi iniquitatem arcanam et latentem, quae aliquando sit in publicum proferenda et palam grassatura; nimirum per eum, quem paulo post vocat *illum iniquum.* Agebatur autem hoc mysterium jam tum Apostolorum tempore, per illius iniqui praecursores, hominum seductores haereticos, ut sensus Pauli sit: Etsi nondum venerit Antichristus in persona; jam tamen adest in emissariis ac praecursoribus suis. Nam iniquitas ejus, de qua locutus sum, nunc occulte, velut in mysterio, agitur et exercetur per haereticos. Ea iniquitas est, Christum et regnum ejus totis viribus oppugnare; atque ad imitationem diaboli divinitatem illius ad se rapere. Cui negotio subserviunt omnium saeculorum haeretici, dum, praetenso Christi nomine, Christum et ecclesiam ejus oppugnantes, Antichristo ad manifestariam ejus impietatem viam sternunt.

Favent huic interpretationi Theodoretus et Gaignaeus; sed eam maxime confirmat Joannis Apostoli doctrina de Antichristo et ejus praenuntiis haereticis, quos etiam nomine cum suo principe communi Antichristos vocat, id est, Christi adversarios. *Filioli,* inquit cap. 3. suae 1. epistolae, *novissima hora est: et sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt.* Et cap. 4. *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus; de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.* Quo utroque loco clare significatur id, quod Paulus hic dixit obscurius, scilicet Antichristum venturum quidem ac revelandum suo tempore, sicut edocti erant fideles; sed jam tum eum adfuisse in suis praecursoribus, per quos agebatur mysterium iniquitatis ejus, olim in ipsius persona palam manifestandae. Quo pertinet etiam illud ejusdem Joannis Apostoli: *Quoniam multi pseudoprophetae et multi seductores exierunt in mundum,* 1. Epist. 4. et in 2. Epist. quasi cum Paulo dicat: Hi sunt, per quos nunc agitur iniquitatis mysterium.

Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Pars haec nihilo minus habet obscuritatis, quam praecedentes. Graeca sic ad verbum: *Tantum tenens* aut *detinens modo, donec e medio fiat. Detinens,* id est, qui detinet, participium masculinum, cujus neutrum habuimus paulo ante: *et nunc quid detineat;* caeterum interpres noster sententiam Pauli, velut imperfectam, supplevit repetito eodem verbo *teneat.* Quod et Erasmus fecit, ita vertens: *Tantum qui tenet in praesentia, teneat, donec e medio tollatur.* Alii supplere malunt: *tenebit.* Alia versio sic habet: *Tantum, qui nunc obstat, obstabit, usque dum e medio sublatus fuerit.* Atqui Graeci commentatores non videntur hujusmodi supplementum desiderasse. Unde nec interpretes Theophylacti et Oecumenii illud addendum in sua versione putaverunt. Quanquam fere in eundem sensum Graeci cum Latinis concurrant, quatenus utrique Romanum imperium existimant significari.

Nam Graeci intelligunt: Solum est, qui detinet modo, id est, qui nunc remoratur atque impedimento est, scilicet Romanus Imperator cum suo imperio, donec tollatur e medio. Quamdiu enim, inquiunt, stabit Romanum imperium, velut ala protegens Ecclesiam, non facile quisquam tantas habebit vires, ut eam vastet. Illo autem dissoluto, tanquam sublato impedimento veniet, qui et hominum et Dei imperium sibi vendicet. Eodem recidit recentiorum quorumdam expositio: tantum, qui nunc detinet, detinebit; aut qui nunc obstat, obstabit donec etc.

Qui vero cum interprete nostro legere malunt: *tenet et teneat,* hunc faciunt

sensum: Tantum qui modo tenet Romanum Imperium, teneat illud, quasi dictum sit, inquit Augustinus, tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio tollatur. Paulo aliter Hieronymus. Tantum ut Romanum Imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat et de medio fiat. Ex quo etiam apparet, Hieronymum non repetivisse verbum *teneat.* Nam *teneat* per recedat, exponi non potest.

At vero rationes, quibus paulo ante ostendimus, illam partem: *Nisi venerit discessio primum,* non recte intelligi de defectione futura a Romano Imperio; valent aeque ad improbandum similem hujus loci commentarium, quem tradunt auctores memorati, nisi quod Augustinus nihil asseveranter dicat. Quibus accedit, quod illa phrasis de medio fieri pro eo, quod est, e medio tolli, perdi, aboleri, nusquam alibi reperitur; sed Hebraeis *e medio* significat separationem alicujus aut aliquorum ab aliis, ut Matth. 13. *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum.* Et 2 Cor. 6. *Exite de medio eorum, et separamini.* Nam et illud, quod dicitur 1 Cor. 5. *Ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit,* non interitum, sed separationem significat.

Porro verbum κατέχειν, etsi paulo superius usurpatum sit pro detinere seu remorari, alibi tamen ac frequentius eidem Apostolo significat tenere seu retinere quippiam, ut in priori ad Thess. Epist. cap. 5. *Quod bonum est, tenete.* Item 1 Cor. 11. et 15. *praecepta, doctrinam tenere.* Quocirca praesens locus ad hunc modum poterit explicari: mysterium iniquitatis nunc agitur, erupturum aliquando in apertam apostasiam. Interim vero dum agitur, quicunque tenet Christum et veram ejus religionem, firmiter retineat, donec de medio Ecclesiae fiat apostasia, de qua supra locutus sum, id est, magna illa defectio, qua regna et populi ab Ecclesia recedent. Hic sensus optime congruit cum iis, quae de apostasia superius dicta sunt. Quin et Augustinus satis probare videtur hujusmodi sensum, addens pro explicatione, quod sicut nunc multi haeretici exeunt de medio Ecclesiae, juxta illud Joannis 1. Epist. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis;* ita tandem omnes inde exibunt, generali nimirum discessione, qui non ad Christum, sed ad Antichristum pertinebunt. Hanc expositionem inter alias refert B. Thomas; simpliciter autem approbant Anselmus, Liranus et Gaignaeus.

8. *Et tunc revelabitur ille iniquus.* Postquam, inquit, e medio Ecclesiae facta fuerit apostasia, tunc statim iniquus ille, id est Antichristus, veniet atque in apertum se proferet, videlicet princeps futurus et caput omnium impiorum, maxime eorum, qui ab Ecclesia defectionem fecerint. Eum Apostolus κατ᾽ ἐξοχὴν *iniquum* vocat, Graece τὸν ἄνομον, quasi fontem iniquitatis, ut Hieronymus interpretatur, quia nimirum auctor erit omnibus a Deo atque a lege ejus recedendi. Nam Graeca vox hominem significat exlegem, id est eum, qui nulla legum reverentia tenetur, qui jus et fas omne divinum atque humanum conculcat. Sunt igitur illius iniqui praecursores nostri temporis haeretici, qui potestatem omnem legislativam Ecclesiae adimunt, nec ullas humanas admittunt leges in conscientia obligantes.

Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Interficiet, Graece *consumet, conficiet.* Et sensus est, Dominum Jesum in adventu suo perditurum illum iniquum solo majestatis imperio, cujus jussisse, fecisse est, inquit Hieronymus. Respicit autem Apostolus ad locum Jes. 11., ubi de Christo dicitur: *Et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* De ejusdem Antichristi interitu ita Daniel vaticinatur cap. 8. *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur.* Hae Scripturae significant, modo quodam stupendo et insolito sine ministerio hominum tollendum e medio Antichristum, videlicet sola, secundum Jesaiam et Paulum, interveniente jussione Christi hominis. Dico *Christi hominis,*

nam de Christo secundum naturam assumptam uterque loquitur.

Sunt, qui spiritum oris Christi, et apud Jesaiam spiritum labiorum ejus, interpretentur Spiritum sanctum. Atque ex hujusmodi Scripturis probant, Spiritum sanctum a Filio procedere, ut Anselmus in libro de processione Spiritus sancti cap. 7. Equidem priorem sensum magis germanum censeo, quamvis in utroque sermone possit intelligi quaedam allusio ad Spiritum sanctum e verbo Patris procedentem.

Et destruet illustratione adventus sui. Graece: *et abolebit apparitione adventus sui,* sive ut Ambrosianus et Augustinus legunt, *praesentiae suae;* nam sicut adventu solis fugantur tenebrae; sic iniquum illum exhibitione praesentiae suae Dominus destruet atque delebit. Hanc enim comparationem adfert Hieronymus.

Ex hoc loco videri potest, Antichristum victurum et regnaturum, ac seducturum mortales, usque dum Christus ad judicium veniat; utpote in adventu demum ejus destruendum. Atqui multorum opinio est, inter Antichristi mortem, Dominique adventum, spatium aliquod temporis fore medium, quo pace aliquantula fruatur Ecclesia, uti semper solet post graves persecutiones; idque significatum Apoc. 8. per silentium illud, quod *factum dicitur in coelo, quasi media hora.*

Deinde, si demum in adventu Domini perimendus est Antichristus: quando convertentur Judaei, quos Antichristus seduxerit? nam convertendos eos, postquam horrendum illius interitum conspexerint, multorum opinio est. Sed responderi potest: Adventum Domini extense et secundum quandam latitudinem esse intelligendum, ut sub eo comprehendatur etiam adventus et praedicatio praecursorum ejus, et alia signa venturi Domini praenuntia; sicut sub primo adventu Christi comprehenditur adventus praecursoris ejus Joannis Baptistae, ita ut Christo adhuc latente praecursor dicat: Appropinquavit regnum coelorum Matth. 3., quia nimirum jam in proximo manifestandum erat per Christi praedicationem et miracula.

Sic igitur et secundus Christi adventus, secundum scripturam non in atomo accipiendus est, sed quaedam etiam anteriora, tanquam praecurrentia signa, comprehendit: quomodo rex venire dicitur in civitatem, dum adhuc longiuscule abest, illis modo ingredientibus, qui regem solent praeire, quosque ille continuo subsequitur. Huc facit comparatio, quam Graeci interpretes adhibent, ita Antichristum adventu Christi consumendum, quemadmodum ab igne procul apparente, priusquam admoveatur, minuta animalcula consumuntur et torpescunt.

Alii sic Apostolum intelligunt: *Quem iniquum Dominus Jesus,* priusquam veniat ad judicium, *interficiet spiritu oris sui;* caeterum in ipso suo adventu destruet omnes ejus reliquias. Nam post interfectum Antichristum sequaces ejus duraturos usque ad apparitionem advenientis Christi, Cajetanus haud improbabiliter opinatur.

Quod igitur ad tempus attinet conversionis Judaeorum, dicendum est, vivente adhuc Antichristo, praedicantibus Enoch et Elia, multos eorum abjecto errore credituros in Christum; reliquos vero, quos Antichristus seduxerit, illo terribiliter interfecto, redituros ad mentem, ac sese fratribus Judaeis in unitatem fidei Christianae sociaturos.

9. *Eum, cujus est adventus secundum operationem Satanae.* Redit ad descriptionem Antichristi. Qui, inquit, adveniet instrumentum diaboli futurus, per quod ille efficaciter operetur et vim suam exserat. Illud *eum,* lucis causa additum est a nostro interprete.

In omni virtute et signis et prodigiis mendacibus. Graecum genitivum *mendacii,* quem et Ambrosianus legit, recte noster interpres, auribus Latinis serviens, vertit in adjectivum, *mendacibus:* idque ad tria praecedentia referendum est, nempe ad virtutem, signa, prodigia. Et sensus est, Antichristum operatione Satanae

facturum omne genus mendacium miraculorum. Vocantur autem *mendacia* juxta Augustinum et interpretes hujus loci, vel quia fallaciter et illusorie, non autem vere fient; ut ea, quae superant facultatem naturae creatae, qualia sunt mortuos suscitare, caecis visum reddere, surdis auditum etc. *Vel* quia ad mendacium, id est, errorem, homines inducent, etiamsi quaedam eorum veraciter fiant, utpote creaturae facultatem non excedentia; cujusmodi sunt, ventos et tempestates excitare, ignem coelo deducere, quosdam languidos subito sanare etc. Fient enim haec ab Antichristo, uti dictum est, operante Satana; qui cum per scientiam in sua creatione acceptam et longissima experientia auctam, totius rerum naturae sit callentissimus, multa potest efficere variarum causarum commistione, quae hominibus ita miranda sint, ut ea a veris miraculis haud facile discernant.

Aut denique mendacia vocat Antichristi signa, quia sive vere fiant, sive fallaciter et per illusionem, omnia tamen in genere miraculorum (qualia se facere jactabit) falsa erunt et mendacia. Constat enim, nullum verum miraculum (quomodo de miraculis scripturae et Theologi loquuntur) a quoquam fieri posse pro confirmatione erroris; cum Deus, cujus solius virtute vera miracula, tanquam testimonia quaedam publica, proferuntur, testis falsitatis esse non possit.

Tertius hic sensus valde probabilis est. Cum enim nomine *signorum* et *prodigiorum* in sacris literis saepe vera miracula significentur, quae divinitus ad hoc instituta sunt, ut per ea veritas doctrinae salutaris confirmetur et velut sigillis quibusdam coelestibus obsignetur: ne quis ea suspicaretur aliquando communicari posse vel Antichristo, vel ejus praecursoribus pseudoprophetis, propterea quod et illi similia quaedam sint facturi; praemonere nos voluit Apostolus, addendo, *mendacibus,* id est, falsis, non quidem in genere rerum, sed in genere signorum, id est, miraculorum.

Jam ex hoc etiam Apostoli loco plane refelletur haereticorum blasphemia de Pontifice Romano: nulla enim historia prodit, Romanum Pontificem exercuisse falsa miracula, aut ad ea patranda usum fuisse opera diaboli. Veris quidem miraculis aliqui eorum claruerunt: sed hoc illis cum Christo Domino et Apostolis ejus omnibus commune est. Atque ex iis argumentum sumitur et sanctitatis eorum et veritatis doctrinae. Haeretici Antipapistae locum hunc referunt ad omnia miracula, quae in ecclesia, cui Papa praesidet, fiunt; quae omnia calumniantur ut imposturas diabolicas. Quae utique est blasphemia in Spiritum sanctum; qualis eorum, qui de Christo dicebant, *quod in principe daemoniorum ejiceret daemonia,* ut non debeamus mirari, si tam pauci ex haereticis talibus veniant ad veram poenitentiam. Firmum enim est verbum Domini, quod *blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Matth. 12. Porro quid discriminis sit inter virtutes, signa et prodigia, explicatum est alibi Rom. 15. 1 Cor. 12. Hebr. 2.

10. *Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Graece: *In pereuntibus.* Sensus est, Antichristum non solum per signa mendacia, verum etiam aliis innumeris artibus ac modis, velut blanditiis, donis, promissis, decepturum reprobos et inducturum ad iniquitatem. Nam *seductionem iniquitatis,* sive, ut Ambrosianus et Graeca legunt, *fallaciam,* seu *deceptionem injustitiae,* dixit Apostolus, pro deceptione ducente ad injustitiam, sicut viam salutis scriptura vocat eam, quae ducit ad salutem. Reprobos autem appellat pereuntes, nominaliter potius quam participialiter; quomodo rex impiorum angelus abyssi vocatur Apollyon, id est, perdens, sive exterminans. Apoc. 9. Pereuntes, inquam, vocat, id est, destinatos ad perditionem, etiam in hac vita inchoandam; ea ratione, qua electi e contrario salvi fieri dicuntur in hac vita, nimirum secundum inchoationem, ut Tit. 3. *secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenera-*

tionis. Adjecit autem hanc particulam *iis qui pereunt*, pro consolatione piorum, ut scirent, Antichristi potentiam et fraudes nihil valituras adversus electos; quorum numero per bonam fiduciam adjungere se debeant. Nam et Dominus Matth. 24. electos a deceptione Antichristi et ministrorum ejus excepit iis verbis: *Dabunt signa magna et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi;* plane significans id fieri non posse.

Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Graeca plenius expressit Erasmus. *Pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc ut salvi fierent.* Nam sensus est, reprobos illos seducendos ab Antichristo, justitia Dei permittentis id exigente, propterea quod veritatem a Christo annunciatam, quam amare et amplecti debebant, non receperint, ut ea per fidem suscepta salvi fierent.

11. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Explicatio est rationis praecedentis. Quoniam, inquit, veritatem recipere noluerunt; *idcirco mittet illis Deus operationem*, Graece ἐνέργειαν, *erroris*, illusionis, imposturae: hoc est, mittet hominem, qui diabolo efficaciter in se operante (sicut antea dictum est) decepturus eos sit et in errorem ducturus. *Mittet* autem, non quod auctoritatem aut mandatum fallendi homines ei daturus sit; sed quia adventus ejus, quatenus ad puniendum peccata hominum ordinatus, erit a Deo. Nullum enim malum patiuntur homines, quod Deus non immittat. Jam nec in eo, quod additur, *ut credant mendacio* (vel, ut Ambrosianus Graeco textui conformiter legit: *In hoc, ut credant mendacio*) significatur Deus mendacium, aut mandacii fidem intendere; sed vel consecutiva particula est *ut*, hoc sensu: Ita fiet, ut credant mendacio, id est, falsae doctrinae; vel significatur intentio Dei punientis per id, quod non tantum poena est, verum etiam peccatum. Quid enim apud Deum justius, quam ut qui veritatem suscipere noluerunt, in errorem incidant et falsitati credant?

Unde discimus, quaedam ita esse peccata, ut etiam praecedentium poenae sint peccatorum. Quod cum Apostolus Rom. 1. de gentilium Philosophorum peccatis ostenderit, hoc loco de Judaeis futurum asserit. Nam Judaeos vel solos, vel praecipue designari per eos, qui charitatem veritatis non receperunt, quibus proinde missurus sit Deus operationem erroris, ut credant mendacio, diserte docent Hieronymus ad Algasiam, et Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus in commentario hujus loci. Idque probant ex simili praedictione Christi, qua ad Judaeos dixit Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis:* scilicet Antichristum. Et sane de iisdem omnino loqui Paulum apparet, de quibus in priori Epistola cap. 2. dixerat, *pervenisse iram Dei super illos usque in finem.* Quod quidem de Judaeis dictum fuisse non dubium est.

Hinc ergo non solum ostenditur, Judaeos Antichristum recepturos, id quod multis Patrum testimoniis celebratum est; verum consequenter etiam vanissimae falsitatis arguitur haereticorum figmentum, Romanum Pontificem esse Antichristum. Nam Judaei Christianam religionem simulque Romanum Pontificem, qui in ea praesidet, pessime oderunt; tantum abest, ut illum pro Messia aut principe recipiant, ac pro Deo colant. Nec juvat adversarios responsio, qua dicunt, Apostolum loqui de iis, qui posterioribus saeculis veritatem non sint recepturi. Non enim de futuro loquitur, sed de praeterito: *Non receperunt;* quomodo Joannes cap. 1. sui Evangelii: *In propria venit et sui eum non receperunt.* Quod aeque de Judaeis intelligi certum est. Dicuntur autem Judaei, qui Christum venientem non receperunt, Antichristum recepturi, non iidem ipsi, sed eorum posteri, in quos haereditaria quadam successione continuata patrum infidelitas, Deo deserente, descendit.

12. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Graece: *Sed complacuerunt,* sive *complacitum eis fuit in injustitia,* id est, approbaverunt, amplexi sunt injustitiam. Quod Theophylacti interpres vertit: Sed oblectati sunt injustitia. Pars ista generalis est hunc habens sensum: Ita denique fiet, ut quicunque *veritati* sibi praedicatae fidem habere noluerunt, et per eam justificari, sed potius elegerunt acquiescere falsitati, et quae eam sequitur, injustitiae; *judicentur* a Deo, id est, condemnentur et puniantur, ea scilicet poena, de qua superiori capite: *Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini* etc. *Judicium,* pro condemnatione ac punitione frequens est in sacris literis. Unde illud Joan. 3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* et quod sequitur: *Qui credit in eum, non judicatur.* Potest autem causaliter accipi id, quod ait, *ut judicentur.* Nam missio Antichristi et justa desertio eorum, qui veritatem non receperunt, ut mendacio credant, ordinantur ad bonum justitiae divinae in punitione impiorum declarandae, tanquam ad finem; quemadmodum bene Cajetanus annotat.

Porro cum ea, quae de homine peccati et filio perditionis dicta sunt, nemo dubitet ad Antichristum pertinere; nec quisquam nisi haeretico spiritu impulsus ea ad Romanum Pontificem referat: a nonnullis tamen, etiam Catholicis, in dubium revocatur, utrum homo ille ab Apostolo descriptus jam venerit, an adhuc venturus sit. Quidam enim Mahumetum Arabem pseudoprophetam, qui maximam orbis Christiani partem Christo detractam in suam legem attraxit, Antichristum fuisse putant, ratiunculis quibusdam moti, quas brevitatis causa praetermittimus.

Verum absque dubitatione respondetur, hominem illum peccati nondum esse revelatum. *Primo,* quia nondum per omnes gentes praedicatum est Evangelium. *Secundo,* quia nondum completa est discessio, de qua Apostolus. *Tertio,* quia nondum apparuerunt Enoch et Elias. *Quarto,* quia nondum experti sunt Christiani gravissimam illam persecutionem, de qua per Antichristum commovenda scripturae loquuntur. *Quinto,* quia nullus Christi adversarius hactenus apparuit in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus. Haec autem omnia vel ante adventum Antichristi, vel ejus tempore, ac per eum, fieri oportere perspicuum est ex scripturis. *Sexto,* quia non obscure significat Apostolus, paulo post quam Antichristus fuerit revelatus, Christum Dominum venturum ad judicium. *Postremo,* quia si jamdudum Antichristus venisset, nequaquam id Ecclesiam Christi lateret: tum quia ejus adventum Apostolus vocat revelationem, sive manifestationem, tum quod Prophetica scriptura soleat ipsis rerum praedictarum eventibus elucescere, praesertim si res illae sint praecipuae, magnique momenti, qualis est adventus Antichristi. Sed de hac re plenius actum a nobis in 4. dist. 47.

13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo.* Post declarationem eorum, quae Christi adventum erant praecessura, quae quidem tristia erant et horrenda auditu; nunc ad ea redit, quibus Thessalonicensium animos in fiduciam erigat; a reprobis ad Antichristum pertinentibus et cum ipso perituris eos secernens, quod *dilecti sint a Deo* et electi. Nam dilectos a Deo, sive ut Graece est, a Domino, vocat, propter id, quod sequitur, et propter quod Deo gratias agere se dicit pro illis; tacite significans, multo magis eos pro semetipsis gratias agere Deo debere, et gratias agendo Deum totius boni auctorem agnoscere.

Quod elegerit vos primitias in salutem. Circa textum duo notanda sunt. Prius est, vitiose quosdam Latinos codices et interpretes loco pronominis *vos,* legere *nos,* in prima persona; quippe non solum repugnantibus in universum Graecis ac Syris exemplaribus, adeoque Clementina editione, verum etiam sensu reclamante. Cum enim dixisset: *Pro vo-*

bis gratias agere Deo debemus, idque explicare vellet; utique consequens erat, ut commemorationem beneficii in Thessalonicenses collati subjungeret, dicendo: *Quod elegerit vos Deus* etc. Alterum est, pro vocabulo *primitias* in Graeco legi ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ab initio,* vel ut Ambrosianus habet, *a principio:* cui lectioni Syrus etiam interpres adstipulatur. Id vero Cajetanus exponit de initio Evangelicae praedicationis: alii *ab initio* volunt idem esse, quod ab aeterno, sicut apud Joannem 1 Epist. 1. *Quod fuit ab initio* etc.

Porro non dubium, quin noster interpres in Graeco legerit ἀπαρχὴν una dictione, id est, *primitias;* quod etiamnum in Graecis nonnullis haberi testatur Gaignaeus. Lectio sane probabilis; nam et alibi sic Apostolus loquitur, ut eos, qui ex aliqua regione primi ad fidem conversi sunt, ejus regionis primitias vocet, tanquam fructus primigenios Deo oblatos, ut Rom. 16. Epaenetum primitivum Asiae, et 1 Cor. 16. Stephanam et Fortunatum primitias Achaiae; nam utrobique Graece est ἀπαρχή. Sic igitur Thessalonicenses simpliciter vocat primitias a Deo electas, sive assumptas, sive separatas, ad salutem: eo quod primi ferme inter gentiles fidem recepissent. Certe ad eos primos Apostolus suas scripsit Epistolas. Est autem allusio ad separationem primitivorum, quae secundum legem Mosaicam fiebat. Exod. 35. Num. 15. et alibi. Atque hunc sensum reddunt Latinorum commentarii. Utrovis autem modo scripserit Apostolus; in eo tamen, quod ait: *Dilecti a Deo, quod elegerit vos;* significare voluit, electionis nostri causam non esse merita nostra, sed bonitatem Dei, qua nos prior dilexit.

In sanctificatione Spiritus et in fide veritatis. Significantur effectus electionis divinae, ordinati ad salutem; quasi dicat, elegit aut assumpsit vos Deus in salutem, mediis ad eam concessis, nimirum *sanctificatione spiritus et fide veritatis. Sanctificationem spiritus* vocat, vel tanquam causae, ut intelligatur Spiritus sanctus, cui velut auctori sanctificatio nostra solet appropriari; vel tanquam subjecti, ut spiritus accipiatur humanus, id est, anima, in qua sanctitatis donum principaliter residet. Hanc posteriorem expositionem probabilem facit illud prioris Epistolae cap. 5. *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester* etc. Nec non illud Petri Act. 15. *Fide purificans corda eorum:* unde et hic adjungitur *fides veritatis,* scilicet Evangelicae, tanquam illius sanctificationis causa; ut intelligerent se sanctificatos ac justificatos non per sua opera, sed per fidem. Verumtamen prior expositio multorum est; et ad eam invitat locus 1 Petr. 1. huic satis similis, qui sic habet: *Electis secundum praescientiam Dei Patris in sanctificatione spiritus* etc. Ubi Spiritum sanctum pene omnes intelligunt, ipsius loci circumstantia persuasi, quemadmodum illic videbitur.

14. *In quam et vocavit vos per Evangelium nostrum.* Multi codices tam manuscripti, quam impressi legunt: *Ad quod et vocavit vos* etc. consentanee cum Graecis, nisi quod in his non invenitur conjunctio *et,* quam nec Ambrosianus agnoscit. Syriaca versio sic habet: Ad haec enim vocavit vos. Illud igitur, *ad quod,* complectitur utrumque, scilicet sanctificationem spiritus et fidem veritatis; ut sensus sit: Thessalonicenses ad fidem et ad sanctitatem a Deo vocatos esse per ministerium Pauli, praedicantis eis Evangelium. Vocationem autem intelligit efficacem, quae est electionis effectus.

In acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi. Ne sibi laudis aliquid vendicare videretur, quia dixerat, *per Evangelium nostrum;* idcirco totum nunc refert in gloriam Christi; simul insinuans, nec Thessalonicenses habere, quod de fide sua glorientur in seipsis, cum et illa ad gloriam Dei, ut auctoris, referenda sit; quemadmodum hic diserte post Chrysostomum Theophylactus annotat. Juxta quod sensus est, Deum ea, quae commemorata sunt, fecisse, ut gloriam Christo Domino nostro acquireret et

cumularet; utpote per cujus meritum ea omnia praestitisset.

Est et alius sensus, haudquaquam improbandus, Deum vocasse Thessalonicenses per Evangelium Pauli in acquisitionem gloriosam Christi Domini, hoc est, ut ejus essent gloriosa possessio, sanguine ipsius acquisita. Nam acquirere et possidere vocabula sunt vicinae significationis, praesertim secundum Hebraicae linguae proprietatem. Ecclesiam autem ex gentibus collectam esse possessionem atque haereditatem Christi praeclaram et gloriosam, testantur Scripturae Psalm. 2. et 15. Jes. 49. et alibi.

15. *Itaque fratres state.* Id est, persistite firmi et constantes in fide et vocatione vestra, qua vos Deus per gratiam suam dignatus est. *Et tenete traditiones, quas didicistis.* Graece: *quas docti estis,* id est, quas ego vos docui. Quo verbo obiter suum commendat officium.

Sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Partitio est traditionum. Porro traditiones vocat doctrinas et instituta religionis Christianae, sive ea pertineant ad fidem sive ad externum cultum religionis, ut sunt ceremoniae; nam de hoc secundo genere dixerat Apostolus 1 Cor. 11. *Caetera cum venero disponam,* et cap. 14. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Hic vero traditiones dividit in scriptas et solo sermone traditas, quas Graeci vocant ἀγραφὰς, id est, non scriptas. Quae quidem non illae dicuntur, quae nusquam reperiuntur, sed quae non exstant in Scripturis sacris, quasque ab Apostolis acceptas successores eorum nobis velut per manus tradiderunt, tametsi inter hos non deessent, qui et illas scripto mandarent.

Hic locus apertissime docet, non omnia, quae vel credere vel agere divinitus jubemur, quaeve ab Apostolis instituta sunt, esse sacris literis comprehensa, quod volunt haeretici, sed quaedam in traditione non scripta contineri, ita ut ab initio nascentis Ecclesiae Christianae religio duplici velut jure fuerit gubernata, scripto et non scripto; tanquam legibus et consuetudine: quod cuique bene institutae reipublicae commune est. Unde Chrysostomus in praesentem locum: Hinc perspicuum est, inquit, Apostolos non omnia tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem fide dignam esse censeamus. Traditio est, nihil quaeras amplius. Haec ille, quae totidem fere verbis a Theophylacto repetita sunt.

De traditionibus non scriptis, et earum pari cum scriptis auctoritate consulantur veteres, Irenaeus lib. 3. contra haereses cap. 3. et 4., Tertull. lib. de corona mil. cap. 3., Basilius ad Amphil. de Spiritu sancto cap. 29., Epiphanius haeresi 61. et Augustinus Epist. 118. ad Januarium. Quorum atque aliorum Patrum sententiis inhaerens synodus Tridentina sess. 4. cap. 1. declarat, veritatem et disciplinam Ecclesiae contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt: atque earum contemptores anathemati subjecit.

Frivolum est autem, quod ad praesentem locum adversarii respondent, Apostolum ea, quae sermone tradidit, postea scripto consignasse in aliis Epistolis, ac proinde nihil esse sermone traditum, quod non sit scriptum: quasi videlicet consulto egerint Apostoli, ut si quod divinorum dogmatum una eorum Epistola non haberet, id in alia vel aliis insererent, aut quod unus eorum praetermisisset, alius suppleret, ne quid omnino non scriptum remaneret: cum res ipsa clamet, eos non ex composito dogmata Christianae religionis in scriptum redegisse, ut quibus non scribendi, sed praedicandi Evangelii negotium a Christo commissum esset, sed pro natis occasionibus, quaedam mandasse literis ad absentes datis, quae profecto scripturi non erant, si vel praesentes fuissent iis, ad quos scribebant, vel occasio defuisset. Nisi enim, exempli

gratia, Timotheus absens a Paulo fuisset, non haberemus hujus ad illum duas Epistolas multiplici ac necessaria doctrina, quae alibi non habetur, refertas. Et, ut de re praesenti loquamur, nisi Thessalonicenses falsa persuasione instantis diei Domini fuissent turbati: nihil utique de discessione et homine peccati, ante diem Domini venturis, scriptum ab Apostolo fuisset.

Videtur autem Apostolus hanc de traditionibus retinendis admonitionem subtexere, quod viderentur Thessalonicenses acceptarum traditionum non satis esse memores: *Num retinetis,* inquit paulo superius, *quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?* Monet igitur in universum, ut traditiones, quas ab ipso vel praesente per sermonem vel absente per Epistolam didicerant, memoria, fide, observatione firmiter retineat. Loquitur autem de Epistola sua priore.

16. *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster.* Doctrinam et exhortationem praecedentem voto concludit, quo precatur illis a Deo consolationem et confirmationem in omni bono. Graeci commentatores ex eo, quia Filius ante Patrem nominatur, quod alioqui praeter ordinem est naturalis originis, argumentum contra Arianos sumunt aequalitatis Filii cum Patre. Quanquam Apostolo commutandi ordinis causa fuit, quod proxime Filii mentionem fecisset illis verbis: *In acquisitionem gloriae Domini nostri* etc. Quasi ergo sic dicit: Idem ipse Dominus noster Jesus Christus et Deus Christi Pater, qui idem est Pater noster tanquam filiorum adoptionis.

Qui dilexit nos. Hoc si ad solum Patrem referatur, sensus erit: Qui dilexit nos, ut pater filios, quos constituit per adoptionem suos haeredes ac filii sui naturalis cohaeredes. Verum quia postrema verba sententiae: *exhortetur et confirmet,* necessario tam ad Filium quam ad Patrem referenda sunt, alioqui priori supposito nullum verbum responderet totaque oratio relinqueretur imperfecta, consequens est, ut et priora verba *dilexit* et *dedit,* quae in Graeco participia sunt, ad utrumque referantur. Igitur uterque dilexit nos, quatenus ab aeterno voluit nobis bonum adoptionis et vitae aeternae.

Et dedit consolationem aeternam. Id est, aeternis bonis innixam, quam nimirum parit in nobis spes futurorum et aeternorum bonorum, quae nobis promisit. Unde explicando sequitur: *Et spem bonam in gratia. Spem bonam,* objective et emphatice, quod sit de bonis non vulgaribus, sed optimis ac praecipuis. Addit autem: *in gratia,* id est, per gratiam, quae clausula quamvis apte jungi possit sequentibus, plerique tamen praecedentibus annectunt, ut humana merita, quaecumque non ex gratia sunt, excludat a beneficiis commemoratis, ac potissimum a beneficio dilectionis et electionis divinae, cujus nulla fingi possunt in nobis merita:

17. *Exhortetur corda vestra.* Quamvis Graecum verbum παρακαλέσαι tam exhortari, quam consolari significet; potius tamen huic loco conveniebat, *consoletur;* quomodo verterunt alii, Syro quoque interprete et Ambrosiano suffragantibus. Nam et paulo ante παράκλησιν, nomen ab hoc verbo derivatum, *consolationem* reddidit ipse noster interpres. Nec repugnat, quod interpretem forte movit, Apostolum precari a Deo consolationem iis, quibus jam datam esse dixerat, tum quia verba illa: *Qui dilexit nos, et dedit consolationem* etc., dicuntur ab eo generatim in persona fidelium, tum quia sensus hujus partis est: Excitet et augeat in cordibus vestris consolationem inter persecutiones et *tribulationes, quas patimini pro regno Dei,* quemadmodum dixit primo capite.

Et confirmet in omni opere et sermone bono. Graece: *In omni sermone et opere bono. Sermonem* pro doctrina positum recte plerique interpretantur. Sic enim passim accipitur in Actis et literis Apostolicis. Sic et in eo, quod hic statim sequitur: *Ut sermo Dei currat.* Itaque sensus est: Et stabiliat vos ac perseverare faciat in omni bona doctrina atque in

omni genere bonorum operum. Totus hic locus haud obscure facit ad comprobandam divinitatem filii Dei, ejusque cum Patre aequalitatem. Tribuit enim Apostolus eadem opera Filio et Patri prorsus indivisim, adeo ut ad significandam operationis ab utroque profectae identitatem verbis utatur numeri singularis: *dilexit, dedit, exhortetur* et *confirmet.* Atque hoc est, quod ipse Dominus apud Joannem ait cap. 5. *Quaecunque Pater facit, haec et Filius similiter facit.*

CAPUT TERTIUM.

De caetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat[1]), et clarificetur, sicut et apud vos: 2. et ut liberemur ab importunis et malis hominibus[2]): non enim omnium est fides. 3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo[3]). 4. Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quae praecipimus, et facitis, et facietis. 5. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei et patientia Christi. 6. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre[4]) ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 7. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: 8. neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus[5]). 9. Non quasi non habuerimus potestatem[6]), sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 10. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet[7]). 11. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. 12. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent[8]). 13. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes[9]). 14. Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur[10]): 15. et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem[11]). 16. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco[12]). Dominus sit cum omnibus vobis. 17. Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni Epistola[13]), ita scribo[14]). 18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

---

1) Col. 4, 3. 2) Cap. 2, 2. 3. 1, 4. 3) 1 Thess. 5, 24. Phil. 1, 6. 1 Cor. 1, 9. 4) Vers. 14. Rom. 16, 17. 5) 1 Thess. 2, 9. 10. Act. 20, 33. 34. 6) 1 Cor. 9, 14. Luc. 10, 7. 7) 1 Mos. 3, 19. 8) 1 Thess. 4, 11. 12. 9) Gal. 6, 9. 10) Vers. 6. 11) 1 Thess. 5, 14. 12) 2 Cor. 9, 8. 13) 1 Cor. 16, 21. 14) Cap. 2, 2.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Rogat, ut pro se orent; admonet, ut inquietos et turbulentos atque otiose agentes vitent, et contumaces notent: denique pacem iis precatur.

1. *De caetero, fratres, orate pro nobis.* Graece: *Quod reliquum est, orate fratres pro nobis.* Postulat Thessalonicensium orationes pro se suisque collegis Evangelii ministris. Nam eos, quod in commune Ecclesiae bonum laborarent, omnium precibus adjuvari justum erat: causam publicam ostendit, quod sequitur.

Ut sermo Dei currat et clarificetur. Graece: *Ut sermo Domini currat et glorificetur.* Id est, ut evangelica doctrina per nostram praedicationem feliciter ac sine impedimento propagetur ac proficiat; utque celebris efficiatur, atque de ea homines ubique bene loquantur. Hoc enim est, verbum Dei glorificari; quod quidem fit, dum Christianorum vita professioni respondet. Tale est, quod Tito praecipit cap. 2. *Verbum sanum, irreprehensibile; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Nonnulli glorificationem verbi Dei intelligunt per miracula: sed si per miracula glorificatur, quanto magis per inculpatam vitam credentium? Matth. 5. et 1 Pet. 2.

Sicut et apud vos. Subaudi, glorificatus est sermo Domini. Tacitam laudem Thessalonicensium, qua ad majorem profectum incitentur, haec adjectio continet.

2. *Et ut liberemur ab importunis et malis hominibus.* Pro *importunis,* Graece est ἀτόπων, qua voce significantur homines absurdi, improbi, insolentes. Quidam putant, in genere notari malos Christianos, per quos infamabatur nomen Christi: sed magis apparet, Judaeos peculiariter intelligi; sive eos, qui cum Christo nomen dedissent, Judaismum tamen pertinaciter fovebant, sive qui Christianam fidem et praedicatores ejus aperte persequebantur. Utrique enim Evangelii cursum impediebant, et Paulo erant infensi; sed posteriores magis. Nam, ut docet Actorum apostolicorum liber, ubicunque Paulus Evangelium praedicabat, statim Judaei zelo malo exagitati, pervertere studebant ac destruere, quicquid ille promovisset. Vide librum Act. 13. 14. et 17. Quo postremo loco narratur, quemadmodum Judaei primum Thessalonicae, deinde Beroeae turbas concitaverint Paulo et Silae, propter Evangelium Christi in illis civitatibus praedicatum; ut omnino verisimile sit, ad ejusmodi Judaeorum importunitates et persecutiones, ipsis etiam Thessalonicensibus notas et compertas, Apostolum hic respexisse. Forsan et ad etymon vocabuli ἀτόπων allusit, quod sonat loci privationem: nam Judaei Pauli persecutores loco nusquam consistebant, sed velut eadem Actorum historia declarat, de civitate in civitatem Paulum insequebantur, ut a fide Christi, quam ille praedicabat, homines averterent. A talibus ergo liberari se petit, ne pergant fructum praedicationis ejus impedire.

Non enim omnium est fides. Qui partem praecedentem de malis Christianis accipiunt, hujus sensum ita reddunt: Non enim omnes, qui se fideles profitentur, vere et ex animo tales sunt; sed multi eorum ficti sunt Christiani et falsi fratres, ut mirum non sit, si a talibus, tanquam improbis et malis hominibus, liberari cupiam. Sed quoniam id, quod praecedit, ostensum est probabilius intelligi de Judaeis aperte Christianam doctrinam insectantibus; idcirco pars ista cum superiori connectenda erit hoc modo: Orate pro nobis, ut liberemur ab importunis et malis hominibus, qui verbi Dei cursum impediunt: quod mirandum non est eos facere, quia non omnium est fides, id est, non omnibus datur ut credant, non omnes ad propositum Dei pertinent, vocantis ad fidem efficaci sua vocatione, et sicut ad Rom. 10. dicit: *Non omnes obediunt Evangelio.* Hic igitur insinuatur, fidem esse singulare Dei donum, quod non sit omnibus a Deo concessum. Id quod non tantum de habitu fidei, sed

etiam de actu procul dubio accipiendum est.

Porro quod ex hac sententia sectarii inferunt, neminem poenis ad fidem compellendum esse; id certe non magis consequens est de fide, quam de justitia, castitate, aliisque virtutibus; quae omnes dona Dei sunt, et tamen poenis cohibentur adulteri, fures, homicidae, atque ad virtutes his contrarias indirecte coguntur. Cur non etiam ad fidem? Etenim haec omnia ita sunt Dei dona, ut tamen ad ea suscipienda atque exercenda homines poenis admoniti libera voluntate moveantur; adeo ut et charitatem timor introducat.

3. *Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos et custodiet a malo.* Quamvis, inquit, sint, qui fidem graviter oppugnent, non est quod turbemini: nam fidelis est Dominus Christus, id est, verax et constans in promissis; ideoque vos confirmabit in fide, ne ab ea excidatis, et custodiet a malo, id est, ab adversario, scilicet diabolo, ne per malos homines velut artis suae instrumenta fidem vestram subvertat. *Malum,* Graece πονηρὸν, ad personam referri, et proinde non alium intelligi, quam diabolum, sicut intelligunt Theophylactus et Oecumenius, probabile est ex parte praecedenti: *Et malis hominibus,* ubi idem est in Graeco vocabulum. Nam et alibi saepe, per antonomasiam, eo nomine diabolus significatur, quod omnium malorum caput sit et princeps: ut in oratione Dominica: *Libera nos a malo.* Item Matth. 13. *Venit malus, et rapit, quod seminatum est.* Et rursus ibidem: *zizania filii sunt nequam,* Graece illius mali. Et Ephes. 6. *In quo possitis omnia tela nequissimi,* Graece, illius mali, *ignea extinguere.*

Quaeritur, cur haec Apostoli sententia non reddat certos tam Thessalonicenses, quam caeteros fideles, quod sint in fide et gratia Dei perseveraturi. Cum enim fidelis sit Dominus, qui promisit, nulla potest esse de re promissa, id est, de salute nostra, dubitatio; quemadmodum ex hoc loco argumentantur haeretici. Respondeo, nos de fide et veracitate Dei, et consequenter de promissis ejus, certissimos esse: verum haec non ad omnes fideles pertinent, sed proprie ad electos; in quorum tamen numero quisque fidelium collocare se debet per spem et bonam fiduciam. Verba igitur ista non fidem perseverantiae suae ab unoquoque exigunt; sed fiduciam excitant, quod sint perseveraturi; quatenus confidunt, se esse in numero electorum, ad quos solos pertinent absolutae promissiones novi testamenti. Similes sententiae sunt 1 Cor. 1. et 10. et 1 Thess. 5. Quin et hoc loco non aliud, quam fiduciam exigi a Thessalonicensibus probat, quod sequitur:

4. *Confidimus autem de vobis in Domino.* Id est, per Dominum, per gratiam Domini Jesu Christi.

Quoniam quae praecipimus, et facitis, et facietis. Graece: *Quod quae praecipimus vobis, et facitis et facietis.* Id est, quod praecepta a me vobis tradita servatis, et, si quid minus servatum sit hactenus, id in posterum melius servaturi estis. Non ignorabat Apostolus, quaedam sua praecepta a quibusdam eorum non bene servari: nam de talibus corrigendis paulo post agit. Sed tamen vere dicit *facitis,* quia multi faciebant; quos et hoc verbo collaudat, sed ita ut addendo, *et facietis,* omnes excitatos velit ad faciendum plenius, quae praecepta erant. Male quidam codices habent, *praecepimus;* tam Graecis, quam manuscriptis Latinis, cum Ambrosiano et editione Clementina reclamantibus; licet significatio verbi: *Praecipimus,* ex Apostoli mente, etiam ad praeteritum extendatur. Intelligit enim praecepta et hujus et prioris Epistolae; nec non quae ante utramque Epistolam solo sermone tradiderat.

5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.* Graece: *In charitatem Dei, et in sustinentiam Christi.* Ambrosianus: *In dilectionem Dei et expectationem Christi.* Qui retinent ablativos, ita exponunt: Dominus corda vestra dirigat in charitate

Dei et patientia Christi; velut exemplari vobis proposito; hoc est, ad imitandam charitatem Dei, qua sic dilexit mundum, ut pro ejus salute daret unigenitum; itemque; ad imitandam patientiam Christi, qui pro nobis dedit semetipsum in mortem; qua in re, praeter redemptionis mysterium, reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Verum Graeca lectio alium sensum postulare videtur, quem et Graeci interpretes magis probant; secundum quem hi genitivi *Dei* et *Christi* sumuntur passive: praesertim cum *patientia* in Graeco sit ὑπομονή, qua voce sustinentia, id est patiens exspectatio rei desideratae significatur; ut sensus sit: Opto vobis, ut Christus Dominus corda vestra dirigat, moveatque magis ac magis ad dilectionem Dei, id est ad diligendum Deum; et ad sustinentiam Christi, id est ad exspectandum patienter adventum Christi remuneratoris. Nam hujus exspectationis in utraque Epistola jam saepe meminit; et ad hunc modum saepe Scriptura loquitur, ut Psalm. 24. *Universi, qui sustinent te, non confundentur.* Et iterum: *Te sustinui tota die.* Et Psalm. 26. *Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Et Psalm. 32. *Anima nostra sustinet Dominum.* Et Psalm. 36. *Sustinentes Dominum ipsi haereditabunt terram.* Quibus locis et similibus semper in Graeco est verbum ὑπομένειν, quod interpres alibi vertit, *exspectare:* ut Psalm. 39. *Exspectans exspectavi Dominum.* Porro sententiam hanc apposite praecedenti, in qua praeceptorum suorum mentionem fecerat, subjunxit Apostolus; ut ostenderet, quae Deus sive per se, sive per homines, praecipit, sine ipsius gratia salubriter impleri non posse.

6. *Denunciamus autem vobis fratres.* In superiori epistola cap. 4. et 5. monuerat Thessalonicenses de quibusdam eorum inquiete, otiose et curiose agentibus; jubens eos corripi et ad opus manuum revocari. Id quia nondum satis praestitum erat, in eosdem nunc severius aliquid statuit. *Denunciamus,* Graece *praecipimus.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Quidam obtestationem esse putant, quasi dicat, *per nomen Domini nostri* etc. Sic enim Erasmus et Hentenius verterunt. At multo rectius est, ut auctoritatis sit allegatio; quomodo phrasis haec: *In nomine,* frequenter accipitur in Scripturis; ac nominatim 1 Cor. ubi in negotio simili verba haec eadem interponit, ostendens se id, quod facit, nam de excommunicando Corinthio fornicario illic agitur, in nomine Domini nostri Jesu Christi facere. Sensus ergo est: Praecipimus vobis nomine et auctoritate Christi Domini, cujus sumus vicarii, idque potestate ab eo accepta. Haec fere omnium expositio est; quam ipse quoque Erasmus in paraphrasi sequitur. Ex ea vero liquet, Ecclesiae praefectis datam esse a Christo potestatem praecipiendi, legesque condendi; quod negant haeretici hodierni.

Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Id est ne conversemini cum hujusmodi fratre seu Christiano, sed ab ejus consortio vos subducatis. Id enim est, quod infra dicit: *Ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Et 1 Cor. 5. *Cum ejusmodi nec cibum sumere. Ambulantem* seu conversantem *inordinate* intelligit eum, qui quod sui est ordinis atque officii non facit, et facientes turbat. De talibus jam dictum est ultimo capite prioris Epistolae ad illud: *Corripite inquietos;* Graece, *inordinatos.*

Et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Graece, *accepit,* numero singulari, ut ad fratrem referatur. Sensus est: Et non secundum doctrinam et institutionem a me illis traditam. Hanc *traditionem* Graeci interpretantur ipsius Pauli exemplum propositum illis ad imitandum: nam hujus meminit verbis proxime sequentibus. Alii intelligunt sententiam illam Thessalonicensibus ab Apostolo traditam, ut ipse infra testatur: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Simplicius est, si dicamus, Apostolum in

genere loqui de institutione vitae Christianae; sub qua illud imprimis comprehenditur, unumquemque operi suo intentum esse debere, ex quo, si egeat, victum sibi paret. Nam et hoc specialiter Apostolum Thessalonicensibus praecepisse, ipse diserte testatur in priori epist. cap. 4.

Hic quaeri potest, an Apostolus eos, quos vitari praecipit, excommunicandos censuerit. Et eadem est quaestio de iis, contra quos agit 1 Cor. 5. dicens: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus* etc., *cum ejusmodi nec cibum sumere.* Respondeo secundum ea, quae diximus in ejus loci commentario, genus aliquod excommunicationis utrobique significari; nimirum tale, quod medium sit inter majorem excommunicationem et minorem, quas hodie vocamus. Nam excommunicationem in his locis agnoscunt commentatores Chrysostomus, Theophylactus, Aquinas et Cajetanus. Quin et Augustinus utrumque locum de excommunicatione interpretatur, lib. 3. contra epist. Parm. cap. 2. et contra Donatistas post. collat. cap. 4. Item lib. de fide et op. cap. 2. et hom. 50.

Majorem tamen excommunicationem non significari, satis apparet; quia hos Apostolus non tradit aut tradi jubet Satanae, sicut Corinthium illum; et 1 Tim. 1. Hymenaeum et Alexandrum; sed tantum vitari praecipit, utpote, quorum vitia non quidem enormia erant, ut propter ea praecidi mererentur a corpore Ecclesiae, et foras projici; sed ejusmodi tamen, propter quae vitandi essent a fidelibus. Unde nec minor excommunicatio significatur: haec enim non a consortio fidelium, sed tantum a sacramentis Ecclesiae removet hominem. Fatentur etiam et conqueruntur Chrysostomus et Theophylactus. hunc excommunicandi modum suo jam tempore exolevisse; quando tamen in usu fuisse constat excommunicationem majorem. Exolevisse autem intellige in communi plebe fidelium: nam adhuc usum habet, ut Cajetanus testatur, in monasteriis, dum vel a templo, vel a conversatione fratrum, vel a mensa aliqui propter delicta separantur.

7. *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos.* Id est: Scitis, quale exemplum ipse vobis dederim, quod imitari debeatis. Id declarat sequentibus verbis.

Quoniam non inquieti fuimus inter vos. Inquieti, Graece, ἠτακτήσαμεν, id est, *inordinati fuimus, inordinate nos gessimus;* ut Erasmus vertit. Nam quod Ambrosianus legit, *intemperanter viximus,* minus quadrat. Est autem sensus: non egimus vitam inordinatam et incompositam apud vos: non fuimus otiosi, inhiantes laboribus et mensis alienis. Cum Apostolus hic perpetuo loquatur in numero plurali; verisimile est, ipsum non in sua tantum persona loqui, verum etiam collegarum Silvani et Timothei; licet haec omnia ipsi perfectius quam caeteris competerent.

8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo.* Pro *manducavimus,* Graece est: *accepimus,* Ambrosiano suffragante, quanquam sensus idem est. Neque gratis, inquit, panem manducandum a quoquam vestrum accepimus. *Panem* nominans, per synecdochen Hebraeis familiarem intelligi voluit omne genus cibi. Quod ait: *gratis,* vel intellige secundum quod homines inconsiderati et carnaliter affecti judicare solent; non enim revera gratis panem manducat, qui Evangelium annuntians de Evangelio vivit etiamsi manibus non operetur; accipit enim rem jure debitam, sicut ipse Apostolus ex professo docet 1 Cor. 9., et hic quoque paulo post significat, potestatis suae mentionem faciens: vel *gratis,* hoc est, sine pretio, cujusmodi est opera aut pecunia, qua panis emitur.

Nam etsi praedicatori evangelico victus jure debeatur, non tamen ut pretium laboris, sed ut honorarium juxta illud 1 Tim. 5. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Huic intellectui favet, quod sequitur:

Sed in labore et in fatigatione. Id est cum labore et fatigatione, sive ut alii

vertunt: sudore. Nam vox Graeca μόχθος, laborem significat graviorem, qui fatigare hominem ac sudorem exprimere solet. Eadem vocabula conjunxit 1 Thess. 2.

Nocte et die operantes. Subaudi: Manducavimus panem. Significatur operandi assiduitas, qua sibi victum necessarium comparabat. De hac phrasi in Scripturis frequentata dictum quoque est in priori Epistola.

Ne quem vestrum gravaremus. Id est ne cui vestrum essemus oneri, videlicet a vobis accipiendo vitae necessaria. Horum praestationem onus vocat Apostolus, non solum ad Thessalonicenses scribens, qui tenuiores erant, verum etiam ad Corinthios divites, 2 Cor. 11. et 12. Non ergo respicit hic ad paupertatem Thessalonicensium, ut quidam putant, sed loquitur ad hunc modum, vel quia carnales homines id onus reputant, si quid dandum sit Ecclesiae ministris, vel ea ratione, qua debitum omne solet onus vocari.

9. *Non quasi non habuerimus potestatem.* Graece: *Non quia non habemus potestatem.* Id est: Non ideo manibus nostris nos transegimus, nihil a vobis accipientes, quod non haberemus potestatem gravandi vos, cum ea potestas vere et quidem ex ipsius Christi ordinatione nobis competat, ut Evangelii ministris. Minus recte vertit Erasmus: *non quod id nobis non liceat,* plus est enim potestatem habere faciendi quippiam, quam licere, ut facias. Significat autem Apostolus, sibi potestatem et jus esse percipiendi carnalia ab iis, quibus spiritualia ministrabat, utens eadem voce Graeca ἐξουσία, quam 1 Cor. 9. identidem repetit, de jure hujusmodi disserens. Quo loco Erasmus aliique interpretes *potestatem* vertere non dubitarunt.

Sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Id est ut facto nostro vobis praeberemus exemplum, quod imitaremini. Observa, non eandem Apostolo causam fuisse nihil accipiendi a Thessalonicensibus et a Corinthiis: nam Thessalonicensibus, apud quos multi erant otio dediti et de alieno viventes, exemplum dare voluit victum proprio labore quaerendi. Corinthiis autem divitibus et avaris ideo pepercit, ut eorum pseudapostolos, qui manus habebant ad accipiendum promptas, hac gloria superaret atque ea ratione commendabilius redderet suum Evangelium. Latet autem in praesenti loco argumentum hujusmodi. Si ego, cui stipendium ratione Evangelii annuntiati debebatur, jure meo cessi, nihil a vobis accipiens, sed opere manuum vitae necessaria quaerens: quanto minus ferendum est, ut qui nihil agunt, ex alieno vivant!

10. *Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis.* Graece: *praecipiebamus vobis*, hoc nempe, quod sequitur:

Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Loquitur de opere manuum, de quo in superioribus. Nam et in priori Epist. cap. 4. id expressit, ita scribens: *Et ut operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis.* Quo etiam loco explicatum est, quid per *opus manuum* intelligatur. Notandum quoque, non dicere Apostolum: *Si quis non operatur*, sed *si quis non vult operari.* Nam si quis velit quidem, sed non possit, sive ob virium imbecillitatem, sive quia non invenit, quod operetur; is huic sententiae non fit obnoxius. Jam quod ait: *nec manducet,* quidam prohibitive exponunt hoc modo: Ne detur ei, quod edat; ut sic ipsa necessitate compellatur ad opus. Sed huic sensui contrarium esse videtur, quod infra dicitur: *Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes;* praesertim cum non sit cujusvis judicare, num quis non velit operari.

Quocirca magis qlacet haec aliorum expositio: Si quis detrectat operari, dignus non est, qui manducet, ac proinde si fame conficiatur, imputet inertiae ac desidiae suae. Sic e diverso dictum est a Domino Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Et de muliere forti scriptum est Prov. ult. *Panem otiosa non comedit.* Vocat autem hanc suam sententiam Apostolus praeceptum, quia tacite continetur

in ea praeceptum operandi manibus, id quod in priori Epistola expressum esse jam diximus. Facit hic locus contra validos mendicantes, pigros, inertes, otiosos, opus etiam oblatum refugientes et ad nihil utiles, nisi ut fruges consumant alienas. Adversus quod genus legibus et poenis agere merito deberent Christiani magistratus, vel haec de causa, quod multam malitiam docet otiositas Eccl. 33. Videri potest Codex Theod. lib. 14. Tit. 18., qui est de mendicantibus non invalidis, et apud Justin. C. lib. 11. tit. 25. et S. Thom. 2. sec. q. 187. art. 5. ad 3.

Caeterum nimis improbe detorquent haeretici sententiam apostolicam contra fratres ordinum mendicantium ab Ecclesia approbatorum, qui cum non vacent inerti otio, sed pro salute generis humani sanctos labores subeant, legendo, docendo, praedicando, confessiones poenitentium audiendo; nihil interim quasi pro jure exigentes, sed humiliter a populo mendicantes, quod manducent: profecto dignissimi sunt, quibus victus necessarius liberaliter subministretur. Qua de re nonnulla jam diximus in priori Epist. Tale quid etiam de doctoribus alendis annotatum est a Theophylacto. Qui vero monachi, et quatenus ad opus manuum induci debeant, Augustinus docet in libro de opere monach.

11. *Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquiete.* Graece: *Audimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinate.* Verbo praesentis temporis: *audimus,* quod et in nonnullis est Latinis, significatur fama perseverans etiam post admonitionem prioris Epistolae. Reddit igitur causam, cur nunc rursum de iisdem admoneat, et quidem severius, eo nimirum, quod malo nondum esset adhibitum remedium. Quos vocet *ambulantes,* hoc est, versantes *inordinate,* dictum est supra. Sed et ipse Apostolus exponit sequentibus verbis:

Nihil operantes, sed curiose agentes. Elegans in Graeco est *παρονομασία,* quam interpres reddere non potuit: ita autem sonat quasi dicas: *Nihil operantes, sed circumoperantes.* Notantur duo vitia fere conjuncta, otium et curiositas. Sic enim comparatum est, ut otiosi homines, id est qui nihil operis ipsi faciunt, huc illuc circumcursitent, faciantque se spectatores et censores operum alienorum. Id enim significare voluit Apostolus Graeca voce περιεργαζόμενοι.

12. *Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo.* Graece: *Talibus autem praecipimus, obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum.* Iteratio est praecepti, cujus jam ante meminit, sed ne toties praecipiendo videatur imperiose agere, praecepto jungit obsecrationem. Quod vero sequitur: *In Domino,* seu per Dominum etc., dupliciter accipi potest, vel ut significetur auctoritas a Christo data, quomodo in Epistola priori cap. 4. dicit: *Scitis enim, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum,* id est jussu et auctoritate Domini Jesu, vel ut sit obtestatio, quomodo dicit ad Rom. 12.: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei.* Qui posterior sensus magis convenit, quia clausula *per Dominum* etc., non adjungitur verbo *praecipimus,* sed verbo *obsecramus.* Est igitur amplificatio per incrementum in verbis Apostoli, quasi dicat: Non praecipio tantum, sed et obsecro, nec id quomodocunque, sed per Dominum nostrum Jesum Christum, quod est vehementer obtestantis: nihil enim majus, nihil carius, per quod obsecraret, nominare potuit.

Ut cum silentio operantes panem suum manducent. Graece: *Ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant.* Nam et Ambrosianus *cum quiete* legit. Breviter Apostolus duo vitia, quae notaverat, corrigit, *quietem* opponens curiositati et *operationem* otio. Operatur ergo cum silentio et quiete, qui rerum alienarum incuriosus, suo operi incumbit; habet autem emphasim, quod ait: *panem suum,* quasi dicat: non alienum, sed suum ipsorum panem comedant; qualis maxime est, quem quisque suo labore quaesivit.

13. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.* Pro *deficere,* apud Ambrosianum legitur *defatigari,* quod et alii malunt: ut et in simili sententia, quae est Gal. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus,* vertunt: *non defatigemur,* tametsi Graecum verbum facile utrumque admittit. Hic jam alloquitur Apostolus eos, qui ipsius praecepta servabant; et monet, ne propter hoc, quod quidam liberalitate fratrum abutuntur ad otium et inertiam, remissiores fiant ad largiendum. Nam et si illi cibo sint indigni: non deesse tamen alios, infirmos, afflictos, miseros, veros Christi pauperes, in quos beneficentiam exerceant, sed et priores illos in necessitate non esse deserendos. Est enim haec sententia generalis, sicut et illa ad Gal., ideoque non restringenda ad certum genus hominum, quibus benefaciendum Apostolus moneat.

14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate.* Praeceptum hoc ad Praelatos spectat, quo jubentur inobedientes notare. Chrysostomus pro *nostro* legit *vestro,* totamque sententiam exponit hoc modo: Si quis non acquiescit vobis, ipsi dicentibus ea, quae per Epistolam hanc meam didicistis: illum mihi denuntiate. Quam lectionem et sensum Theophylactus ita refert, ut approbet. Verum ea lectio in nullis hodie codicibus reperitur, ne Graecis quidem.

Dubitet autem aliquis, utrum pars illa *per Epistolam* ad superiora referri debeat, an ad sequentia. Quod si ad sequentia, sensus hic erit: Si quis praecepto nostro non obedit, eum mihi per Epistolam significate, ut pro disciplina ecclesiastica mihi commissa, severius cum eo agam.

Sed plerique ad superiora referunt, hoc sensu: Si quis non obedit praecepto meo, quod per hanc Epistolam vobis significo; eum notate, ut vitetur ab omnibus. Haec autem notatio non aliud erat quam excommunicatio illa, de qua supra locuti sumus, qua nimirum praefecti publice ac nominatim eos designabant, a quorum consortio fidelibus esset abstinendum. De qua vide Theophylactum in comment. et Augustinum locis ante citatis, ac praecipue lib. 3. contra Epist. Parm. cap. 4.

Recte vero Cajetanus monet, Apostolum respicere ad poenam superius decretam illis verbis: *Ut subtrahatis vos ab omni fratre* etc., eamque nunc restringere ad eos, qui post hanc Epistolam admoniti non obedirent. Huic sensui congruit, quod sequitur:

Et ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Hoc est, et ne cum eo commercium ullum habeatis, ut pudore suffundatur, cum viderit se ab omnibus vitari. Explicatio est illius notationis. Ea namque ad hoc fiebat, ut notatus ab omnibus vitaretur. Cur autem vitari tales juberentur, duae rationes erant: Una, ne moribus suis alios inficerent. Altera, ut hoc pudore affecti, redirent ad mentem. Priorem rationem expressit Apostolus 1 Cor. 5. iis verbis: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Posteriorem affert hoc loco, tametsi utraque ratio utrique loco serviat.

15. *Et nolite quasi inimicum existimare.* Quamvis, inquit, vitandum moneam; nolo tamen, ut eum habeatis pro inimico; non enim persecutor est aut hostis Ecclesiae, neque tam malitia peccat, quam infirmitate. Sed neque fratris affectum abjecit. Unde sequitur:

Sed corripite ut fratrem. In priori Epistola praeceperat, ut corriperent inquietos, a quo officio ne putarent sibi cessandum esse post hujusmodi fratris excommunicationem, idcirco nunc idem praeceptum repetit etiam de excommunicato. Hinc igitur habemus, ut observat Cajetanus, quod licitum sit admonere excommunicatos, et instruere, et hortari ad ea, quae salutis sunt. De significatione verbi Graeci, quod interpres recte vertit: *corripite,* pro quo nec male legit Ambrosianus: *admonete consiliis,* jam egimus in priori Epistola.

Porro quod ait: *ut fratrem,* a nonnullis sic exponitur: Quamvis ille per excommunicationem frater esse desierit, vos tamen affectum fraternum erga eum ne

exuite, sed perinde ac si frater adhuc esset, admonete. Alii vero particulam *ut* veritatis notam esse volunt, non nudae similitudinis, sicut et in membro praecedenti: *quasi inimicum.* Est enim utrobique idem Graecum adverbium ὡς. Simile illud Phil. 2. *habitu inventus ut homo,* id est verus homo, et hoc quidem probabilius. Nam excommunicatio hujus loci non separabat hominem ab Ecclesia, ut membrum ejus ac proinde fidelium frater esse desineret; quomodo separandus est, de quo dicitur: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* Matth. 18., sed tantum prohibebat fideles a colloquio fratris, ut hac ingnominia motus resipisceret. Ita sensus erit: Corripite eum amanter et benigne tanquam fratrem, ut qui vere adhuc frater vester sit, etsi quoad reliquam conversationem vitandus, propter delictum. Favet huic sensui locus 1 Cor. 5. *Si is, qui frater nominatur* etc., secundum Graecam lectionem: *Si quis frater nominatur* etc.

16. *Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.* Ne, quod interdum fit, correptionem contentio sequatur, sive ex imprudentia corripientis, sive ex obstinatione ejus qui corripitur; ideo priusquam finem imponat Epistolae, pacem et animorum concordiam a Domino Deo, pacis auctore, eis precatur. Quod et in priori Epistola fecit. Graece sic legitur: *Det vobis pacem semper in omni modo.* Syriace, *in omni re.* Quod Graeci sic interpretantur, ut nulla ex parte contentionis eis occasio relinquatur, neque ex verbo neque ex opere. Quanquam hoc tantum bonum in hac vita non completur. Nostrae versioni consonat Ambrosiana: sed hi interpretes Graece pro τρόπῳ legunt τόπῳ.

Dominus sit cum omnibus vobis, scilicet per gratiam suam. Recteque de Christo Domino intelligitur, cujus ad Ecclesiam suam haec est promissio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Matth. ult.

17. *Salutatio, mea manu Pauli.* Hoc idem adscripsit in fine Epistolae prioris ad Corinth. et Epistolae ad Coloss. *Mea,* casus est ablativus, construendus cum *manu.*


Quod est signum in omni Epistola. Ita scribo. Hanc cautionem peculiariter adjicit Apostolus in fine hujus Epistolae, quam scripsit omnium secundam, ut ne deinceps suppositititiis Epistolis, velut a Paulo missis, fideles deciperentur. Jam enim falso nomine Pauli quaedam ad Thessalonicenses Epistola missa fuerat, quae terruerat eos de instante die Domini; ut liquet ex hujus Epistolae cap. 2. *Neque per Epistolam,* inquit, *tanquam per nos missam.* Istiusmodi fraudi hic studiose occurrit, manum et proprium signum addens Epistolae. Nam cum tota Epistola scripta esset aliena manu, postrema haec verba ab eo loco: *Salutatio* etc. sua manu adscripsit.

Sed quaeritur, quodnam signum intelligat, in omni Epistola a se apponi solitum; an signum aliquod nobis incognitum, quale solet quisque pro arbitrio sibi sumere ad subsignandas Epistolas, syngraphas, apochas, et alias ejusmodi; an haec ipsa verba: *Salutatio mea manu Pauli,* quod vult Anselmus. De quibus et Graecus scholiastes: Hoc, inquit, propria manu subscripsit, tanquam dicens: Saluto vos, aut valete, aut aliquid tale, ne adulterentur literae, aut corruptae putentur. Qui et illud, *in omni Epistola,* de Epistolis ad Thessalonicenses mittendis interpretatur, non de caeteris, in quibus non omnibus constat Apostolum eo signo usum. At vero longe probabilius est, quod et secundo loco tradit Anselmus, hoc signum intelligi ea verba, quae statim subjicit:

18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen.* Refertur haec pars ad salutationem. Vult enim dicere, se sua manu solere hujusmodi salutationem, seu bonam imprecationem adscribere in calce suarum Epistolarum. Quod profecto videre est in omnibus Paulinis Epistolis, etiam ea, quae ad Hebraeos est, comprehensa. Omnes enim precatione gratiae clauduntur; licet non

semper iisdem omnino verbis. Nam interdum brevissima est salutatio, Gratia tecum; aut: Gratia vobiscum. Fallitur enim Cajetanus, quod et a Catharino animadversum est, dum aliquid hujus salutationis deesse putat in Epistola ad Col., eo quod ibi non addantur haec verba, *Domini nostri Jesu Christi;* cum nec in aliis omnibus ea addita reperiantur. Atqui in aliorum Apostolorum Epistolis hoc non est perpetuum: inter eas enim sola Petri prior Epistola hujusmodi gratiae precatione clauditur.

Ex his vero intelligitur, quam insignis gratiae divinae praedicator et commendator fuerit hic Apostolus, ut omnibus etiam suis Epistolis hanc salutationem, velut pro sigillo, appenderet, adeo ut cui Epistolae hoc signum deesset, nollet eam pro sua agnosci. Haec autem salutatio seu valedictio quid sibi velit, in aliis Epistolis satis expositum est. Graecorum hypographe testatur, Epistolam ex Athenis missam esse: sed de ea re quid nobis videretur, diximus in argumento Epistolae.



IN EPISTOLAM PRIMAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD TIMOTHEUM
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Duae Pauli ad Timotheum epistolae et una ad Titum argumenti ratione similes inter se atque affines sunt: instruunt enim episcopum, et praecipuas ejus officii partes explicant. Quanquam id prae reliquis duabus uberius atque operosius in hac prima ad Timotheum epistola praestatur. Cujus quidem scribendae ea fuit occasio, quod Apostolus Epheso discedens Timotheum illi civitati episcopum praefecisset, demandata ei cura, ut adversus Judaizantes, aliosque evangelicae doctrinae corruptores, qui partim exorti jam erant, partim exorituri ab ipso praevidebantur, sedulo vigilaret. Nam Timotheum a Paulo fuisse ordinatum Ephesinae ecclesiae episcopum, praeterquam quod ex hac ipsa epistola satis intelligitur, auctores sunt Eusebius lib. 3. eccl. hist. cap. 4. et Sophronius apud Hieronymum in catalogo, quorum posterior etiam testatur, eum ibidem glorioso martyrio coronatum.

Hunc igitur Apostolus instituit, non ut Christianum quemlibet, sed ut Christianae plebis episcopum atque doctorem: tametsi non solius Timothei causa scripta est haec epistola, sed ut in illo omnes ecclesiarum antistites officii sui recte administrandi praecepta acciperent. *Primum* autem Timotheum commonefacit injunctae solicitudinis et vigilantiae contra eos, qui legem fabulasque Judaicas Evangelio miscebant. Praecipit *deinde* publicas orationes pro omnibus fieri; subjungens obiter, quomodo mulieres in ecclesia gerere se debeant. *Mox* quales ordinandi sint episcopi et diaconi praescribit. *Quarto* capite praemunit in Timotheo ecclesiam contra futuras atque instantes haereses.

Post haec variis eum doctrinis instruit; ut de senioribus et junioribus admonendis; de viduis alendis, de presbyteris honorandis ac judicandis; item de servorum officio, de vitanda avaritia, de divitibus hujus saeculi, deque aliis id genus; quae omnia mirifice conferunt ad rectam ecclesiarum gubernationem.

Porro quis Timotheus fuerit, ex Actis apostolicis et Paulinis epistolis perspicuum est: fuit is sane, ut conjunctissimus, ita et probatissimus Pauli discipulus, de quo Philip. 2. *Neminem,* inquit, *habeo tam unanimem, qui sincera affectione*

pro vobis solicitus sit. Scripta est autem haec epistola, posteaquam Paulus Epheso relicta, sicut habetur initio 20. capitis Actorum, profectus esset in Macedoniam. Id quod ipsius epistolae verba statim initio declarant.

Unde cum Cardinale Baronio colligimus, in Macedonia scriptam esse. Nam quod e Laodicaea missam, quae civitas est Asiae minoris, loquuntur argumenta quaedam et subnotationes, rationem non habet: praesertim cum affirmet ipse Apostolus in epist. ad Coloss. longe posterius scripta cap. 2., se Laodicensibus visum non fuisse. Quo etiam argumento dudum ostendimus, illum locum Col. 4. *et eam, quae Laodicensium est, vos legatis,* de epistola aliqua Pauli, quam is Laodiceae scripserit, non posse intelligi.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Christi Jesu spei nostrae: 2. Timotheo [1]) dilecto filio [2]) in fide. Gratia, misericordia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. 3. Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam [3]), ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent, 4. neque intenderent fabulis [4]) et genealogiis interminatis [5]): quae quaestiones praestant magis, quam aedificationem Dei, quae est in fide. 5. Finis autem praecepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta [6]). 6. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium [7]), 7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant [8]). 8. Scimus autem, quia bona est lex [9]), si quis ea legitime utatur: 9. sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis [10]), impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, 10. fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris; et si quid aliud sanae doctrinae adversatur, 11. quae est secundum Evangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi. 12. Gratias ago ei, qui me confortavit [11]), Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio [12]): 13. qui prius blasphemus fui et persecutor, et contumeliosus [13]): sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans [14]) feci in incredulitate. 14. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide et dilectione, quae est in Christo Jesu. 15. Fidelis sermo et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere [15]), quorum primus ego sum:

---

[1]) Act. 16, 1. seq. [2]) Phil. 2, 19. 21. 1 Cor. 4, 15. [3]) Act. 20, 1. [4]) 2 Tim. 4, 4. Tit. 1, 14. [5]) Tit. 3, 9. 2 Cor. 11, 22. [6]) Joan. 13, 34. 35. Rom. 13, 9. 10. Gal. 5, 14. 2 Cor. 1, 12. 2 Tim. 1, 13. [7]) Cap. 6, 4. 20. Gal. 5, 4. Col. 2, 18. [8]) Marc. 12, 24. [9]) Rom. 7, 12. 14. [10]) Gal. 3, 19. [11]) 1 Cor. 15, 10. Rom. 15, 8. Phil. 4, 13. [12]) Gal. 1, 1. 15. 16. [13]) Act. 22, 4. 26, 9.—11. [14]) Luc. 23, 34. Act. 3, 17. 1 Cor. 7, 25. 15, 9. seq. [15]) Matth. 11, 13. 18, 11. Joan. 3, 17. Rom. 3, 25. 26.

16. sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam aeternam. 17. Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in saecula saeculorum Amen. 18. Hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias [1]), ut milites in illis bonam militiam [2]), 19. habens fidem et bonam conscientiam [3]), quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt [4]): 20. ex quibus est Hymenaeus et Alexander: quos tradidi Satanae [5]), ut discant non blasphemare.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Admonet abstinendum esse ab inanibus quaestionibus: docet legem esse bonam, non tamen justis positam, sed injustis. Commemorat Dei erga se misericordiam, suique vocationem ad apostolatum. Timotheo commendat fidem et bonam conscientiam.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi.* Dignitatis et officii sui nomen adscribit in epistolis ad Timotheum et Titum datis, non propter ipsos, quibus scribebat, ut quibus nihil opus erat auctoritate nominis urgeri, cum essent Paulo absequentissimi; sed propter eos, quibus illi praeerant, ne videlicet episcoporum suorum praecepta et monita vilipenderent, quae viderent Apostoli Pauli nomine commendata et auctoritate suffulta.

Secundum imperium Dei Salvatoris nostri. Quod in aliis epistolis dicit, *secundum voluntatem Dei,* hic ait, *secundum imperium,* sive ut alii vertunt ex Graeco, *secundum delegationem, mandatum, praeceptum Dei,* nam Graeca vox a verbo deducitur, quod significat injungere et mandare quippiam, sive officii aliquid delegare. Vocat ergo se Apostolum Jesu Christi, eoque munere fungentem ex delegatione Dei Patris, qui est Salvator noster, id est, auctor salutis nostrae per filium suum. Etiam alibi Deus Pater dicitur noster Salvator: ut Tit. 3. vers. 4., ne quis hic mendum aliquod esse putet in nostris ac plerisque Graecis codicibus, meliusque in Complutensibus sic legi, *secundum ordinationem Dei Patris et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Et Christi Jesu spei nostrae. Apostolatum, quem a Deo Patre, imo a tota Trinitate Paulus accepit, etiam Christus ei demandavit, ut homo; quando suum Evangelium in gentibus praedicandum per revelationem ei inspiravit; ut ipse refert ad Gal. 1. Quod autem per appositionem addit, *spei nostrae;* contra Judaizantes facit, qui in lege et ceremoniis spem salutis suae collocabant; cum spes nostra sit Christus: quia per ejus passionem et merita, non autem aliunde veniam peccatorum, veram legis obedientiam et vitam aeternam speramus.

Cui tamen doctrinae nequaquam est contrarium, ut calumniantur haeretici, quod Christiani sanctos cum Christo regnantes, quorum precibus et meritis adjuvari se confidunt, interdum spem suam vocent: nam omne auxilium, quod ab illis sperant, qualecunque illud est, non nisi per Christi meritum exspectant. Sic enim et ipse Paulus passim eorum, ad quos scribit, orationibus adjuvari petit; quod utique sine spe et fiducia, quam in illis habebat, facere non potuit; ut illud

---

[1]) Act. 16, 2. [2]) Cap. 6, 12. 2 Tim. 2, 3. seq. [3]) Phil. 1, 27. 1 Cor. 4, 4. [4]) Cap. 6, 10. [5]) 1 Cor. 5, 5.

omittam, quod Thessalonicenses spem suam appellet 1 Thess. 2.

2. *Timotheo dilecto filio in fide. Dilecto*, Graece γνησίῳ, id est germano, quemadmodum et Ambrosianus legit. Idem observandum in salutatione ad Titum: nam alibi, ut in 2. ad Timotheum et in epist. ad Phil., Graece est ἀγαπητῷ, id est dilecto. Rursus autem de eodem Timotheo scribens ad Philipp. 2. germanitatem ejus laudat, dicens *se neminem habere, qui,* sicut in Graeco legitur, *tam germane pro illis solicitus sit.* Timotheum itaque *germanum filium in fide* vocat Apostolus. Filium quidem in fide, non ut quidam putant, quod eum ad fidem convertisset, Christoque genuisset, qua ratione Corinthios filios suos appellat: *nam in Christo Jesu,* inquit, *per Evangelium ego vos genui* 1 Corinth. 4., quomodo et Onesimum, quem in vinculis Christo genuerat, filium suum vocat in epist. ad Philemonem. Non enim Timotheus a Paulo fuit conversus ad fidem, sed cum jam esset discipulus, id est Christianus, et bonum ei redderetur testimonium a fratribus, usque adeo Paulo placuit, ut eum peregrinationis suae comitem et praedicationis socium assumeret; uti refert B. Lucas Act. 16. Nam et in 2. ad Tim. cap. 1. non obscure significat, eum fide Christiana a matre et avia fuisse imbutum adhuc puerum. Quem et ab infantia sacras literas didicisse, testatur ejusdem epist. cap. 3.

Ergo filium in fide vel ideo nominat, quod eum in his, quae fidei sunt, plenius et accuratius instituisset; vel potius, quod ipsi Paulo seni Timotheus adolescens, tanquam filius patri, in Evangelio subserviret. Ita namque de eo scribit loco jam citato ad Phil. *Experimentum ejus cognoscite: quia sicut patri filius mecum servivit in Evangelio.* Porro *dilectum,* seu *germanum filium* vocat, non solum quia doctrinam Evangelii retinebat integram et incorruptam; sed eo maxime, quod ad imitationem Pauli, velut parentis sui, negotium Evangelii sincerissime ageret, non quaerens quae sua sunt, sed quae Jesu Christi. Nam talem eum ibidem ad Philippenses praedicat.

Gratia, misericordia et pax. In Graecis atque etiam Latinis quibusdam manuscriptis asyntheton est: *Gratia, misericordia, pax,* astipulante etiam textu commentatoris Ambrosiastri. De *gratia* et *pace* in aliis Epistolis satis dictum. Hoc autem loco *misericordiam* interponit, ex quodam singulari erga Timotheum affectu, coacervans vocabula beneficentiae divinae; tum etiam ut fontem gratiae et pacis, omniumque Dei beneficiorum, quibus salvamur, apertius monstraret. Omnia enim promanant ex Dei misericordia, secundum id quod ait ad Tit. 3. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Adnotavit id de hoc loco Augustinus in inchoata expositione epist. ad Rom.

A Deo patre. Graeci et Syri codices Ambrosiano suffragante addunt *nostro. Et Christo Jesu Domino nostro.* Graeca variant: nam exemplaria Roberti omnia nobiscum faciunt, ut et Oecumenius cum aliis nonnullis. Atque ea Latinorum omnium lectio est; quam et Syriacus textus exhibet. At alia quaedam Graeca *Domini* cognomen iterant. Quomodo autem tota haec sententia supplenda sit et interpretanda; facile est ex iis, quae alibi saepiusque dicta sunt, intelligere.

3. *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam.* Facit exordium a repetitione mandati, quod Timotheo dederat, Epheso discedens in Macedoniam. Erasmus vertere maluit: *Sicut adhortatus sum te:* nam Graeca vox παρεκάλεσα anceps est ad hortari et rogare: et personae Pauli magis congruere videbatur, ut Timotheum, quem filium suum vocat, hortaretur, quam ut rogaret. Verum Chrysostomus caeterique Graeci in suis commentariis eundem sensum reddiderunt, quem noster interpres expressit. Commendant enim modestiam Pauli, qui cum praecipere posset, ut pater filio, ac praeceptor discipulo; rogare tamen et obsecrare maluerit. Nec secus exponit

Ambrosianus. Consonat et Syriaca translatio: denique Erasmus ipse in paraphrasi, id quod verterat dissimulans, communem hanc omnium interpretationem sequitur.

Discessum Pauli ab Epheso in Macedoniam brevissime narrat Lucas Act. 20. *Postquam,* inquit, *cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis et exhortatus eos, valedixit, et profectus est, ut iret in Macedoniam.* Sed in eo, quod vocasse dicitur discipulos, quorum utique praecipuus erat Timotheus, intelligendum est ab ipso ea facta, quorum in hac Epistola memoriam refricat; scilicet Timotheum cum impositione manuum presbyterii creatum fuisse episcopum, ut dicitur cap. 4., eundemque Ephesi relictum cum mandatis, ut compesceret falsos ac futiles magistros, sinceram Evangelii doctrinam vitiantes; quod dicitur hoc loco.

Quaeret aliquis, quomodo cum his non pugnet, quod in Actis paulo post verba modo citata Timotheus recensetur inter eos, qui Paulum iter facientem leguntur comitati. Respondeo nullam esse repugnantiam; quia Timotheum quidem Ephesi reliquit Apostolus, ut hic dicitur. Deinde ex Macedonia ad eum hanc Epistolam scripsit: sed postquam Paulus Ephesum redire non potuit tam cito quam speraverat, ut legitur hujus epist. cap. 3, 14., ivit ad eum adhuc in Macedonia haerentem, idque volentem, Timotheus, ac deinde aliquamdiu cum eo fuit. Quod autem ad Apostolum ivit adhuc in Macedonia haerentem, doceri potest ex initio posterioris ad Corinth., ubi Paulus Timotheum sibi adjungit; eam autem fuisse scriptam ex Macedonia, suo loco docuimus ex sententia Graecorum. Quod si scripta fuit ex Nicopoli, ut Baronio magis placet: illuc Timotheum ivisse ad Apostolum licebit dicere, propter illa prima verba ejus Epistolae.

Ut denuntiares quibusdam. Denuntiandi, seu *praecipiendi* vocabulum potestatem significat: ex quo primum intelligitur, Timotheum cum potestate relictum ab Apostolo fuisse apud Ephesios: quae quidem potestas non alia fuit, quam ecclesiastica et episcopalis; deinde, eos, de quibus sermo est, in Ecclesia fuisse: nam alioqui praecipere eis non poterat. *Quid enim,* inquit, *mihi de iis, qui foris sunt judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* 1 Cor. 5. De iis ergo loquitur Apostolus, qui Christo nomen dederant, sed sub hoc nomine falsa, noxia et inutilia quaedam docebant; quales maxime erant Judaizantes et Simoniani.

Ne aliter docerent. Prima cura Apostolo est de integritate doctrinae conservanda; haec enim totius religionis fundamentum est. Adverbium *aliter* non modi, sed rei diversitatem significat; unde verti poterat: *Ne alia,* aut: *ne diversa docerent,* scilicet ab iis, quae tradita illis erant. In Graeco verbum est compositum, ἑτεροδιδασκαλεῖν, quod Erasmus interpretatur, *diversam sequi doctrinam;* id quod auditoribus magis, quam doctoribus convenit. At vero si hoc vellet Apostolus, non dixisset: *Ut denuntiares quibusdam,* sed ut fidelibus in universum. Omnes enim fideles monendi sunt, ne diversam sequantur doctrinam; sed non omnes, ne doceant: cum pauci sint ad docendum apti. Utitur eodem vocabulo cap. 6., ubi rursus habemus: *Si quis aliter* etc. Nam et ibi de docentibus sermonem esse, contextus ostendit et infra hoc cap. *volentes esse legis doctores.* Et quidem de his utrumque locum exponunt tam Graeci, quam Latini interpretes. Caeterum *aliter docere,* seu diversam adferre doctrinam idem est cum eo, quod Gal. 1. vocat: evangelizare praeter id quod evangelizatum est, et praeter id quod acceperant fideles: ubi *praeter* idem esse quod *contra,* suo loco monstravimus. Aliam ergo seu diversam doctrinam intellige, quae priorem excludat; juxta illud 2 Joan. *Si quis hanc doctrinam non adfert* etc. Quocirca non ille aliter, aut aliud docet, qui profert aliquid quocunque modo diversum; quandoquidem et ipsi Apostoli non statim omnia religionis mysteria fidelibus recenter conversis tradebant; quaedam enim reservabant opportuno tempore supplenda: sed qui docet ea, quae dis-

sentanea sunt et contraria doctrinae prius acceptae. Igitur improbe et imperite locum hunc detorquent haeretici contra traditiones Ecclesiae non scriptas; praesertim cum hic doctrinae scritpo traditae nulla fiat mentio.

4. *Neque intenderent fabulis.* Praeceptum hoc a praecedenti diversum est, et amplius aliquid requirit. Nam fieri potest, et saepe fit, ut quis non doceat pugnantia cum iis, quae tradita sunt; sed talia tamen, quae nihil ad pietatem faciunt, utpote fabulosa, vana, inutilia. Quo docendi vitio utinam nulli doctores et concionatores Christiani laborarent! Quanquam etiam ad audientes potest haec pars referri; uti referunt Ambrosianus et B. Thomas. Notat autem Apostolus Judaizantes; qui quo apud gentiles Christianos in pretio essent et quaestum facerent, fabulas quasdam a majoribus confictas et traditas pro vera et sacra historia ingerebant. Unde eas ad Tit. 1. Judaicas fabulas appellat. Cujusmodi plurimas observare est in commentariis Rabbinorum, quos etiam nostri interdum citant.

Sunt qui significari putent Deuteroses Judaeorum; quas post Jesaiam prophetam Christus in Evangelio et Paulus Col. 2. et Tit. 1. vocant *doctrinas et praecepta hominum,* atque eo nomine reprehendunt. Quod genus erant, quae Marcus enumerat cap. 7. et Hieronymus in epist. ad Algas., quorum denique magnam farraginem continent Judaeorum libri Thalmud et Cabala. Verum si proprie loquamur, aliud est fabula, aliud praeceptum. Fabula enim narratur, ut oblectet; praeceptum homini datur, ut observet. Hinc et Apostolus ea distinxisse videtur ad Tit. 1. dicens: *Non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum.*

Porro *fabulis intendere,* sive attendere, dicuntur ii, qui eas studiose et serio vel narrant vel audiunt, velut rem alicujus momenti, et quae ad pietatem faciat. Non quidem ad rationem fabulae pertinet, quod falsa sit et commentitia, a fando enim dicta est: sed sive verae sint fabulae sive falsae, cum sint inutiles et animos hominum occupent vana delectatione, merito prohibet Apostolus, ne quis iis attendat.

Et genealogiis interminatis, id est *infinitis,* ut legit Ambrosianus; Graece ἀπεράντοις. Hac etiam parte Judaei notantur; qui partim, ut legis et rerum Judaicarum periti haberentur, partim vero ut suam ostentarent nobilitatem, origines suas altissime repetebant, ut eas referrent ad reges, prophetas, patriarchas. Id quod usque hodie Judaei factitant. *Interminatas* vero, sive infinitas, Ambrosianus interpretatur genealogias, quod sint infinitae per traducem, ut loquitur; id est longissima parentum serie protensae, ut vix ad finem earum perveniri possit. Est qui putet eas infinitas dici, id est fine carentes, quia non perveniunt ad aliquem finem utilem auditoribus. Atqui rectius alii rationem hanc adferunt, quod res sit infiniti negotii quaestiones et difficultates omnes explicare, quae in exquirendis et constituendis genealogiis accurrere solent. Nec tamen haec Apostoli reprehensio ad Evangelistas pertinet texentes Christi Domini genealogiam; ut nec ad auctorem libri Paralipomenon, in cujus initio multae recensentur genealogiae: nam ea suam habent justam utilitatem; sed privatis suis ac suorum genealogiis intendere, quod Judaei faciebant, cum sit res non solum perplexa, verum etiam inutilis, merito reprehenditur.

Quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide. Comparatio impropria est, qua nimirum alterum affirmatur, alterum negatur; ut patet in Syriaca versione, quasi dicat: Quae quaestiones praestant, et non aedificationem Dei. Cujusmodi est illa comparatio Eccles. 7. *Melior est patiens arrogante.* Priori parte explicat, quod dixerat *interminatas:* posteriori, inutiles esse ostendit. Sensus igitur est: quae genealogiae materiam praebent innumerabilium quaestionum; ad pietatem vero, quae homines in Deum promovet et ad Deum adducit, quod quidem fit per fidem, nihil plane conferunt. Quum dicit *aedi-*

ficationem Dei per fidem esse, non nudam intelligit fidem, sed charitate vestitam atque ornatam, id est eam, quae per charitatem operatur. Nam charitas aedificat 1 Cor. 8. et proinde fides non aedificat nisi per charitatem. Pro *aedificatione,* quae Graece est οἰκοδομία, Chrysostomus, Theodoretus et caeteri Graeci commentatores, una litera variata, legunt, οἰκονομίαν, id est *dispensationem:* interpretantur autem dispensationem Dei, qua disposuit et ordinavit, ut mysteria religionis fide suscipiantur, cum sint incomprehensibilia. Cui ordinationi resistunt, qui quaestiones de illis movent, tanquam ratione comprehendi possint. Eam lectionem sequuntur etiam Cajetanus et Hesselius. Verum et hodie exstant exemplaria Graeca, quae legant id, quod noster interpres reddidit, οἰκοδομίαν. Nec dubium est quin ea lectio vetusta sit: quandoquidem illi veterum Latinorum interpretatio respondeat: quae et sensum exhibet commodiorem, scilicet eum, quem jam dedimus. Porro quamvis proprie contra Judaeos agat Apostolus, potest tamen accommodari hic locus ad eos, qui quaestiones in disciplinis, ac praesertim in sacra Theologia, sine fructu multiplicant; ingenii, ut ajunt, exercendi, seu verius, ostentandi gratia. Quo pertinet querela S. Thomae in principio summae Theologicae, dum ait, ejus doctrinae novitios a profectu plurimum impediri propter multiplicationem inutilium quaestionum, articulorum et argumentorum. Non tamen existimandum est, quod calumniantur adversarii, plerasque quaestiones a Scholasticis Theologis tractatas esse ejusmodi: sunt enim multae, quarum usus et necessitas etsi prima fronte non appareat, intelligitur tamen ab iis, qui rem propius considerant: quemadmodum bene ostendit Melchior Canus lib. 12. Locorum Theolog. cap. 5.

Ut autem ad contextum Apostoli redeamus, oratio ibi inchoata: *Sicut rogavi te,* hucusque pendet inabsoluta: supplet autem eam auctor textus Ambrosiani huc adjiciendo, *ita facito;* quod et Erasmus in sua versione superius inseruit, post illa verba: *Cum proficiscerer in Macedoniam.* Alii subaudiunt: Ita et nunc rogo. Cajetanus vero putat, Apostolum suam orationem, quam hic suspensam relinquit, demum complere sub finem hujus capitis, ubi dicit: *hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee;* ut sit sensus: Sicut dudum rogavi te etc., ita nunc idem hoc praeceptum repetens, tibi commendo. Quae Cajetani speculatio non est improbabilis.

5. *Finis autem praecepti est charitas. Praecepti* nomine legem intelligit, in qua Judaei gloriabantur, et cujus peritiam jactabant. Eam enim intelligi liquet ex sequentibus. Est autem lex multorum praeceptorum complexio, sed quo sensu *charitatem dicat esse praecepti finem,* non convenit inter omnes. Quidam enim de causa finali exponunt, hoc modo: Charitas est id, ad quod omnia legis praecepta referuntur. Ita sentit Augustinus Ench. cap. penult. et lib. 1. de doct. Christ. cap. 35. et sequentibus et alibi. Item B. Thomas in comment., ubi prolixe et docte sensum hunc explicat. Nec ab eo recedit Cajetanus.

Sed sciendum, Apostolo Graecum τέλος alibi significare perfectionem, consummationem, complementum, ut Rom. 10. *Finis legis Christus,* id est per Christum lex impletur et perficitur. Quae significatio etiam huic loco optime quadrat, ut *charitas* dicatur *finis,* id est consummatio et impletio *praecepti;* quia lex per charitatem impletur, et sine ea impleri non potest. Id puod planius significat illa ejusdem Apostoli sententia Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio,* quemadmodum in ejus loci commentario declaratum est. Ita locum hunc exponit Ambrosianus et Hesselius: favent et Graecorum commentarii. Quin etiam Augustinus praefat. in Psalm. 31. finem praecepti exponit, quo perficiuntur et consummantur praecepta. Atque hoc est, quod de praeceptis diligendi Dei et proximi Dominus ait in Evangelio: *In his duobus praeceptis universa lex pendet et Prophetae* Matth.

22., quasi diceret: Si dilectionem habeas, quam exigunt haec duo praecepta, totam legem et quidquid Prophetae praecipiunt, impleveris. Cui pulcre consonat illud Augustini in serm. de laudibus charitatis: ille tenet, et quod patet et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.

Quod igitur Apostolus dicit, tale est: Judaei fabulis et genealogiis attendunt, velut adminiculis ad legem observandam. At illa quaestiones et contentiones magis pariunt, quam fructum pietatis et observantiam legis. Nam lex charitate impletur, non quaestionum contentiosarum ventilatione.

De corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Charitatem seu dilectionem, quam dixit esse finem praecepti, certis notis commonstrat et ab ea distinguit, qua non Deus et proximus sicut oportet diliguntur; sed qua diligitur mundus, et quae in eo sunt, de qua in 2 Tim. 3. *Erunt homines seipsos amantes;* et cap. 4. *Demas me reliquit, diligens hoc saeculum;* et 1 Joan. 2. *Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Charitas igitur, quam commendat Apostolus, primum est *ex corde puro,* id est procedens a voluntate vacua pravis cupiditatibus, ita ut nihil aliud, quam quod diligendum est, diligatur, inquit Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. ult. Quod sequitur: *de conscientia bona,* Augustinus ibidem putat esse dictum propter spem, quae effectus est bonae conscientiae. Ille enim, inquit, ad id, quod credit et diligit, perventurum se esse desperat, cui malae conscientiae stimulus inest. Id ipsum pluribus explicat praefat. in Psalm. 31.

Alii notam hanc ita referunt ad praecedentem, ut sit illius effectus. Cor enim purum fons est bonae conscientiae, qua nimirum quispiam sibi bonae voluntatis ac bonorum operum conscius est. Sic accipitur infra hoc eodem capite, ubi dicit, quosdam *bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragasse.* Procedit autem et pendet ex bona conscientia charitas, quia ut ait S. Thomas: Qui non habet conscientiam bonam, non potest Deum puro diligere; timet enim poenam, timor autem non est in charitate 1 Joan. 4. Denique charitatem Apostolus exigit procedentem *ex fide non ficta,* sive ut Ambrosianus legit: *non simulata,* Graece *ἀνυποκρίτου,* id est qua ex animo et sine hypocrisi creditur in Christum, quia charitatis fundamentum fides est: ac proinde ex fide ficta surgere non potest vera et sincera charitas.

Porro nonnulli arbitrantur, illud: *De corde puro et conscientia bona,* additum esse ab Apostolo, ut charitatem hanc, de qua loquitur, discerneret ab ea, quae est in homine poenitente ante remissionem peccatorum; quod ille etsi Deum sic diligat, ut eum rebus omnibus anteponat, nondum tamen habeat cor purum, nec conscientiam bonam, scilicet propter praecedentia peccata, a quibus, quantum ad labem et reatum attinet, nondum purgatus est, et quorum adhuc conscientia gravatur. Nam et ipsa remissio peccatorum purgatio vocatur Hebr. 1., et malam conscientiam dicimus hominis, qui sibi conscius est alicujus criminis necdum remissi, licet eum facti jam poeniteat.

Videtur tamen *charitas* posse accipi hoc loco generaliter, sicut et alibi accipitur in Scripturis, ac nominatim 1 Cor. 13. et 16., videlicet pro sincero Dei amore, quo super omnia diligitur. Adduntur autem ab Apostolo illae determinationes: *de corde puro* etc., ut quemadmodum superius dixi, vera Dei dilectio suis notis agnoscatur, utque distinguatur ab amore impuro, carnali ac mundano. Nam et poenitens, etsi nondum reconciliatus, hactenus saltem Deum diligit ex corde puro et conscientia bona, quatenus animum gerit ab affectu peccati repurgatum, et sibi conscius est bonae voluntatis, qua peccata commissa detestatur. Pro hujus loci intellectu conferri possunt alia Apostoli loca, ut Rom. 12. *Dilectio sine simulatione.* 2 Cor. 6. *In charitate non*

ficta. 2 Tim. 1., ubi fit mentio *conscientiae purae et fidei non fictae.*

6. *A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium. Aberrantes,* in Graeco praeteriti temporis est participium. Unde recte vertunt alii: *A quibus postquam aberrarunt quidam* etc. Significat autem vox Graeca eos, qui a scopo aberrant, quod et Theophylactus annotavit. Sensus est: A quibus jam enumeratis, scilicet corde puro, conscientia bona et fide non ficta, posteaquam aberrarunt quidam, sive ab iis deficientes, sive ea repellentes, nam et infra notat quosdam bonam conscientiam repellentes, conversi sunt ad vaniloquium, id est deflexerunt ad studia, doctrinas, disputationes inanes et infructuosas. Hoc rursus dicit propter fabulas et genealogias, ac caeteras ineptias Judaicarum quaestionum. Male vero ab Erasmo in annot. transfertur ad Scholasticas Theologorum quaestiones, non quod in his non peccetur interdum a nonnullis vel curiositate nimia vel superfluitate, sed quia vitium hoc qualecunque non est conferendum cum vaniloquio Judaeorum, quod hic ab Apostolo taxatur, et de quo dictum a nobis in superioribus. Nam de Judaeis Apostolum loqui, planum est ex eo, quod sequitur:

7. *Volentes esse legis doctores.* Id est, affectantes honorem ac titulum magisterii, quo vocentur nomodidascali, id est legis doctores, et ut ait Christus in Evangelio: Amantes vocari ab hominibus Rabbi, id est magistri, Matth. 23. Notatur eorum ambitio, quae causa erat, ut deflecterent ad vaniloquium, cum enim legis periti haberi vellent, nec tamen scopum legis attingerent, pro vera et solida doctrina fabulas et fumos inanes auditoribus venditabant, ut qui non solum legem ceremonialem adhuc servandam esse dicerent, verum etiam humanas traditiunculas partim vanas, partim impias, legi divinae miscerent.

Non intelligentes, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Hoc est, nec ea, quae dicunt intelligentes, nec ea, quae dictis suis astruere volunt; vel secundum alios: nec principia doctrinae suae, nec conclusiones, quas ex illis colligunt. Neque tamen haec eos ignorantia excusabat, quoniam ut ait Theophylactus per ambitionem ipsi sibi ignorantiae istius et erroris erant auctores. Quanquam nec potest a peccato excusari, qui docere praesumit ea, quae ignorat. Quam vere autem, quamque significanter pseudologos illos Judaeos ac Pharisaeorum discipulos notet Apostolus impuri cordis et conscientiae malae et fidei fictae; tum ex aliis ejusdem Apostoli scriptis, tum ex variis Evangeliorum locis, quibus Pharisaeorum mores depinguntur, facile potest intelligi, quemadmodum erudite et copiose in suo commentario declarat Hesselius. Sane eadem vitia nostrae aetatis haeresiarchis communia sunt, eosque similiter in errores impulerunt. Et omnino quisquis impuro et ambitioso corde ad studium divinae legis accedit, volens haberi doctus et magnus, facillime declinat ad haereses et vaniloquia.

8. *Scimus autem, quia bona est lex.* Haec, inquit, non dico, quod legem reprehendam, cujus illi se profitentur doctores. *Scimus* enim nos Christi fideles, *legem esse bonam,* utpote a bono Deo profectam et nihil praecipientem, nisi quod bonum est. Denique bonam, quia servata vitam praestat. Sic Rom. 7. *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Loquitur autem praecipue de lege morali, quae continetur decalogo, ut patet ex peccatis ei contrariis, quae mox enumerat.

Si quis ea legitime utatur. Allusio est in vocabulis *lex, legitime,* νόμος, νομίμως. Addit hanc partem Apostolus, non quod lex absolute non sit bona, sed quod bona non sit male utentibus, quasi dicat: Lex ipsa quidem per se bona est, sed tibi bona non erit, si non ea legitime utaris. Utitur autem legitime, qui utitur ad eum finem, ad quem a Deo data est. Quod facit imprimis, qui eam observat et per ejus observationem justus est, secundum illud Rom. 2. *Factores legis justificabuntur.* Sed quia propriis viribus obser-

vare legem nemo potest, utitur et ille ea legitime, qui agnoscens infirmitatem suam ad observanda legis praecepta, utitur ea ut paedagogo ducente ad Christum, sicut eam appellat Apostolus Gal. 3. Lex enim cum per seipsam nos justificare non possit: ad Christum veluti nos mittit, ut per ejus gratiam justificatio legis impleatur in nobis Rom. 8. Hunc sensum clare exprimunt Chrysostomus et ejus sequaces.

Mittit autem lex ad Christum, dupliciter: Uno quidem modo, quia Christum promittit ut auctorem justitiae et salutis nostrae; nam apud Mosem exstant hujusmodi promissiones. Altero modo, quia dum praecipit et minatur, et non justificat, tacite hominem admonet, quo confugere debeat, ut ipsius minas evadat; scilicet ad medicum, et redemptorem et Salvatorem Christum in lege promissum. Hoc modo legem nos ad Christum mittere, et hunc esse legis usum legitimum, multis locis docet Augustinus, ut lib. de Spirit. et lit. cap. 9. et 10. Epist. 144. et 157., lib. 4. contra 2. Epist. Pelag. cap. 2. et 3., serm. 13. de verbis Apost. et alibi. Significat autem Apostolus, Judaeos, contra quos agit, neque legitime usos fuisse lege, quam profitebantur, neque legitimum ejus usum aliis ostendisse: quandoquidem justitiam non ex Christo, sed ex lege et ipsi exspectabant et aliis promittebant.

9. *Sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis.* Quidam sunt, qui putent, Apostolum subito mutare numerum, cum paulo ante dixerit: *Scimus.* Quale exemplum est Gal. 6. *Vos, qui spirituales estis* etc. Volunt enim et hic utrumque eodem referri: *Scimus* et *sciens.* Verum id non oportet: nam participium *sciens* cum proxima parte cohaeret: *Si quis ea legitime utatur, sciens* etc. Sentit enim Apostolus, ad legitimum usum legis pertinere, quod sciatur ipsam non esse justo positam, quia paedagogo seu ductore puer opus non habet, postquam magistro traditus est; et vehiculo non indiget, qui jam pervenit illuc, quo tendebat, quemadmodum Augustinus docet cap. 9. lib. de Spiritu et litera.

Locum hunc torquent haeretici, ut doceant, Christianos absolutos esse ab obligatione decalogi, absurdissime quidem, cum Christus in Evangelio toties doceat mandata legis servanda ei, qui velit ad vitam ingredi, et ipse Paulus non uno loco praecepta decalogi Christianis observanda proponat. Imo novi testamenti haec promissio est: *Dabo leges meas in cordibus eorum* etc.

Quidam ut haereticis respondeant, dicunt, Apostolum hic loqui de ea lege, quam passim docet abrogatam esse per Christum, id est de lege ceremoniarum, quibus ventura gratia Evangelii praenuntiabatur. At hunc sensum respuunt verba sequentia: *Sed injustis et non subditis* etc. Nam et istos, post Evangelium promulgatum, constat lege ceremoniali non teneri, utpote in universum abolita.

Nonnulli sic exponunt, leges non sunt positae propter justos, sed propter injustos; id est propter injustitias et scelera hominum, qui debebant legibus coërceri. Nam ut dici solet: Ex malis moribus natae sunt bonae leges. Justi vero, quoniam per se ea, quae legis sunt, faciunt, lege non indigent, ostendunt enim opus legis scriptum in cordibus suis. Ita fere Graeci.

Contra hunc commentarium objici potest, etiam justos opus habere lege ut regula suarum actionum, quam teneant et a qua non deflectant. Unde David dicebat: *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum,* Psalm. 118. Et Augustinus lib. 3. contra 2. Epist. Pelag. cap. 4. in universum affirmat, etiam justis legem decalogi nunc esse necessariam. Quin et primo parenti, quando rectus erat et integer, nec peccatum adhuc intraverat in mundum, lex data fuit a Deo, ne comederet de ligno scientiae boni et mali.

Rectius igitur alii verum hujus loci intellectum ex aliis ejusdem Apostoli sententiis petendum esse docent, cujusmodi sunt Rom. 6. *Non enim sub lege estis,*

sed sub gratia. Et cap. 7. *Mortificati estis legi per corpus Christi.* Et iterum: *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur.* Item Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis,* et cap. 5. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege;* et infra cum post enumeratos fructus spiritus subjungit: *Adversus hujusmodi non est lex.* Quo pertinet etiam quod de principe, seu potestate, quae lex quaedam animata est dicit Roman. 13. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac.* Et rursus: *Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Ex quibus omnibus satis intelligi potest, quo sensu hic ab eodem Apostolo dicatur, legem justo non esse positam. Sicut enim in sententiis jam citatis, ita et hoc loco legem considerat Apostolus non secundum omnia ejus officia, sed secundum ea tantum, quae ei competunt, ut sola est, utque contra fidem et gratiam mediatoris distinguitur; sicut eam passim Apostolus distinguit. Hujusmodi legis officia sunt minari, terrere, reum facere, poenas infligere. Nam alia ejus officia, quae sunt praecipere, prohibere, dirigere, promittere, praemiare, gratiam aut non excludunt, aut etiam praesupponunt.

Igitur secundum Apostolum: *Lex justo non est posita, sed injustis;* quia justos non terret, neque punit, sed injustos, qui tamen si lege legitime utantur, id est si legis terroribus admoniti, virium suarum imbecillitatem ad legem implendam agnoscant, atque ad Christi redemptoris gratiam confugiant: justificari poterunt et sic inter eos numerari, quibus lex non est posita.

Ab hoc sensu verbis tantum diversa est expositio B. Thomae in commentario, hujusmodi: *Lex justo non est posita,* id est imposita, tanquam onus, quod eum premat metu ac terrore supplicii. Item, lex justis non adversatur, sed peccatoribus. Unde et per adversarium, qui hominem tradit judici puniendum, lex in Evangelio significatur Matth. 5. Pro hoc intellectu vide Augustinum loco superius citato de spiritu et litera, et praeterea lib. 15. contra Faustum cap. 8., Tract. 3. in Joan. Epist. 19. ad Hieronymum, lib. de natura et gratia cap. 57., de gratia et lib. arbit. cap. 12. et conc. 11. in Psalm 118., ubi juxta sensum, quem dedimus, conciliat haec duo, *justo non est lex posita,* et: *Legem pone mihi Domine.* Augustini sententiam sequuntur, ac verbatim etiam referunt Beda, Hervaeus, Hesselius. Pro vocabulo *injustis* Graece est ἀνόμοις, quasi dicas, exlegibus, id est iis, qui legis sunt transgressores; hos enim lex minis ac terroribus suis percellit. Eadem ratio de eo, quod sequitur:

Et non subditis. In Graeco una composita dictio est, ἀνυποτάκτοις, pro qua legit Ambrosianus *inobsequentibus;* quomodo et Erasmus vertit. Significantur ii, qui subjici nolunt, nec imperium ferunt; homines rebelles, inobedientes.

Impiis et peccatoribus. Impii, Graece ἀσεβεῖς, dicuntur, qui Deo cultum ac reverentiam debitam non praestant. *Peccatores,* qui grandibus peccatis obnoxii, propter quae etiam scriptura quosdam singulariter peccatores appellare solet, ut Sodomitas, Amalecitas, Publicanos et Meretrices. Latine dici possunt, *scelesti, flagitiosi.*

Sceleratis et contaminatis. Alii propius ex Graeco vertunt, *nefariis et profanis.* Quod posterius etiam apud Ambrosianum est. Prior vox significat eos, qui nulla religione a sceleribus revocantur: posterior homines impuros, piaculis contaminatos, atque ob id a sacris arcendos. Unde illud poëtae: *Procul este profani.*

Patricidis et matricidis, homicidis. Duo priora, secundum Graecam significationem, extendi possunt ad eos etiam, qui citra necem parentes percusserunt: contra quos est illud legis Mosaicae: *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* Exod. 21. Tertium occisionem viri, id est hominis significat, quinto decalogi praecepto prohibi-

tam. Nam viri nomine, phrasi praesertim Hebraea, saepe etiam femina comprehenditur.

10. *Fornicariis, masculorum concubitoribus.* Ex eo, quod *fornicarios* connumerat aliis magnis peccatoribus, quibus lex posita est, et justo, cui lex posita non est, opponit; aperte colligitur, fornicationem mortale peccatum esse. Comprehendit autem Apostolus nomine *fornicationis*, tam hic quam alibi, omnem viri et feminae commixtionem extra matrimonium. Ex iis autem impudicitiae peccatis, quae contra naturam committuntur, contentus est unum praecipuum nominasse.

Plagiariis. Graece ἀνδραποδισταῖς, quasi dicat *mancipiariis*, hoc est iis, qui aliena mancipia furantur et vendunt. Quod genus furti *plagium* Latine vocatur, eo quod hujus criminis convicti lege Flavia plagis damnarentur. Tametsi generalior est Latina significatio: nam *plagiarii* jureconsultis in universum dicuntur hominum fures, id est qui homines, sive servos, sive liberos abducunt, retinent, vendunt; imo et qui emunt in servitutem eos, quos liberos esse noverunt. Fuit olim hoc peccatum frequens apud eos, quibus hominum servitus in usu erat.

Mendacibus, perjuris. Perjurium esse mortale peccatum secundo decalogi mandato prohibitum, nulla dubitatio est: mendacia vero constat non omnia mortifera esse. Sunt enim quaedam jocosa et officiosa, quae culpam venialem non excedunt. Verum Apostolus *mendaces* hic appellat, non a qualicunque mendacio, sed ab eo, quod fit studio nocendi, id est per quod notabile nocumentum (quale praecipue est in religionis doctrina) proximis infertur; quod Theologi pernitiosum mendacium vocant; de quo Joannes loquitur in Apoc. 21. et 22., dum omnibus mendacibus (quos interpretatur eos, qui amant et faciunt mendacium) partem fore dicit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda. Ut mendaces his locis dicantur fallaces illi, qui in re gravi student alium fallere.

Huc usque Apostolus enumeravit eos, quibus lex posita est: ex quo consequitur, omnia haec peccatorum genera mortalia esse, per quae nimirum fiat, ut homo justus non sit, sed injustus; et per hoc legis onere pressus.

Unde praeterea consequens est, et contra nostrae tempestatis haereticos observandum, esse quaedam peccata, quae non impediant, quo minus quis vere dicatur et sit justus; et proinde legem vere servet atque impleat, et non tantum imputative, ut illi dicunt. Ea peccata sunt, quae Catholici venialia vocant, sine quibus impossibile est etiam justos ducere hanc vitam. Non igitur omnia peccata, ut sectarii isti volunt, mortalia sunt et gehennae, quam lex minatur, obnoxium faciunt; sed necessario agnoscendum est mortalium et venialium discrimen, quod illi negant.

Et si quid aliud sanae doctrinae adversatur. Quia longum erat, omnia peccatorum genera, quibus lex posita est, singillatim recensere; generali clausula quicquid reliquum est complectitur. Nec moveat, quod utitur conjunctione *si*, quae dubitantis esse solet: saepe enim, more scripturae, non dubitat, sed supponit, qui sic loquitur, quasi dicat: Et quicquid est aliud etc. Sic idem Apostolus Rom. 13. *Et si quod est aliud mandatum.* Porro, *sanam doctrinam*, vocat integram et incorruptam. Hujus frequenter meminit in epist. ad Tim. et Titum; quo ad episcopos scriberet, quibus ante omnia curae esse debet, ut Christiana et apostolica doctrina pura ab omni corruptione conservetur.

Dicuntur autem *adversari sanae doctrinae* non quaecunque peccata, sed ea solum, quae hominem simpliciter injustum ac legis transgressorem constituunt; qualia sunt de quibus hic agitur. Non quasi peccatum aliquod non sit contra ullam Dei legem; sed quia venialia, sicut imperfectam habent peccati rationem, ita et legi Dei imperfecte repugnant, quatenus non extinguunt dilectionem Dei ex toto corde. Unde nec simpliciter ab illis

quisquam legis transgressor vocatur. Secus de mortalibus, etiam singulis; ut patet Jac. 2.

11. *Quae est secundum Evangelium gloriae beati Dei.* Particula: *Quae est,* in Graeco quidem non habetur, sed supplendam esse recte admonet Theophylactus. Est enim haec pars explicatio ejus, quod praecedit, *sanae doctrinae.* Quae est, inquit, secundum Evangelium, id est Evangelio consentanea. Vocat autem *Evangelium gloriae beati Dei,* quia per ipsum Deus, qui per naturam beatus est, et laude nostra non eget, glorificatur. Nam finis Evangelii gloria Dei est. Unde ait infra: *Regi saeculorum honor et gloria.*

Quod creditum est mihi. Id est, concreditum, commissum; cujus praedicatio mihi delegata est a Deo. Hoc quoque pertinet ad commonstrandam sanam doctrinam, quasi dicat: Evangelium a me Christi Apostolo praedicatum ne dubita sanam esse doctrinam. Sic in 2 Tim. 3. *sciens, a quo didiceris;* etenim Paulo solemne erat, Evangelio suo fidem conciliare ex auctoritate suae personae, tanquam ad Evangelium praedicandum divinitus missae. Hinc toties se Christi Apostolum vocat; atque eum titulum adversus aemulos constantissime tuetur.

12. *Gratias ago ei, qui me confortavit Christo Jesu Domino nostro.* Non, *in Christo,* ut quidam legunt contra fidem Graecorum codicum, quibus et Latini MSS. et post Ambrosianum editio Clementina suffragatur. Graeca sic habent: *Et gratiam habeo ei, qui me roboravit,* sive *potentem reddidit, Christo Jesu* etc. Quoniam dixerat, *quod creditum est mihi;* ne suis meritis id adscribere videatur, gratias agit Christo, non solum de munere praedicandi Evangelii sibi concredito, verum etiam de eo feliciter et fortiter inter tot persecutiones et pressuras a se administrato; nam ad id praestandum magna utique fortitudine et constantia opus erat.

Quia fidelem me existimavit. Graece, *duxit, judicavit, aestimavit,* ut legit Ambrosianus. *Ponens in ministerio.* Graece, *in ministerium;* Ambrosiano idem adstipulante. Sensus hujus loci est: Christo Domino gratiam habeo, quod me fidelem et proinde idoneum judicaverit, quem adhiberet ad ministerium Evangelii. *Fidelem* dicit, non a fide, quae omnibus Christianis communis est, ut nonnulli minus germane interpretantur; sed a fide, quae exigitur in rebus commissis, ut liquet ex contextu verborum. Sic ait 1 Corinth. 4. *Quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* et cap. 7. de seipso: *Tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Qui locus huic similis est, et cum eo conferendus.

Jam quod dicit, *quia fidelem me existimavit,* non sic accipiendum, quasi Deus Paulum fidelem invenerit, non autem fecerit (quod lectori parum attento Chrysostomus ejusque sequaces videri possunt sensisse), sed minus dicendo plus voluit intelligi. Nam homines quidem iis credunt rerum suarum dispensationem, quos fideles existimant, etsi non faciunt: Deus autem neminem judicat fidelem, quem non faciat. Idque significare voluisse Apostolum probat ipsa gratiarum actio; nulla enim gratia Deo debetur, quod hominem, qui fidelis est, talem judicet (est enim hoc judicium in Deo necessarium): sed quod talem faciat; quod et locus ad Cor. jam citatus haud obscure significat. Aut certe, quia de Christo loquitur, etiam sic potest intelligi: Fidelem me judicavit, ut homo; quem talem, ut Deus, fecit.

13. *Qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus.* Graece, *eum qui prius* etc. Amplificat divinae erga se gratiae magnitudinem, ostendens quam eo beneficio indignus fuerit; ut qui non solum nihil boni meriti ad illud attulerit, verum etiam in benefactorem multis modis fuerit injuriosus. *Qui prius,* inquit, *blasphemus* eram, id est maledicus, Christum vocans seductorem; *et persecutor* ecclesiae ejus, atque in ea ipsius Christi: utpote de coelo ad me clamantis,

quid me persequeris? Denique *contumeliosus*, Graece ὑβριστής, quod et conviciatorem significat et violentum oppressorem. Posterior significatio magis quadrat; quia conviciatorem seu blasphemum jam ante dixerat. Augustinus lib. 4. contra Donatist. cap. 5. ex Cypriano *injuriosum* legit; quod ad utrumque patet.

Videtur autem Apostolus peccatum suum gradibus quibusdam augere, ut primus gradus sit maledicere, secundus persequi, tertius per vim opprimere et, ut ipse vocat Gal. 1., *expugnare.*

Sed misericordiam Dei consecutus sum, vel, ut sim fidelis, ut dicitur 1 Cor. 7., siquidem et hic de fidelitate sua gratias egit Christo: vel in genere misericordiam a Deo consecutus, id est gratiam, qua et peccata remitteret, et immensis beneficiis me cumularet. Graece quidem legitur addita conjunctione: *Sed et misericordiam consecutus sum:* sed pleonasmus est, Apostolo non infrequens, quod et alias annotavimus.

Quia ignorans feci in incredulitate. Nonnulli arbitrantur, Apostolum hac aetiologia peccatum suum exaggerare, atque ex magnitudine peccati rationem reddere, cur misericordiam consecutus sit; quasi dicat: Quia Deus vidit me per infidelitatem adeo excaecatum, ut cum tanta mala facerem, tamen ea non viderem, sed optime facere me putarem et per hoc penitus essem desperatus, more phrenetici, qui morbum suum non agnoscit: ideo ex mera sua misericordia me praevenit atque sanavit. Ita Joannes Hesselius, sensum hunc colligens ex Augustino sermone 8. 9. et 10. de verbis Apost. Juxta quam expositionem causa acceptae misericordiae redditur, non ex parte peccati, sed bonitatis divinae, quae tanta est, ut potentiam suam declarare velit in remissione gravissimorum peccatorum, tanquam in curatione morbi desperati.

Quidam nullam putant hic reddi rationem, sed tantummodo significari, cujus et quanti peccati veniam Apostolus sit consecutus. Sic Petrus Lombardus in commentario, glossam ordinariam secutus; ut sensus sit: veniam consecutus sum de eo, quod ignorans feci per incredulitatem; veniam obtinui totius erroris et infidelitatis meae. Sed hic sensus, etsi verus, non tamen explet Apostoli sententiam, ut quae non minus causalis sit, quam illa Christi oratio: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. Quin potius mutua collatione hae duae sententiae explicandae sunt, et si quae sunt similes, ut est illa Petri allocutio ad Judaeos Actor. 3. *Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.*

Plerisque igitur tam Graecis, quam Latinis videtur, Christum et utrumque Apostolum per hujusmodi verba extenuare velle peccatum eorum, de quibus loquuntur; ut circumstantia extenuans sit ignorantia, per quam peccaverunt. In eundem sensum Apostoli verba accepit interdum Augustinus, ut in expositione Psalm. 50. et lib. 4. contra Donatist. cap. 5. et homil. 21. inter 50. Similiter et Cyprianus in epistola ad Jubajanum, Tertullianus lib. de pudicitia, Gregorius vel quisquis auctor in Psalm. 3. poenitentialem, et Bernardus serm. 1. de conversione sancti Pauli. Scholastici quoque Doctores ex ejusmodi Scripturis probare solent, peccata quaedam per ignorantiam excusari, sicut alia per infirmitatem.

Sed contra hunc commentarium facit, primum quod Christus non solum pro iis oravit, qui peccarunt ex ignorantia peccatum extenuante, verum etiam pro iis, qui ex odio, invidia, malitia, crucifixionis ejus erant auctores; quemadmodum docent Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli, et Leo serm. 15. de passione Domini. Quod et ipsa ratio confirmat, nam alioqui non dedisset nobis Dominus perfectum exemplum orandi pro persecutoribus; ut quos persaepe malitia ad bonos persequendos incitat. Facit eodem, quod Petrus addit, *sicut et principes vestri.* Nam principes Judaeorum partim ex odio, partim ex ambitione, Christum voluerunt e medio sublatum; uti probant hae Scripturae, Sapient. 2. *Circumveniamus ju-*

stum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris, et improperat nobis peccata legis etc. Luc. 20. *Hic est haeres, occidamus eum, ut nostra fiat haereditas.* Joan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?* Denique facit, quod Paulus addit, *in incredulitate.* Nam Scriptura nusquam, ut arbitror, infidelitatem ponit, ut circumstantiam peccati extenuantem; sed ea magis in contrarium uti solet, ut Psalm. 68. Ephes. 4. et 2 Thess. 1. et alibi.

Videtur itaque dicendum, quod fecisse per ignorantiam, respectu misericordiae ac veniae a Deo impetrandae, in praedictis sententiis neque allegatur proprie ad exaggerationem peccati, neque ad ejus extenuationem; praesertim cum omnibus peccatis aliquo modo commune sit, quod ex ignorantia fiant; quemadmodum docetur in 2. sent. d. 22., sed adfertur, ut ratio objecti maxime convenientis, circa quod Deus misericordiam suam exerceat. Nam objectum seu materia misericordiae miseria est: unde quanto miseria major, tanto magis nata est misericordiam commovere. Hinc orat Psalmista: *Cito anticipent nos misericordiae tuae; quia pauperes facti sumus nimis.* Psalm. 78. Quamvis autem omne peccatum miseria quaedam sit, magis tamen ignorantiae quam peccati nomine miseria significatur. Nam miseria, ut talis involuntaria est, sicut et ignorantia, atque hac ratione misericordiam commovet; peccatum autem omne voluntarium est, ideoque, ut tale, non misericordiam provocat, sed iram, tanto graviorem, quanto gravius est ipsum peccatum.

Quod igitur Apostolus dicit, tale est: Ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat miseria mea; haec nimirum, quod tanta mala facerem per ignorantiam et incredulitatem, instar aegroti, qui per insaniam medicum caedit, quemadmodum pulchre explicat Augustinus serm. jam citato. Ad eundem modum et Christi oratio videtur intelligenda; tanquam si diceret: Pater ignosce illis et da veniam; quia per ignorantiam, qua peccant nescientes quae faciunt, valde miseri sunt. Huc faciunt etiam aliae Scripturae non dissimiles, ut Gen. 8. *Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua,* et Psalm. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea,* et Psalm. 77. *Non accendit omnem iram suam: et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens.* In quibus Scripturis observa pro ratione misericordiae divinae allegari peccatum originale; quod ad maximam pertinet humani generis miseriam, et de voluntario minimum habet inter peccata. Quanquam alias etiam actualia peccata significantur, ut Psalm. 24. *Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim,* et Psalm. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Tale est et illud Apostoli Rom. 5. *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Nam et hic continuo subjungit idem Apostolus, superabundasse in se gratiam Christi.

Ex his omnibus id etiam manifestum est, illis verbis, *quia ignorans feci,* nullam significari rationem meriti in Paulo, ne quidem ex congruo, quod Deum provocaret ad gratiam et misericordiam ei praestandam; nihilo magis, quam in aliis Scripturis modo recitatis. Tantum enim, uti dictum est, magnitudo miseriae significatur, velut objecti misericordiae divinae; quae miseria, quia peccati erat, non poterat secundum rationem meriti misericordiam provocare, sed iram.

Unde adhuc liberum est quaerere, utrum per ignorantiam tanquam circumstantiam extenuantem peccaverit Paulus Christum blasphemans, et Ecclesiam ejus persequens; an vero per malitiam. Tametsi communior et verior est responsio, per ignorantiam magis quam per malitiam haec eum fecisse; ut qui esset ex eorum numero, qui arbitrabantur, perse-

quendo Christianos obsequium se praestare Deo Joan. 16., quique zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam, Rom. 10. Sic enim de se loquitur Phil. 3., *secundum aemulationem persequens Ecclesiam Dei; secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela.* Non igitur fuit illis annumerandus, qui rebelles sunt lumini, qui obstruunt oculos ne videant, qui vident aliqua argumenta verae fidei, sed malitia et pravis affectibus excaecati ea rejiciunt et doceri nolunt, dicentes Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus:* quorum denique vox est in libro Sapientiae 2. *Circumveniamus justum* etc., quanquam et hi secundum sensum orationis Christi nesciunt, quid faciant.

14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri,* scilicet erga me. Dicit autem *superabundasse,* id est supra modum exuberasse erga se gratiam et misericordiam Christi Domini; vel quia beneficium, quod ei Deus per gratiam suam contulit, valde fuit gratuitum, utpote valde indigno collatum; vel, quia magnum erat et copiosum. Non solum enim peccata delevit, sed et adoptionem filiorum contulit, et Apostolici muneris dignitatem adjecit; *ut ubi abundavit delictum, superabundaret gratia,* Rom. 5.

Cum fide et dilectione, quae est in Christo Jesu. Adjungit divinae gratiae suos effectus praecipuos, *fidem et dilectionem* christianam, quas in se per gratiam superabundasse dicit; fidem opponens incredulitati; dilectionem saevitiae, quam exercuerat adversus fideles. Recte Graeci admonent, Apostolum fidei conjungere dilectionem, eo quod sine dilectione fides ad salutem non sufficiat. Est autem eadem dilectio, quae charitas, Graece ἀγάπη.

15. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus.* A specie transit ad genus, id est a gratia sibi praestita ad commune beneficium redemptionis et salutis humanae per Christum. Utitur autem magnifica praefatione, quae hunc habet sensum: Id quod volo dicere, quoad veritatem quidem certum est et indubitatum; quoad utilitatem vero dignum, quod modis omnibus amplectamur. Est enim Evangelium, id est bonum laetumque nuntium. *Fidele,* pro vero, certo et firmo frequens est in Scripturis, maxime verbis ac promissis attributum.

Porro sciendum est, Ambrosianum legere, *humanus sermo,* cujus lectionis etiam Hieronymus in Epist. 102. ad Marcellam et B. Thomas in commentario meminerunt. Verisimile est, id quod Erasmus suspicatur, eam Latinam lectionem manasse a Graecis quibusdam codicibus, in quibus pro πιστὸς legebatur χρηστὸς, id est benignus; tametsi nunc Graeca constanter habent πιστὸς fidelis; idque sine dubio melius. Est enim Apostolica phrasis, *fidelis sermo,* quam et infra cap. 3. et 4. hujus Epist. repetit: ac rursus in 2. ad Tim. 2. et ad Tit. 3. Unde merito diversam lectionem Hieronymus repudiat in Epist. memorata.

Quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Graece et Syriace, *in mundum.* Dicitur autem Christus venisse in mundum, quia quamvis jam ante in mundo esset per divinitatem, Joanne testante cap. 1. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est:* secundum assumptam tamen naturam inter homines, qui mundi nomine significantur, esse coepit postquam incarnatus est: juxta illud ejusdem Evangelistae: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Venit* autem, *ut peccatores salvos faceret;* id est ut peccatoribus salutem adferret. Cujus salutis partes sunt conversio, remissio peccatorum, justificatio et glorificatio. Nam salus peccatoris in hac vita inchoatur, in futura perficitur. Tacite alludit Apostolus ad nomen Jesu, cum dicit Jesum venisse, ut peccatores salvos faceret; nam Jesus salvatorem significat. Unde et angelus apud Matthaeum: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Ex his autem et similibus Scripturae testimoniis constat finem, principalem ad-

ventus Christi fuisse salutem peccatoris. *Non veni,* inquit, *vocare justos, sed peccatores,* Matth. 9. Et iterum: *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat,* Luc. 19. Ex qua doctrina recte colligunt Theologi, Christum non fuisse venturum in carne, si homo non peccasset; nam cessante fine principali cessat effectus. Hinc ait Augustinus serm. 9. de verbis Apostoli: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Et serm. 36. de verbis Domini: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Item Leo serm. 3. de Pentecost. *Si homo in suae honore naturae mansisset, creator mundi creatura non fieret.* Eadem est sententia B. Thomae tam in comm. quam alibi; nec non aliorum praestantium Theologorum ipsiusque Magistri sentent. lib. 3. d. 1.

Deinde ex doctrina supradicta sequitur: Omnes, qui per Christum salvantur, peccatores fuisse, nemine excepto. Et quoniam Christus non solum adultorum, verum etiam parvulorum salvator est, ipso dicente: *Sinite parvulos ad me venire* Matth. 19., consequitur, etiam parvulos recens natos esse peccatores; quemadmodum ex ea doctrina bene contra Pelag. concludit August. serm. 9. et 10. de verb. Apost. et lib. 1. de peccat. meritis cap. 26. et 29.

Quorum primus ego sum. Non *primus* tempore, sicut hoc intellexerunt quidam haeretici, qui dicebant, ut refert Aquinas, animam Adami, transeundo de corpore in corpus, ad Paulum usque pervenisse, et in eo fuisse; quasi diceret: Ego primus peccator; quia anima Adami, qui primus peccavit, est anima mea. Qui sensus absurdus et haereticus est, ponens animarum transitum seu transmigrationem de corpore in corpus. Sed *primum* se dicit, peccatorum magnitudine, id est maximum peccatorem: non quod revera nullus eo fuisset major etiam inter eos quos salvos fecit Christus; sed vel hoc sensu, quia unus erat ex praecipuis et insignioribus; magno enim studio et ardore persecutus fuerat Ecclesiam Dei, quae res eum valde insignem inter peccatores faciebat.

Vel quia omnium maximus esset peccator, quantum ad suum ipsius judicium; quod de se quidem affirmativum, de aliis autem negativum habebat, velut si diceret: Scio me fuisse valde magnum peccatorem, et talem me semper in corde gero; nec alium quemquam judico me majorem. Hoc enim verae humilitatis est, simul et charitatis, seipsum accusare, et alios non judicare. Sic e contrario se vocat omnium sanctorum minimum, Ephes. 3. Sensus hic et probabilis est, et plurimum aedificat: de quo plura qui volet, Hesselii commentarium legat; ubi inter alia recte docet, quomodo quisque nostrum debeat veraciter judicare, se esse maximum peccatorem; quia nimirum ad eum pertinet sua peccata prae oculis habere et ponderare; de aliis autem meliora praesumere, et eorum peccata vel extenuare vel non attendere. Videantur et nostra super memoratum locum Epist. ad Ephesios, et super illud Phil. 2. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Vide etiam S. Thomam 2. secundae quaest. 161. art. 3.

Jam ad humilitatem Apostoli etiam hoc videtur referendum, quod non dicit, *quorum primus ego fui,* sed *sum;* tanquam adhuc talis esset. Debet enim unusquisque semper ante oculos habere statum peccati, ex quo per Dei gratiam ereptus est, et in quo adhuc haereret, si sibi relictus esset; idque tum ob custodiam humilitatis, tum ut divini beneficii magnitudo nunquam ei effluat e memoria, sed in continua gratiarum actione persistens dona potiora mereatur. Quanquam quod dicit Apostolus, *quorum primus ego sum,* secundum expositionem Aquinatis et Cajetani potest sic accipi, ut relativum *quorum* non referat peccatores absolute, sed peccatores salvatos a Christo, ut nimirum respondeat ei, quod praecedit, *peccatores salvos facere.* Peccator autem salvatus jam non est peccator, sicut languidus sanatus non est

languidus. Itaque proprie dicere potuit, *quorum primus ego sum;* et huic sensui congruunt sequentia.

16. *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.* Illud *primo,* non est adverbium, sed nomen, Graecis dativi, nobis ablativi casus. Rationem misericordiae a Deo sibi impensae superius reddidit ex parte objecti, id est miseriae suae: nunc eam assignat ex parte causae finalis. Cum enim Deus omnia faciat ad ostensionem bonitatis suae; peculiariter tamen et singulari quodam exemplo Paulum, qui tam magnus erat peccator, per gratiam suam Jesus Christus ad se convertere, et tam magnum Apostolum facere voluit; ut in eo *primo,* id est maximo peccatore, ostenderet ac mundo notam faceret *omnem,* id est perfectam ac singularem *patientiam,* sive ut expressius ex Graeco legit Augustinus, *longanimitatem.* Nam Graeca habent μακροθυμίαν. Erasmus *clementiam* vertit: ego lenitatem malim, qua nimirum Christus tantum Ecclesiae suae persecutorem non solum non punivit pro meritis, verum etiam ad poenitentiam exspectavit; imo poenitentiam ipsam gratuito dedit; eum sanavit, justificavit, et magnum suum Apostolum fecit. Significat Apostolus, Christum fecisse, quod solent medici; qui ut omnes ad se invitent, artis suae specimen praebent in perfecta curatione infirmi alicujus desperati. Unde sequitur:

Ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam aeternam. Informationem, Graece, ὑποτύπωσιν. Quod nomen hic accipitur pro formae et exemplaris expressione; ut non inepte verterit Erasmus, et eum secutus Hentenius: *Ad exprimendum exemplar iis, qui crediturí essent in ipso, in vitam aeternam;* hoc est, ut me faceret exemplar omnibus peccatoribus, qui usque ad finem saeculi in ipsum credituri sunt, et per eandem fidem exspectaturi vitam aeternam. Videntes enim peccatores, Paulo, qui tam graviter peccaverat, impensam esse a Christo misericordiam; audent et ipsi veniam et salutem ab eo sperare. Non solum igitur Paulus a Christo datus est Ecclesiae, ut eximius praedicator gratiae Dei; sed etiam ab eodem propositus est omnibus, ut ejusdem gratiae exhibitae praecipuum exemplar.

17. *Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* Ex consideratione tanti beneficii per Christum sibi atque in universum humano generi exhibiti, erumpit in laudem Dei, praedicans illum aeterno honore et gloria dignum. Non refert autem sive, de Deo Patre, sive de tota Trinitate sententiam exponas, utrumque enim probabile est, et suos habet Catholicos auctores. Quomodo autem recte de Patre dictum intelligatur: *soli Deo,* cum et Filius et Spiritus sanctus sit Deus, paulo post explicabitur. *Regem saeculorum, Deum* appellat, hoc est, regem totius universi ab initio, quo conditum est usque in aeternum, juxta illud Psalm. 144. *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generatione.* Intelliguntur ergo saecula creata, quae cum mundo habent initium, de quibus Heb. 1. *Per quem fecit et saecula,* et cap. 11. *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei.* Quae et 2 Tim. 1. *tempora saecularia* vocantur. Sub his autem comprehendi vult Apostolus quidquid saeculis seu temporibus mensuratur, id est omnem creaturam. Nec vero saecula increata recte possunt intelligi, quia Deus non est eorum rex aut dominus, sed idem cum illis. Nam increata saecula non aliud sunt, quam aeternitas Dei.

Pro *immortali* Graece et Syriace est *incorruptibili,* hoc est, in quem nulla prorsus potest cadere corruptio; quod quidem soli competit Deo, quemadmodum idem Apostolus infra cap. 6. testatur, dicens: *Qui solus habet immortalitatem.* Ex quo etiam loco petendum, quo sensu Deus dicatur invisibilis. *Quem,* inquit,

nullus hominum vidit, sed nec videre potest.

Pro eo, quod sequitur *soli Deo,* Graeci codices, qui nunc versantur in manibus, habent *soli sapienti Deo,* et ita legisse Theophylactum liquet ex ejus comment. Ita quoque Cyrillus legit lib. 12. thesauri cap. 10. At vero pro nostra lectione faciunt omnes codices et commentatores Latini atque insuper Augustinus variis locis hanc Apostoli sententiam citans. Accedit et Syriaca versio. Quin etiam Chrysostomus, Theodoretus et Oecumenius satis produnt non legisse *sapienti;* quandoquidem in commentario non attingunt. Imo Chrysostomus diserte exponit illud *soli Deo,* ut manifestum sit, mediam dictionem *sapienti,* ab eo lectam non fuisse. Nec improbanda suspicio est, eam ex fine Epistolae ad Rom., ubi tam Latine quam Graece legitur *soli sapienti Deo,* huc a Graecis quibusdam diversa loca confundentibus adscriptam esse, sicut et in Epistola Judae.

Quod ergo nos legimus: *soli Deo honor et gloria,* tribus modis sane potest intelligi. Primo, ut significetur *honor et gloria* per excellentiam, ea nimirum, quae tribuitur alicui, ut summe bono atque perfecto, talis enim honor et gloria soli Deo debetur non angelo, non homini quantumvis sancto. Altero modo, ut sensus sit: *Soli Deo honor et gloria,* sic ut omnis honor et gloria, quaecunque aliis competit, solide in Deum réferenda sit, secundum illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur,* 2 Cor. 10. Nihil enim est honore et gloria dignum in creatura, quod non a Deo procedat auctore. Tertius sensus est: Rex ille saeculorum immortalis et invisibilis, qui solus est Deus, honoretur et glorificetur *in saecula saeculorum,* id est in omnem aeternitatem.

Secundus sensus multorum est, sed postremus maxime probabilis, quem tradit Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 8. et 17. Nec offendit hic sensus, etiamsi specialiter ad Patrem referatur, ut Graeci faciunt, et inter Latinos Ambrosianus: dicitur enim Pater solus Deus, non ad exclusionem Filii aut Spiritus sancti, quibus est una cum Patre natura, sed ad excludendum quidquid est ab ipso diversum, ut est omnis et sola creatura, quemadmodum hujusmodi locutiones accipiendas esse docetur in 1. sent. d. 21. Quo autem sensu secundum Graecam hodiernam lectionem Deus dicatur *solus sapiens,* diximus in comment. Epist. ad Rom. Clausulam *Amen,* id est fiat, adjicit Apostolus tanquam sigillum, quo confirmet et quantum in se est rata faciat ea, quae proxime dixit.

18. *Hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee.* Non convenit inter expositores, de quo praecepto loquatur. Ambrosianus et Graeci referunt ad id, quod statim sequitur: *ut milites in illis bonam militiam* etc. Rectius alii putant, Apostolum respicere ad superiora ac nominatim ad illud, quod dixerat initio: *Sicut rogavi te, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent,* et caetera, quae sequuntur de lege et gratia. Nam illud *rogare,* praecipere erat.

Unde et verum apparet, quod sentit Cajetanus, Apostolum suam orationem, quam ibi reliquit imperfectam, hic tandem absolvere, quasi dicat: illud praeceptum, quo te rogavi, ut Ephesi remaneres, et quibusdam, ne aliena et fabulosa docerent, denuntiares; *hoc,* inquam, *praeceptum tibi commendo,* id est custodiendum et servandum moneo; velut depositum quoddam. Addit autem, *fili Timothee,* ne videatur praecipere ut dominus, sed ut pater. Potest etiam intelligi *praeceptum,* non quo aliquid Timotheo praecipiatur, sed quo Timotheus praecipere debeat aliis. Sic enim dictum erat illi, *ut denuntiares quibusdam,* id est praeciperes. Pro quo sensu facit, quod hic loco *praecepti* non legatur ἐντολή in Graeco, sicut alibi, sed παραγγελία, vocabulum derivatum a verbo superius posito, quod interpres vertit *denuntiare,* ut hic conformiter verti potuerit: *Hanc denuntiationem commendo tibi,* scilicet eam, de qua dixi: *ut quibusdam denuntiares.*

Secundum praecedentes in te prophetias. In te, Graece ἐπὶ σέ, id est super te, ut legit Ambrosianus. Alii vertunt *de te,* quod idem valet. Nam sensus est: Hoc praeceptum tibi commendo servandum, vel exsequendum juxta prophetias, quae de te praecesserunt, id est secundum revelationes divinas de te factas, quibus nimirum significatum fuit te futurum utilem Ecclesiae Dei ministrum. Etenim in Ecclesia primitiva, quemadmodum Chrysostomus annotat et Dionysius in ecclesiast. hierarch. meminit, electiones Episcoporum saepe fiebant per revelationem Spiritus sancti. Sic ad opus praedicationis missi fuerunt Barnabas et Saulus Act. 13. Sic etiam multos sanctos Episcopos olim legimus electos. Sic igitur ordinatus fuit Episcopus, postquam non unum Spiritus sancti testimonium, sed plura de eo praecessissent; id enim vult plurale nomen *prophetias,* tametsi cap. 4. rursus Timotheum hujus rei commonefaciens, *prophetiam* nominat singulari numero. *Noli,* inquit, *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Quod quomodo consistat cum plurali numero hujus loci, illic explicabitur; erant autem hae prophetiae partim ipsius Pauli ordinantis, partim aliorum fidelium, qui prophetiae donum habebant.

Ut milites in illis bonam militiam. In illis, scilicet prophetiis, ut patet ex Graeco. Referenda est haec pericope ad illam praecedentem, *hoc praeceptum commendo tibi,* ut sensus sit: Eo fine commendo tibi praeceptum, secundum prophetias de te factas servandum, *ut in illis,* id est secundum easdem prophetias, ac velut in virtute earum, *milites bonam militiam,* hoc est officium tuum episcopale strenue et fortiter administres. Libenter Apostolus utitur metaphora militiae, tanquam aptissima non solum ad exprimendam vitam hominis Christiani, quem alibi ut militem Christi spiritualibus armis instruit, ut Eph. 6. et 1 Thess. 5., verum etiam ad commonstrandum, quale sit opus Episcopi. Nam sicut in militia, sic et in Episcopatu, perpetua est adversus hostes pugna, vigiliae, labores, pericula. Hostes in hoc genere sunt daemones, haeretici, falsi fratres, hypocritae et quicunque doctrinis aut exemplis malis gregem Dominicum, cui praepositus est Episcopus, quantum in ipsis est, depopulantur ac perdunt. Porro *bonam militiam* vocat strenuam, fidelem, legitimam, talem denique, quae bonum militem faciat, cujusmodi Timotheum vult esse in 2. Epist. cap. 2. dicens: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu.*

Quaeret aliquis: Si de Timotheo jam ante prophetatum erat, qualis futurus esset Episcopus, quid opus erat eum hortari, ut se talem praestaret; cum non possit non impleri, quod Deus praedixit? Respondetur, id, quod Deus praedixerat, implendum fuisse per media ab ipso Deo ordinata, inter quae, sicut erat bona voluntas Timothei, sic etiam studium et solicitudo Pauli, qua bona Timothei voluntas subinde excitanda erat et fovenda. Nam totum hoc ad providentiam Dei, verbum suum implere volentis, pertinebat.

19. *Habens fidem et bonam conscientiam.* Ostendit, quae sint imprimis necessaria bonam militiam, quam dixit militaturo; *fides* scilicet *et bona conscientia.* Fidem intelligit eam, qua Christiani atque Catholici sumus, ut constat ex eo, quod statim sequitur: *circa fidem naufragaverunt.* Verum in Episcopo haec fides explicata esse debet, ut in particulari norit, quae dogmata Christiano tenenda, quae fugienda sint. Igitur universa sana doctrina nomine fidei comprehenditur. Huic fundamento necesse est, ut accedat *bona conscientia,* qua nimirum quis sibi conscius est vitam suam a fide non discordare, praesertim in eo, quod non sua quaerat, sed quae Jesu Christi. Quo nomine Timothei sinceritatem laudavit in Epist. ad Phil. 2. Caeterum Apostolus ex effectu causam voluit intelligi, nam bonae conscientiae causa est recta conversatio. Jam illud observa, dum praeter fidem exigit bonam conscientiam, satis eum

significare, quod fides absque charitate et bona conscientia consistere possit.

Quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. Graecum participium praeteriti temporis est, proinde clarius ita vertas: *Quam quidam posteaquam repulerunt, circa fidem naufragium passi sunt.* Translatio sumpta videtur non a navigantibus, non enim dicit Apostolus ipsos periisse, sed a mercatoribus, quorum merces naufragio pereunt. Ubi tamen dubium esse potest, utrum significet, eis fidem totam naufragio periisse, scilicet per apostasiam, qua fides penitus abjicitur, an vero periisse partem aliquam fidei; quod posterius apparet ex eo, quod non dicit *a fide,* sed *circa fidem.* Id enim Anselmus sic exponit: Naufragium pertulerunt circa fidem, quasi per circuitum veritatis euntes et non ex toto a fide recedentes, nec tamen intra eam manentes. Addit huic sensui probabilitatem, quod de haereticis sit sermo, qui non universam abjiciunt Christianae fidei doctrinam, sed ex parte tantum. Nam haereticos hic notari, patebit ex sequentibus.

Qui vero metaphoram a navigantibus sumptam intelligunt, varie explicant. Alii fidem portum, bonam conscientiam gubernaculum interpretantur, parum apposite, non enim ad fidem, ut portum navigamus, sed per fidem ad portum aeternae patriae ac beatae visionis tendimus, ut proinde repugnantia sit inter fidem et portum, aptiusque fides intelligatur gubernaculum, quia ad eam pertinet, cursum hujus vitae dirigere. Alii fidem interpretantur navim, cujus ancora sit bona conscientia. Verum non dicit Apostolus, quam quidam amittentes, sed *repellentes;* a naufragantibus autem non repellitur ancora aut gubernaculum, sed amittitur. Accedit, quod usu Scripturae non fides, sed Ecclesia per navim solet significari, ut constat de arca Noë et naviculis evangelicis.

Quocirca prior expositio videtur retinenda. Haec autem de naufragio cum subjunctis exemplis commemorat Apostolus, non tam ut Timotheum terreat, quam ut in illo nos doceat et cautos reddat. Nec sentit, amissa bona conscientia continuo fidem amitti, sed plerumque fieri, ut qui accepta fide non secundum eam vivit, hoc enim est bonam conscientiam repellere, contra fidei dictamen agere, etiam fidem ipsam amittat. Fit enim justo Dei judicio, ait S. Prosper, ut amittat inutilem fidem, qui noluit exercere charitatem.

Cur autem mala conscientia multis sit causa deserendi fidem Catholicam, ita breviter post Chrysostomum et Theophylactum Oecumenius docet: Siquidem, inquit, ne terrore futurorum crucientur, suo animo persuadere nituntur, mendacia esse quaecunque apud nos de resurrectione ac judicio dicuntur.

Optime quadrat haec ratio in haereticos nostri temporis ac praecipue in haeresiarchas, quorum vix ullus est, cui non mala conscientia rectam fidem extorserit. Cur enim vota Deo facta, continentiam perpetuam, pauperitatem evangelicam, ecclesiastica jejunia, bonorum operum dignitatem oppugnant; nisi quia semel libertatem carnis amplexi vident, quam illa omnia suis moribus sint contraria, quae si probarent, seipsos palam damnarent? Competebat eadem ratio in eos, de quibus sequitur.

20. *Ex quibus est Hymenaeus et Alexander.* De Hymenaeo habemus in 2. Ep. cap. 2., quod dixerit, resurrectionem jam esse factam. Negabat enim futuram carnis resurrectionem, loco ejus aliam quandam resurrectionem substituens, quam dicebat jam esse completam: carnis autem resurrectione sublata tollebatur et futurum judicium, quale in ecclesia creditur. Huc eum adigebat mala conscientia, sicut jam dictum est.

Eadem haeresis putatur fuisse Alexandri; quem B. Thomas non improbabiliter eundem facit cum Alexandro aerario, de quo similiter in 2. ep. fit mentio cap. 4. Baronius suspicatur, eum esse, quem Lucas Actor. 19. refert excitatum Ephesi tumultum ficta et profana sua oratione sedasse. Quod non videtur. Qui enim se-

davit sua oratione tumultum illum, fuit scriba civitatis, ut ex eodem cap. liquet: quis autem credat, hominem Judaeum fuisse scribam civitatis Ephesi? Fit illo capite mentio Alexandri Judaei: quem credere possis eundem esse cum isto. Nam et locus convenit; quia Timotheus Ephesi erat episcopus; et haec maxime propter Ephesios scribuntur. Imo nihil vetat tria haec loca de eodem homine intelligi.

Quos tradidi Satanae. Hoc est, diabolo, per excommunicationem, qua eos propter haeresim et blasphemiam ejeci extra ecclesiam. Qui enim extra ecclesiam projicitur, exuitur protectione Dei, qua peculiariter ecclesiam suam protegit: unde consequenter exponitur atque objicitur lupis extra Christi ovile grassantibus. Nam regnum diaboli extra ecclesiam est. Hinc intelligitur, quantum malum sit excommunicari; quemadmodum pulcre declarat in comment. Chrysostomus. An vero illi a Paulo excommunicati etiam corporaliter a Satana vexati fuerint, ut idem Chrysostomus cum multis aliis opinatur, haud plane constat. De qua re tota nos pluribus egimus tractantes illud 1 Cor. 5. *Tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis.* Vide etiam, quae late et docte de eadem re scribit Hesselius in comment.

Ut discant non blasphemare. Id est, non maledicere, non conviciari. Qui enim perversa docent, ecclesiae doctoribus recta docentibus maledicere solent. Et fortassis hi, de quibus loquitur Apostolus, carnis resurrectionem more Paganorum irridebant, sannis et maledictis eam excipientes. Nam infideles resurrectionem mortuorum a Paulo praedicatam irrisisse legimus, Act. 17.

Sed quaeritur, quomodo traditi diabolo, qui blasphemiae magister est, discant non blasphemare. Respondeo, sperari hunc excommunicationis effectum, id est correctionem eorum, non a diabolo (neque enim sensus est, ut a diabolo discant non blasphemare; quemadmodum prudenter annotat Theodoretus), sed sperari a Deo, per excommunicationis poenam. Etenim intentio saltem secundaria ecclesiae excommunicantis est, ut ad sanam mentem redeat peccator; atque ita spiritus ejus salvus sit in die judicii. 1 Cor. 5. Dum enim peccator separatus est a societate fidelium, in qua prius vixerat: si non nimium sit induratus, recogitat unde exclusus sit, et quo projectus; simul etiam pudore afficitur, quod ab omnibus vitetur; tum, vexatione dante intellectum, cogitat cur talia patiatur, scilicet propter peccata sua, quae proinde incipit odisse: hinc poenitentiam concipit et reconciliationem quaerit; accedente ad haec omnia pio desiderio ac gemitu Ecclesiae, pro ejus salute Deum orantis. Quod si, juxta Chrysostomi sententiam, corporalis a daemone vexatio conjuncta erat excommunicationi; jam haec etiam causa ad faciliorem correctionem excommunicati accedebat.

CAPUT SECUNDUM.

Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: 2. pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt [1]), ut quietam et tranquillam vitam agamus [2]), in omni pietate et castitate; 3. hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, 4. qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire [3]). 5. Unus enim Deus [4]), unus et mediator

---

[1]) Rom. 13, 1. 3. [2]) Jerem. 29, 7. [3]) Rom. 1, 17. 2 Petr. 3, 9. [4]) Rom. 3, 29. 30.

Dei et hominum[1]), homo Christus Jesus: 6. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus[2]), testimonium temporibus suis: 7. in quo positus sum ego praedicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide et veritate[3]). 8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione[4]). 9. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: 10. sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona[5]). 11. Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum[6]); sed esse in silentio. 13. Adam enim primus formatus est, deinde Heva[7]): 14. et Adam non est seductus, mulier[8]) autem seducta in praevaricatione fuit. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem[9]), si permanserit in fide et dilectione[10]), et sanctificatione cum sobrietate.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Vult preces fundi pro omnibus hominibus, cum Deus omnes velit salvos fieri. De virorum et mulierum oratione. Mulieri docere non permittit, sed discere in silentio.

1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Obsecro,* Graece παρακαλῶ, quod etiam verti potest, *exhortor,* ut apud Ambrosianum. Est autem verbum diversum ab eo, unde verbale nomen proxime sequens, pro quo nos *obsecrationes,* Ambrosianus *deprecationes* legit. Post constitutam Christianae doctrinae summam de lege et gratia, nunc deinceps specialibus ac variis praeceptis Timotheum Episcopum instruit Apostolus. Et quidem primum omnium fieri vult obsecrationes, orationes etc. Ex his enim caetera pendent. Nam quicquid aliud fieri oportet, id precibus a Deo petendum et exspectandum est. Dicit autem, *primum omnium,* sive ante omnia, eo sensu, quo Christus dixit in Evangelio: Quaerite primum regnum Dei, Matth. 6., ut non tam ordo temporis significetur, quam dignitatis; quasi dicat Apostolus: Hortor et moneo, ut praecipuum studium et cura sit de precibus rite Deo offerendis. Sunt qui genitivum, *omnium,* de personis accipiant, hoc contextu: Obsecro primum fieri omnium obsecrationes etc., id est ab omnibus sive a tota Ecclesia. Quae expositio non est rejicienda; nam totius Ecclesiae est orare, idque pro omnibus hominibus, ut statim dicitur. Adde quod nusquam alibi in scriptura conjuncte legatur, *primum omnium.*

Quomodo differant obsecrationes, orationes, postulationes, ab aliis aliter explicatur. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum q. 5. locum hunc proprie pertinere existimat ad eas preces, quas recitat sacerdos ad altare; ut *obsecrationes* sint preces, quae fiunt in missa ante consecrationem; *orationes,* post consecrationem usque ad orationem Dominicam; *postulationes,* cum populus benedicitur. *Quibus,* inquit, *peractis et participato*

---

1) Gal. 3, 20. Hebr. 4, 15. 5, 8. 2) Matth. 20, 28. Gal. 1, 4. 1 Joan. 2, 1. 2. 3) Act. 9, 15. 26, 16.—18. Rom. 11, 13. Joan. 15, 16. 2 Tim. 1. 11. 4) Jac. 4, 8. 5) 1 Cor. 14, 34. seq. 6) Ephes. 5, 22. 7) 1 Mos. 2, 7. 22. 8) 1 Mos. 3, 6. 9) Cap. 4, 3. 10) Cap. 1, 5. 14. 1 Thess. 4, 4.

tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his verbis ultimam commendavit Apostolus. Rationem hujus distinctionis ex proprietate Graecarum dictionum petitam, vide apud eundem.

Sunt et alii Latini, quorum quisque diversum fere adfert harum vocum discrimem, ut Hilarius scribens in Psalm. 140. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 5. et Ambrosii titulo commentator hujus loci. Item Joan. Cassian. collat. 9., cap. 11. 12. et 13. Sed quoniam de Graecarum vocum differentia ac proprietate agitur, maxime hic audiendos puto Graecos interpretes, secundum quos ita differunt *obsecrationes, orationes et postulationes;* sive, ut alii putaverunt exactius e Graeco (ubi legis δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις) vertendum: *deprecationes, obsecrationes et interpellationes;* ut *deprecationes* sint preces, quibus petimus a malis liberari; *obsecrationes,* quibus oramus, ut nobis bona contingant; *interpellationes,* quum de his, qui nos laedunt, querimur. Ita Theodoretus, Theophylactus et Oecumenius.

Alii *interpellationes* interpretari malunt, quibus oratur pro persequentibus, ut convertantur. Nonnulli vero eas extendunt ad universum genus orationum, quaecunque pro aliis funduntur, bonis ac malis, amicis et inimicis. Quod postremum verisimilius est: hac enim generali significatione Christus pro nobis interpellare dicitur Rom. 8., ubi verbum est Graecum, a quo hujus loci *interpellatio* deducitur. Verumtamen idem Theophylactus eo magis propendet, ut (quod sentit Chrysostomus) tres voces velut idem significantes, congerie quadam Rhetorica ab Apostolo dicantur assumptae; quo vehementior sit adhortatio in re tanti momenti. Pro qua sententia adferri possunt alia loca Apostoli, ut Ephes. 6. et Philip. 4. In his enim duo priora vocabula videtur indifferenter ad eandem rem significandam usurpasse.

Sive autem distinguenda sint illa tria, sive non: haud tamen dubium est, quin praesens locus accipiendus sit de publicis Ecclesiae precibus; vel quas ad altare facit sacerdos, ut sentit Augustinus, vel generalius, quae in conventibus ecclesiae per ministros ejus fiunt (sub quibus et sacrificium comprehenditur, ut Actor. 13.), simul orante cum eis populo; quemadmodum sentiunt Chrysostomus, Ambrosianus et Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 12. Porro his precibus, quarum jam vocabula explicuimus, adjungi, seu potius admisceri vult Apostolus gratiarum actiones; quod et fecit Philip. 4., quia qui non agit gratias de beneficiis acceptis, eo ipso se praestat indignum, cui quantumvis oranti novum beneficium adjiciatur.

Pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, inimicis, persecutoribus; quemadmodum Christus in Evangelio nos docuit Matth. 5., a qua generalitate ne quidem excommunicati sunt excludendi. Neque sensus est, orandum esse pro omni genere hominum, ut quidam intelligunt; quia non tantum ad genera hominum respicit intentio Ecclesiae pro omnibus orantis, sed etiam ad singulos: cupit enim unumquemque salvum fieri, et non tantum ex singulis hominum generibus aliquos. Itaque sensus est, in genere pro omnibus hominibus orandum esse; specialiter vero sic pro singulis, ut nullum prorsus ab oratione nostra velimus exclusum. Ostendit hic locus, nullum hominem dum vivit adeo perditum esse, ut de ejus salute nobis sit desperandum; nam oratio spei professio est. Ostendit item, sectarios nugas agere, dum inquiunt, derogari officio unici Mediatoris, si Sancti pro nobis intercedant, aut intercedere rogentur.

2. *Pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt.* Ambrosianus legit, *qui in sublimiori loco positi sunt,* id est qui praesunt populis, etsi regibus ipsi subjecti. Liquet ex hac parte id, quod dictum est, *pro omnibus hominibus,* non de solis fidelibus accipi posse; nam tempore Apostoli Pauli reges et praesides populorum nondum credebant in Christum, imo vero Christi Ecclesiam persequebantur. Tertullianus Apolog. cap. 39. lo-

quens de his, quae a Christianis fiunt in suis coetibus: Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, et potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete.

Ut quietam et tranquillam vitam agamus. Graece, *placidam et quietam.* Politico magistratui debet hic scopus esse propositus, ut populus ei subjectus tranquillam et quietam vitam agat, id est a bellis et molestiis, quae pacem reipublicae perturbant, liberam; hoc autem ut praestet, orationibus ecclesiae adjuvandus est: praesertim cum ea res cedat ad bonum ipsius ecclesiae. Sic olim Dominus per Jeremiam cap. 29. monet populum sub infideli rege constitutum, dicens: *Quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis.* Ipsi quoque Judaei in captivitate positi fratres suos per epistolam rogant, ita scribentes Baruch 1. *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis et pro vita Balthasar filii ejus; ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor* etc. Quoniam autem a principibus hoc officium non sic ut oportet praestatur, si a cultu veri Dei sint alieni: idcirco consequenter intelligendum est, Apostolum hic praecipere, ut pro illorum conversione et salute oretur. Hanc enim esse mentem Apostoli satis indicat id, quod paulo post sequitur: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

In omni pietate et castitate. Pro *castitate* Graece est σεμνότητι, quo vocabulo omnis morum gravitas et honestas significari solet. Unde alii plerique vertunt, *honestate.* Annotat Ambrosianus et res ipsa docet, pacem et tranquillitatem temporis valde opportunam esse *pietati,* qua Deo cultus debitus redditur; *et honestati morum,* quae potissimum in virtute temperantiae consistit. Videmus enim tempore belli profanari ecclesias, monasteria destrui, sacramenta violari, cessare conciones sacras, claudi ora laudantium Deum; haereses, perjuria, blasphemias et alia id genus vitia impune grassari; denique castitatis, sobrietatis et honestatis vitae nullam haberi rationem. Obiter observa, etiam hoc loco insinuari ab Apostolo illa tria, quae expressit in Epist. ad Tit. 2., *ut sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo.* Nam vitam agere quietam et tranquillam ad justitiam pertinet, quam proximis debemus; sobrietas et castitas conveniunt in genere temperantiae: pietas autem suo nomine designata est.

3. *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* *Hoc,* monstrat illud, ad quod hortatus fuit, scilicet ut oretur pro omnibus hominibus etiam infidelibus et inimicis. Id et *bonum est,* quia praecipuum opus charitatis in proximos, et proinde *Deo Salvatori nostro* valde gratum et *acceptum.* Addit autem, *Salvatore nostro;* nam ratio postulat, ut qui ad salutem misericorditer adducti sumus, etiam alios orationibus nostris adducamus ad salutem.

Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Extensio est ejus quod dixerat: *Salvatore nostro,* quasi dicat, acceptum id esse Deo, qui non tantum noster est Salvator, sed omnes homines vult salvos fieri, nimirum salute aeterna; cujus in hac vita est inchoatio per fidem; de qua addit, *et ad agnitionem veritatis venire.* Loquitur enim de agnitione veritatis non cujuscunque, sed ejus, quae ad salutem pertineat; de qua veritate Christus in Evangelio: *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Joan. 18. Hujus autem veritatis agnitio fides est.

Sed quum certum sit, non omnes homines salvari, nec omnes credere, sed paucos ex omnibus; cumque non minus certum sit ex Scripturis, omnia fieri quaecunque fieri voluerit omnipotens Deus: hinc quaestio versatur inter Theologos, quo sensu dictum sit ab Apostolo: *Deum velle omnes homines salvos fieri, et ad veritatis agnitionem venire;* quam quaestionem nos etiam late et accurate tractavimus ad 1. sent. d. 46. Ut igitur, quae illic prolixius dicta sunt, hic in compendium contrahamus:

Primo sciendum est, nonnullos Apostolicam sententiam hoc modo interpretari: *Qui vult omnes homines salvos fieri, modo et ipsi velint.* Hujusmodi enim conditionem in verbis Apostoli latere existimant commentatores Ambrosiaster et Pelagius. Quo etiam modo Rupertus Apostoli sententiam existimat supplendam, lib. de volunt. Dei cap. 12., amplexus commentarium hujus loci, qui est Pseudoambrosii, pro vero Ambrosio.

Ab his reipsa non dissentiunt, qui sententiam ad hunc modum supplent: Qui vult, quantum in ipso est, omnes homines salvos fieri. Dicunt enim, Deum omnibus hominibus suppeditare media sufficientia ad salutem consequendam; atque id volunt his Apostoli verbis significatum esse. In eodem luto hic haeret Catharinus, cujus noxius commentarius est cavendus. Eo inter caetera docet, non omnes salvandos esse praedestinatos; ac putat secum sentire Nazianzenum, quem non intellexit. Diximus de novitio et male sano Catharini dogmate in Comment. ad Rom. 8.

Sensum hunc, velut sanae doctrinae minus congruentem, rejiciunt Catholici Patres Augustinus, Prosper et Fulgentius duplici ratione. Primum, quia conditio memorata ab hominibus praestari non potest, nisi Deo dante. Unde frustra dicitur, modo ipsi velint, quia et hoc ipsum ut velint, a divina pendet voluntate. Deinde, quia constat, parvulos, qui sine baptismo moriuntur et pereunt, non posse velle. Unde nec dici potest, Deum, quantum in ipso est, vel adultos salvare, quibus non dat velle, vel parvulos, quibus ut baptizentur, non providet. Loca Augustini praecipua sunt in Epist. 107. ad Vitalem et in Ench., ubi de hac re disserit a cap. 95. usque ad 103. et lib. 4. contra Julian. cap. 8.

Adde, quod sensus ille scopo Apostoli manifeste repugnat; hortatur enim Apostolus ad orandum pro omnibus hominibus. At si sensus est: Deum velle omnes homines salvos fieri, quantum in se est, aut modo ipsi velint, jam non sequitur, orandum esse Deum pro omnium salute; ut qui juxta hanc expositionem id, quod suarum est partium, fecerit, dato omnibus sufficienti auxilio; sed solum exhortandi erunt homines, ut etiam ipsi velint, et quod in se est, utentes auxilio concesso, faciant.

Hac igitur expositione reprobata, quam nec B. Thomas inter quinque a se enumeratas expositiones agnoscit, sed magis rejiciendam significat; subjiciamus alias probabiliores, quas ferme easdem etiam Joannes Hesselius in commentario diligenter est prosecutus. Una est, quae in verbis Apostoli distributionem facit accommodam, hoc sensu: Deus vult salvos fieri omnes, quicunque salvantur, quia nemo salvatur nisi Deo volente, et ideo rogandus est Deus, ut velit. Ita Augustinus Ench. 103. et alibi.

Secunda expositio distributionem facit pro generibus singulorum, ut sit sensus: Deum velle omnis generis homines salvari, ut Judaeos, gentiles, servos, liberos, principes, privatos, doctos, indoctos etc. Haec quoque expositio apud Augustinum est in eodem loco.

Tertia est Damasceni lib. 2. de orth. fide cap. 29., ubi Apostolum exponit de voluntate Dei antecedente, secundum quam dicitur Deus velle omnes homines salvari et regnum ipsius consequi, quatenus eos creavit, non ut puniat, sed ut bonitatis suae ac beatitudinis participes efficiat. Nam punitio atque damnatio ex peccato est, non ex prima hominis institutione: non igitur illam Deus vult antecedente, sed consequente voluntate.

Notandum autem, quod voluntatem antecedentem exprimunt interdum doctores per illam phrasim: quantum in se est, ut B. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 59. Dicit enim, quod Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, quia vult omnes homines salvos fieri. Nam quod loquatur de voluntate antecedente seu praeveniente peccatum, quo gratiae Dei ponitur impedimentum, patet ex iis, quae sequuntur eodem loco, quod et probatur ex summa ejus Theologica p. 1.

quaest. 19. art. 6. ad 1., ubi diserte locum hunc Apostoli ex Damasceno interpretatur de voluntate antecedente. Significat ergo, quod si peccatum non intervenisset, omnes habuissent gratiam et pervenissent ad salutem. Verum quoniam illud, quod dicitur, Deum, quantum in se est, velle omnes salvos fieri, et paratum esse ad dandum omnibus gratiam, vulgo accipi solet in eum sensum, quem supra rejecimus, idcirco idem S. Doctor in Summa, ubi exactius loqui solet, abstinuit ab ea phrasi, nolens cuiquam occasionem errandi praebere.

Quarta expositio est de Christo atque humana ejus voluntate, ut sensus sit: Christum, qui est Salvator noster, non nos tantum, sed omnes homines velle salvos fieri et ad fidem adduci; velle, inquam, non absoluta rationali voluntate, quae divinae voluntati per omnia conformis, sed voluntate desiderii seu pietatis, quam velleitatem vocant.

Quinta est eorum, qui putant, Apostolum loqui de parte velut de toto quodam, quae forma locutionis in Scripturis non est infrequens, ubi de multitudine sermo est, ut Phil. 2. *Omnes, quae sua sunt, quaerunt.* Ita sensus est: Deum velle omnes salvos fieri, quod eorum, quos salvos fieri vult, et proinde salvos facit, tanta sit multitudo, ut suo quodam modo possint dici *omnes.*

Sexta expositio est: Deum velle omnes homines salvos fieri, quatenus vult et facit, pios homines velle seu desiderare omnium salutem, ut exempli gratia Paulum ipsum, qui dixit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* 1 Cor. 9. et Ambrosium super Lucae 19., ubi Zachaei tractat historiam, ita loquentem: *Nolumus offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes.* Cum enim ipsa Dei voluntas in se sit nobis occultissima, recte et convenienter hoc eum velle dicimus, quod vult in suis amicis, qui sunt homines Dei; idque non tantum praecipiendo ut velint, sed etiam hoc ipsum in eis operando, quemadmodum eam rem docte explicat Augustinus lib. 22. de civit. cap. 1. et 2. et lib. de corrept. et gratia cap. 15.

Atque hunc sensum adfert B. Thomas secundo loco in commentario. Nec dubium, quin hic sensus admodum congruat instituto et contextui Apostolico. Quod enim praecipit, pro omnium salute orandum esse, optime probatur hac ratione: *quia id bonum est et acceptum Deo, qui vult omnes salvos fieri,* id est vult, ut omnium salutem desideremus atque hoc ipsum desiderium in nobis operatur. Hinc enim consequens est, impellente hujusmodi desiderio divinitus inspirato pro omnium salute nobis orandum esse.

Amplius vero sensum hunc confirmat, quod non dicat Apostolus, Deum velle omnes salvos facere et ad agnitionem veritatis adducere, sed *omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Quo sermone magis significatur voluntas nostra, quam a Deo habemus pro salute omnium, quam voluntas, quae proprie sit ipsius Dei. Nam Deus ipse totam salutem electorum suorum operatur, ideoque propriissime voluntatem habet eos salvandi et ad fidem perducendi, imo fidem ipsam donandi; unde et Salvator noster, id est electorum, hoc loco vocatur; et infra cap. 4. dicitur: *Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Nobis autem, qui non sumus salvatores, sed salvandi, proprie competit habere voluntatem, ut nobiscum omnes salvi fiant et ad veritatis notitiam perveniant, utque ex illa voluntate pro omnibus oremus, juxta sensum superius explicatum.

Quamvis ergo Deus non velit omnes salvos facere, sed solos electos; vult tamen omnes salvos fieri, scilicet per nos et quantum in nobis est; dum praecipit nobis, ut omnium salutem quaeramus, et hoc ipsum studium ac desiderium in nobis operatur. Itaque secundum hanc expositionem dicitur Deus omnes homines velle salvari, quia praecipit a nobis agi, ut omnes salventur. Et aptissima est hoc intellectu probatio Apostoli: Pro omnibus est nobis orandum, quia Deus praecipit, ut omnium salutem velimus et agamus.

Septima expositio est: Deum velle omnes salvos fieri, quatenus media quaedam et auxilia generalia contulit ac proposuit humano generi in universum, quibus nimirum possint homines ad salutem perduci, licet haec ad salutem consequendam, absque mediis et auxiliis specialibus, minime sufficiant. Talia sunt creatio hominis ad beatitudinem, lex naturae mentibus omnium impressa, speculum totius creaturae, beneficium redemptionis Christi toti mundo expositum et ex Christi praecepto per omnes gentes praedicandum. Hic sensus est apud Prosperum lib. 2. de vocat. gent. per aliquot capita, et in responsis ad 1. et 2. objectiones Vincentianas, eundemque late prosequitur Hesselius in commentario. Favere etiam videntur sequentia verba Apostoli, quibus creationis simul et redemptionis nostrae beneficium commendat, dicens: *Unus enim Deus,* nempe creator, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Harum septem expositionum prima, secunda et quinta sensum faciunt haud prorsus universalem, uti manifestum est, multos enim homines exceptos relinquunt, et proinde non conveniunt instituto Apostoli, qui docere vult, orandum esse pro omnibus hominibus sine exceptione. Adde, quod ita dicitur Deus omnes velle salvos fieri, ut etiam addi possit, quod neminem velit perire; nam utrumque conjunxit Petrus Apostolus 2. Epist. 3. dicens: *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti;* atqui haec negatio non recipit dictas tres expositiones, ergo nec illa affirmatio.

Porro tertia expositio voluntatem salutis nimium extendit. Si enim de antecedente voluntate sermo est, fatendum erit, quod Deus etiam daemones, animasque damnatas, salvas fieri velit: nec ratio reddetur ab Apostolo, cur pro omnibus hominibus orandum sit, nisi concedamus etiam, quod absit, pro damnatis orandum esse. Quarta quoque expositio non parum habet difficultatis. Nam ex ea sequitur, Christum non solum in terris agentem, verum etiam nunc in coelo regnantem, habere voluntatem optativam salutis hominum reproborum; loquitur enim Apostolus de praesenti, *qui vult* etc. Absurdum autem videtur, ejusmodi voluntatem Christo tribuere, sicut et spiritibus beatis, quorum omnium voluntas perfecte conformis est voluntati divinae.

Restant duae postremae expositiones; quas, ut sensu commodas et Apostolico contextui congruentiores, prae caeteris amplectimur et probamus, sextam maxime. Nam septima non perinde potest hominibus accommodari, velut amentibus, infantibus etc., cum tamen Apostolus docere velit, pro singulis orandum esse.

Jam circa textum quaeritur, cur Apostolus invertit ordinem temporis, dicendo: *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire,* cum utique prius sit agnoscere veritatem, id est credere, quam salvum fieri. Respondeo, Apostolum de voluntate Dei loquentem non temporis, sed causalitatis ordinem spectasse. Nam intentione voluntatis prior est finis quam media ad finem, ut in proposito salus hominum, quam fides, qua salvantur. Atque hinc ostenditur, electionem tam hominum quam angelorum ad gloriam simpliciter esse priorem ea, quae est ad gratiam.

5. *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Probatio est sententiae praecedentis, eademque secundum ultimam ejus expositionem ad hunc modum declaranda: Unus est Deus, omnium hominum creator; unus etiam homo Christus, Dei atque omnium hominum mediator et, juxta id, quod sequitur, omnium redemptor, nam universale signum *omnium* ex parte subsequente, in qua dicitur *pro omnibus,* etiam hic supplendum est in utroque membro; ergo sive beneficium creationis spectetur, quod omnibus commune est, sive beneficium reconciliationis ac redemtionis, quod omnibus propositum est: *vult Deus omnes homines salvos fieri.* At secundum penultimam expositionem

probatio est hujusmodi: Unus est omnium hominum Deus, cujus cognoscendi naturaliter omnes sunt capaces. Item unus est mediator ac redemptor omnium datus a Deo; ergo Dei voluntas est partim praeceptiva, partim operativa in nobis, ut omnes homines ad salutem et veritatis agnitionem, quantum in nobis est, adducamus.

Observa, quod sicut *unum Deum* intelligit cum exclusione plurium, sic et *unum mediatorem Dei et hominum,* qui est Christus Jesus. Hoc igitur officium ita Christo proprium agnoscere debemus ex mente Apostoli, ut nulli alteri tribuatur, nec homini, nec angelo. Mediator enim Dei et hominum ille dicitur, qui immediate ad Deum accedens, per suum ipsius meritum, quod ab alieno merito non dependeat, Deum hominibus placatum reddit, atque omnia salutis dona a Deo hominibus obtinet. Quod quidem officium Christo competit non secundum naturam, qua Deus est, hoc enim modo etiam ipse est alterum extremorum, sed secundum naturam, qua homo est. Unde expresse ait Apostolus: *homo Christus Jesus.*

Solus enim homo qualis Christus, id est homo justus, qui proprium haberet meritum, quique pretium infiniti valoris offerre posset, inter Deum et homines injustos ac peccatores mediator esse potuit, salvo jure ejus, qui fuerat offensus. Sed quoniam a puro homine haec praestari impossibile erat, idcirco hominem illum etiam Deum esse oportuit. Sic mediatorem Dei et hominum interpretati sunt Augustinus, Leo, Chrysostomus aliique Patres, quorum loca citata require apud Hesselium. Eandem mediatoris rationem docte explicat B. Thomas 3. q. 26. art. 2.

Sed objicit haereticus: si solus Christus mediator est secundum Apostolum, igitur in Christum injuriosi sunt, qui illud ejus officium ad alios transferunt, tot mediatores facientes, quot sunt Sancti in coelo. Respondeo, Catholicos officium mediatoris jam explicatum, idemque Christo proprium, nequaquam ad alios transferre, sed tamen agnoscere alios quosdam imperfecta ratione mediatores, hoc est intercessores nostros ad Deum; quales sunt quicunque precibus ad Deum fusis salutem nostram Deo commendant. Quod adeo non est contra Apostolum, ut etiam hoc ipso capite jubeat nos pro aliis, imo pro omnibus hominibus orare et interpellare; quicunque autem Deum pro aliis interpellat, intercessorem et medium quodammodo se constituit inter illos et Deum; tametsi id faciat non proprio merito nitens, sed alieno, scilicet Christi. Quidquid enim sancti pro nobis orantes petunt, non nisi per Christum petunt. Hoc sensu mediatores eos interdum appellant Patres, nominatim Bernardus in ult. serm. de assumpt. B. Mariae et alibi. Quid mirum, quum Apostolus nos pro aliis jubeat esse interpellatores?

6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Declarat, qua ratione Christo proprie competat Mediatoris officium, videlicet ratione redemptionis; nam sine hac mediator, qualem supra descripsimus, esse non potuisset. In eo, quod *semetipsum* dicitur *dedisse,* id est obtulisse et tradidisse in passionem ac mortem, significatur, eum non invitum traditum fuisse, sed volentem, cum alioqui posset non pati; quod contra Arianos affirmantes Christum invitum fuisse traditum, annotant Graecorum commentarii. Porro quod noster interpres *redemptionem* vertit, Graece est ἀντίλυτρον. Nam λύτρον quidem Graecis est qualecunque pretium, quo captivi redimi solent; ἀντίλυτρον vero, cum caput capite, aut vita redimitur vita: quod aptissime de Christo dicitur; qui non aurum aut argumentum, sed semetipsum pro nobis redimendis dedit, et suam ipsius animam pro nostra posuit. Jam quod ait, *pro omnibus,* universaliter accipiendum videtur; sicut illud, quod supra monuit, pro omnibus hominibus orandum esse: ad id enim probandum haec pars cum praecedentibus est referenda.

Si quaeras quomodo pro omnibus ho-

minibus redimendis Christus semetipsum dederit; cum tam multi sint et fuerint omnibus saeculis, in captivitate et morte relicti, ac proinde redemptionis hujus expertes, respondet in commentario Pelagius: Ille se pro omnibus dedit, si omnes redimi vellent. At multo melius magisque Catholice quaestionem ita dissolvit B. Prosper in resp. ad primam object. Vincent. Quod ad magnitudinem, inquit, et potentiam pretii, et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi; sed qui hoc saeculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti; redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, et jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Et paucis interpositis: Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur. Haec ille; prorsus consentanee cum eo, quod Scholastici dicunt Christum sufficienter, non efficienter omnes redemisse.

Ex quo etiam ostenditur hujus Scripturae et similium concordia cum aliis Scripturis, quae, Christum pro multis mortuum esse, et ad multorum redemptionem venisse testantur, ut Matth. 20. et 26. Marc. 14. et Heb. 9. Multos enim, efficienter; omnes, sufficienter redemit.

Verumtamen sciendum est, nulla necessitate nos cogi ad hunc intellectum, quo illud: *pro omnibus,* ad omnes omnino et singulos homines referatur. Potest enim convenienter et secundum morem Scripturae sic accipi, *pro omnibus,* id est pro hominibus omnium gentium, seu pro hominibus toto orbe dispersis; juxta illud, quod redempti Christo canunt Apoc. 5. *Redemisti nos Deo, in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione.* Porro quoniam nobis incognitum est, qui sint ex omnibus gentibus ad redemptionem et salutem praedestinati; propterea sic pro omnibus absolute oramus, quemadmodum supra explicatum est, ut, quod ad singulos attinet, neminem velimus ab oratione nostra exclusum. Ex quo patet, quam apte, etiam secundum hunc sensum, pars ista superioribus cohaereat.

Testimonium temporibus suis. In multis codicibus ita legebatur: *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est.* Apud Ambrosianum: *datum est.* At Graece tantum est, ut habet haec Romana correctio: *Testimonium temporibus suis;* nec amplius dedisse nostrum interpretem, probant plerique MSS. codices, astipulantibus Haimone et Anselmo; nec plura legisse Pelagium evidens est conjectura ex ejus commentario, alioqui hic etiam redolente suum auctorem, ut mox dicemus. Glossa quoque ordinaria lectionis hujus meminit. Proinde caetera a quopiam adjecta fuisse, qui putarit ita recte explicari, plus quam probabile est. Syrus interpres ita supplet: *Testimonium, quod venit tempore suo.* Juxta veram igitur lectionem *testimonium* appositive cohaeret ei, quod praecedit.

Pelagius quidem pro sua haeresi, qua in Christo tantum agnoscebat justitiae exemplum, non gratiae auxilium, hoc modo exponit: In testimonium generi humano sanctae vitae dedit exemplum: quia et Prophetae suis testimonium fuere temporibus; novissime autem misit filium suum ad colonos. Nimirum sentit haereticus, non aliud fuisse Christi, quam Prophetarum officium; puta, verbo et exemplo docere homines. Ambrosianus testimonium intelligit redemptionis factae per Christum, idque ostensum eo tempore, quo resurrexit: nam destructio mortis, inquit, resurrectio mortuorum est. Alii redemptionem ejus interpretantur testimonium divinae voluntatis, qua vult omnes homines salvos fieri. Qui sensus etiam Cajetano placet, ac satis congruit praecedentibus.

Chrysostomus autem atque eum secuti Theophylactus et Oecumenius intelligunt, Christum per passionem suam, qua semetipsum dedit redemptionem pro omnibus, perhibuisse testimonium veritati, cujus praedicandae gratia missus fuerat a Patre. Pro hac enim veritate, qua dixit, se esse filium Dei, missum a Patre pro mundi salute, passionem et mortem subiit. Hujusmodi veritatis testimonium, quum usque ad mortem dicitur et morte confirmatur; proprie et per excellentiam ab ipsis etiam Apostolis Martyrium, id est Testimonium vocabatur: et qui tali modo testificabantur, Martyres, id est Testes: quoniam hujusmodi testimonio nullum erat excellentius.

Hic sensus confirmationem accipit ex cap. 6. hujus epist., ubi dicitur Christus testimonium reddidisse sub Pontio Pilato bonam confessionem; scilicet, pro veritate, quam confessus fuerat, patiens usque ad mortem. Etenim Apostolus jam martyrium meditans, et Timotheum ad martyrium excitare volens, libenter ingerit mentionem martyrii Christi. Perhibuit autem Christus hoc martyrium seu testimonium *temporibus suis,* Graece *propriis;* id est tunc, quando tempus a Deo praeordinatum atque a Prophetis praenuntiatum erat impletum; quam alibi vocat Apostolus plenitudinem temporis. Gal. 4. et Ephes. 1.

7. *In quo positus sum ego praedicator et Apostolus.* Graece, *In quod,* vel *ad quod,* scilicet testimonium. Et sensus est: Ad eam veritatem, pro qua Christus usque ad mortem testimonium perhibuit, promulgandam, *ego constitutus sum praeco,* seu nuntius, imo *et Apostolus,* hoc est legatus ab eo missus; nam plus est esse legatum, quam praeconem.

Veritatem dico, non mentior. Graeci codices, qui nunc sunt in manibus, addunt aliquid: *Veritatem dico in Christo, non mentior.* Atque illud, *in Christo,* juramentum interpretantur, quasi dicat, per Christum juro, me veritatem dicere, et non mentiri. Sed sciendum est, in Graecorum commentariis non exstare indicium hujus additionis, *in Christo;* ut verisimile sit, eam huc irrepsisse ex initio cap. 9. ad Romanos, ubi secundum codices Graecos et Latinos totum hoc legitur: *Veritatem dico in Christo, non mentior.* Nam hoc loco non admodum opus erat juramento, ubi Timotheo discipulo scribebat. Porro sicut ea verba in epist. ad Rom. non ad praecedentia referuntur, sed ad sequentia; ita et hic, quamvis videri possint dicta ad confirmandum, quod proxime dixerat: *In quo positus sum ego praedicator et Apostolus;* potius tamen ex Apostoli mente ea referas, quod et Graeci commentatores faciunt, ad id quod sequitur, velut aliquid majus, idemque Judaeis creditu difficile:

Doctor gentium in fide et veritate. Pendet ex illa parte praecedenti: *In quo positus sum ego* etc., nam media verba parenthetica sunt. Dicit ergo, se non solum esse divinitus constitutum testimonii Christi praeconem et Apostolum, quod ei cum multis erat commune; verum etiam *doctorem ad gentes,* quod illi quodammodo proprium erat. Quam ob causam et a Judaeis, qui gentium vocationi obsistebant, persecutionem patiebatur: uti testatur ipse in 2. epist. cap. 1., ubi eadem haec repetit. Peculiariter autem Paulum fuisse deputatum gentibus Apostolum et doctorem, constat ex Actis Apostol. Item Rom. 15. Gal. 2. et aliunde; ut proinde merito specialis Magister gentium a Leone fuerit appellatus serm. 1. in natal. Apost. Petri et Pauli. Quod addit, *in fide et veritate,* vel ad ipsum Apostolum referri potest, hoc sensu, doctor gentium fidelis et verax; vel gentes, ut sensus sit, doctor gentium instituendarum in fide et veritate; id est ut fidem Christi recipiant et veritatem ejus agnoscant.

8. *Volo ergo viros orare in omni loco.* Post nonnullam digressionem, redit ad institutam exhortationem. Dixerat enim, pro quibus orandum sit; nunc de loco agit. Ex quo apparet, etiam hanc partem de publicis Ecclesiae precibus accipi debere, perinde ut illam priorem. Unde et

consequenter addit, *levantes puras manus;* quae caeremonia pertinet ad publicas orationes; atque id magis etiam probabile fiet ex sequentibus. Non igitur sensus est, Apostolum docere, quod omnis omnino locus aptus sit orationi; ut forum, theatrum, officina etc., quamvis id verissimum sit de oratione interna; nullus enim locus est, in quo non possit Christianus mente in Deum elevata petere ab eo, quae petenda sunt, quod est orare.

Sed nec ille placet commentarius, qui dictum hoc ab Apostolo interpretatur adversus Judaeos existimantes orationem uno loco templi Jerosolymitani divina lege circumscriptam esse: quod bene refellit Hesselius. Nam lex aperte jubebat, Israëlitas etiam in terra captivitatis suae Deum invocare. Deut 30. Quod et a Judaeis factitatum legimus, nec a quoquam negatum, id recte fieri; quamvis extra locum a Deo institutum sacrificia offerre prohiberentur.

Sed quoniam Judaei in singulis fere civitatibus suas habebant synagogas, in quibus et Scripturae legebantur, et exhortationes fiebant ad fratres, et orationes fundebantur ad Deum: ne quis putaret, publicas orationes fieri non debere extra synagogas Judaicas, aut certe fieri oportere uno tantum et certo loco cujusque civitatis, quod observatu difficile erat propter persecutiones infidelium; idcirco docet, eas fieri posse in quocunque loco ad publice orandum idoneo, prout opportunum fuerit. Nam basilicas et templa ad orationes publicas proprie deputata Christiani nondum habebant.

Unde vult ac praecipit Apostolus, ut ad orandum conveniant, ubicunque tutum et commodum visum fuerit. Quod et hodie faciunt Catholici in Anglia et Hollandia, templis suis spoliati. Tale est, quod Lucas scribit Philippis factum ab Apostolo Act. 16. *Die Sabbatorum,* inquit, *egressi sumus foras portam, juxta flumen ubi videbatur oratio esse,* id est locus aptus orationi publicae fratrum, simul et exhortationi; ut patet ex iis, quae ibidem sequuntur. Et paulo post: *Factum est autem euntibus nobis ad orationem,* id est euntibus orandi causa ad locum aptum orationi.

Quaeres cur solos hic viros nominet Apostolus, cum etiam mulieres ad publicas orationes convenire debeant ac soleant, quemadmodum ex eodem Actorum loco manifestum est, nec non ex 1 Cor. 11. et 14., ubi mulieres, quomodo in publicis conventibus se gerere debeant, instituuntur. Ambrosius lib. 6. de sacram. cap. 4. negat, se hujus invenire rationem; nisi forte, inquit, sanctus Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres usurparent et male intelligerent, *in omni loco,* et inciperent ubique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus. At verior responsio est, nec hic mulieres ab Apostolo praetermitti. Mox enim subjungit, quid eas oraturas facere oporteat; sed prius de viris loquitur, quia vitia, quae hic exclusa vult ab oratione, magis, secundum perfectionem suam, in viros cadere solent, quam in mulieres.

Levantes puras manus. Graece, ὁσίους, id est sanctas, ut et videtur legisse Ambrosianus. Quanquam recte vertit noster interpres, *puras,* quod et Erasmo placuit. Levare manus caeremonia est orantis, velut auxilium ab alto ipsa manuum extensione implorantis; quomodo et Moses orasse legitur Exod. 17. Sed in eo quod dicit, *levantes puras manus,* metaphora est: non enim sentit, manus aqua lotas esse debere; sed ad orationem accedendum manibus a caede, rapina, avaritia, libidine mundis. Impedit enim hujusmodi impuritas effectum orationis. Videtur alludere ad illud Jes. 1. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Lavamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* etc., ut scilicet orantes exaudiamini, unde mox sequitur: *Et venite, et arguite me, dicit Dominus.* Intellige, si non exaudiam. Ecce commentarius hujus loci. Levat ergo puras ad Deum manus,

qui orationem Deo offert cum munditia operis.

Sine ira et disceptatione. Hoc praecipit Apostolus, quod Christus Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare; vade prius reconciliari fratri tuo* etc. et cap. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet,* scilicet orantibus, *peccata vestra;* nam de oratione sermo illic erat, qua jubemur dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Idem praecipit Ecclesiasticus capite. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam?* et caetera, quae ibi sequuntur. Nam ira est appetitus vindictae; qui autem vindictam appetit, non remittit poenam, sed exigit. Vult igitur Apostolus, ut Deum oraturus omnem injuriarum memoriam, quas forte ab aliis accepit, ex animo deponat. *Disceptationem,* Graece διαλογισμὸν, Graeci dubitationem interpretantur; qualem et Jacobus Apostolus ab oratione removet dicens cap. 1. *Postulet in fide nil haesitans; qui enim haesitat* etc.; intelligit autem haesitationem contrariam promissioni Christi: *Petite et accipietis,* id est eam, qua quis dubitet se accepturum, etiamsi petat sicut oportet. Ambrosius libr. 6. de sacram. cap. 5. et libr. 1. de Abel et Cain cap. 9. disceptationem intelligit cogitationem inter orandum ad alia divagantem, qua interpolatur oratio.

Verum communis Latinorum expositio est, eademque caeteris probabilior, hac voce significari contentionem, cujus affectum et studium, perinde ut iram, voluerit Apostolus ab orantis animo remotam esse. Siquidem et alibi Graecum vocabulum usurpat in hac significatione, ut Rom. 14., ubi nos habemus, *non in disceptationibus cogitationum.* Quin et Lucas cap. 9. sui evangelii semel et iterum ea voce usus est pro contentione sive altercatione; licet interpres vulgatus cogitationem verterit. Atqui contentio adversatur paci et concordiae; ideoque effectum orationis impedit, sicut ira.

9. *Similiter et mulieres in habitu ornato.* Apostolus utrique sexui congruentia praescribit: a viris ea vitia, quae virorum esse solent removens, a mulieribus autem vitia muliebria; plerumque enim peccat hic sexus nimio corporis ornatu, si quando ad conventus publicos, ut ad ecclesiam, procedendum est. Verumtam sicut id, quod viris praecipit, ut orent puris manibus sine ira et disceptatione, etiam feminis praeceptum intelligi debet; ita quod nunc feminis praecipit de moderato cultu corporis, multo etiam magis a viris exigitur; ut quibus etiam vulgo turpe habeatur ornando corpori curam impendere. *Similiter,* inquit, *et mulieres orare volo* (id enim Graeci hoc loco supplent ex praecedentibus), sed *in habitu ornato.* Quod Erasmus vertit: In amictu modesto. Non enim ornatum externi habitus hoc loco praecipit Apostolus, sed reprimit; ut ex consequentibus manifestum est.

Igitur consideranda sunt vocabula, quibus Apostolus utitur. Pro *habitu* Graece est *καταστολή,* quae vox, ut annotavit Theophylactus et Oecumenius, habitum significat longiorem et circumquaque tegentem; est enim compositum nomen, ex simplici *στολή,* quod erat genus vestis muliebris ad talos usque demissum. Pro ornato, Graece est *κόσμιος,* quo non solum significatur ornatus, sed honestus, moderatus, modestus. Ambrosianus *ordinatum legit,* et humilem interpretatur, forsitan usus mendoso codice, in quo *ordinato,* pro *ornato* scriptum esset. *Habitum* igitur intellige, qualem vox Graeca significat; *ornatum* vero, id est modestum ac moderatum, et qui deceat mulieres. Nam quod decet, id demum ornat. Sensum hunc explicant ea, quae sequuntur.

Cum verecundia et sobrietate ornantes se. Pro *sobrietate, pudicitiam* legit Ambrosianus. Erasmus vertit *castitatem;* ac de ea post Chrysostomum Oecumenius interpretatur. Castitas enim mulieres in-

primis ornat. Graeca vox in genere temperantiam seu moderationem significat, et tam ad animum, quam ad corpus refertur: videtur enim σωφροσύνη Apostolo esse virtus animi temperantis, in externo corporis habitu moribusque relucens. Repetit hoc nomen extremo fine hujus cap. Vocabulis conjugatis utitur Apostolus cap. 3. vers. 2., ad Tit. cap. 1. vers. 8., cap. 2. vers. 2. et 4. Tametsi hoc loco convenit, pudicitiam seu castimoniam intelligi, quemadmodum, ut dixi, post Chrysostomum intellexit Oecumenius.

Potest autem haec pars dupliciter exponi: vel, ut jubeantur mulieres ornare se verecundia et castitate, quod ea vera sint illius sexus ornamenta, quomodo Latini exponunt; vel, ut habitu decenti corpus suum ornent, *cum verecundia et castitate*, id est verecunde et caste, non procaciter, aut impudice, qui videtur esse commentarius Graecorum, probabilitatem accipiens ex praepositione *cum*. Atque eum sensum etiam Syriacus textus expressit.

Notandum praeterea Graece non legi *ornantes*, sed *ornare semetipsas;* ut infinitivus regatur a verbo *volo*, quod ex superiori sententia supplendum erit etiam hoc loco. Videtur enim hujusmodi esse constructio: *Similiter et mulieres orare volo in habitu decenti;* volo, inquam, eas cum verecundia et pudicitia ornare semetipsas.

Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa. In tortis crinibus, Graece ἐν πλέγμασιν, id est *in implicaturis*, ut vertit Theophylacti interpres; quod licet de tortis capillis plerique interpretentur, quos uno nomine cincinnos Latini vocant; intelligi tamen etiam potest de reticulis capillitio circumpositis, quibus ornatus causa mulieres uti solent. Prior sensus convenit cum 1 Pet. 3. vers. 3. In summa, docet Apostolus, mulieres Christianas moderato cultu corporis debere esse contentas; luxum autem et sumptuosam superfluitatem in vestitu illis esse vitandam. Similis est locus 1 Petr. 3. Unde colligitur, hoc praeceptum non esse leve nec contemnendum, quod duo Apostolorum principes tam diligenter inculcatum voluerunt. Certe Chrysostomus vehementer hoc muliebre studium immodici cultus exaggerat; ut et Gregorius in hom. 6. super Evangelia ad illud Matth. 11. *hominem mollibus vestitum*, et iterum hom. super illud Lucae 16. *et induebatur purpura et bysso*, et ante eum Prudentius in Hamartigenia, ita canens:

Taedet sacrilegas matrum percurrere curas etc.

Ubi et in viros ornandi corporis studiosos invehitur eo gravius, quo minus istiusmodi cura sexum illum decet. Verumtamen non prohibet Apostolus, quin illustriores feminae, prout earum statui convenit, induantur vestitu pretiosiore: id enim decenter ac recte fieri, si modus servetur et vanitas ostentandi se humanis oculis excludatur, admonet exemplum mulieris fortis, de qua Proverb. 31. *Byssus et purpura indumentum ejus.* Nam eam, ut illustrem mulierem describi, patet ex eo, quod sequitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae.*

10. *Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Promittentes*, id est profitentes, ut Erasmus et alii vertunt Ambrosianum textum secuti. Hujus partis constructio varia est. Quidam Latinorum parenthesi claudunt ea dumtaxat verba *quod decet mulieres.* Sed obstant Graeca, quae participium *promittentes* non patiuntur divelli a nomine *mulieres.* Alii parentheticum faciunt totum illud: *quod decet mulieres promittentes pietatem.* Quod autem sequitur, *per opera bona*, referunt ad superiora hoc sensu: Volo mulieres ornare se non in tortis crinibus etc., sed per opera bona, quemadmodum decet mulieres pietatem profitentes, id est mulieres Christianas, quae verum Dei cultum profitentur; nam pietas hoc loco Dei cultus est, Graece θεοσέβεια. Alii vero sine parenthesi continuant sermonem, ut sensus sit:

Sed ornantes se eo habitu, qui decet mulieres pietatem profitentes, non verbis solis, sed *per ópera bona;* hoc est rebus ipsis atque operibus.

Utramque constructionem et sensum Theophylactus adducit tanquam bonum et probabilem. Priori favet interpres Syrus: tametsi posterior magis esse videtur ex mente Apostoli; nam si de ornatu bonorum operum loqueretur, diceret sua phrasi, *in operibus bonis,* sicut dixerat, *non in tortis crinibus* etc. Adde quod dicendo *promittentes* seu *profitentes,* sive, quod ex Graeco etiam verti potest: *annuntiantes pietatem per opera bona,* locum praeparat sequenti praecepto; quasi dicat: Mulieri non aliud praedicationis genus convenire, quam ut per bona opera pietatem foris praedicet atque annuntiet. Quod enim ad vocalem attinet praedicationem et doctrinam, sequitur:

11. *Mulier in silentio discat,* scilicet in ecclesia, quemadmodum praecipit idem Apostolus 1 Cor. 14. *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui;* repete, *in ecclesiis;* ne quidem interrogando ut discant. Ideo et hic discere jubentur cum silentio. Nam ut ibidem ad Cor. dicitur: *Turpe est mulieri in ecclesia loqui; sed si quid* interrogando *discere volunt, domi viros suos interrogent;* quod Apostolicum praeceptum plenius eo loco a nobis explicatum est.

Cum omni subjectione. Jubet mulierem discere *cum omni subjectione,* id est perfectam exhibendo subjectionem, sexui suo congruentem, ad quam pertinet, ut in publico virorum coetu, praesertim ecclesiastico, audiat et discat cum silentio. Nam mulier, ratione sui sexus, in statu subjectionis est; quod significavit Apostolus ad Cor. dicens, sed *subditas esse, sicut et lex dicit* nimirum Genes. 3. *Sub viri potestate eris.*

12. *Docere autem mulieri non permitto.* Quidam ita supplent: *docere virum mulieri non permitto,* propter illud quod sequitur, *neque dominari in virum.* Sed verisimilius est, supplendum esse, *in ecclesia;* sicut in parte praecedenti: nam de conventibus publicis agit Apostolus. Prohibet ergo, ne mulier in ecclesia doceat, seu viros, seu feminas: nam absolutum praeceptum est, quod modo citabamus: *Mulieres in ecclesiis taceant.* Sicut autem domi viros suos interrogare permittuntur, ita et liberos suos ac familiam docere non prohibentur. Ex hac Apostoli doctrina liquet, mulierem non posse esse caput ecclesiae, ne particularis quidem, nam praefecti ecclesiastici praecipuum munus est, publice docere plebem. Liquet etiam, docendi munus non pertinere ad omnes eos, qui Spiritu sancto aguntur. Quis enim negaverit, aliquas esse mulieres, quae regantur ductu Spiritus sancti?

Neque dominari in virum. Graecum verbum αὐθεντεῖν significat auctoritatem habere et exercere in aliquem: itaque alii verterunt, *neque auctoritatem usurpare in virum,* id est maritum suum. Sensus et connexio hujusmodi est: *Docere mulieri in ecclesia omnino non permitto;* privatim autem ut domesticos doceat, atque in iis etiam virum suum, si melius eo fuerit instituta in fide, non prohibeo, sic tamen, ut hac occasione auctoritatem in virum suum nulla ratione sibi vendicet: id enim est contra ordinem a Deo institutum, quando dixit mulieri: *Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.* Genes. 3. Recte autem viros institui interdum a feminis extra publicum conventum, ostendit Theophylactus; quoniam et Priscilla viam Domini diligentius exposuit Apollo, Act. 18. *Et vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem.* 1 Cor. 7.

Sed esse in silentio, videlicet in ecclesia. Est enim repetitio et inculcatio ejus, quod jam dixerat: *mulier in silentio discat cum omni subjectione.* De mulierum intolerabili in ecclesia loquacitate legat, qui volet, Chrysostomum. Vitium hoc Apostolorum tempore natum ex eo videtur, quod juxta vaticinium Joëlis, citatum a B. Petro Actor. 2., etiam mulieres non paucae praeditae essent dono prophe-

tiae et interpretationis scripturarum; in quibus et quatuor illae virgines filiae Philippi diaconi, prophetantes, ut habetur Actor. 21. Quum igitur hujusmodi dono quaedam illarum inordinate uterentur, loquentes in ecclesia, atque harum exemplum etiam ad alias dimanaret: cohibendae erant auctoritate Apostolica. Quod quidem Paulus facit et hoc loco et 1 Cor. 14.

13. *Adam enim primus formatus est, deinde Heva.* Viro auctoritatem in mulierem competere, non contra, dupliciter ex Scriptura probat. Primum ex ordine creationis, quem eis scriptura tribuit: nam vir prior a Deo formatus est, deinde mulier, ut habet historia Genes. 2. Non enim sine ratione est, quod Deus primos parentes non simul tempore creaverit, sed virum ante mulierem. Nec ea ratio potest adferri, quod sicut bestiae creatae sunt ante hominem, quia propter hominem, ita et vir ante mulierem, quia propter eam: constat enim ex eadem Genesis historia, quod non vir propter mulierem, sed mulier propter virum facta sit, Apostolo etiam attestante 1 Cor. 11. Ratio igitur haec est, ut per illud significetur, in humano genere viros praeesse debere feminis, non contra.

14. *Et Adam non est seductus.* Graece, *deceptus;* tametsi seducere pro decipere tritum est apud ecclesiasticos scriptores Latinos. *Mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Graece: *Mulier autem decepta, in transgressione facta est,* pro quo Ambrosianus: *Mulier autem seducta facta est in praevaricationem.* Alii clarius ita reddunt: Sed mulier decepta, obnoxia facta est transgressioni. Id est: Mulier, nimirum Eva, quum decepta esset a serpente, transgressa est praeceptum Dei. Igitur in nostra versione verbum *fuit,* quod Graece est γέγονε, non est referendum ad participium *seducta,* velut unum cum eo verbum constituens, sicut in membro praecedenti, *est seductus,* Graece ἠπατήθη, sed ad partem proximam, *in praevaricatione.* Hoc alterum est pro viri primatu argumentum, ex vigore mentis ac rationis sumptum, quo vir mulierem antecellit. Id enim probat testimonio scripturae Genes. 3., quae Adam non fuisse seductum, mulierem autem a serpente seductam Dei praeceptum violasse, satis per hoc significat, quod mulier interrogata, quare hoc fecisset, responderit: *Serpens decepit me et comedi:* vir autem nil tale, sed dixerit: *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi.* Facile autem seduci ac decipi signum est levitatis animi atque infirmitatis judicii. Quod vero de prima muliere scriptum legitur, id in universo sexu locum habet; in quem levitas et imbecillitas mentis, contagio quodam a prima parente, pervasit; uti Graeci interpretes explicant.

Porro difficultatem habet hic locus, quomodo dicat Apostolus, Adam non fuisse seductum; cum ex ipsa Genes. scriptura prorsus appareat non Evam solam, sed et virum credidisse mendacio serpentis, quo dixerat: *Nequaquam moriemini.* Et iterum: *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut Dii scientes bonum et malum.* Nisi enim credidisset, non ei cum ironica exprobratione dictum a Deo fuisset: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Accedit sanctorum Patrum auctoritas, qui pene omnes tradunt, Adamum verbis serpentis fidem habuisse, et ab eo deceptum atque seductum fuisse: quorum testimonia quia citavimus in 2. sent. dist. 22., iis commemorandis hic supersedemus. Ad hanc dubitationem a Joanne Hesselio in comment. hujus loci, et a Benedicto Pererio lib. 6. super Genes. et a Bellarmino lib. 3. de amiss. grat. cap. 7. multae adferuntur responsiones, quae quoniam et a nobis in dictam distinct. commentantibus adductae sunt, breviter hic eas repetemus, ostensuri, quomodo praesens Apostoli locus intelligi possit, ut non sit contrarius ei, quod Moses scripsit.

Unus igitur sensus est: Adam non est prior seductus, sed mulier. Sic enim nonnulli sententiam supplent ex parte praecedenti: *Adam prior formatus est, de-*

inde Eva. Sed quid mirum, si prior tentata, prior fuit seducta? Alius sensus: Adam non est seductus ex colloquio serpentis, sicut mulier, nam cum sola muliere serpens locutus est. Sed fuit tamen seductus a muliere, ut fatentur auctores hujus sensus. Tertius sensus: Adam non legitur seductus, sed mulier. In reticentia autem Scripturae mysterium interdum subesse, probat illud Hebr. 7., ubi Melchisedec dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia etc. At hinc non apte concluditur, virum magis pollere judicio. Quartus: Adam non fuit seductus in praevaricationem, id est, non ita seductus, ut mulieri praevaricationis auctor esset: quomodo mulier seducta viro fuit auctor praevaricandi. Sed hunc non esse sensum verborum Apostoli, patet ex paulo ante dictis. Quintus: Adam non peccavit seductus, mulier autem peccavit seducta, hoc est, viro non fuit persuasum, Deum non praecepisse ne comederet de ligno; mulieri autem id persuasum fuit a serpente, ut ad quam notitia praecepti non nisi per virum pervenisset. Sed nec mulieri id fuit persuasum. Nam serpentis interrogatio praesupponebat Dei praeceptum: *Cur praecepit* etc.

Sextus: Proprie et formaliter loquendo, Adam non fuit deceptus, sed mulier: nam proprie nemo decipitur, nisi a decipiente, id est ab eo, qui proprie et formaliter decipit; quod non facit, nisi qui fallendi animo falsum ei persuadet: sicut non mentitur, nisi qui falsum vult significare. Hoc modo serpens mulierem decepit: mulier autem etsi falsum viro persuasit, hoc fecit decepta, non decipiens, quia non fecit animo fallendi, putabat enim verum esse quod suadebat. Unde mulier quidem in excusationem sui dixit: *Serpens decepit me,* vir autem non ait: *mulier decepit me,* sed *mulier dedit mihi.* Porro neque serpens proprie decepit virum, saltem immediate: quia nullum viro suasionem adhibuit, sed solum mulieri. Sic ait 2 Cor. 11. *Serpens Evam seduxit astutia sua.*

Sensus hic postremus et simplicissimus est, et Scripturae Genesis consentaneus et Apostoli scopo maxime accommodatus. Quod enim a serpente immediate vir non est deceptus, sed mulier; utique valet ad ostendendum mulierem judicio ac vigore mentis minus pollere, quam virum; et proinde viri imperio ac gubernationi subjectam esse oportere. Reliqui sensus cur minus conveniant, lector ex his, quae ad singulos annotavimus, jam intelligit.

Verum objiciet aliquis, parum referre, quod non immediate a serpente vir deceptus fuerit, quandoquidem deceptus est saltem mediate. Viro enim per mulierem persuasit et persuadere cupiebat serpens, quod edentes ex illo ligno non morerentur. Respondeo, propterea diabolum non accessisse ad virum, quod sciret, eum, ratione sui sexus, deceptioni minus obnoxium esse quam mulierem. Itaque callide partem tentavit infirmiorem. Hoc ipsum igitur, quod ad eum tentandum non accessit, argumento est, virum ratione et judicio plus valere.

Additio B. P. Censoris.

Fortasse et hoc responderi potest, Evam fuisse deceptam eo usque, ut crederet se non peccaturam, si ederet: Adamum vero hunc errorem non habuisse, credidisse tamen peccatum facile illud condonandum. Ita vero credidisse, eo quod divinae severitatis nullam experientiam haberet. Ex B. Augustini L. 14. de civit. cap. 11. Sed neque hac falsa persuasione deceptus fuit Adam, Deum ex invidia illud interdictum posuisse, quam persuasionem ex verbis diaboli hausisse Evam, superbia vitiatam, S. Augustinus sentit de Genes. ad lit. lib. 11. cap. 30. et eum secutus B. Thomas 2. sec. q. 163. art. 4.

15. *Salvabitur autem per filiorum generationem.* Quamvis, inquit, mulieri non sit permittendum, ut in Ecclesia doceat; non tamen ei deest, quod agat, et per quod salva fiat: *salvabitur enim per filiorum generationem,* id est, liberorum ex se genitorum educationem. Sic enim inferius exponit, de vidua eligenda lo-

quens cap. 5. *Si filios educavit.* Nec secus interpretandum, quod ibidem *juniores viduas vult filios procreare;* haec enim dicuntur eo schemate sermonis, quo ex priori posterius intelligitur. Quam vero liberorum eductionem dicat, exponit verbis sequentibus:


Si permanserint in fide et dilectione et sanctificatione, cum sobrietate. In quibusdam exemplaribus legitur *permanserit,* singulari numero, sed Graeca constanter habent pluralem numerum. Consentiunt et Latinorum probatissimi codices, suffragantibus itidem Ambrosiani atque Pelagii commentariis, nec non Hieronymus in lib. contra Jovin., ubi locum hunc exponit. Eadem Syriacae versionis lectio est. Nec vero tam proclivis est numeri mutatio in Graecis vocabulis atque in Latinis, ut satis liqueat, eam germanam esse lectionem, quae numerum habet pluralem. Quod etsi ita sit, nonnulli tamen hanc partem ad mulieres referunt, numero mutato ad hunc modum: *Si ipsae mulieres permanserint in fide* etc. Dicunt enim, *mulieris* nomen in parte praecedenti vim collectivi habere, quia in universum de sexu sermo erat, ideoque illud hic ab Apostolo resolvi in numerum pluralem. Quae expositio etiam apud Pelagium est. Hi moventur ea ratione, quod inepte et falso dicatur, mulierem salvari non posse, nisi filii in fide permanserint, quum ex perseverantia filiorum salus parentum nequaquam pendeat. Adde, quod nec in Graeco aliud nomen praecedit, ad quod referri posse videatur verbum *permanserint.* Non enim illic legitur expressis vocabulis: *filiorum generationem,* sed unum compositum nomen τεκνογονίας, quasi dicat: *prolige-nituram.*

Verum haec nihil obstant, quo minus plurale verbum *permanserint* ad filios referatur, quod sine scrupulo faciunt Graeci et Latini interpretes fere omnes. Pro qua constructione etiam Hieronymus contra Jovin. certat. Nam quod ad Graecam lectionem attinet, plurale *filiorum* latenter includitur in composito nomine τεκνογονία, id est filiorum generatio. Dicit ergo Apostolus, mulierem salvatum iri per honestam et sanctam liberorum, quos ex viro susceperit, educationem, quae nimirum significatur verbis subsequentibus: *Si filii permanserint in fide Christiana et dilectione fraterna et sanctificatione,* id est munditia, quae libidinum corruptelis opponitur, ut 1 Thess. 4. et alibi. Nam et 1 Cor. 7. conjugi fideli dicitur: *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

Pro *sobrietate,* quam postremam adjicit, rursus in Graeco est σωφροσύνη, de cujus vocabuli significatione dictum est supra. Hieronymus loco memorato *pudicitiam* mavult quam *sobrietatem,* atque ita legit Ambrosianus, quos secuti Erasmus et Hentenius *castitatem* verterunt. Theophylactus *honestatem* seu *temperantiam* in genere videtur intelligere, cujus partes praecipuae sunt castitas et sobrietas. Atque ea acceptio mihi magis probatur, hoc sane loco. Nam castitas seu pudicitia satis significantur vocabulo *sanctificationis,* prout illud jam exposuimus.

Jam quaeritur: Quid si filii in his virtutibus non permanserint, propterea mater salva non erit? Primum respondeo Graeca non habere *permanserint,* sed *manserint,* quod intelligi potest de eo tempore, quo liberi sunt sub cura et educatione matris. Quo quidem tempore, si non recte se gerant, in parentes culpa conferri solet. Unde et sequenti cap. Episcopum requirit *suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Deinde respicitur ad intentionem et curam matris; ut sensus sit: eam salvam fore per filiorum educationem, qua studiose egerit, ut filii in fide et sancta conversatione permanerent.

Iterum quaerunt: Si mulier improba fuerit, nunquid salvabitur per rectam filiorum educationem? Respondeo, vix fieri, ut improba mulier probe filios educet, et ut fiat, sensum Apostoli esse, quod parentibus non satis sit ad salutem, si ipsi juste et integre conversentur, nisi et filios sancte instituant, eosque secum,



quantum in ipsis est, ad salutem perducant.

Tertio quaeritur, quomodo ex hac Apostoli doctrina non sit consequens, omnibus foeminis consulendum esse matrimonium, ut secundum Apostolum per filiorum generationem salvae fiant? Abutuntur enim hoc loco Sectarii ad extollendam plus aequo matrimonii dignitatem et ad deprimendum studium virginitatis, adeo ut quidam eorum scripserit, hanc Apostoli concionem complecti universam doctrinam de salute mulierum. Quasi videlicet immemor sit Apostolus, quale de virginibus consilium aliquando dederit, scribens ad Cor. 1 epist. 7., nec cogitet se paulo post scripturum in hac Epistola de quibusdam mulierculis, quod *damnationem habeant eo, quod primam fidem irritam fecerint.* Illis igitur responsum sit, Apostolum dicentem: *Salvabitur autem per filiorum generationem,* loqui de muliere conjugata, quales pleraeque erant, ac docere, quod opus, quodve officium ejus sit, per quod salva fiat; non tamen aut praecipere aut hortari, ut omnes liberis gignendis operam dent, quo possint per Christianam eorum educationem salvari, sed virginibus sua singularia, per virtutes heroicas, praemia reservat, de quibus hic non erat agendi locus.

Interim adversus haereticos obiter nota, Apostolum non fuisse dicturum, quod mulier salvabitur per filiorum generationem sive educationem, si salus esset, quod illi volunt, ex sola fide et non etiam ex operibus. Non est praetereundus hoc loco Cajetani commentarius, quem accepit ex Fabro Stapulensi. Hi verbum *permanserint* referunt ad mulierem simul et virum, hoc modo: *Salvabitur per filiorum generationem, si permanserint,* id est si ipsa cum viro suo permanserit *in fide et dilectione* etc. Sensus hic plus habere videtur probabilitatis quam primus; tametsi secundum, quo plurale verbum ad filios refertur, maxime probamus.

CAPUT TERTIUM.

Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat[1]), bonum opus desiderat. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem[2]), doctorem; 3. non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum[3]), sed 4. suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. 5. Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? 6. Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. 7. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt[4]), ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. 8. Diaconos[5]) similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 9. habentes mysterium fidei in conscientia pura. 10. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes. 11. Mulieres similiter pudicas[6]), non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. 12. Diaconi sint unius uxoris viri[7]): qui filiis suis bene

---

1) Act. 20, 17. 28. 1 Cor. 7, 26. 2) 3 Joan. 5. 8. 3) 2 Tim. 2, 24. 25. 1 Thess. 2, 5. 4) 1 Petr. 2, 12. 5) Act. 6, 3. 6) Tit. 2, 3.—5. 7) Vers. 2.

praesint et suis domibus[1]). 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu[2]). 14. Haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito; 15. si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari[3]), quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. 16. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum[4]), quod manifestatum est in carne[5]), justificatum est[6]) in spiritu, apparuit Angelis[7]), praedicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Describit conditiones in episcopo, diaconis et mulieribus requisitas: admonens Timotheum, ut secundum haec praecepta in Ecclesia Dei conversetur.

1. *Fidelis sermo.* Deinceps instruit Timotheum de constituendis episcopis et diaconis Ecclesiae, docens, quae conditiones in iis eligendis spectari debeant; nam a bonis praefectis ac ministris potissimum pendet salus Ecclesiae. Hoc capitis initium, *fidelis sermo,* refertur a Graecis ad doctrinam superiorem: rectius alii, quibus adstipulatur Ambrosius lib. de dignit. sacerd. cap. 4., sic interpretantur, ut pertineat ad commendationem doctrinae sequentis. Vult enim Apostolus hac quasi praefatiuncula attentum reddere lectorem ad id, quod sequitur, velut quiddam magni momenti, quemadmodum et fecit in 1. cap. Quod dicturus sum, inquit, certum est et indubitatum. Hoc dicit, non quasi caetera, quaecunque scribit, non etiam certa sint et indubitata, sed quia doctrina quanto divinior atque utilior, eo magis hujusmodi commendationem atque elogium meretur. Unde et Apoc. 22. peculiariter de quibusdam egregiis Dei promissis per Angelum annuntiatis dicitur: *Haec verba fidelissima sunt et vera.*

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Pro *desiderat* in Graeco non est unum idemque vocabulum, sed priori loco ὀρέγεται, appetit, unde ὄρεξις appetentia, praesertim cibi vehementior, vocabulum etiam Latinis auctoribus usurpatum. Posterius verbum est ἐπιθυμεῖ cupit, desiderat. Utitur autem in priori loco vehementioris significationis vocabulo, quod eadem res nomine episcopatus desideretur ardentius quam nomine operis et officii. Apparet autem, fuisse quosdam eo tempore, qui episcopatum cupide appeterent; eos Apostolus hoc loco nec laudans nec reprehendens ante omnia docet, qualem oporteat episcopum esse, non solum ut Timotheus in iis constituendis bonum faciat delectum, verum etiam ne quis indignus se ingerat.

Quanquam et dici potest, Apostolum loqui ad hunc modum, quod spiritu prophetico praevideret, multos in Ecclesia futuros, qui magno studio et ambitione ad episcopatus contenderent. Quare hujusmodi inordinatam et immodicam appetentiam reprimere studet declaratione operis, cujus debitor est, quisquis est episcopus, et earum proprietatum, quae in episcopo requiruntur, quaeque tales sunt, ut merito hominem infirmitatis suae conscium deterreant ab episcopatus onere suscipiendo, quod ex sententia Patrum concilii Tridentini etiam angelicis humeris est formidabile.

---

1) Vers. 5. 2) 1 Petr. 5, 4. 3) 1 Cor. 3, 16. 17. 2 Cor. 6, 16. 4) Eph. 1, 9. 10. Tit. 1, 1. 2 Petr. 1, 3. 5) Joan. 1, 9. 10. Rom. 1, 3. 2 Cor. 5, 19. Phil. 2, 6. 7. 6) Joan. 16, 10. Rom. 1, 4. 7) Act. 10, 41.

Notandum autem est, episcopatum esse munus, potestatem, dignitatem seu praefecturam episcopalem, sicut Apostolatus est munus ac potestas Apostolica; ut docuimus in cap. 1. ad Rom., ubi dicitur: *Gratiam et apostolatum.* Et tamen, quia is, qui episcopatum habet, est debitor operis, ad quod ea potestas destinatur, idcirco qui episcopatum appetit, is, tanquam effectum in sua causa, opus episcopale appetit: ut merito dicat Apostolus, eum qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderare. Et in hunc sensum loquitur B. August. lib. 19. de civit. cap. 19., ubi ait, quod Apostolus voluit exponere, quid sit episcopatus: quia nomen est operis, non honoris: significat enim ἐπισκοπὴ superintendentiam, non eminentiam otiosam.

Si quaeritur, an liceat episcopatum appetere, quod hic Apostolus non determinat: de dignitate quidem et honore episcopali absoluta est ibidem Augustini responsio: *Locus superior,* inquit, *sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Quod si de opere sermo sit, nec illud simpliciter appetendum est, sed urgente Ecclesiae necessitate si imponitur, suscipiendum. Unde consequenter eodem loco Augustinus: *Otium sanctum quaerit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Sic ille. De qua re vide B. Thomam plenius disputantem tum hoc loco tum in 2. sec. q. 185. art. 1.

Bonum opus alii *honestum,* alii *praeclarum* interpretantur: omnia enim haec Graeco nomine καλὸν significantur, eademque omnia verissime competunt in hoc opus, de quo agitur. Nam publicam et aeternam salutem multitudinis procurare, opus est excellenter bonum et honestum, ac proinde praeclarum et eximium.

2. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse. Ergo* non illative, sed expletive sumitur, ut alibi saepe. Primo loco vult *episcopum irreprehensibilem esse,* quod in Epistola ad Titum dicit, *sine crimine;* quod non ita intelligendum, ut peccato prorsus careat, quo modo Pelagius in commentario videtur intellexisse. Certe Pelagii et sequacium ejus dogma fuit, posse hominem vivere sine peccatis; ad quod probandum etiam hoc Apostoli loco utebantur; ut patet ex Hieronymi dial. contra Pelag. lib. 1. cap. 8. Sed sensus est, episcopum oportere talem esse, quem nemo jure possit reprehendere, de quo non sit justa querela, qui sit bonae et integrae famae. Vix enim est, ut cum fructu in hujusmodi officio versetur, qui propter crimen aliquod male audiat.

Liquet ex hac interpretatione, Petrum Apostolum non fuisse episcopatu indignum, quod vel Dominum suum ter negasset, vel a Paulo juste fuerit aliquando reprehensus Gal. 2., quod enim poenitentia deletum erat, etiam ante acceptum in die Pentecostes Spiritum sanctum, non debuit ei postea pro crimine objici. Paulina autem reprehensio non erat de crimine, sed de facti imprudentia, quae tantum erat veniale peccatum. Confer quae dicuntur infra ad finem vers. 10.

Unius uxoris virum. Variae sunt hujus loci expositiones; partim Catholicorum, partim haereticorum. Imprimis autem ineptus est et solis, nec omnibus, haereticis probatus commentarius, Apostolicum esse praeceptum, ut omnis episcopus uxorem habeat, sed unam dumtaxat: idemque de presbyteris et diaconis esse judicium; quoniam et de diaconis infra statuitur, ut sint unius uxoris viri. In hac sententia fuisse videntur episcopi quidam Vigilantii consortes, de quibus Hieronymus adversus Vigilantium disserens: *Non ordinant,* inquit, *diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli caelibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur.* Facile autem hic sensus refellitur ipsis sanctorum

exemplis. Nam nec Paulus ipse, nec Timotheus, uxorem habuit; Apostoli vero, qui uxores habuerunt, eas propter Christum et Evangelium dimiserunt; ut nihil jam dicamus de tot sanctissimis episcopis primitivae ac veteris Ecclesiae, quorum nulius uxorem duxit; si quis autem ante episcopatum duxisset, eam, deinceps continenter victuram, a se removebat.

Neque vero praeceptum hujusmodi de ducenda aut habenda uxore consisteret cum eo, quod idem Apostolus 1 Cor. 7. dicit: *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, id est abstinentes et liberos a conjugio. Sane etiam nostri temporis sectarii, perspecta rei absurditate, non multum tribuunt illi commentario Vigilantiano; sed alium ejus loco obtrudunt. Dicunt enim, Apostolum praecipere, ut episcopus non habeat simul plures uxores; quemadmodum tunc quidam ex Judaeis, antiquos patres imitati, quidam etiam ex gentibus nuper conversi adhuc habebant; hoc enim episcopo non permitti, ne suspectus sit de impudicitia: sed praecipi, ut si continere nolit, una uxore sit contentus. Meminit hujus expositionis Hieronymus in comm. epist. ad Titum; sed alieno tantum nomine. Rursus meminit in epist. ad Oceanum de unius uxoris viro; sed et ibi satis ostendit, eam sibi non placere, cum eam allaturus praefatur malo modo malum quaerendum esse cuneum. Chrysostomus quoque et ejus sequaces eandem expositionem adferunt hoc loco; sed, quod minus eam probarint, argumento est, quod scribentes postea in epist. ad Titum, ubi hoc praeceptum repetitur, nullam memoratae expositionis faciunt mentionem. Senserunt enim, quam parum aut nihil habeat probabilitatis: sive propter Judaeos dicatur Apostolus hoc praeceptum posuisse, sive propter gentiles. Nam apud Judaeos quidem jam propemodum desierat polygamia; sive ob consuetudinem cum Romanis, quibus subjecti erant, sive ipsa naturae lege ac primaeva matrimonii institutione eos admonente: ad quam etiam Christus, sua ipsius lege, matrimonium reduxerat, Matth. 19. citans ipsa primae institutionis verba: *Propter hoc relinquet homo* etc. Ex quo liquet, nulli Christiano licitum aliquando fuisse plures simul habere uxores. Nulla igitur ratio erat, cur id peculiari praecepto episcopis prohiberetur.

Quod vero ad gentiles attinet, docte respondet B. Thomas in comm. epist. ad Tit. 1., nihil opus fuisse, ut propter eos de episcopo statueretur, ne plures haberet uxores; quandoquidem secundum leges Romanas, quibus regebantur etiam Asiani, quorum causa haec scribuntur, non licebat cuiquam, plures simul uxores habere. Quod etsi licuisset, per legem tamen Christi non licebat Christianis; ut dictum est. Addit idem doctor certissimam refutationem dictae expositionis ex ipso Apostolo; qui cap. 5. hujus epist. similiter de vidua eligenda dicit, *quae fuerit unius viri uxor;* quod profecto nulla ratione sic exponi potest, quae non habuerit simul plures maritos: id enim nusquam gentium ulla lege vel consuetudine factum aut permissum unquam fuisse.

Has omnes rationes si considerasset Cajetanus, non fuisset eam, quam refellimus, interpretationem amplexus, tam hoc loco, quam in comment. epist. ad Titum. Quod enim posterius hoc argumentum solvere conatur, dicens, Apostolum de vidua loquentem uti praeterito tempore, *quae fuerit unius viri uxor,* cum de episcopo loquatur in praesenti: nihil efficit. Nam de episcopo quidem indefinite loquitur Apostolus, quoad tempus, ut etiam ad praeteritum referri possit; id quod Syrus interpres tam hoc loco, quam in epistola ad Titum, exprimendum putavit, dicens, *qui fuerit unius uxoris vir.* De vidua autem idcirco loquitur Apostolus in praeterito, quoniam si in praesenti virum haberet, vidua non esset. Quare si Apostoli de episcopo loquentis sensus est: Qui non habeat simul plures uxores: ergo ejusdem de vidua loquentis sensus erit: Quae non habuerit simul

plures maritos; quod omnino frustra et inaniter dici jam ostendimus.

Est igitur hujus loci verus commentarius, *oportere episcopum esse unius uxoris virum,* id est oportere, ut si uxorem habeat aut habuerit, non tamen secundam acceperit, sed unam tantum; sive eam adhuc habeat sive non. Sic enim et paulo post vult, eum *filios habere subditos* etc. Id est si filios habeat, ut subditi sint. Unum ergo non opponitur nulli, sed pluribus; estque negatione plurium exponendum, eo modo quo diximus. Tradunt hunc sensum Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius super epist. ad Titum; Hieronymus in eandem scribens epist. nec non in epist. ad Oceanum; et in universum Latini commentatores, et alii praeterea a nobis citati ad dist. 27. et 37. lib. 4. sent. Denique, propter hanc Apostolicam legem isto modo intellectam, Ecclesia digamos a sacris ordinibus semper repulit; digamos utique intelligens eos, qui priori conjuge mortua duxissent alteram.

Fatendum quidem est, Apostolum permittere, ut in episcopum eligatur, qui uxorem habeat; verum id pro tempore, propter paucitatem eorum, qui et coelibes essent et ad episcopatum idonei; plerique enim ante fidem susceptam conjugium inierant: coelibes autem aut nimium juvenes erant, aut libertatis amore potius, quam studio castitatis conjugium refugerant, in gentilitate adhuc constituti. Posteaquam vero multi ab infantia coeperunt Christiana religione ac moribus institui, et ad ecclesiastica ministeria aptari: non facile quisquam uxoratus ad episcopatum assumebatur; nec id aliter, quam si pari consensu cum uxore continentiam servaret.

Nam id ab ipsis Apostolorum temporibus observatum in Ecclesia fuisse, probant antiquissimi canones; inter quos est 2. Concilii Carth. canon secundus, quo cum episcopis, presbyteris et diaconis continentia praeciperetur, qua etiam ab uxoribus abstinerent, subjecit concilium, haec verba: *Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Sed ea de re pluribus egimus ad dictam dist. 37. lib. 4. Illud autem omnino certum et evidens, etiam Graecorum testimonio, quemadmodum eodem loco ostendimus: nunquam in Ecclesia Dei permissum fuisse, ut quis episcopus aut presbyter uxorem duceret: licet de usu uxoris antea ductae Graeci posteriores a Latinis opinione simul et praxi dissentiant.

Restat quaerendum, qua ratione Apostolus digamum ab episcopatu, et paulo inferius etiam a diaconatu repellat. Hujus rei alii moralem, alii mysticam causam reddunt. Nam Hieronymus in exposit. epist. ad Titum, et plenius in epist. ad Oceanum hanc adfert rationem, quia digamia argumentum est incontinentiae: merito autem a sacris ministeriis arceantur, quos incontinentiae suspicio gravat. Eandem Apostolici praecepti rationem urgent Chrysostomus ac caeteri commentatores Graeci. Nec dissentit Epiphanius, qui in haer. 59., quae est Catharorum, dicit hoc constitutum propter excellentem sacerdotum dignitatem et honorem. Spectat eodem, quod alii dicunt, hanc causam esse, ut episcopus possit viduas adhortari ad continentiam. Sunt enim morales hae rationes, ac pene coincidunt.

Verum alii rationem assignant ex significatione conjugii; dicunt enim, digamum a sacris ordinibus arceri propter defectum sacramenti, id est sacrae significationis. Cum enim episcopus gerat vicem Christi atque ejus personam peculiari ratione repraesentet tanquam vicarius Ecclesiae sponsus; non erit ad eam repraesentationem idoneus, qui dum esset in matrimonio, eandem Christi personam imperfecte tantum et defective significavit. Christus enim unicam sibi sponsam copulavit per incarnationis mysterium; et similiter Ecclesia uni sponso copulata est. *Despondi vos,* ait Apostolus 2 Cor. 11., *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cujus rei significatio in eo, qui plures sibi copulavit uxores, haud sub-

sistit. Hanc rationem tradit et explicat August. lib. de bono conjug. cap. 18. et ante eum Ambrosius lib. 1. off. cap. 50. et in epist. 82., quae est ad Eccles. Vercell. Eam deinde probarunt Romani pontifices, Innocentius I. epist. 2. et 22. et Leo I. epist. 87. ad episc. Afric. atque alii deinceps, ut videre est in Decretalibus, tit. *De digamis non ordinandis.*

Quamvis igitur probabiliter possit dici, Apostolum ad utramque rationem, scilicet moralem et mysticam respexisse: nam moralem etiam rationem pulcre et graviter urget Ambrosius, utroque loco supra citato; tamen hanc posteriorem apparet esse primariam. Etenim si Apostolici praecepti ratio pure moralis esset, multo magis arcendi erant, qui vel concubinam in gentilitate habuissent, vel fornicati fuissent: quos tamen, si post baptismum caste vixerint, Ecclesia recipit etiam ad episcopatum.

Dicet aliquis, Paulum etiam in vidua requirere, ut fuerit unius viri uxor; ubi tamen nullum videtur subesse mysterium. Respondeo, nec ibi mysterium deesse; quia viduae Ecclesiae repraesentabant fidelibus honorem vidualis castitatis: ad hoc autem repraesentandum illa non erat idonea, quae post mortem mariti nupserat alteri, etiamsi ante baptismum id factum fuisset, quemadmodum nec velamen sacrum inter virgines accipere debet, quae corrupta fuerit ante baptismum. Sic ergo nec is, qui secundam uxorem duxit, etiam ante baptismum, debuit in episcopum assumi: secus quam privata opinione sensit Hieronymus, qui priorem tantum rationem putaverat considerandam.

2. *Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum.* In Graeco et Syriaco textu tria tantum vocabula sunt, nec verisimile est, interpretem nostrum plura dedisse. Nam quod hic additur, *pudicum;* ex alia versione huc adjectum putamus; quod enim nos habemus *prudentem,* potest ex Graeco verti *pudicum,* seu *castum;* idque adeo mavult Hieronymus. Nam et apud Ambrosianum leguntur haec tria, *sobrium, pudicum, compositum;* et apud verum Ambrosium lib. 1. offic. cap. 50. *sobrium, pudicum, ornatum.* Porro MSS. codices Latini variant. Alii Graecis consentanei *pudicum* quarto loco penitus omittunt; quod et facit Primasius. Alii legunt quidem, sed non eundem ei locum tribuunt; quae res satis arguit adventitium esse. Proinde caetera exponamus.

Sobrium, Graece νηφάλιον; quae vox etiam *vigilantem* significat, quemadmodum alii transtulerunt, Graecorum commentarios secuti. Quanquam et Hieronymus ita legit lib. 1. Dialogi contra Pelag. Utrumque significatum aptissime quadrat. Inprimis enim episcopo necessarium est, ut cibi potusque temperans sit; tum, quod inde consequitur, ut vigiles habeat sensus atque in officium semper intentos. Eadem vox infra repetitur, ubi de mulieribus sermo est; cui certe loco magis convenit *sobrietatis* significatio quam *vigilantiae.* Derivatur autem vox Graeca ἀπὸ τοῦ νήφειν, quod est sobrium esse, quo verbo usus est B. Petrus 1. ep. cap. 5., ubi nos habemus, *sobrii estote, et vigilate.* Nam quoniam illic additur, *et vigilate,* γρηγορήσατε non potest verbum praecedens νήψατε similiter exponi, ne idem secundo repetatur. Non tamen negandum, quin aliquando significet vigilare: sic enim accipitur 2 Tim. 4. *Tu vero vigila.* Pro quo *sobrius esto* minus quadrat; ut ibi videbimus.

Prudentem alii *pudicum* verterunt, ut jam diximus; alii *sobrium,* ut idem noster interpres ad Tit. 1. Alii denique *temperantem,* ut ea virtus intelligatur, quae praestat, ut rebus moderate utamur, nec dissolvamur in luxum. De qua actum est etiam in capite praeced. Atque haec omnia significat Graeca dictio σώφρονα, ac nihil horum est, quod non in episcopo cum primis desideretur. Eundem vult esse *ornatum,* Graece κόσμιον, id est in vultu, incessu, sermone ac toto corporis habitu bene decenterque compositum. De significatione vocabuli Graeci nonnihil dictum est in capite superiori.

Hospitalem, ea nimirum hospitalitate, quam Scriptura passim commendat, quam-

que etiam sancti Patres veteris testamenti leguntur exercuisse. Haec autem non in eo sita est, quod quis laute mensam instruat, eamque semper expositam habeat divitibus ac nobilibus, aut improbis mensarum asseclis; sed quod Christianos ac Dei servos de via adventantes ac refocillatione egentes, eos praesertim, qui spiritualia seminant, hospitio suscipiat, foveatque: quod laudatissimum est opus liberalitatis ac misericordiae. Graeca vox φιλόξενον sonat, *peregrinorum amantem.* De talibus, quales dixi, viatoribus suscipiendis est illud B. August. serm. 1. de vita comm. cleric. Perveni ad episcopatum; vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus sive transeuntibus. Quod si non fecisset episcopus, inhumanus diceretur. Et S. Hier. Comm. ad Tit. 1. Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.

Doctorem. Graece διδακτικὸν; quod non significat *docilem,* ut habebat antiqua quaedam versio reprehensa ab Hieronymo lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 6., sed, ut ita dicam, *doctivum.* Erasmus, Ambrosianum textum imitatus vertit, *aptum ad docendum;* Hieronymus in loco jam citato interpretatur eum, qui docere possit: quod ita intellige, ut etiam promptus sit et paratus ad docendum. Id totum autem, sine dubio, plus est quam doctum esse: sunt enim plerique docti, sed quibus aut voluntas, aut facultas et gratia desit communicandi suam doctrinam aliis; ut qui conceptiones animi non noverunt commode ad instructionem et aedificationem aliorum exprimere. Proprietas haec episcopo vel maxime necessaria est; sed quam in eo cum caeteris virtutibus difficulter inveniri scribit eodem loco Hieronymus.

Disputant quidam, uter ad episcopatum sit aptior, theologus, an canonista. Equidem non arbitror, Apostolum in hac parte qua *doctorem* vult esse episcopum, respicere ad peritiam canonum ecclesiasticorum, qui tunc vix ulli erant; sed in episcopo requirere scientiam, quam nos Theologiam vocamus, qua nimirum ea, quae de Deo rebusque divinis sunt divinitus revelata, cognoscuntur et aliquatenus intelliguntur, ut et aliis tradi et adversus humanas rationes congruenter defendi possint, per sermonem scientiae atque sapientiae. Hanc enim Theologiam a Christo acceptam futuris episcopis tradiderunt Apostoli; hanc et Paulus suum docuit Timotheum; et Timotheus deinceps eos, qui possent et alios docere, ut eum monuit ipse Apostolus, posterioris epist. cap. 2.

3. *Non vinolentum.* Chrysostomus et sequaces ejus hoc non de temulentia interpretantur, sed de vitio conjuncto. Putant enim praecipi, ne episcopus ferox sit aut conviciator, ad exemplum eorum, qui vino pleni debacchantur in alios. Unde et Hentenius in epist. ad Titum vertit: *non debacchantem.* Verum proprie accipiendam esse hanc partem, quomodo Latini Syro astipulante accipiunt, ex eo satis colligitur, quod paulo post de diaconis agens Apostolus, hoc idem explicatius dicit, *non multo vino deditos.* Quo argumento etiam Theodoretus utitur. Recte igitur Ambrosianus textus habet, *non obnoxium vino,* id est non deditum potationi. Valde enim hoc vitium dedecet pastorem animarum; non fere aliud est, quod magis auctoritatem ejus destruit. Proinde non debuit illud intactum relinquere Apostolus; praesertim quod Asiani, quibus haec Epistola mittitur, a luxu et vinolentia male audirent.

Non percussorem. Ambrosianus, *non verberatorem.* Quod rursus Graeci, suffragante Hieronymo, nolunt de eo intelligi, qui faciles habeat manus ad verberandum: quid enim magnum episcopo, si manibus temperet? sed referunt ad acerbitatem linguae, dicuntque prohiberi, ne episcopus importune ac severe nimium feriat fratrum conscientiam, ne sit saevus objurgator, ne sit ad contumelias et convitia pronus. Nam et apud Latinos auctores legimus verbera linguae; et in sacris literis impiorum vox est: *Venite percutiamus eum lingua.* Jer. 18. Confirmare videtur hunc sensum illud hujus epist. cap. 6. *Seniorem ne increpaveris;* quod

Graece est, *ne plagam inferas.* Quanquam quod Anselmus, Aquinas, Cajetanus et alii Latini *percussorem* accipiunt proprie, non est abjiciendum: cognata enim vitia sunt vinolentia et violentia; quorum alterum ex altero consequi solet, ut bene S. Thomas annotavit. His palam accedit Syrus interpres, ita vertens: *Cujus manus non sit praeceps ad percutiendum.* In Graecis exemplaribus sequitur: *Non turpis lucri cupidum;* quod cum nec a Chrysostomo, nec a quoquam aliorum veterum tam Graecorum, quam Latinorum interpretum hoc loco expositum inveniatur; facilis conjectura est huc adjectum esse ex epist. ad Titum; ubi hoc ordine legitur: *Non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum;* hic autem ejus loco paulo post dicitur, *non cupidum.*

Sed modestum. Graeca dictio ἐπιεικῆ significat aequum, humanum, mansuetum, qui non rigide jus suum exigit, sed quantum res patitur, aliorum se moribus et affectibus accommodat. Mire praeluxit in hoc genere virtutis ipse Paulus, *omnibus omnia factus, ut omnes salvos faceret.* 1 Cor. 9. *Non litigiosum.* Graece ἄμαχον, id est alienum a pugna, pro quo Hieronymus lib. 1. contra Pelag. legit: *absque jurgio,* nam lites jurgia, etiam Graecis μαχαὶ, id est pugnae vocantur, ut Jac. 4. *Unde bella et lites in vobis?* et apud hunc Apostolum legimus *pugnas verborum,* pro contentionibus, infra cap. 6. *Non cupidum.* Id est non avarum, Graece ἀφιλάργυρον, quod alii verterunt: *alienum ab avaritia.* Hieronymus *sine avaritia* legit, non enim quaevis cupiditas Graeco vocabulo negatur, sed cupiditas et amor pecuniarum, quam omnium malorum radicem pronuntiat hac eadem Epist. cap. 6.

4. *Suae domui bene praepositum.* Id est qui suae familiae bene praesit. Ita enim mox vertit; atqui bene praeesse familiae, est domesticos suos bene regere. Vult igitur Apostolus experientia probatum esse, quod qui in episcopum assumitur, sit domus regendae gnarus et peritus, ut a minore domo ad majorem, id est, Ecclesiam regendam transeat. Hinc in concilio 3. Carthag. can. 18. statuitur, episcopos, presbyteros et diaconos non prius ordinari debere, quam omnes, qui in domibus ipsorum sunt, Christianos Catholicos fecerint, ut ita se probent suis bene praefuisse.

Filios habentem subditos cum omni castitate. Declaratio est partis praecedentis; *subditos* Graece *in subjectione,* quod emphasim habere videtur, quasi dicat: liberos habentem subjectioni paternae assuefactos, ad nutum obedientes. Pro *castitate, reverentiam* vertit Erasmus, quod non probo: nam Graeca dictio σεμνότης, qua etiam in super. cap. usus est Apostolus, patet quidem ad omnem morum gravitatem et honestatem, atque ita ab interpretibus Graecis hic exponitur. Interdum quoque pudicitiam significat, et in genere temperantiam, quam significatam hoc loco, probabile fit ex Epistola ad Titum, ubi de episcopo sic legitur: *filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos.* At *reverentia,* quam filii parentibus et in universum subditi praefectis debent, hac Graeca voce non significatur. Vult ergo Apostolus, episcopum, si liberos habeat, eos habere dicto audientes, et quos spectata morum honestas, praecipue vero castitas commendet. Observat Ambrosius hunc locum tractans in Epist. 82. ad Eccl. Vercell., Apostolum non dicere: *facientem filios,* sed *habentem,* ne ad procreandum filios videatur episcopus invitari. Sequitur jam hujus praecepti ratio.

5. *Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?* Graece: *quomodo Ecclesiam Dei curabit?* vel: *quomodo Ecclesiae Dei curam habebit?* Argumentum a majore, id est magis probabili. Nam longe facilius est familiam paucorum hominum regere, quam Ecclesiam totius cujuspiam civitatis aut regionis aut provinciae, in qua tanta est hominum, ingeniorum ac morum diversitas. Tale est, quod ab Aeschine Graeco oratore scri-

ptum refert Stobaeus in serm. de republ., Eum, qui suam familiam non bene administravit, in communibus quoque reipublicae negotiis similiter versaturum.

Hic quaeret aliquis: Si nulla sit patris culpa, quod filii sint infideles, luxuriosi, impudici, inobedientes; numquid arcebitur ab episcopatu? Sic omnino apparet, ne videlicet domesticum opprobrium redundet in Ecclesiam Dei. Constituuntur enim haec propter publicum Ecclesiae bonum. Et sane praesumitur non bene regere domum suam, qui filios habet inobedientes et scandalose viventes, qualiscumque demum ipse esse videatur. S. Hieronymus lib. 1. contra Pelag. cap. 8. hunc Apostoli locum etiam de servis domesticis intelligit: volens esse ejiciendos, nisi honeste et Christiane vivant.

6. *Non neophytum.* Graecam vocem interpres retinuit. Erasmus *novitium* vertit, haud plene reddens, quod in Graeco est. Nam νεόφυτος sonat *nuper insertum;* quo nomine vocabantur recens baptizati, quod a baptismo Christiani seu fideles censerentur. Multae rationes adferri possunt, cur vetet Apostolus neophytum creari episcopum: veluti quod nondum solide doctus sit mysteriorum, quod constantia ejus nondum probata, quod auctoritate destituatur; denique quod ea res invidiae sit obnoxia, si praetermissis veteranis novitius assumatur. Verum Apostolus unam subjungit, eamque praecipuam:

Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Interpres periphrasi expressit, quod in Graeco dicitur: *ne inflatus. Judicium* Hebraeo more dixit pro condemnatione seu poena. Et sensus est, periculum esse neophyto in episcopum assumpto, ne novo honore eoque apud Christianos primo turgidus ac sibi placens, ob superbiam incidat in eandem damnationis poenam cum diabolo, id est ne cum diabolo, qui *rex est super omnes filios superbiae,* partem habeat in aeterno gehennae supplicio; vel plenius hoc modo: ne per superbiam a recta fide deficiens, honore excidat, et talento spoliatus detrudatur in gehennam; quomodo diabolus, cum per superbiam a Deo apostataret, coelo dejectus est et aeternis ignibus addictus.

Erasmus pro diabolo vertere maluit: *calumniatorem,* tam in hoc loco, quam in eo, qui statim sequitur: *et laqueum diaboli,* ut ad hominem possit utrumque referri. Putat enim hunc esse sensum: Ne elatus in superbiam, pateat calumniis hominum maledicorum, qui dicturi sint, eum hoc consilio Christianismum appetivisse, ut, qui inter suos humilis erat, inter Christianos honore praecelleret. Haec Erasmi versio probatur Cajetano dumtaxat posteriori loco: nam de priori nobiscum sentit.

Refellitur autem interpretatio; primum, quia juxta hunc sensum nihil attinebat dicere: *in superbiam elatus,* sive enim superbiat neophytus ad episcopatum evectus, sive non superbiat; obnoxius erit calumniae memoratae. Deinde, quia praeter usum Scripturae sacrae est, ut *judicium* pro calumnia seu maledicentia sumatur. Tertio, quia laqueus diaboli quid significet, ipse Apostolus declarat in secunda Epistola cap. 2. dicens: *ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur.* Accedit omnium Interpretum veterum consentiens expositio, qui diabolum hic non alium quam daemonum principem intellexerunt.

Circa hoc Apostoli praeceptum quaeritur, quomodo non illi repugnent exempla laudatissimorum episcoporum Ambrosii et Nectarii, qui paulo ante catechumeni, mox baptizati, paucis diebus interpositis episcopi facti sunt. Forte dicet aliquis, eos tunc non fuisse neophytos secundum mentem Apostoli, utpote loquentis de iis, qui recens ex gentilitate erant conversi: Ambrosius autem et Nectarius multo tempore fuerant catechumeni, firmiter tenentes Christianae fidei veritatem, sed baptismum differentes, ut illius saeculi mores habebant; proinde nec periculum fuisse, ne per superbiam exciderent. Sed haec responsio non convenit: nam vocabulum *neophyti* non

catechumenis, qui nondum habebantur fidelium numero, sed recens baptizatis tribuebatur, per baptismum enim inserebantur corpori Ecclesiae, et ex eo vocabantur fideles, quantumvis antea diu fuissent catechumeni, et fidem Christianam probe edocti.

Certe Hieronymus lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 8., dum ita scribit: vult Apostolus, ut *non neophytus episcopus ordinetur, quod videmus nostris temporibus pro summa eligi justitia;* respicit haud dubie ad exemplum Ambrosii et aliorum similium. Erat igitur Ambrosius, Hieronymi judicio, neophytus; quod et ipse de se Ambrosius non negat, sed in supradicta epist. excusat, his verbis: *Quam resistebam ne ordinarer! postremo, cum cogerer, saltem ordinatio protelaretur. Sed non valuit praescriptio; praevaluit impressio. Tamen ordinationem meam occidentales episcopi, judicio; orientales etiam exemplo probarunt,* de Nectario loquitur: *et tamen neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est. Si non deest humilitas competens sacerdotio: ubi causa non haeret, vitium non imputatur.* Haec ille.

Non igitur negandum est, Ambrosium neophytum fuisse ordinatum, quod ipse fatetur; sed dicendum, sicut in illa parte praecepti Apostolici, *unius uxoris virum,* dispensari potest, dum videlicet ex justa causa conceditur, ut digamus ordinetur; ita in hac parte dispensari posse, quando non subest periculum, quod Apostolus metuit, *ne in superbiam elatus* etc., sed magis speratur ex ejusmodi ordinatione magnum Ecclesiae bonum; sicut factum est in Ambrosio et Nectario.

Notandum est enim, quod istarum conditionum episcopalium, quas Apostolus enumerat, quaedam sunt per se requisitae, in quibus proinde non est dispensandum; ut quod episcopus sit irreprehensibilis, sobrius, prudens, non vinolentus etc., quaedam requisitae per accidens; quoniam si desint, periculum vel suspicio mali ingeritur, vel certi mysterii significatio frustratur. Atqui potest amoveri tam suspicio mali, quam periculum: nam et digamus potest esse probatae castitatis, et neophytus a periculo superbiae remotus; quod ubi contingit, et magnum ex ordinatione speratur bonum, nihil vetat tales ordinari. Quae eadem causa esse potest, ut significationem mysterii in quibusdam Ecclesia negligendam putet.

7. *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Id est bene apud eos audire, ac bonae famae esse. Per *eos, qui foris sunt,* intelliguntur, qui extra Ecclesiam sunt, et in ea nunquam fuerunt; quemadmodum ostendimus ad illud 1 Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Non enim omnino foris sunt, qui per excommunicationem ab Ecclesia separati sunt, aut sponte eam deseruerunt, ut haeretici et schismatici; remanent enim sub Ecclesiae potestate, licet inviti. Non igitur ab haereticis et schismaticis oportet episcopum habere bonum testimonium, ut qui contra catholicos episcopos studiose soleant crimina confingere: sed ab infidelibus, nunquam fidem Christianam professis; qui quamvis dogma Christianum, quatenus adhuc infideles sunt, vituperent, quod tamen ad mores et externam vitae conversationem attinet, non male loquentur do eo, quem noverint inter ipsos innocenter et honeste vixisse. Non enim odio et malitia excaecati sunt, sicut illi Ecclesiae desertores. Conducit hoc bonum testimonium ad eum finem, ut facilius infideles ad fidem adducantur; quamvis aliam hic rationem subjiciat Apostolus.

Ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. In opprobrium, Graece *in exprobrationem,* et sensus est: Ne fideles, qui eum, ut episcopum suum honorare debebant, incipiant ei vitia vitae prioris exprobrare; et per hoc ille videns detectam esse vitae suae anteactae turpitudinem, despondeat animum et ad vomitum redeat, ipsumque Christianismum per apostasiam abjiciat cum magno Ecclesiae

scandalo. Hoc enim est, primum *in opprobrium incidere,* ac deinde *in laqueum diaboli;* quia occasione opprobrii et infamiae publicae nectuntur ei a diabolo haec mala consequentia. Cui rei non dissimilia etiam hoc saeculo vidimus exempla. Alii alios sensus adferunt, sed ut nobis videtur, minus commodos eo, quem dedimus, qui est ex Comm. B. Thomae. Atque hucusque conditiones in episcopo requisitae: in quibus nec divitiarum, nec generis, nec potentiae saecularis meminit; ut discamus, hujusmodi qualitatum in episcopis constituendis per se nullam omnino habendam esse rationem.

8. *Diaconos similiter pudicos.* Ab episcopis ad diaconos transit, omissis presbyteris. Quos cur omittat, non eadem ab omnibus ratio redditur. Aërius quidem haereticus dicebat, hoc ideo factum ab Apostolo, quod inter episcopum et presbyterum nihil interesset. Idipsum postea docuit Joan. Wicleff, deinde Lutherus, et hodie sectarii fere omnes, veterem haeresim, in Aërio damnatam, suscitantes. Nam inter haereses eam sententiam numerant, et merito, Epiphanius, Philastrius et Augustinus; a qua tamen non multum recedere videtur commentator Ambrosianus; dum hanc rationem adfert, *quia episcopi et presbyteri una ordinatio est, cum sit uterque sacerdos.* Licet hic auctor sententiam mitiget, addendo: *Sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus.*

Alii respondent, episcopi nomen tempore Apostolorum fuisse commune caeteris presbyteris: quod ex aliis quibusdam Scripturae locis ostendi putant, ut Act. 20. Phil. 1. et Tit. 1., et propterea, quae de episcopo dicta sunt, ad presbyterum etiam pertinere. Haec responsio est Anselmi, Thomae et quorundam recentiorum: sed non videtur solida, quia licet presbyteri nomen etiam episcopis tribuatur in Scripturis: non tamen e diverso doceri potest, episcopi nomen attributum simplici presbytero. Nam in Scripturis allegatis *episcopos* intelligi proprie et secundum usum ejus vocabuli in Ecclesia receptum, nihil vetat; uti suis locis partim ostensum est, partim ostendetur. Huc facit, quod de episcopo hic loquitur in singulari, tanquam singulos tantum esse velit in singulis civitatibus: nam postea descendens ad diaconos, pluraliter loquitur. Quae res utique argumento est, hic agi de episcopo juxta receptam et ecclesiasticam ejus vocabuli significationem. Alioqui constat, in una Ecclesia plures fuisse presbyteros etiam tempore Apostolorum. Quod plane convincit locus Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quamvis enim ungendo infirmo unus presbyter sufficiat; non tamen presbyteros Ecclesiae plurali numero diceret Apostolus, si plures presbyteros una Ecclesia habere non posset: sicut habere non potest plures episcopos.

Sunt alii, qui putent Apostolorum tempore sub nomine episcoporum comprehensos fuisse, non quidem omnes omnino presbyteros, sed eos, qui ab episcopis ad ejusdem dioecesis vicos et oppida mittebantur docturi plebem et sacramenta administraturi: quos nunc Cura animarum oneratos seu Parochos vocamus. Sed hanc sententiam non video, qui probent, cum antiquitatis Ecclesiasticae historia nihil usquam tale prodiderit.

Plus longe probabilitatis habet Chrysostomi responsio, qua causam adfert omissi presbyteri: *Quoniam,* inquit, *inter episcopum atque presbyterum interest ferme nihil; quippe et presbyteris Ecclesiae cura permissa est: et quae de episcopis dixit Apostolus, ea etiam presbyteris congruunt; sola namque ordinatione superiores illi sunt; atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Haec ille: *ordinationem* intelligens ordinandi potestatem. Pro qua responsione notandum est, tempore primitivae Ecclesiae propter paucitatem eorum, qui ad presbyterium idonei essent, non solere plures ordinari presbyteros, quam qui ad Ecclesias una cum episcopis

sub eorum cura regendas essent necessarii.

Verum aliter adhuc, et ni fallor, probabilius respondet Epiphanius haer. 75. adversus Aërium disputans. Dicit enim, Apostolos initio iis Ecclesiis, in quibus adhuc pauci erant fideles, simul ob raritatem ministrorum, tantummodo episcopum attribuisse cum diaconis; quod per eos solos, sine presbyteris, ecclesiastica ministeria compleri possent; quicquid enim presbyter facit, et episcopus facere potest, etsi non contra. Caeterum diaconi ministerio episcopum carere nullo modo potuisse; et hanc esse causam, cur Apostolus hoc loco, omissa mentione presbyteri, tantum de episcopo et diaconis loquatur. Ac sane notum est ex historia antiquitatis, multas fuisse civitates episcopis attributas, quae paucissimos haberent fideles. Unde de Gregorio Neocaesariensi legitur, quod eo tempore, quo suscepit episcopatum, tantum septemdecim habuerit in ea civitate fideles; quos utique sine presbytero regere perfacile poterat.

Sed ad diaconos veniamus; quorum etsi officium fuerit, eleemosynas a fidelibus oblatas suscipere, easque tam viduis, quam aliis egentibus fratribus ac sororibus distribuere, quemadmodum patet Act. 6.: non ea sola, nec praecipua diaconorum functio erat; sed dependens ex alia majore et sacratiore, qua nimirum episcopo sive presbytero ad altare ministrabant. Ibi enim fidelium oblationes, erogandas in pauperes, recipiebant: ut proinde conjuncta fuerint hac ratione ea duo officia, quam rem latius probare non est praesentis instituti. Videantur, quae Joan. Hesselius in hunc locum doctissime scripsit, et quae nos de diaconorum officio commentati sumus in 4. sent. dist. 24.

Etsi vero διάκονος Graecis *ministrum* sonet; non tamen recentior quidam hoc loco vertere debuit, *ministros;* nihilo magis quam pro *episcopo*, *superintendentem* aut *inspectorem*. Nam haec vocabula Graeca, *episcopus* et *diaconus*, instituta sunt ab Apostolis, et perpetuo deinceps usurpata ad certos in Ecclesia gradus et officia significanda: quae proinde retinenda sunt etiam Latinis: quod et ipse Erasmus tum alibi, tum hic fecit, in utroque vocabulo, ut Phil. 1.

Forte etiam quaerat aliquis, cur hypodiaconorum hic nulla mentio fiat? Sed in promptu responsio est, aut eum ordinem tunc nondum fuisse institutum, in illa adhuc paucitate eorum, qui ad sacra ministeria possent assumi: aut sub generali nomine diaconorum comprehendi. Nam quotquot initiati sunt presbytero inferiores, quodammodo diaconi sunt, id est presbyterorum ad sacra peragenda ministri: licet hi quoque suos inter se gradus habeant; sive a Christo Domino, sive, quod nobis est probabilius, ab Apostolis eorumve successoribus per officia distinctos: eo tamen constituto, quod in Ecclesia Catholica credendum est, esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris; ut definitum est in Synodo Tridentina sess. 23. can. 6. Quo loco *ministris* dicere maluit Synodus, quam *diaconis;* ne gradus diacono inferiores videretur excludere. Quam rationem si etiam Erasmus prae oculis habuit, dum aliquando hoc loco pro *diaconis, ministros* scripsit; non est cur reprehendatur. Dicit ergo Apostolus: *Diaconos similiter pudicos,* scilicet, oportet esse. Ubi illud *similiter* non admodum urgendum est, quasi ad episcopum respiciatur, cui velit diaconos virtutibus esse similes. Nam Graece non est ὁμοίως, *similiter,* sed ὡσαύτως, *itidem,* quod non parem vim habet cum *similiter*. *Pudicos*, Graece σεμνοὺς, quod varie vertunt: *honestos, graves, compositos, castos.* Haec enim omnia Graeca voce significari jam superius ostendimus ad illud, *cum omni castitate;* v. 4. hujus.

Non bilingues. Graece διλόγους, id est duplices in sermone. Sic appellantur homines vani, futiles ac leves, in quorum verbis nulla est constantia; qui aliud stantes, aliud sedentes loquuntur, ut in proverbio est. Alii significari putant do-

losos ac simulatores, qui aliud corde gerunt, aliud ore proferunt. Utrumque vitium in Ecclesiae ministris, quorum lingua debet esse organum Spiritus sancti, turpissimum est, eorumque ministerium valde dehonestat.

Non multo vino deditos. Ex eo, quod de episcopo dixit, *non vinolentum,* et nunc de diaconis dicit, *non multo vino deditos,* non autem ait, *non ebriosos,* de quibus alibi contestatur dicens, quod *ebriosi regnum Dei non possidebunt,* 1 Cor. 6.: satis apparet, minus esse vinolentiae seu bibacitatis vitium quam ebriositatis; nec omnes multo vino deditos esse ebriosos. Et tamen etiam hoc vitium, sicut ab episcopo, sic a diaconis remotum esse vult Apostolus. Nam etiamsi non se inebrient, tamen immoderata potatione redduntur animo languidiores, ut annotat post Theophylactum Oecumenius. Quanquam hujus praecepti rationem etiam aliam assignat Theodoretus; quod eos, quibus divinum creditum est ministerium, quique sacris astant altaribus, temulentia maxime dedeceat. Cujus rei significandae gratia in veteri lege prohibiti fuerunt sacerdotes, ne vinum et omne, quod inebriari potest, biberent, quando tabernaculum testimonii erant ingressuri. Lev. 10.

Non turpe lucrum sectantes. Graecum vocabulum αἰσχροκερδεῖς, quod interpres vertit, *turpe lucrum sectantes,* et 1. ad Titum, de episcopo, *turpis lucri cupidum,* compositum est ex *turpi* et *lucro.* Pro quo Erasmus vertere maluit, *turpiter lucri cupidos,* aut *turpiter lucro deditos,* ut in universum ab episcopo et diaconis removeatur lucri cupiditas; sentit enim Paulus, inquit in annot. epist. ad Titum, omne studium lucri foedum esse sacerdoti. Persistit in eo, dum 1 Pet. 5. ejusdem vocabuli adverbium, pro quo nos habemus, *turpis lucri gratia,* vertit: *turpiter affectantes lucrum.* Atqui in vocabulo Graeco non potest turpitudo ad studium seu cupiditatem referri, utpote ibi non nominatam, sed necessario referenda est ad lucrum; quasi dicas uno nomine, *turpilucrios,* tametsi Plautus in Trinummo tricomposite dixit, *turpilucricupidum.*

Prohibet ergo Apostolus, ne diaconi turpe lucrum aut sectentur, aut cupiant, aut omnino accipiant. Nec dicit injustum, quale est usurarium lucrum; sed *turpe,* quale si quis ex re sordida quaestum faciat; quod quidem avaritiae signum est, dum quis posthabita dignitate lucrum capit ex re qualibet. Syrus vertit: Neque ament lucra turpia. Potest exponi *turpe lucrum,* turpiter et avare quaesitum, etiam ex re honesta. Nam loco hujus supra inter qualitates episcopi dixit: non cupidum, seu non avarum. Confer Tit. 1. et 1 Petr. 5. ibi: *Non turpis lucri gratia.* Optionem lectori relinquimus.

9. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Quidam *mysterium fidei* interpretantur id, quod de fide est aliis occultum: tanquam a diaconis exigatur, ut non tantum habeant fidem, quam habere debent omnes Christiani, verum etiam teneant fidei mysteria, id est arcana aliis incognita; vel certe ut pleniorem earum rerum, quae ad fidem pertinent, intelligentiam sint adepti. Catharinus intelligi putat *mysterium fidei,* quod a sacerdote nominatur in consecratione calicis Dominici, hoc est, ipsum Domini sanguinem, quem olim diaconi solent porrigere fidelibus, ut constat ex Cypriano serm. de lapsis et Ambrosio lib. 1. Offic. cap. 41. et aliunde. Hoc enim tremendum ac sacratissimum mysterium puram conscientiam requirit eorum, a quibus tractatur ac ministratur. Refert hunc sensum etiam Hesselius, sed examinandum relinquit lectori.

Nobis simplicior ac germanior sensus esse videtur, quem communiter Graeci ac Latini veteres tradunt. Is ejusmodi est: Habentes fidem mysteriorum Christianae religionis, hoc est, fidem Christianam, conjunctam cum pura conscientia, id est cum animo sincero ac bene sibi conscio. Nam Apostolus more suo praeter fidem exigit charitatem et conscientiam bonam. Itaque non amplius hic exigitur a diaconis, quam a Timotheo illis

verbis cap. 1. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Unde et hic locus ostendit, posse fidem haberi sine conscientia pura, quod hodie sectarii negant.

10. *Et hi autem probentur primum.* Quemadmodum, inquit, episcopum eligi volo, non neophytum, sed multo tempore probatum, ita et diaconi prius probentur, quam ad hoc ministerium assumantur. *Probationem* intellige constantis fidei et vitae inculpatae; praesertim quod diaconis etiam dispensatio thesaurorum Ecclesiae committeretur.

Et sic ministrent nullum crimen habentes. In Graeco ad verbum ita legitur: *Deinde ministrent irreprehensibiles existentes.* Quod duobus modis exponi potest, vel ut in suo ministerio exhibeant se irreprehensibiles, quem sensum dedit Erasmus, dum ita vertit: *Deinde ministrent sic, ut nemo possit illos criminari.* Vel sensus est: Prius probentur, deinde ministrent, postquam probati fuerint et irreprehensibiles inventi. Hunc sensum reddit alia versio: *si sint irreprehensibiles.* Atque ita exponunt post Theophylactum Cajetanus et Sasboldus, idque convenientius. Nam sicut episcopum Apostolus assumi noluit, nisi prius probatum ac repertum irreprehensibilem, ita et nunc de diaconis statuit.

Irreprehensibiles autem intelligit eos, qui nullo notabili vitio laborent, de quibus nemo jure conqueratur, quibus nullum crimen possit impingi. Quamvis enim non idem in Graeco vocabulum sit hic et superius, ubi de episcopo agebatur, res tamen eadem significata est. Quod patet ex Epist. ad Titum, ubi de episcopo loquens, usus est eodem vocabulo, quod hic attribuit diaconis. Tertium vocabulum ejusdem significationis habetur Luc. 1., Phil. 2. et 3., 1 Thess. 2. et alibi, quod interpres vertere solet *sine querela.*

Quod vero dicit: *et sic ministrent,* non sic intelligendum, quasi ad officium diaconi exercendum nihil amplius requiratur; opus est enim ordinatione seu manus impositione, per quam, ut ait Theodoretus, gratiam spiritualem consequantur. Hujus autem non meminit Apostolus, quod scriberet ad episcopum, qui sciebat, neminem nisi ab episcopo ordinatum, diaconum fieri posse. Nam et primis septem diaconis manus ab Apostolis impositae fuerunt Act. 6.

11. *Mulieres similiter pudicas,* scilicet oportet esse. *Pudicas* autem, Graece σεμνάς, id est graves, modestas, castas. De cujus vocis significatione satis jam dictum est. Sed quaeritur, de quibus *mulieribus* loquatur. Ambrosianus in genere de omnibus dictum putat. Sed hunc generalem commentarium contextus ipse sermonis Apostolici, qui proprie de ministris Ecclesiae institutus erat, respuit. Nam et statim post de diaconis sermonem resumit. Quo argumento etiam Chrysostomus rejicit hunc intellectum. Existimat autem, Apostolum loqui de mulieribus, quae ministerii dignitate praeditae erant, et diaconae seu diaconissae vocabantur. Chrysostomi sententiam caeteri Graeci sequuntur, nec non Latini plerique vetustiores, qui et consuetudinis Orientalis, qua mulieres ejusmodi vocabantur *Diaconissae,* meminerunt. Earum vero, quae fuerint officia, late describit Epiphanius haeresi 79., quae est Collyridianorum.

Sciendum est enim, quosdam haereticos ex hoc Apostoli loco erroris occasionem captasse, ut quia continue post diaconos de mulieribus loquitur, etiam ipsas dicant diaconas ordinari debere. Hi Cataphryges erant et Collyridiani. De illis Ambrosianum consule in comment. et Eusebium lib. 5. hist. eccles. cap. 14. De utrisque Epiphanium, Philastrium et Augustinum in catalogo haereseon. Ab his quidem diversae erant Orientales diaconissae, quas dixi, nimirum a Catholicis episcopis institutae et certis ministeriis deputatae, etiam cum aliqua benedictione episcopali, sed et ipsae tandem propter ambitionem et arrogantiam, qua sibi in clero partem aliquam, tanquam laicae non essent, vin-

dicare volebant abrogatae. De quibus videatur Hesselius.

Porro tales in Ecclesia primitiva fuisse videntur quaedam, quarum in Paulinis Epistolis mentio est Rom. 16. et Phil. 4., Phoebe, Prisca, Maria, Tryphosa, Evodia et Syntyche, quarum Phoebe etiam expresso nomine διακονος τῆς ἐκκλησίας, in Graeco vocatur. Verum si de talibus foeminis Apostolus loqueretur, utique officii seu ministerii titulo eas designasset, perinde ut episcopum et diaconos, de quibus jam locutus est.

Itaque probabilius est, ut de uxoribus praedictorum, scilicet episcoporum et diaconorum haec pars accipiatur; cum enim eos uxoratos admittat, putavit etiam de uxoribus praecipiendum, quales esse debeant; quemadmodum et de filiis praecepit, dicens: *filios habentem subditos cum omni castitate.* Nam sicut arcendus est ab episcopatu, qui propter filios male audit, ita et qui propter uxorem, si vel impudica sit, vel obtrectatrix, vel vinosa, vel non probae fidei. Sic exponunt post glossam interlinealem Petrus Lombardus, S. Thomas, Cajetanus, aliique neoterici. Unde nec plane improbandum, quod Erasmus non *mulieres,* sed *uxores* vertit; cum Graeca vox γυναῖκες anceps sit ad utrumque, sed rectius vertisset *mulieres,* quod similiter est anceps.

Non detrahentes. Graece μὴ διαβόλους, id est *non calumniatrices,* quod et Syriacus interpres reddidit. Ambrosianus legit: *non studentes discordiae. Sobrias.* Hentenius *vigilantes* vertit. Atque in eum sensum accipiunt Theophylactus et Oecumenius. Quoniam enim, inquit, facile decipitur mulierum genus; idcirco vigilantes et prudentes esse eas oportet. Theodoretus *sobrias* intellexit, quod magis huic loco convenit. Idem vocabulum est in conditionibus episcopi, ubi et geminum ejus significatum exposuimus. *Fideles in omnibus.* Id est veritatem et justitiam in omni negotio sibi commisso servantes ac neminem defraudantes, nihil surripientes. Hoc ideo fortasse monet, quia penes earum maritos, episcopos ac diaconos, custodia erat pecuniae in pauperes dispensandae.

12. *Diaconi sint unius uxoris viri.* Quem dicat *unius uxoris virum,* expositum est supra. Rationes praecepti eaedem, quae in episcopo: moralis quidem, quoniam et Ecclesiae diaconum oportet esse extra suspicionem incontinentiae; mystica vero, quia et in diacono sacram significationem spectat Apostolus. Nam et Christus Dei Patris διάκονος, id est minister fuit, Rom. 15.; atque ea in re Christum diaconus repraesentat. Unde Ignatius in Epistola ad Trallianos: Quid sunt, inquit, diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes episcopo, sicut Christus Patri, et operantes illi operationem mundam et immaculatam? etc. Sicut ergo Christus pro unica sponsa Ecclesia servivit Patri, sic et diaconum unius dumtaxat uxoris virum esse oportet. *Qui filiis suis bene praesint et suis domibus. Domos* intelligit familias, quo nomine praeter liberos etiam uxores et famuli comprehenduntur.

13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.* Graece et Syriace: *acquirunt,* tempore praesenti, quemadmodum et Ambrosianus legit. Diaconos ad bene ministrandum incitat, spe gradus altioris ac melioris. Quod si, inquit, *bene ministraverint,* id est diaconatus officio bene functi fuerint; viam sibi parabunt ad gradum majorem et honoratiorem, nempe presbyterii vel etiam episcopatus. Hic enim fructus, inquit Cajetanus, suapte natura sequitur bonam administrationem inferioris officii. Sensum hunc plerique reddunt tam Graeci quam Latini, nec male. Nam verisimile est, Apostolum respicere ad quosdam altioris gradus appetentes, quorum causa dixit: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hos submonet, ut prius in inferiori gradu bene ministrent; ita futurum, ut superiore loco dignos se probent. Qua in re accommodat se Apostolus humanis affectibus; ne quis hinc consequens putet, quod liceat episcopatum appetere.

Facit etiam hic locus ad ostendendum, diaconos habuisse partem aliquam in ministerio verbi, et non ad solam pauperum curam ab Apostolis institutos fuisse, sicut adversarii volunt; multi enim ad hoc munus apti sunt, et in eo bene et cum laude versari possunt, qui tamen ad gradus ecclesiasticos presbyterii atque episcopatus inepti sint; utpote scientia rerum divinarum aliisque donis destituti, quae presbyteris et episcopis illo praecipue tempore erant necessaria. Sunt, qui *gradum bonum* interpretentur de profectu et accessione donorum salutarium. Sunt alii, qui sic exponunt: *Gradum bonum,* id est valde egregium, *sibi acquirent,* scilicet in regno coelorum, juxta illud Matth. 25. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Verum ut ista per gradum bonum in Scriptura sacra significentur, insuetum est.

Et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu. Fiduciam, Graece παῤῥησίαν. Quae vox apud Apostolum frequens est. Significat autem libertatem ingenue agendi, quam parere solet mens conscia recti. Ambrosianus interpretatur fiduciam impetrandi a Deo postulata per fidem in Christum, de qua Joannes Apostolus 1 Epist. 3. *Si cor nostrum,* inquit, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et quae sunt placita coram eo, facimus;* et cap. 5. *Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Hanc impetrandi fiduciam, orationis usu et experimento acquisitam, in episcopo requirit Gregorius parte 1. curae pastor. cap. 10.

Alii non minus probabiliter Apostolum exponunt de fiducia seu libertate, qua quis utitur erga homines, nimirum docendo, admonendo, corripiendo, increpando; idque secundum doctrinam fidei, quae est in Christo. Cujusmodi fiducia commendatur in Stephano diacono Act. 6. et 7., quam et a Timotheo et Tito passim, Epistolis ad eos scriptis, Paulus exigit. Ejusmodi fiduciam gignit vita inculpata, morumque integritas. Huc usque de episcopo et diaconis.

Ubi quaeri potest, cur Apostolus inter alia, quae in episcopo et diaconis requirit, nullam fecerit mentionem administrationis sacramentorum, nullam altaris et sacrificii, quod episcopus offerre et cui diaconus assistere debet; nullam denique caeremoniarum, quibus in episcopi, presbyteri et diaconi ordinationibus utendum. Sed prompta responsio est, Apostolum de his omnibus nihil praecipere: Primum, quia faciliora sunt haec atque adeo minora, si universum episcopi et diaconi officium attendatur. Non enim, ut vulgus hominum putat, in hoc praecipue consistit episcopalis aut pastoralis cura, ut sacri ordines suis temporibus conferantur, Ecclesiae consecrentur, baptizati confirmentur, ut caetera sacramenta, quando et quibus oportet administrentur, ac sacrificium missae pro vivis et defunctis offeratur, sed praecipuum episcopi et cujuslibet animarum pastoris munus est praedicatio verbi Dei, teste etiam Apostolo, qui ait 1 Cor. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Sub hoc autem evangelizandi officio comprehenduntur publicae ac privatae exhortationes, admonitiones, correptiones, et ad Deum pro salute gregis commissi frequentes et ferventes orationes.

Altera ratio est, quia ad prudentiam Apostolicam pertinebat, caeremonias ac ritus sacramentales et ea maxime, quae in mysterio missae aguntur, diligenter occultare, ne quo modo proferrentur in publicum atque infidelibus proderentur. Quo consilio etiam Lucas Act. 6. commemorans institutionem septem primorum diaconorum, prorsus tacet de altaris mysterio, tantumque describit officii diaconalis eam partem, quae etiam spectantibus infidelibus exerceri poterat: quale est, viduis ac caeteris indigentibus erogare necessaria. Non ergo debuit Apostolus ea, quae in episcopi et diaconorum ordinatione et officio secretiora sunt, ac proinde sola traditione, sine scripto, dis-

cenda erant, literis in charta exaratis, quae ab unoquoque legi possent et in manus infidelium facile venirent, ulla ratione committere.

14. *Haec tibi scribo.* Quod in quibusdam libris additur: *fili Timothee,* Graeca et Syra exemplaria non agnoscunt, uti nec MSS. Latina probatiora, denique nec editio Clementina. *Sperans me ad te venire cito,* scilicet Ephesum, ubi Timotheus erat. Non promittit, sed sperat; tanquam incertus, ut annotant Graeci. Nesciebat enim, an Spiritus sanctus, a quo profectiones ejus dirigebantur, permissurus esset ipsum redire Ephesum. Nec sane apparet rediisse; nisi quatenus postea presbyteros Ephesinae Ecclesiae Miletum ad se evocavit, ut scribitur Act. 20. Qui epistolam hanc scriptam putant e Phrygia, facile probant, Paulum rediisse Ephesum: nam Act. 18. Phrygiam perambulat, et cap. 19. Ephesum revertitur. Verum non e Phrygia, sed e Macedonia, postquam secundo reliquerat Ephesum, scriptam esse Epistolam, ostendimus in ejus argumento.

15. *Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari.* Pronomen *te,* nec in Graeco legitur, nec in Syriaco. Est enim hic Apostoli sermo non ad Timothei personam restrictus, sed absolutus; quem sic explicare possumus: Haec de singulorum officiis tibi perscribo, non quasi ipse non sim ad vos rediturus; imo spes est fore, ut brevi ad te revertar: sed, si tardius venero, aut forte omnino non venero, ut interim noris, quemadmodum versari oporteat in domo Dei; id est quales esse, et quomodo vivere debeant in domo Dei, qui in ejus ministerio a te constituentur, scilicet episcopi et diaconi. Nam de mulieribus, id est, uxoribus eorum, quales esse debeant, propter ipsos additum est.

Si quis tamen cum Theophylacto voculam *te* supplendam putet, ut moneatur ipse Timotheus, quemadmodum in domo Dei gubernanda ac bonis ministris instruenda versari debeat; sensum attulerit non minus probabilem, quem et Latini plerique reddunt, et interpres Ambrosianus ita expressit: Ut scias quomodo Ecclesiam ordines, quae est domus Dei vivi. Porro quam *domum Dei* dicat Apostolus, ipse consequenter exponit:

Quae est Ecclesia Dei vivi. Graece *viventis. Ecclesiam Dei* vocat *domum Dei;* domum quidem, propter aptam fidelium tanquam partium inter se ordinationem; Dei vero, quia Deus in illa colitur, eamque per gratiam suam inhabitat. Alludit autem ad templum Judaicum; quod suos habebat sacerdotes ac Levitas, quibus praescriptum erat, quomodo ad illius templi ministerium aptare se deberent. Itaque significat, ab iis, qui ministrant in Ecclesia Dei, tanto majores ac veriores virtutes requiri, quanto corpus umbram, et veritas figuram antecellit.

Addit autem Deo epitheton *viventis,* quo distinguat eum a falsis diis, qui aut nunquam vixerunt, ut astra, metalla, lapides; aut mortales fuerunt, ut homines; aut vivunt quidem, sed sic, ut eis melius esset non vivere, ut daemones. Apposite vero *Ecclesiam Dei viventis* nominat, propter effectum, quod in illam a Deo peculiariter ac proprie vita influat. Ea vita est, Deum cognoscere et amare, quomodo cognoscendus et amandus est. Hic Apostoli locus evidenter ostendit, id quod haeretici negant, Ecclesiam Dei visibilem esse et commonstrari posse; perinde ut domum aut familiam principis alicujus, ad quam ministri certis officiis praeficiendi vocantur. Unde commentator Ambrosianus, Ecclesia domus Dei dicitur, inquit, cujus hodie rector est Damasus.

Columna et firmamentum veritatis. Transiturus Apostolus a doctrina morum ad institutionem fidei, adversum haereses muniendae, duo quaedam velut fundamenta praestruit; alterum de auctoritate Ecclesiae, alterum de mysterio Verbi incarnati. Ad declarandam Ecclesiae auctoritatem faciebant, quae dixit, nempe quod sit *domus Dei,* quod *Ecclesia Dei vivi;* quibus non contentus, addit et hunc praeclarum titulum, quod sit *co-*

lumna et firmamentum veritatis; sed quia metaphoricus est hic sermo, quaerenda est ejus intelligentia. Pro *columna* Graece est στύλος, quae vox etiam graphium significat, hoc est, instrumentum scriptorum, quo solent antiquitus scribere in tabulis ceratis. Latini ex Graeco *stylum* vocant. Hac significatione dici potest *Ecclesia stylus veritatis;* quia per eam, velut per instrumentum certissimum, Deus doctrinam veritatis inscribit cordibus hominum.

Verum longe usitatius est Graeco vocabulo *columnam* significari; quomodo idem Apostolus ea voce utitur Gal. 2., de quibusdam dicens: *qui videbantur columnae esse.* Et quidem ea significatio praesenti loco magis congruit; praesertim quia pro explicatione sequitur, *et firmamentum veritatis.* Nam pro *firmamento,* Graece est ἑδραίωμα, id est *fulcimentum*, seu *stabilimentum*, ut alii verterunt. Est enim vox diversa ab ea, quae initio Genesis et alibi habetur apud LXX. nimirum στερέωμα. Pro qua Latini passim firmamentum legunt, licet Hebraea vox expansionem significet.

Sensus igitur Apostoli est: Ecclesiam esse columnam et fulcimentum veritatis; quia sicut columna supposita sustentat, firmat et fulcit aedificium, ne corruat, ita Ecclesia veritatem, hoc est, doctrinam fidei Christianae sibi concreditam sustentat et conservat, ne corrumpatur aut pereat; ut si quis veritatem quaerat, non alibi certius quam in Ecclesia, quae firmissima basis et certissima custos est veritatis, eam sit reperturus. Hunc sensum praeter Catholicos commentatores etiam Pelagius dedit. Nam post haec verba, *columna et firmamentum veritatis,* pro scholio subjicit: *In qua sola veritas stat firmata; quae sola sustinet aedificium.*

Hinc jam manifeste liquet contra nostri temporis haereticos, Ecclesiam Christi, eamque visibilem, in qua sunt episcopi, presbyteri, diaconi per Timotheum aliosque Apostolorum successores ordinati, et in qua Petri, Damasique successor praesidet, in doctrina fidei errare non posse; et proinde veritatem hujusmodi doctrinae ab ea petendam esse: id quod inter alios copiose docet et declarat Apostolicus scriptor Irenaeus lib. 3. contra haereses cap. 3. et 4. Et lib. 4. cap. 63. Liquet etiam, generale concilium a Petri successore confirmatum, in iis, quae fidei sunt, errare non posse. Cum enim ejusmodi concilium Ecclesiam repraesentet, et ab eo omnes alii fideles doctrinam salutis accipere debeant; utique consequens foret, tam in praecipuis membris, quam in minoribus Ecclesiam errare, si ejusmodi Concilium erraret. De eadem re consule Joannem Hesselium commentantem in hunc locum.

Sed quaeres, unde Ecclesia habeat, quod sit columna et firmamentum veritatis? Respondeo, id eam habere a Christo, per promissiones infallibiles ipsi Ecclesiae et Petro capiti ejus factas; quas hoc loco non opus est commemorare. Rursum quaeres, quomodo Ecclesia sustentet veritatem; cum ipsa potius per veram doctrinam sustentetur et contineatur? Sed facilis est responsio, nihil haec pugnare, sed alterum esse alterius causam. Per hoc enim Ecclesia veritatem sustentat, aliisque indefectibiliter ministrat, quoniam ipsa, juxta promissiones sibi factas, in veritate firmatur a Deo, et per eandem veritatem conservatur, quam rem pulcre explicat Beda super illud Prov. 9. *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Atque idipsum satis indicant Graecorum commentarii in praesentem locum.

16. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum. Manifeste*, Graece ὁμολογουμένως, id est *ex confesso;* quod Erasmus et alii verterunt, *citra controversiam.* Ambrosianus interpres sententiam ita reddidit: *Et quidem omnium confessione magnum est pietatis mysterii sacramentum.* Quia dixerat Apostolus, Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis; ipsam nunc veritatem, quae sit, explicat, scilicet ejus doctrinae, quae est de mysterio Dominicae incarna-

tionis; non quod hoc solum doceat Ecclesia, sed quod in eo praecipue consistat religio Christiana; ut proinde etiam in eo praecipue versetur Ecclesiae doctrina. Nam pauca verba: Deus homo; sed quibus summa religionis nostrae concluditur. Eam doctrinam vocat *mysterium*, id est *arcanum*, quod noster interpres vertit *sacramentum*, non quia jam latebat; testatur enim ipse Apostolus confessum et manifestatum esse et creditum in mundo: sed quia a saeculis absconditum fuerat et aliis retro generationibus incognitum; ut idem Apostolus loquitur Ephes. 3.

Quanquam et nobis, quibus manifestatum est, adhuc mysterium dici potest: tum quia non potuit nobis innotescere nisi per revelationem Spiritus sancti: *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum suum*, ait Apostolus 1 Cor. 2., tum quia hoc ipsum, quod cognoscimus, magis admiramur, quam intelligimus. Nativitas enim Domini nostri Jesu Christi superat omnem intelligentiam, teste Leone serm. 10. in Natali Domini. *Magnum* vero *mysterium* dicitur, quia de re magna. *Pietatis* autem *mysterium*, quia vera pietas et religio, qua Deus colitur, in hujus mysterii fide potissimum fundata est. Quod contra Judaizantes aliosque haereticos dicitur, qui veram pietatem extra Christum sibi vendicabant.

Nonnulli pietatis sacramentum interpretantur, in quo Deus suam declaraverit pietatem, id est pium ac benignum affectum erga genus humanum. Sed repugnat vocabulum Graecum εὐσέβεια, quo pietas hominis Deum colentis significatur, nunquam vero pietas seu benignus affectus Dei erga hominem. Porro magnum hoc pietatis sacramentum sequentia verba particulatim explicant.

Quod manifestatum est in carne. Graeci codices, suffragantibus etiam Graecis expositoribus constanter legunt: *Deus manifestatus est in carne.* Similiter et caetera, quae sequuntur, ad Deum referunt. Consentit et Syriaca versio, quae sic habet: *Et vere magnum est mysterium hoc justitiae, quod Deus revelatus est in carne* etc. Verumtamen tam Latini, quam Graeci in eo conveniunt, quod partem hanc cum sequentibus in Christi personam interpretentur. Et quidem secundum Graecam lectionem locus hic aperte Christi deitatem astruit. Unde et olim Nestorianus quidam Macedonius tentavit, hanc Apostoli sententiam additione seu mutatione quadam corrumpere, quemadmodum refert Liberatus diaconus in breviario suo cap. 19. *Caro*, synecdochice naturam significat humanam, ut alibi saepe; cum quadam tamen insinuatione mortalitatis, infirmitatis ac miseriae. Sic enim Apostolus de Christo dicit Heb. 5. *Qui in diebus carnis suae* etc., quasi jam non sit amplius in diebus carnis; et de seipso Gal. 4. *Tentationem vestram in carne mea non sprevistis.* Sensus igitur Apostoli est: Deum in humana natura, eaque miseriis obnoxia, a se assumpta, palam ab hominibus visum, et cum iis conversatum esse, juxta illud: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus* etc.

Quod vero ad lectionem Latinorum attinet, plerique *mysterium, quod manifestatum est in carne*, Christum incarnatum interpretantur: videlicet *mysterii* nomine Christum ipsum intelligentes metonymice, quia mysterium de Christo est, ut objecto; itemque voculam *quod* exponentes relative ad mysterium. Verum fortassis interpres *quod* accepit, ut est conjunctio determinativa, velut ibi: *Scio, quod redemptor meus vivit*, ut sensus sit: Magnum esse pietatis sacramentum, quod Deus, aut Christus, aut Verbum Dei, manifestatum sit in carne. Sciendum est enim, pro *manifestatum est*, in Graeco verbum esse ἐφανερώθη, quod omni generi servit. Et quamvis Apostolus hoc loco non addidisset suppositum *Deus*, quod habetur in Graeco, tamen ex praecedentibus intelligendum ac supplendum videretur: nam praecedit, *pietatis sacramentum* seu *mysterium*, quod de Christo plerosque accipere jam diximus. Conjecturam hanc nostram de conjunctione

quod, confirmat textus Syriacus supra citatus. Jam quod monui de verbo Graeco *manifestatum est,* indifferente ad omne genus; aeque locum habet in sequentibus, *justificatum est, praedicatum est, creditum est, assumptum est.*

Justificatum est in spiritu. Deum hominem, id est *Christum, in spiritu justificatum* intelligunt quidam hoc sensu, quia sicut de Spiritu sancto conceptus est, ita ab initio conceptionis a Spiritu sancto justus et sanctus fuit effectus, adeo ut nullum unquam peccatum habuerit aut fecerit. Sed hic commentarius duplici ratione displicet. Primum, quia *justificari* pro eo, quod est justum fieri, nusquam alibi Christo attribuitur, sed passim nobis per Christum. Deinde, quoniam etsi Christo tribueretur, nihil tamen singulare de Christo significaret, cum sit omnibus hominibus justis commune, quod sint justificati, id est justi facti in spiritu. Nam quod addunt, ab initio conceptionis, et ita ut nunquam peccaverit, in justificationis ratione non continetur.

Rectius igitur alii, tam Graeci quam Latini, *Christum justificatum in spiritu* interpretantur, quia per spiritum declaratus est justus et verax in operibus et doctrina; atque ab omnibus Judaeorum calumniis absolutus. Nam in scriptura frequentissimum est *justificari* pro eo, quod est justum declarari, et in judicio absolvi. Ita Christus justificatus est in spiritu multipliciter; ut per testimonia divinitus exhibita in ejus nativitate, et baptismo, et alias; sed praecipue per innumera miracula, quae fecit virtute Spiritus sancti, juxta id quod ipse ait: *Si ego in spiritu Dei ejicio daemones.* Matth. 12. Hic modus justificationis secundum scripturam Deo convenit: unde et dicitur Psalm 50. *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Quo pertinet et illud Psalm. 18. *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*

Sed potissimum huc facit, quod in Evangelio legimus, *justificatam esse sapientiam ab omnibus filiis suis;* scilicet adversus calumnias obtrectantium. Matth. 11. et Luc. 7. Quo etiam posteriore loco diserte dicitur, quod populus et publicani justificaverunt Deum, Pharisaeis et legisperitis consilium Dei spernentibus. Hoc igitur brevius et obscurius hic a Paulo dictum est, quod plenius et clarius expressit Petrus Act. 2. dicens: *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis: quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis.* Haec nimirum est illa Christi justificatio, quam in ejus persona jam olim praedixerat Jesaias cap. 50. *Juxta est, qui justificat me: quis contradicet mihi?*

Apparuit angelis. Graece et Syriace: *Visus est angelis,* Ambrosiano textu adstipulante. Sensus est, Deum hominem ab angelis visum fuisse, quem antea non viderant: ut etiam in angelos commpetat, quod de hominibus a Christo dictum: *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis* Luc. 10. et de quo Joannes, in persona Apostolorum, sibi gratulabatur, dicens: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Viderunt autem angeli Deum hominem oculis intellectualibus, non solum quando conspexerunt nascentem, esurientem, docentem, miracula facientem; probra, verbera, vulnera patientem usque ad supplicium et mortem crucis, denique resurgentem et super omnes coelos ascendentem: verum etiam quando postea clare per rerum evidentiam cognoverunt fructum incarnationis et passionis ejus, in vocatione et conversione gentium. De hoc enim mysterio angelis patefacto sic loquitur Apostolus Ephes. 3. *Ut innotescat principibus et potestatibus in coelestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Atque haec sunt illa nostrae religionis arcana, in quae desiderant angeli prospicere 1 Pet. 1.

Locum hunc Ambrosianus commentator de malis angelis, id est daemonibus, ab errore conversis intellexisse videtur. Sic enim habet: *Ut agnoscentes angeli mysterium, quod prius latuit, declara-*

tum in carne, genu illi flectentes, quasi Deo gratias agant, quia didicerunt veritatem, quae gentibus praedicata est, ut ab errore liberarentur. Quamvis enim hoc, quod dicit, *ut ab errore liberarentur,* referri possit ad gentes, tamen potius ad angelos referendum, si conferatur cum ejusdem auctoris commentario super illud Eph. 3. *Ut innotescat principibus* etc. Ubi similia manifesto dicit de angelis malis, quod et nos eo loco admonuimus. Est enim error cavendus et ad damnata Origenis dogmata rejiciendus.

Praedicatum est gentibus. Gentes more Scripturae intelliguntur extra populum Judaicum, de quibus ita Paulus Act. 14. *Deus,* inquit, *in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Pertinet igitur ad magnum pietatis sacramentum, quod gentibus olim a Deo derelictis in tantum, ut juxta eundem Apostolum Ephes. 2. essent sine Deo in hoc mundo, praedicatus est Christus Deus et homo, nec quomodocunque praedicatus, sed cum eo successu, qui declaratur verbis sequentibus:

Creditum est in mundo. Licet non omnes, quibus Christus praedicatur, in eum credant; tamen quacunque gentium pervasit Christi praedicatio, pervasit et fides. Atque hoc est, quod ait: *Christum* Deum et hominem *creditum esse in mundo,* id est per universum mundum, ubicunque fuit praedicatus. Sic de Evangelio dicit Col. 1., quod in universo mundo est, et fructificat et crescit.

Assumptum est in gloria. Videri potest ordo praeposterus, cum prius sit Christum in gloria assumptum esse, quam in mundo creditum. Verum Apostolus non temporis spectavit ordinem, sed rationem reddere voluit ejus, quod dixerat: *creditum est in mundo,* quasi dicat: Non temere nec inaniter mundus in Christum sibi praedicatum credidit, quandoquidem ille jam in coelum assumptus est, cum ea gloria, ut sedeat ad dexteram Patris. Sic enim hanc gloriam explicat Marcus cap. ult., dicens: *Et Dominus quidem Jesus assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Simul autem innuit Apostolus, eos, qui in Christum crediderunt, vocari ad ejusdem gloriae cum Christo participationem; juxta id, quod ait Eph. 2. *Conresuscitavit nos et consedere fecit in coelestibus in Christo.* Nam quo praecessit gloria capitis, ait Leo Pontifex, eo spes vocatur et corporis. Quum autem Christus propria virtute tam humana quam divina ascenderit in coelum; *assumptus* tamen dicitur, non tanquam externo ministerio adjutus, quemadmodum Elias curru igneo raptus legitur, sed assumptus ab unita sibi divinitate. Quanquam alii *assumptum* dici volunt, id est interventu nubis sublatum e conspectu hominum, testante Luca Act. 1., quod *nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

CAPUT QUARTUM.

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide [1]), attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, 2. in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam [2]), 3. prohibentium nubere [3]), abstinere a cibis [4]), quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et iis, qui cognoverunt veritatem [5]). 4. Quia omnis creatura Dei bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur [6]):

---

[1]) Act. 20, 29. 30. 2 Tim. 3, 1.—4. [2]) Tit. 3, 11. [3]) Col. 2, 8. 18. [4]) Col. 2, 16. 23. Rom. 14, 2. [5]) Rom. 14, 6. 14. [6]) Matth. 15, 11.

5. sanctificatur enim per verbum Dei[1]) et orationem[2]). 6. Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es[3]). 7. Ineptas autem et aniles fabulas devita[4]): exerce autem teipsum ad pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio[5]) ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae[6]). 9. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. 10. In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum[7]), maxime fidelium[8]). 11. Praecipe haec, et doce. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat[9]), sed exemplum esto fidelium[10]), in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 13. Dum venio, attende lectioni[11]) exhortationi et doctrinae. 14. Noli negligere gratiam[12]), quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii[13]). 15. Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 16. Attende tibi[14]), et doctrinae: insta in illis[15]). Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Praedicit exorituras haereses, docet omnem creaturam Dei bonam esse: pietatis exercitium ante omnia requirit: admonet Timotheum, ne gratiam negligat divinitus acceptam.

1. *Spiritus autem manifeste dicit.* Egit Apostolus cap. 1. hujus Epist. contra Judaizantes: hic vero, post stabilitam Ecclesiae auctoritatem et breviter expositum magnum pietatis mysterium, velut praecipuum Christianae religionis fundamentum, jam instruit ac praemunit Timotheum atque in eo totam Ecclesiam adversus haereses quasdam exorituras, Judaismo quidem aliqua ex parte similes, at simpliciter deteriores. *Spiritus sanctus,* inquit, futurorum praescius, *dicit* et annuntiat, sive per me sive per alios, quos inspiravit. *Dicit,* inquam, *manifeste,* Graece ῥητῶς, id est expresse, diserte, plane ac sine aenigmate; vocabulum diversum ab eo, quod itidem paulo ante verterat interpres *manifeste.*

Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide. Graece non est ἐσχάτοις, qua voce alibi saepe Scriptura utitur ad designandam ultimam mundi aetatem, quae ab Apostolorum tempore protenditur usque ad diem extremi judicii. Nam etiam de suo tempore Joannes Apostolus scribit 1. Epist. 2. *Filioli, novissima hora est.* Et iterum: *Nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.* Verum hoc loco Graece ὑστέροις est, *posterioribus,* id est *subsequentibus temporibus.*

Quod ita potest accipi, ut non quodcunque tempus futurum significetur, sed quod proxime instet, jamque sit prae foribus, quasi dicat Apostolus: Tam brevi haec futura Spiritus praedicit, ut

---

1) Act. 10, 11. seq. 2) Rom. 14, 22. 23. 3) 2 Tim. 3, 14. 4) Cap. 1, 4. 5) Vers. 3. 6) 1 Cor. 9, 25. Matth. 6, 33. 7) Tit. 2, 11. 8) Luc. 18, 7. 8. 9) 1 Cor. 16, 11. 10) Act. 20, 28. 11) Act. 17, 11. 2 Tim. 3, 16. 12) 1 Cor. 12, 7. 13) Act. 6, 6. 8, 17. seq. 9, 30. 2 Tim. 1, 6. 14) Act. 20, 28. 15) 2 Tim. 3, 14. seq.

jam nunc tibi, Timothee, adversus ea sit vigilandum. Unde Act. 20. Timotheum cum reliquis Asiae episcopis jam ante praemonuerat, dicens: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.* Ex quibus sane liquet, Apostolum loqui de tempore jam instante.

Alii putant, *novissimum* et *posterius* ab Apostolo non distingui. Quod enim hic ait: *in posterioribus temporibus,* in 2. Epist. cap. 3. dicit: *in novissimis diebus,* cum et ibi loquatur de malis quibusdam hominibus adeo brevi exorituris, ut eos etiam ipsi Timotheo vitandos denuntiet. Hoc modo *novissimum* etiam alibi non raro accipitur, ut Matth. 27. *Et erit novissimus error pejor priore,* Luc. 14. *Tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere.* Sic Christus 1 Cor. 15. vocatur *novissimus Adam.* Et Gen. 40. Jacob Patriarcha annuntiaturum se dicit filiis suis, quae ventura esset *in diebus novissimis,* cum tamen multa ex illis ante ultimam mundi aetatem fuerint impleta, quamvis et ibi LXX. scripserunt ἐσχάτων. Item Dan. 2. *Deus indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quae ventura sunt in novissimis diebus,* id est quid esset futurum post haec, sicut infra sequitur. Pro verbo *discedent,* Graece illud est, a quo derivatur ἀποστασία, id est defectio. Proinde alii significantius vertunt: *deficient* sive *desciscent quidam a fide,* id est deserent fidem Christianam semel susceptam. Id quod haereticorum est et apostatarum.

Attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum. Graece *Spiritibus impostoribus* seu *deceptoribus.* Ambrosianus legit *fallacibus,* Augustinus *seductoribus* lib. 15. contra Faustum cap. 10. Videtur interpres pro πλάνοις, quod in multis Graecis est, legisse πλάνης, quod est in Complutensibus et aliis nonnullis, id est *erroris,* tametsi in sensu non est diversitas. Nam *spiritum erroris* apud Joannem legimus 1. Epist. 4. pro spiritu deceptore, cui e diverso opponit spiritum veritatis. Porro *spiritus impostores* Chrysostomus interpretatur ipsos homines, nimirum falsos doctores et Prophetas. Pro quo sensu facit illud Joannis Apostoli loco memorato: *Omnis spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus.* In quibus utique verbis satis apparet, spiritum intelligi hominem doctorem, seu verum seu falsum.

Alii *spiritus erroris* daemones intelligunt. Hos enim Scriptura spiritus mendaces appellat 3 Reg. ult. et alibi. Favet etiam, quod hic additur: *et doctrinis daemoniorum.* Sed, hoc non obstante, prior sententia magis placet. Attendunt enim homines spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, dum aures praebent magistris ea docentibus, quae daemonibus suggerentibus didicerunt. Omnis enim haeretica doctrina ex diabolo est, ut idem Chrysostomus ait.

2. *In hypocrisi loquentium mendacium.* Graece una composita dictio est ψευδολόγων, *mendaciloquorum,* ut Augustinus, *falsiloquorum,* ut Ambrosianus legit. Caeterum genitivus iste, si grammaticam syntaxim verborum Apostoli urgeamus, videbitur prima fronte non alio referri posse, quam ad genitivum praecedentem *daemoniorum.* Unde quidam etiam per *daemonia* homines a daemonibus inspiratos intellexerunt. Constat enim hanc partem cum sequentibus ad homines pertinere. Verum quia praeter usum Scripturae est, ut appellatio daemonum seu daemoniorum tribuatur hominibus: idcirco isti genitivi posteriores non referuntur ad substantivum *daemoniorum,* sed per se sumuntur tanquam substantive positi, ut aeque propinque dependentes a vocabulo *doctrinis,* velut cum dico: Liber officiorum Ciceronis, id est, qui est Ciceronis. Ita sensus erit: Attendentes doctrinis daemoniorum; doctrinis, inquam, hominum in hypocrisi loquentium mendacium etc. Sicut enim

idem liber est Officiorum, ut subjecti seu materiae, et Ciceronis, ut auctoris: ita eaedem doctrinae daemoniorum sunt, velut suggerentium, et hominum hypocritarum, velut proferentium ad alios. Haec constructio clarior erit, si priorem genitivum intelligamus more Hebraico esse positum, pro epitheto seu adjectivo, quasi dicat: Attendentes spiritibus erroneis et doctrinis daemoniacis seu diabolicis, hominum in hypocrisi loquentium mendacium.

Jam quod ait *in hypocrisi*, id est per simulationem aut cum simulatione, id Graeci ad doctrinam referunt, quasi sentiat Apostolus, impostores illos non per ignorantiam, sed simulate falsa locuturos, cum veritatem non ignorent. At hoc pacto non essent haeretici, neque quod Apostolus affirmat, a fide discederent, nisi verbotenus. Quare magis placet hypocrisin seu simulationem referri ad opera in speciem pia, per quae sanctitatem mentientes, doctrinam suam hominibus commendent, juxta illud Evangelicum: *Venient ad vos in vestimentis ovium*, Matth. 7. Unde de talibus idem Apostolus in 2. Epist. cap. 3. dicit: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem abnegantes.* Congruit huic sensui, quod mox subjicitur de nuptiis et usu quorumdam ciborum ab illis damnando. Nam ejusmodi doctrina magnam ostendit speciem castitatis et temperantiae.

Et cauteriatam habentium suam conscientiam. Cauteriatam, id est inustam ac notatam cauterio; sumpta metaphora a maleficis, qui ferro candente notari solent, stigmatis cuti impressis. Sic isti, cum sancti haberi velint, tamen conscientiam gerunt impurissimae vitae maculis indelebiliter notatam. Sunt, qui putent Apostolum respicere ad id, quod facturi erant Carpocratiani haeretici, de quibus referunt Irenaeus lib. 1. cap. 24. et Epiphanius in eorum haeresi, quod suos discipulos cauterio notare soleant in superiori parte auriculae dexterae, quasi dicat Apostolus: sicut aurem habebunt cauteriatam, ita et conscientiam. Bene autem hypocrisin conjungit cum mala conscientia; nam quicumque virtutem simulat, eo ipso sibi testis est, se ea carere.

3. *Prohibentium nubere.* Graece γαμεῖν, id est contrahere matrimonium. Illud autem *nubere,* foeminis proprium est communi Latinorum usu: tametsi et viris interdum tribuatur.

Abstinere a cibis. Non hic repetendum *prohibentium,* sed supplendum verbum ei oppositum *praecipientium* seu *jubentium,* uti factum ab Erasmo. Nam tales exorituros sentit Apostolus, qui et prohibeant nubere, et praecipiant a certis cibis abstinere. Hujusmodi phrasim, qua vel contrarium ejus, quod praecessit, vel diversum aliquid in posteriori subauditur; etiam alibi in Scripturis observare est, ut Psalm. 120. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Jacob 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua.* 2 Cor. 5. *Per fidem ambulamus et non per speciem.* Contendit quidem Oecumenius nihil opus esse diversi verbi supplemento, cum Attice et eleganter dicatur: *prohibentium abstinere a cibis,* hoc est, prohibentium, ut abstineatur a cibis. Sed exempla, quae profert, non id videntur efficere. Certe Theophylactus, et ipse Graecus, Atticismum hic non agnovit, sed Apostoli sententiam supplendam docet eo modo, quo diximus. Augustinus lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. cap. 1. locum hunc ita citat, quasi scripserit Apostolus: *prohibentium nubere, abstinentium a cibis* etc. Quae lectio perspicuum habet sensum, sed non convenit cum Graeco textu.

Videndum nunc, in quibus haereticis haec Apostolica praedictio completa sit: ex quo simul intelligetur, quam improbe et calumniose totum hunc locum ad Ecclesiam Catholicam ejusque praefectos detorqueant hodierni ejusdem Ecclesiae desertores, ob id, quod illa continentiam exigat ab initiatis et monachis, quodque certis temporibus abstinendum praecipiat a certis cibis. Primum constat, Apostolum loqui de iis, qui nuptias toto genere

damnaturi essent ut malas et illicitas; quique certa genera ciborum rejecturi tanquam per se immunda. Liquet hoc ex ipsis Apostoli verbis, quibus absolute dicitur: *prohibentium nubere, abstinere a cibis.* Magis autem ex iis, quae proxime sequuntur, ubi ex eo, quod omnis creatura Dei bona sit, ostendit, nullum cibum rejiciendum esse, scilicet ut malum et immundum. Id enim est, quod alibi, de cibis agens, inculcat: *Omnia esse munda,* Rom. 14. et Tit. 1. De nuptiis vero sic Augustinus tract. 9. in Joannem: *Futuri erant,* inquit, *de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, et dicentes, quod malae essent nuptiae, et quod diabolus eas fecisset.* Hunc eundem Apostoli scopum et mentem explicant omnes ejus commentatores tam Graeci quam Latini.

Et quidem varias nominant antiquas haereses, in quas plane quadrent Apostoli verba; qualis vel maxime fuit Manichaeorum, qui et nuptias damnarunt velut inventum diaboli; et multa ciborum genera repudiabant, quod a malo Deo creata dicerent; et vinum aversabantur, tanquam fel principis tenebrarum. Haec enim et hujusmodi de Manichaeis tradunt Epiphanius, Augustinus, aliique veteres. Neque tamen Manichaei primi fuerunt hujus diabolicae doctrinae praecones: nam ante eos Encratitae et Marcionitae, Chrysostomo teste, similia docuerunt; quibus Ambrosianus Patricianos adjungit.

Sed quoniam Apostolus ad Timothei cautelam haec scribit, ut adversus eos, qui talia docturi erant, intelligat sibi vigilandum esse; facile patet, eum non ad remotiora solum tempora, sed etiam ad proxima respexisse. Conferantur quae dicta sunt ad v. 1. Fuerunt enim et ipsis Apostolorum temporibus, qui cibos quosdam et nuptias abominarentur; de quibus Ignatius in epist. ad Philadelphios, post damnatam Ebionis haeresim: *Si quis,* inquit, *universa haec confiteatur, sed legitimam commixtionem et liberorum procreationem corruptelam et pollutionem appellat; aut cibos aliquos detestandos putat: talis apostatam illum draconem in se habitantem fovet.* Ac rursum in eadem epistola: *Uxores,* inquit, *maritis subditae sint in timore Dei; Virgines Christo, in incorruptione, non abominantes nuptias, sed id quod praestantius est amplectentes; non in calumniam matrimonii, sed ut liberioribus animis divinae legis meditationi vacent.* Haec Ignatius vir Apostolici temporis. Ex quibus verbis apparet, ipsum Ebionem fuisse ejusmodi dogmatum assertorem ac magistrum, etsi non solum. Nam Irenaeus lib. 1. cap. 22. Saturnino ejusque symmystis illa tribuit, ita de eis inter alia scribens: Nubere et generare a Satana dicunt esse. Multi autem ex iis, qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, perfecta hujusmodi continentia seducentes multos. Refert eadem de Saturnino Theodoretus lib. haereticarum fabularum; quemadmodum et de Ebione Epiphanius haer. 28.

Hos igitur, atque alios ejusdem temporis haereticos, ab Apostolo praenuntiatos hoc loco fuisse, plusquam virisimile est; tametsi valet ejus doctrina ad condemnationem omnium sequentium, qui similia docuerunt. Unde Manichaei videntes haec Apostoli verba planissime contra se facere; negabant ea a Paulo scripta, dicentes libros evangeliorum et epistolarum Apostolicarum multis locis esse falsatos; uti legitur apud Augustinum lib. 30. contra Faustum Manichaeum cap. 1. et 2. ipsius Fausti verbis.

Patet igitur ex his omnibus, quam perverse locum istum interpretentur hujus saeculi Novatores, cum ex eo legem ecclesiasticam coelibatus sacerdotum, et quorundam ciborum certis diebus praescriptam abstinentiam, suggillant, velut doctrinam daemoniorum. Etenim longe aliud est nuptias damnare, et cibos quosdam ut suapte natura malos et immundos refugere, quam ut daemoniorum doctrinam merito Paulus insectatur: aliud, abstinere a nuptiis, studio perfectioris continentiae; aut a cibis quibusdam, studio temperantiae aut castigandae carnis. Quod

utrumque, sive simpliciter, sive ex voto fiat, recte sancteque fieri nemo nisi haerecticus negaverit. Nec vero prohibet Ecclesia nuptias, dum ad sacros ordines homines uxoratos non admittit, aut continentiam professos ad vota Deo reddenda compellit: nihilo magis quam princeps dicendus sit vel agriculturam prohibere, si ad militiam agricolas admittere nolit; vel suos subditos bonis spoliare, dum cogit eos solvere debita. Paulus ipse hac eadem Epistola capite sequenti damnat *viduas, quae primam fidem irritam facientes nubere volunt;* neque tamen nuptias damnat aut prohibet.

Et certe rem bonam justis ex causis ad tempus aut in perpetuum prohiberi cuipiam posse, nulli dubium est. Ita medicus febricitanti usum vini interdicit. laudantur et Rechabitae Jerem. 35., quod perpetuam vini abstinentiam sibi a patre indictam servassent. Imo, prima lex homini data a Deo lex fuit abstinentiae a fructu arboris, re utique bona ac Dei creatura. Non igitur rerum bonarum prohibitiones in universum damnandae sunt, sed interest, quam ob causam et quo fine aliquid prohibeatur. Quod dum adversarii nostri discernere nolunt, antiquas haereses per calumniam nobis impingunt, ipsi veteres haereses resorbentes.

Fecit idipsum jam olim Jovinianus haeresiarcha, cujus haec ad Catholicos verba refert Hieronymus lib. 1. adversus eum scripto. Manifestum est, inquit, vos Manichaeorum dogma sectari, prohibentium nubere et vesci cibis, quos Deus creavit ad utendum. Sed huic calumniae tum Hieronymus ibidem, tum Augustinus lib. 2. de nuptiis et concup. cap. 5. et lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 2. liquido responderunt. Idem Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 5. et 6. luculente distinguit inter Manichaeos nuptiarum et ciborum quorumdam criminatores, et inter Catholicos pietatis et abstinentiae causa a nuptiis ac certis cibis abstinentes. Qui locus lectu dignus est, utpote mire conducens ad hujus Apostolicae doctrinae germanam intelligentiam, simul et ad retundendam haereticorum nostri temporis impudentiam, qua Scripturam hanc contra sensum omnium veterum atque ipsius Apostoli in Catholicos contorquent. Nec minus dignus lectu ejusdem sancti Augustinus locus contra Adimantum cap. 14. Illos, ait, proprie designat Apostolus, qui a carnibus temperant non propterea, ut concupiscentiam refraenent; et quae seq.

Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. His et sequentibus verbis seipsum declarat Apostolus. Dicens enim, *quos Deus creavit,* significat, nullos cibos per se malos aut immundos esse, quum sint a Deo creati. Addit autem *ad percipiendum,* Graece *ad sumptionem,* ut legitimum usum demonstret, gulamque ac delicias excludat. Nam, ut annotat Theophylactus, sumptio mediocritatem habet, deliciae vero et luxus immoderationem. Addit autem *cum gratiarum actione,* scilicet Deo creatori et largitori referenda, quia indigni sunt Dei beneficiis, qui ea cum gratiarum actione non suscipiunt.

Fidelibus et iis, qui cognoverunt veritatem. Posterior pars exegetica est prioris. *Fideles* enim sunt ii, *qui veritatem* divinitus manifestatam *cognoverunt.* Hos autem opponit infidelibus, tam haereticis, quam aliis veritatem, de qua hic agitur, ignorantibus. Dativus *fidelibus* etc. regitur a verbo *creavit,* non quod infideles Deus exclusos velit ab usu et perceptione suae creaturae, qui *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* Matth. 5., et qui *dat escam omni carni* Psalm. 135., quique *benefaciens omnibus gentibus, de coelo dat pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda eorum* Act. 14.; sed ideo solos fideles nominat, quoniam caeteri partim vanis ac superstitiosis suis legibus semetipsos privant creaturis Dei, ut haeretici, et inter Philosophos Pythagorici, partim non eo modo, quo debent, utuntur, id est cum sobrietate et gratiarum actione, ut omnes infideles.

4. *Quia omnis creatura Dei bona est.*

Pars ista secundum Graecos interpretes, quibus annuit Erasmi versio, connectenda est cum praecedenti ad hunc modum: *Qui cognoverunt veritatem*, hanc nimirum, *quod omnis creatura Dei bona sit.* Eam veritatem divina Scriptura clarissime expressit, Genes. 1. *Vidit Deus,* inquit, *cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Veritatem hanc ignorant, qui cibos aliquos natura seu creatione malos esse docent.

Et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Contextus sermonis et sensus hujusmodi est: *Qui cognoverunt, omnem creaturam Dei bonam esse, et proinde, quod ad cibos attinet, nihil rejiciendum, quod sumitur cum gratiarum actione. Rejiciendum,* inquam, ut per se malum aut immundum. Infertur enim haec pars ex antecedente illa: *Omnis creatura Dei bona est.* Atque hunc intellectum confirmat vox Graeca ἀπόβλητον, id est *rejectaneum,* quasi per se malum. Nam alioquin ea, quae noxia corporibus et insalubria sunt, recte tanquam nobis mala rejicimus, etsi simpliciter bona sint. Est autem similis ratio de iis, a quibus ob aliquam causam aut Deus ipse, ut primo homini et Judaeis, aut Ecclesia Dei, ut nobis Christianis, abstinendum esse praecepit. Rejiciuntur enim haec a filiis obedientiae, non ut secundum se mala, sed ut lege vel divina vel ecclesiastica vetita. Rursus autem addit: *Cum gratiarum actione,* quia quamvis sumentis ingratitudo cibum non coinquinet, ipsa tamen sumptio per illam inficitur et immunda redditur; aut certe, quia gratiarum actio protestatio quaedam est cibum, qui percipitur, esse datum a Deo, ac proinde bonum et non rejiciendum.

5. *Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Graeci putant, hic latere concessionem rhetoricam, quasi dicat Apostolus: Sed demus aliquid esse immundum, habes antidotum in promptu, signum crucis imprime, gratias age Deo, et statim abscedet omnis immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Obstat huic sensui, quod res per se mala sanctificari non possit. Unde magis placet eorum sententia, qui hic occupationem esse dicunt. Poterat enim aliquis fidelis dicere: Nulla quidem creatura Dei per se mala est aut immunda; sed tamen per primam transgressionem, qua homo se subjecit diabolo, etiam ea, quae hominis sunt, ita in potestatem diaboli venerunt, maxime quae ad cibum et potum spectant, ut per ea nocere homini possint, tam spiritu quam corpore. Quod ergo remedium adversus hoc malum? Respondet Apostolus, nihil esse periculi *fidelibus et cum gratiarum actione percipientibus,* quoniam quod ab iis sumitur, *per verbum Dei et orationem sanctificatur.* Merito namque sanctificari censetur, quod potestati diaboli subtrahitur, ne per illud aut corpori noceat, aut ad commessationes et ebrietates incitet. Sic enim quodammodo mundatur, et sancto fidelium usui paratur, ut bene Petrus Lombardus in commentario explicat.

Fit autem haec *sanctificatio per verbum Dei et orationem. Verbum Dei* quidam interpretantur verba sacra e Psalmis aut aliunde accepta, quae recitari solent ante sumptionem cibi. *Orationem* vero, ipsam divini nominis invocationem. Alii, quod magis probo, verbum Dei creditum, id est fidem intelligunt, qua in Christum creditur et diabolo resistitur, juxta illud: *Cui resistite fortes in fide,* 1 Petr. 5. Nam *verbum Dei* pro fide, qua illud suscipitur, frequens est in sacris literis, ut ostendimus ad illud Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquae in verbo.* Et quidem hoc modo verbum Dei videtur exposuisse Prudentius in Hymno ante cibum, ita canens: Te sine dulce nihil, Domine: Nec juvat ore quid appetere, Pocula ni prius atque cibos, Christe, tuus favor imbuerit, omnia sanctificante fide. *Orationem* vero seu precationem sic miscet Apostolus cum *gratiarum actione,* de qua supra, sicut in Evangeliis alternantur benedictio et gratiarum actio: non quod idem significent, sed quia partes sunt ejusdem orationis

sacrae, qua cum Deo loquimur. Qua de re pluribus egimus exponentes illa verba 1 Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus* etc. Nam et oratio benedictio est, qua nimirum cibus, priusquam sumatur, benedicitur.

Porro quod per peccatum hominis diabolo potestas in reliquam creaturam usibus hominum servientem permissa sit, ostenditur ex eo, quod diabolum Scriptura modo principem hujus mundi, modo Deum hujus saeculi appellat. Idipsum indicat Apostolus Rom. 8. dicens: *vanitati subjectam esse creaturam,* tandemque *liberandam a servitute corruptionis.* Diserte vero id docent Ambrosius lib. 2. de Abel et Cain. cap. 8. et Augustinus lib. 4. de civitate Dei cap. 19. et 26. et lib. 18. cap. 16. 17. et 18. et serm. 14. de verbis Apostoli. Quibus adde, quod Gregorius narrat lib. 1. dial. cap. 4. de sanctimoniali quadam arrepta a daemone, quod lactucam non prius signo crucis benedictam avide momordisset. Huc pertinet quod legitur 1 Reg. 9. de Samuele: *Et ipse benedicit hostiae.* Non enim offerebat hostiam, qui non erat sacerdos; sed benedicebat epulo constructo ex carnibus Domino immolatis, idque tanquam Propheta, et tanquam vir primarius, Judex populi.

Huc etiam pertinet, atque in hac Scriptura fundatur Ecclesiae vetustissima consuetudo, qua aquae, sali, panibus, fructibus, aliisque variis rebus exorcismos aut benedictiones adhibet; per quas repressa daemonum potestate res illae reddantur utentibus salutares. Hinc denique manavit ad fideles consuetudo benedicendi mensam ante sumptionem cibi; et tam ante, quam post eam Deo gratias agendi. Quum enim cibos sumpturi dona Dei eos agnoscimus, utique gratias agimus.

Sed objiciet adversarius: si sensu memorato sanctificatur cibus per verbum Dei et orationem, igitur Ecclesia causam non habet interdicendi cibos aliquos, tanquam exstimulantes ad vitia carnis; quandoquidem per illam sanctificationem istiusmodi effectus impeditur. Respondeo, sicut non satis est Deum orare, ne intremus in tentationem, sed fugere etiam debemus pericula et occasiones peccandi; ita non satis est per orationem cibos sanctificari, ne per illos aut diabolus noceat, aut concupiscentia nos ad peccata carnis illiciat; sed etiam vitandae sunt hujusmodi peccatorum occasiones; quod fit abstinendo a cibis gulam irritantibus, aut venerea excitantibus, aut aciem mentis retundentibus; maxime si Ecclesiae praeceptum accesserit. Nam qui secus fecerit, oratio ejus, qua voluerit cibos sanctificare, non erit Deo acceptabilis, sed in peccatum reputabitur, utpote ab animo temerario et Deum tentante ac inobedienti profecta.

6. *Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu. Proponens,* Graece, *suggerens,* aut *commonens.* Et sensus est: De his, si commonefeceris fideles, si haec, quae dixi, tradideris, scilicet de magno pietatis sacramento, de vitandis doctrinis daemoniorum, et quod omnis creatura Dei bona sit, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: exhibebis te in officio tibi injuncto bonum ac fidelem ministrum Christi Jesu. Haec Apostoli cohortatio satis significat, haereses, de quibus locutus est, non post saecula, sed brevi exorituras, quasi dicat: Non longe absunt; ideoque jam contra eas vigilandum tibi est, et fratres sana doctrina praemuniendi.

Enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es. Enutritus, Graece ἐντρεφόμενος, participium medium, idemque praesentis temporis; ut etiam active verti possit, *enutriens* vel *innutriens,* atque hic sit sensus: Ita ostendes te bonum esse ministrum Christi, quippe qui fratres tanquam filios nutrias et instituas in doctrina rectae fidei. Quo minus passive participium exponi possit, obstare videtur tempus praesens. Non enim jam enutriebatur verbis fidei bonaeque doctrinae Timotheus episcopus atque aliorum doctor; sed olim iis enutritus fuerat, ut qui ab infantia sacras literas nosset 2 Tim. 3. Quamquam Chrysostomus et Theophylactus sic accipiunt, ut

Timotheus jubeatur, velut continuum hauriens nutrimentum, semper animo versare atque tractare, et veluti ruminare doctrinam acceptam. Perinde enim, inquiunt, ut corporis alimentum diebus singulis requirimus; ita fidei sermonibus semper nos oportet innutriri, ut eo vocabulo perseverantiam discendi ac meditandi sanam fidei doctrinam Timotheo commendare voluerit. Unde et Theophylacti interpres vertit: *perseverans in sermonibus fidei.* Suffragatur huic sensui, quod et paulo inferius sic hortatur Timotheum Apostolus: *Haec meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus* etc.

Jam quod interpres vertit *assecutus es,* ab Erasmo et Hentenio ita redditur, *quam usque secutus es.* Alii vertunt, *quam assectatus es,* id est continuo sectatus, et a cujus veluti latere nunquam discessisti. Hanc enim vim Graeci verbi, quo etiam Lucas in prooemio sui evangelii usus est, bene explicat Erasmus in annotationibus utriusque loci, nec non ad illud 2 Ep. 3. *Tu autem assecutus es meam doctrinam.* Sentit igitur Apostolus, Timotheum a puero fuisse assiduum bonae doctrinae sectatorem, nec ab ea, quod aliis quibusdam acciderat, temporis progressu degenerasse.

7. *Ineptas autem et aniles fabulas devita.* Graece: *Profanas autem et aniles fabulas rejice.* Eadem apud Ambrosianum lectio est. Hanc partem referunt quidam ad fabulas Judaicas, quas primo capite perstrinxerat etiam sub nomine fabularum. Verum sermonis series magis ostendit, ad haereticorum fabulas Apostolum respicere. Verisimile est autem notari Simonianos, qui testibus Irenaeo, Epiphanio et Augustino longas fabulas texebant de Deo bono et malo, de rerum creatione, de pugna angelorum etc., quae partim profanae erant et impiae, partim aniles et ineptae. Monet igitur Timotheum, ut universum hoc genus rejiciat; id est talia nec doceat alios, nec omnino recipiat aut credat; sed ad pietatis actiones se totum conferat, juxta id quod sequitur:

Exerce autem teipsum ad pietatem. Pietas Graece *εὐσέβεια,* verum et rectum Dei cultum significat, maxime in sacris literis: Hebraea phrasi *timor Domini* vocatur, frequentissime commendatus in scriptura veteris testamenti. Syrus interpres *justitiam* vertit. Complectitur autem pietas, auctore Chrysostomo, fidem puram, vitamque rectam; quatenus scilicet iis colitur Deus. Igitur *exercet semetipsum ad pietatem,* qui diligenter incumbit actionibus, quibus Deo placetur atque servitur. Hujusmodi autem sunt omnium virtutum actiones ad Deum relatae; et non sola opera misericordiae, quibus subvenitur necessitati proximorum, ut vult Ambrosianus.

8. *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Ex antithesi corporalis exercitationis ostendit, quam utile sit ad pietatem exerceri. Sed quam intelligat *exercitationem corporalem,* non perinde liquet. Ambrosianus de jejunio et abstinentia ciborum exponit, non ea, quam Apostolus supra damnavit; sed, ut ait, manente auctoritate creatoris. Haec affirmat parum prodesse, nisi pietas addatur. Quod sane verissimum est: sed non ideo simpliciter verum est, ea parum prodesse; cum externa pietatis opera non sint a pietate ipsa separanda, sive pietatem in Deum intelligas, sive in proximum. Commentarium hunc, falso Ambrosii titulo decepti, sequuntur Anselmus, Aquinas, Cajetanus, aliique Latinorum nonnulli.

Maxime vero sibi in eo placent hujus temporis sectarii; nomen *exercitationis corporalis* extendentes ad omnes actiones externas, quaecunque religionis causa suscipiuntur, ut sunt jejunia, vigiliae, recitationes precum, lectiones, humi cubatio, et quicquid tale est; quas vocant corporis vexationes. Et Catholici quidem memorati jejunium ad modicum utile interpretantur, solum ex comparatione quadam; vel quia jejunans sibi prodest, non proximo; vel, secundum B. Thomam, quia jejunio curatur morbus peccati carnalis,

non spiritualis. Interdum enim, inquit, per abstinentiam incurrit homo iracundiam, inanem gloriam, et hujusmodi. Haeretici vero in universum actiones externas religionis causa susceptas extenuant ac parvi faciunt, tanquam puerilis disciplinae rudimenta, quemadmodum Calvinus loquitur. Sed hunc errorem refellere, quo cultus corporalis Deo exhibitus aut damnatur, aut vilipenditur, non est praesentis instituti.

Non posse autem de jejunio locum hunc accipi, Chrysostomus et Theophylactus ita probant, quia jejunium non corporalis est exercitatio, sed spiritualis. Neque enim carnem nutrit, sed macerat; neque omnino respectu corporis exercitatio est, sed operis cujusdam vacatio. Vim hujus probationis demonstrat vocabulum Graecum, de quo statim dicemus. Adde quod de jejunio, si recte, legitime et Christiane agatur, multo aliter in evangelio Christus loquitur Matth. 6., quum *jejunanti in abscondito promittit a Patre mercedem*, utique coelestem. Non igitur ad modicum utile est jejunium. Neque vero Christus rem ad modicum utilem fecit, aut faciendam exemplo suo docuit, quando, ad instructionem totius ecclesiae suae, quadraginta diebus jejunavit.

Aliter etiam de jejunio Patres loquuntur, ac nominatim verus Ambrosius, qui in commendationem jejunii librum conscripsit titulo: *de Elia et jejunio,* ubi inter alia sic ait cap. 3. Quid est jejunium, *nisi substantia et imago coelestis? Jejunium refectio animae, cibus mentis est; Jejunium vita est angelorum; Jejunium culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis.* Hoc ad *Deum gradu citius pervenitur.* Haec ille fere desumpta ex hom. 1. et 2. Basilii de laudibus jejunii. Scribit autem similia in epist. 82. ad Vercell. Quae quidem multum dissonant ab illo Pseudambrosii commentario.

Sunt igitur alii, qui putent, Apostolum respicere ad eam ciborum abstinentiam, de qua paulo ante dixerat, *abstinere a cibis* etc. Sed hic commentarius in diversum peccat. Nam de hujusmodi ciborum observationibus non diceret Apostolus eas ad modicum utiles esse, sed prorsus inutiles, imo noxias et impias, et sicut supra dixit, ad doctrinas daemoniorum pertinentes. Alii, laborem intelligunt corporalem, quo necessaria hujus vitae comparantur, ut sunt operae mechanicae. Rursus alii eam exercitationem significari putant, quae fit causa sanitatis, qualis est ambulatio, equitatio, lusus pilae. Utrique huic sensui satis quadrat, quod ex adverso de pietate subjungitur, eam non solum vitae praesentis habere promissionem, sed etiam futurae.

Verum multo probabilius est, sermonem hic esse de exercitatione athletica, quae fit cursu, lucta, pugnis, aut alio modo. Nam ab ea libenter solet Apostolus sumere comparationes atque ad eam alludere; ut 1 Cor. 9. *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt* etc., et iterum: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans.* Gal. 5. *Currebatis bene.* Phil. 3. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis.* Denique in 2 ad Tim. epistola cap. 2. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Et cap. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* His accedit, quod Graeca dictio γυμνασία, licet ad omne genus exercitationis extendatur; proprie tamen significat eam, qua vestibus abjectis nudi exerceri solent athletae. Hoc exercitationis genus ad modicum utile esse dicit, quia tantum conducit ad corporis sanitatem et robur. Unde qui robusto ac vegeto sunt corpore, per metaphoram athletice valere dicuntur.

Pietas autem ad omnia utilis est. Ad omnia, quae nobis expetenda sunt; vel, *ad omnia,* hoc est: ad utrumque genus bonorum, et quae sunt hujus vitae, et quae expectantur in futura. Sic enim Apostolus sequentibus verbis seipsum exponit. Sed quaeritur, quomodo pietatem dicat utilem esse ad bona temporalia,

cum inordinatum sit, pietatem aliasque animi virtutes ad finem ipsis longe inferiorem, ut sunt omnia corporis bona, referre. Respondeo, ab Apostolo proprie non usum significari, sed fructum consequentem, qui est finis secundarius. Valet enim pietas etiam ad temporalia bona a Deo consequenda, licet non propter haec primario sit ei serviendum.

Promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae. Graece *promissiones* numero plurali. Videtur enim Apostolus significare, quod in sacris literis multae extant hujusmodi promissiones. Nam praesentis quidem vitae promissiones sunt: *Custodite leges meas atque judicia, quae faciens homo vivet in eis,* Levit. 18. *Elige vitam, ut et tu vivas.* Deut. 30. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* etc. Psal. 33. et ubicunque in veteri lege servantibus Dei praecepta promittuntur bona temporalia; ut Levit. 26. et Deut. 28. Promissiones autem vitae futurae passim leguntur in scriptura novi testamenti. Quin etiam interdum utriusque vitae promissiones conjunguntur; ut Matth. 6. *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis,* et cap. 19. *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.*

Ne vero cuiquam falsae videantur promissiones bonorum temporalium, piis ac Deum timentibus factae, propterea quod eis illa saepe non contingant: recte S. Thomas interpretatur, promitti temporalia quatenus bona sint, id est quatenus subserviant aeternis, et ad felicitatem conducant. Ac nihilo minus complentur ejusmodi promissiones, dum compensat Deus spiritualibus bonis, quod in corporalibus deesse videbatur. Multo enim plus praestat, quum dat patientiam, continentiam, gaudium spirituale, quibus augetur meritum vitae aeternae; quam si daret affluentiam bonorum temporalium, quae multis occasionem praebet aeternae perditionis. Porro significat hic locus pietatem mereri vitam aeternam, non ex rei natura, sed ex liberalitate promittentis.

9. *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.* Hoc, inquit, quod dixi, pietatem ad omnia utilem esse, maxime ad vitam futuram, certum et indubitatum est et approbatione dignissimum.

10. *In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum.* Graece, *quia speravimus in Deo vivente.* Sed praeteritum illud vim habet praesentis; tale enim est ac si diceretur: Spem collocavimus in Deo vivente; hoc autem est *sperare in Deum vivum.* Cajetanus probationem Apostoli, quemadmodum et partem praecedentem, *fidelis sermo* etc., tantum refert ad illam particulam proxime antegressam, *et futurae.* Verum si tota probatio bene expendatur, invenietur amplius continere: tametsi ad vitam futuram principaliter Apostolum respicere non est negandum. Probat autem ex tolerantia persecutionum et aerumnarum, quas Christiani patiebantur, *sermonem*, quem dixerat, *fidelem esse et omni acceptione dignum.*

Propter hoc, inquit, *laboramus,* id est omnia corporis incommoda sustinemus; *maledicimur,* Graece, *probra* seu *contumelias patimur*, quia spem nostram fixam habemus in Deo vivente; id est eo, qui per essentiam vita est, ac proinde vitae tam praesentis, quam futurae largitor: quasi dicat, ideo tot incommodis et adversis non succumbimus, quia vitam a Deo non modo praesentem accipimus, sed etiam futuram exspectamus. Unde colligi vult, sermonem, quem de pietate dixerat, fidelem esse etc. Quae collectio talis est, qualis illa ejusdem Apostoli, qua 1 Cor. 15. resurrectionem mortuorum probat ex quotidianis periculis mortis, quae subibat. Quod utique nemo faceret, nisi qui post mortem melius aliquid certissime speraret. Quo argumento etiam Justinus Philosophus persuasum se fuisse scribit in apologia, ut Christianus fieret. Utitur eo argumento contra paganos etiam Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 6.

Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quo sensu *Deus omnium hominum salvator* dicatur, variant

interpretes. Cajetanus totam sententiam refert ad futurum saeculum; sic enim scribit: In vita futura salvabit Deus omnes homines, quoad vitam corporis, suscitando omnes; maxime autem salvabit fideles, quoniam suscitabit eos ad vitam beatam. Sed hic commentarius parum probabilis est; nusquam enim resurrectio malorum salus vocatur, aut in bonum accipitur, ut salus vocari possit. Verisimilior est Theophylacti interpretatio locum hunc exponentis per illum cap. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri.*

Verumtamen germanus sensus est, quem reddiderunt Chrysostomus, Oecumenius, Ambrosianus, Anselmus, et alii plerique, ut Deus omnium hominum salvator dicatur, quia dat omnibus aliquam salutem. Nam vita temporalis, et multa ejus vitae bona, omnibus communia sunt; nec aliunde profecta, quam a Deo auctore. Maxime vero et proprie *fidelium salvator est,* intellige, eorum, qui in fide per charitatem operata perseverant; quia solis et omnibus iis dat vitam aeternam, quae simpliciter salus appellari solet.

Nec diversa est ab his B. Prosperi sententia, qui lib. 2. de vocat. gentium cap. 31. locum hunc intellexit de gratia quadam generali, id est bonitate Dei effusa super omnes homines; licet speciali gratia prosequatur suos electos. Plenior autem erit hic commentarius, si cum Chrysostomo dicamus, Deum etiam in hac vita singulari quodam modo fidelium esse salvatorem: quia laborantes adjuvat, ut ad salutem aeternam perveniant, et quia salutem temporalem facit eis esse salutarem, id est, utilem et conducentem ad salutem aeternam; denique quia cooperatur illis omnia in bonum, tam adversa quam prospera.

Sensum hunc ipse contextus Apostolicus postulat. Dixerat enim, *pietatem habere promissionem vitae praesentis et futurae,* quamvis vitae praesentis beneficium Deus faciat omnibus commune etiam impiis et infidelibus. Nam *solem suum oriri facit super bonos et malos,* Matth. 5. *Omnibus bene facit, de coelo dans pluvias, et tempora fructifera.* Actor. 14. *Omnibus dat vitam, et inspirationem, et omnia.* Actorum 17. Quin etiam ad bruta animantia salus haec terrena extenditur, dicente Psalmista: *Homines et jumenta salvabis Domine,* Psalm. 35. Constat autem et ex aliis Scripturae locis, nomen salutis etiam in bonis vitae temporalis intelligi: unde et illud discipulorum in mari periclitantium: *Domine salva nos, perimus,* Matth. 8. Nam et Joseph patriarcha, quamvis in typo Christi, vocatus est Salvator mundi, propter salutem quandam temporalem, quam mortalibus attulit Genes. 41.

Liquet ex his, perperam a nonnullis adduci hunc Apostoli locum, quo stabiliant doctrinam suam de gratia ad salutem sufficiente, quam dicunt omnibus hominibus offerri. Quem sensum Ambrosius Catharinus ex Prosperi loco male intellecto, quem titulo B. Ambrosii citat, frustra huc invehere conatur. Constat enim ex tota disputatione praecedente, Prosperum eo loco agere de generali beneficentia Dei, qua ad sui notitiam et cultum homines invitat: de qua et Paulus Act. 14., quam tamen negat absque speciali gratia, quae non omnibus, sed paucis datur, ad justitiam et salutem sufficere.

11. *Praecipe haec et doce. Haec,* omnia quae dixi de magno pietatis sacramento, de vitandis haeresibus, et sana doctrina retinenda, deque pietate ad omnia utili; *praecipe et doce,* id est praecipiens doce, cum auctoritate fidelibus trade, tanquam episcopus docendi et praecipiendi potestatem habens; non obstante eo, quod sis adhuc juvenis, unde sequitur:

12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat. Adolescentiam* dixit interpres, pro juventute, quemadmodum Ambrosianum textum secuti verterunt Erasmus et alii. *Juventus* autem extenditur ultra triginta annos; ne quis suspicetur Timotheum fuisse adolescentem viginti aut circiter annorum, quando haec ad eum scribebantur. Simile illud Act. 7. *Secus pedes adolescentis, qui vocabatur Sau-*

lus; cum ex diligenti temporum supputatione satis appareat, Paulum tunc virum fuisse, ferme triginta quinque annorum. Sensus Apostoli est: Sic age, ut nemo te propter aetatem contemnat: sive, pressius ex Graeco, despiciat. Est enim junior aetas obnoxia contemptui, juxta illud Davidis: *Adolescentulus sum ego et contemptus.* Psalm. 118. Nam eum propter aetatem a fratribus despectum fuisse, docet historia 1 Reg. 16. et 17.

Potest autem praeceptum hoc Timotheo datum bifariam accipi. Uno modo: Non sinas te, quamvis sis juvenis, despici ab iis, quibus praees, sed utere auctoritate et imperio. Quadrat huic sensui, quod praecedit: *Praecipe haec et doce.* Sic etiam ad Titum scribit cap. 2. *Haec loquere et exhortare, et argue cum omni imperio: nemo te contemnat.* Altero modo: Ita graviter, caste, sobrie, prudenter te gere, ut nemo propter aetatem minoris te faciat. Huic expositioni favet, quod sequitur.

Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione. Exemplum Graece τύπος, id est forma, quomodo legit Ambrosianus, et noster interpres alibi vertit. Ne propter aetatem Timotheus contemneretur, monet eum Apostolus, ut fidelibus sese praebeat exemplum et formam, ad quam vitam suam instituant et actiones componant. Nemo enim quod imitandum putat contemnit.

In verbo, sive in sermone exemplum est, qui graviter et prudenter ad aliorum aedificationem loquitur; *qui disponit sermones suos in judicio* Psalm. 111., quique praestat illud 1 Pet. 4. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* Chrysostomus *verbum* doctrinae intelligit; qua nimirum veritas docetur. Qui intellectus accipit probalitatem ex simili loco 2 Cor. 6., ubi exprimitur, *in verbo veritatis.* Juxta hanc *verbi* expositionem ille in verbo exemplum se praebet, in quo veritatem et sinceritatem doctrinae homines admirantur. Porro *in conversatione exemplum* est, qui caeteris externis actibus aedificat alios.

In charitate, scilicet erga proximos, quasi dicat: Omnes actiones tuae sapiant charitatem, non cupiditatem: sentiant fideles, te non tua quaerere, sed quae salutis ipsorum. In loco jam allegato ad Cor. etiam hoc explicatius dictum est: *In charitate non ficta.* Hic Graeci codices subjungunt, *in spiritu:* quamvis id Chrysostomus in commentario non attingat. Theophylactus et Oecumenius interpretantur, ordinem spiritualem, aut charisma: tanquam moneat Timotheum Apostolus, ne propter hujusmodi extollatur. Atqui magis apparet, intelligi Spiritum sanctum: id enim exprimitur ibidem ad Cor. *In Spiritu S.* Est autem exemplum in Spiritu sancto, qui fervorem Spiritus S. et zelum Dei factis se habere declarat.

In fide. Exemplum *fidei* praebet, qui, sicut Jacobus Apostolus dicit cap. 2. *fidem suam ostendit ex operibus:* vel potius, secundum alios, qui fidem rectam libere confitetur et praedicat: atque ea re proximos aedificat.

In castitate. Ex hac parte non leve sumitur argumentum pro coelibatu sacerdotum praesertim episcoporum. Praecipitur enim Timotheo episcopo, ut sese formam et exemplar castitatis exhibeat fidelibus. Quomodo autem hoc praestabit episcopus, si illud tantum in eo commendatur, quod praeter uxorem non cognoscat aliam, sed unius mulieris amplexibus contentus sit? quod est infimum genus castitatis, et ab omnibus, ut minimum, exigitur; cum oporteat exemplar esse caeteris excellentius. Imo magis e contrario tale exemplar propositum avocabit alios a studio virginitatis, seu perpetuae continentiae: cujus formam in typo sibi proposito non conspiciunt. Erasmus quidem vertit: *In puritate,* et in paraphrasi exponit immunitatem ab humanis cupiditatibus; qui sensus etiam sectariis placet: verum textus Ambrosianus nostrae versioni accedit, tam hoc loco, quam 2 Cor. 6.

Graeci autem interpretes adeo pro nobis faciunt, ut putent hic insinuari virgineam Timothei castitatem, per quam merito potuerit aliis exemplo ad castitatem

praelucere. Constat insuper, Graeco vocabulo ἁγνεία ut plurimum significari castitatem eam, quae libidines coërcet. Quod ipsum etiam ex aliis Scripturae locis ostenditur, velut sequenti capite: *Juvenculas, ut sorores; in omni castitate.* Item 2 Cor. 11. *Virginem castam exhibere Christo.* Tit. 2. *adolescentulas prudentes, castas.* Quibus locis eadem est vox Graeca, quae hic legitur: nec aliter accipienda, quam pro ea castitate, quam diximus. Quod idem ostendemus de eo, quod eidem Timotheo praecipit sequenti capite: *Teipsum castum custodi.*

13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinae.* Jam supra capite primo spem Timotheo fecerat sui adventus. Qui quidem adventus an secutus fuerit, diximus ibidem et in argum. epist. Interim vero dum differtur, hoc enim est quod ait *Dum venio,* seu donec veniam, Graece ἕως ἔρχομαι, praescribit Timotheo, quid agere debeat. Ac primum ei commendat assiduam lectionem Scripturae sacrae, ut ex ea discat, quod alios doceat. Quod si Timotheo, qui ab infantia sacris literis imbutus erat, et tam multa praesens ab Apostoli ore hauserat, visa fuit haec admonitio necessaria; quanto magis caeteris episcopis et pastoribus? quos omnes utique Paulus in Timotheo instruit. Ex quo praeterea patet fanaticorum quorundam insania, qui studia doctrinae tanquam inutilia rejicientes, tantum a Spiritu S. illuminationes quaerunt.

Porro cum lectio studiumque Scripturae in episcopo et pastore destinetur ad aliorum utilitatem: consequenter monet Timotheum, ut *attendat exhortationi et doctrinae,* scilicet aliorum: exhortationi quidem, qua fideles assidue cohortetur ad bonam et sanctam conversationem, et ad vitandas haereses; *doctrinae vero,* qua doceat ignorantes, quid credere, quid agere, quid fugere debeant. Pro *exhortatione* verti etiam potest *consolatione:* atque ita Graecam vocem accepit Theophylactus, putans hic praecipi pastoris officium erga moestos, animoque dejectos. Verum multo latius patet officium exhortationis, ipsam etiam consolationem complectens: itaque non dubium, quin exhortationem significare voluerit Apostolus; nam et alibi doctrinae exhortationem adjungit. *Qui docet,* inquit, *in doctrina, qui exhortatur, in exhortando.* Rom. 12. Quem locum etsi Theophylactus similiter de consolatione intelligat; Chrysostomus tamen et alii, longe probabilius, in universum de gratia exhortationis interpretati sunt.

14. *Noli negligere gratiam, quae in te est.* Pro *gratia,* Graece non est χάρις, sed χάρισμα: quo vocabula solet Apostolus significare donum, seu gratiam eam, quae datur ad aliorum utilitatem, quamque Theologi gratiam gratis datam appellant. Sed quaeritur, quod hujusmodi donum intelligat hoc loco Paulus. Quidam intelligi volunt ipsum ordinem, seu gradum episcopalem, qui consistit in potestate exercendi ea omnia, quae ad episcopi munus spectant. Alii, specialiter doctrinae donum significari putant, id est gratiam docendi: tanquam respiciat Apostolus ad id, quod proxime dixerat, *doctrinae.* Sunt etiam, qui gratiam hanc exponant de dono prophetiae ac miraculorum; ut meminit S. Thomas. Sed sciendum imprimis, nomine charismatum apud Apostolum non officia, seu gradus ecclesiasticos intelligi, sed dona quaedam ad utilitatem aliorum spectantia: velut dona sapientiae, scientiae, linguarum, interpretationis, exhortationis, prophetiae, miraculorum: cujusmodi enumerat 1 Cor. 12. Quae quidem esse poterant etiam in eo, qui in gradu alicujus officii, seu potestatis nondum esset constitutus.

Itaque prima expositio non congruit; praesertim cum in 2. epist. cap. 1. moneat Timotheum, de eadem gratia loquens, ut eam resuscitet: quod parum commode de ordine seu gradu episcopali dicitur. Quoniam autem ad episcopi munus bene et utiliter administrandum non sufficit solum doctrinae, aut prophetiae donum, quomodocunque prophetiam intelligas, sed multis aliis praeterea donis opus est: hinc

etiam secunda et tertia expositio convincitur imperfecta.

His igitur omissis, ea tenenda sententia est, quae *gratiam hanc* generalius interpretatur, eam nimirum, quae Timotheo data erat ad bene exsequendum munus episcopale. Haec autem multa complectitur: ut gratiam docendi, exhortandi, scripturas interpretandi, contradictores redarguendi, et quicquid ejusmodi. Non quod haec omnia et singula repente acceperit Timotheus, tunc quando ordinabatur: sed, cum ordinari in episcopum non debuerit, nisi talibus donis ornatus, quemadmodum ipse Paulus capite superiori praescripsit, intelligendum est, in Timotheo totum hoc genus charismatum episcopo necessariorum confirmatum et auctum fuisse; neque id sine augmento gratiae gratum facientis, utpote quae multo magis ad bene sancteque exsequendum munus episcopale sit necessaria. Neque enim homini ad gratiam vel ejus augmentum disposito charismata Spiritus S. dabantur vacua, sed ipso Spiritu S. comitata, quo scilicet cor hominis amplius purgaretur et sanctificaretur: uti factum esse constat in Apostolis, in Samaritanis, in Cornelio centurione, ejusque sociis, et in Ephesiis, Act. 2. 8. 10. et 19. Quae res etiam apparebit ex loco 2 Tim. 1.

Cum autem, ut ex sequentibus patet, Apostolus loquatur de gratia Timotheo data per ceremoniam ordinationis, qua creatus fuit episcopus: jam facile ex dictis intelligitur, ordinem episcopalem esse novae legis sacramentum, quo gratia conferatur, non modo gratuita, sed et gratificans. Quae doctrina magis etiam confirmabitur ex memorato loco 2. epist. Id vero non solum notandum est adversus haereticos, qui sacram ordinationem simpliciter tollunt e numero sacramentorum novae legis; qui error plenius a nobis refutatus est in 4. dist. 24., verum etiam contra quosdam Catholicos negantes episcopatum esse ordinem proprie dictum: qua de re nos ibidem quoque accurate egimus. Certe B. Thomas in commentario hujus loci et 2. ad Tim. 1. Paulum interpretatur de ordinatione Timothei in episcopum, per quam fuit ei collata gratia. Sensit igitur et ipse in ordinatione episcopali gratiam conferri. Porro commonefacit Apostolus hac parte Timotheum, ut donum acceptum non negligat, id est non sinat otiosum apud se residere, more servi inutilis, qui talentum sibi creditum defodit in terra Matth. 25., sed excitet illud et ad usum applicet. Hoc enim est, quod ait in 2. epist. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei* etc.

Quae data est tibi per prophetiam: id est secundum prophetiam de te praecedentem, qua nimirum Spiritus S. non solum testatus est idoneum te esse ad episcopatum: verum etiam ordinari te jussit. Meminit hujus prophetiae Paulus tum ad commendationem Timothei, tum ad sui excusationem. Nam sine hujusmodi divino testimonio non fuisset ausus, Timotheo juveni tantae molis et dignitatis officium imponere. Confirmat hunc sensum id quod primo capite dixit: *Secundum praecedentes in te prophetias.* Cur autem mutato numero nunc *prophetiam* dicat, quas antea *prophetias:* haec est ratio, quia plures quidem erant prophetiae, quoad personas praedicentes, una vero prophetia quoad rem praedictam, seu revelatam. Nam res una et eadem a pluribus praedicebatur: quemadmodum et Act. 13. factum legimus Antiochiae in Pauli et Barnabae deputatione ad gentes convertendas; dicente Spiritu S. *Segregate mihi:* tanquam ad multos. Erant enim illic prophetae et doctores. Similiter Act. 21. discipuli dicebant Paulo per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam et 1 Cor. 14. *Prophetae duo aut tres dicant.*

Cum impositione manuum presbyterii. Presbyterium vocat non officium aut dignitatem auctoritatemve presbyteri sive sacerdotis, ut nonnulli volunt, nominatim Erasmus, qui vertendum putavit: *auctoritate sacerdotii;* sed coetum seu collegium presbyterorum: ita tamen, ut juxta consuetudinem Scripturae nomine

presbyterorum etiam episcopi comprehendantur. Nam de illis Apostolum loqui constat, quorum ipse erat unus. Sic enim ait 2. Epist. 1. de eadem ordinatione Timothei loquens: *per impositionem manuum mearum.* Adde, quod veteri more Ecclesiae non simplices presbyteri, sed soli episcopi manus imponant episcopo ordinando. Quod et a Chrysostomo est annotatum. Agitur autem, ut dictum est, de Timothei in episcopum ordinatione. Alioqui presbyterii nomen per se generale est, coetum significans eorum, qui quacumque ratione presbyteri vocantur, sive propter ordinem sacrum, sive propter magistratum civilem. Nam apud Cyprianum epist. 46. Cornelius papa collegium sive senatum cleri Romani, cui praeter presbyteros intererant quinque episcopi, vocat presbyterium. Et Lucas Evangelii 22. nec non Act. 22. *presbyterium* dixit pro senatu populi, ubi noster interpres modo vertit *seniores,* modo *majores natu.* Alibi vero senectutis honor aut, ut aliis placet, senatoria potestas et auctoritas, eo nomine significatur, ut Dan. 13., ubi Latine legitur: *Tibi Deus dedit honorem senectutis.* Sed ea acceptio non est hujus loci.

Porro *manuum impositio*, cujus et in 2. Epist. meminit, eam ceremoniam significat, quae in ordinandis episcopis, presbyteris et diaconis adhibebatur. Nam et seq. cap. de presbyteris agens: *Manus,* inquit, *cito nemini imposueris.* Et Act. 6. leguntur Apostoli manus imposuisse eis, quos diaconos instituebant. Notandum est autem, in hujusmodi Scripturis a parte totum significari. Non enim solum manus imponebantur ordinando, verum etiam verba mystica proferebantur, et alii ritus adhibebantur, sive ad ordinationem peragendam absolute necessarii, et ut loquuntur essentiales, sive dumtaxat solennitatis causa accessorii.

Sed Scriptores sacri, volentes occultare profanis lectoribus Christiana sacramenta, satis habuerunt, cum de iis loquendum erat, eam solam ceremoniam exprimere, quae vulgaris esset, et in multis aliis soleret usurpari, sive ad substantiam sacramenti pertineret sive non. Nam et confirmationis ac poenitentiae sacramenta partim in Scriptura sacra, partim in antiquorum scriptis, significantur nomine *manuum impositionis.* Sic igitur et hoc loco Apostolus *manuum impositionem* nominans, intelligi voluit sacram ordinationem, tametsi pluribus aliis ritibus, iisque secretioribus constantem. Atque hoc est, quod Ambrosianus commentator dicit *manus impositiones* esse verba mystica, eo nimirum sermonis tropo, quo ex uno aliud illi conjunctum intelligitur. Plura de manuum impositione vide apud Hesselium et in nostro super 4. sent. commentario.

Quaeritur autem, cur dixerit Apostolus: *Cum impositione manuum presbyterii* et non *per impositionem*, quemadmodum loquitur in 2. Epist. *per impositionem manuum mearum.* Responderi potest, hunc locum ex illo interpretandum, ut praepositio *cum* loco *per* posita sit. Sed verisimilius est, ea praepositione conjungi impositionem manuum cum prophetia, ut sensus sit: Quae gratia data est tibi per prophetiam, simul et per impositionem manuum presbyterii, quae eam secuta est. Nam prophetiam praecedentem subsequens impositio manuum complebat et ratam faciebat.

Iterum quaeritur, quomodo hic manuum impositio tribuatur presbyterio, id est presbyterorum sive episcoporum collegio, cum Paulus in 2. Epist. videatur eam sibi soli vendicare, dicens: *per impositionem manuum mearum.* Rospondeo, ceremoniam quidem impositionis manuum a pluribus fuisse adhibitam, sed solum Paulum ea peregisse, quae sacramento substantialia erant.

Postremo quaeri potest, utrum soli episcopi, an vero etiam simplices presbyteri per impositionem manuum presbyterii ordinentur. Respondeo, modum hunc ordinationis omnibus presbyteris esse communem, et constat ex can. 3. Concil. 4. Carthag. Quod et palam significat Synod. Trid. sess. 14. cap. 3. doctrinae de sa-

cramento extremae unctionis, quum dicit: presbyterorum nomine apud Jacobum cap. 5. intelligendos esse aut episcopos aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. Id tamen est discriminis, quod episcopo ordinando plures episcopi manus imponant, presbytero unus episcopus cum presbyteris inferioribus.

15. *Haec meditare, in his esto.* Meditatio non significat nudam animi cogitationem, sed conjunctam cum ea cura, qua quis totus in rem aliquam perficiendam incumbit. Unde alii vertunt: *haec exerce,* alii *haec cura.* His enim modis explicatur Graecum μελέτα. Demonstrativum pronomen ab Oecumenio refertur ad illud, quod dixerat: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione* etc. Sed rectius Chrysostomus et alii significant ad istud vicinius: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinae;* et Timotheum repetita admonitione hortari, ut haec curet et agat, atque in iis totus sit.

Ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Graece *in omnibus,* hoc est, ut Chrysostomus et Theophylactus exponunt, non tantum in conversatione vitae, verum etiam in verbo doctrinae. Nota quidem erat fidelibus Timothei pietas et doctrina, sed vult Apostolus, etiam profectum ejus apparere, quo magis exemplo suo alios aedificet. Quod in episcopo maxime est necessarium.

16. *Attende tibi et doctrinae.* Graece *tibi ipsi.* Quod est magis emphaticum. Sensus est: Attende tibi ipsi, ut recte vivas: attende etiam doctrinae, ut alios recte instituas. Simile illud ejusdem Apostoli Act. 20. *Attendite vobis et universo gregi.*

Insta in illis. Graece *permane, persiste in iis,* quasi dicat: Monui te, ut attenderes lectioni, exhortationi, doctrinae: nunc insuper moneo, ut in iis perseveres. Potest etiam referri ad partem proxime praecedentem, hoc modo: Insiste in his duobus, quae dixi, ut et tibi attendas, et doctrinae. Cui sensui bene quadrat, quod sequitur:

Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt. Exhortatio est ab utilitate seu fructu tam suae quam alienae salutis. Si, inquit, hoc feceris, id est attenderis tibi ipsi atque doctrinae: et teipsum salvum facies, et eos, qui te docentem audient, id est doctrinae tuae credent, obedient, acquiescent. Quomodo dictum est: *Qui vos audit, me audit,* Luc. 10.

Hic observa, Apostolum, qui supra dixerat, Deum esse Salvatorem omnium hominum maxime fidelium, nunc homini tribuere, quod et se salvum faciat et alios, nimirum ut intelligamus liberi arbitrii in homine facultatem et vim operatricem. Unde et in Scripturis dicitur homo seipsum vel animam suam sanctificare, justificare, castificare, mundare. Salvum autem se facit, non dando sibi vitam aeternam, sed eam bonis operibus promerendo; alios autem salvos facit, exemplis et doctrinis eos ad salutem adducendo, quomodo de se dicit Apostolus Rom. 11. *Et salvos faciam aliquos ex illis,* scilicet Judaeis et 1 Cor. 7. *Virum salvum facies. Mulierem salvam facies.* Quod si recte et secundum Scripturas propter hujusmodi rationes dicitur homo et seipsum et alios salvos facere: ergo male Catholicos haeretici criminantur, quod matrem Dei *vitam et spem suam* appellent; cum etiam *salvatricem* appellare possint, ut quae sua apud Deum intercessione quam plurimis hominibus salutem impetret.

CAPUT QUINTUM.

Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes ut fratres; 2. anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.

3. Viduas honora, quae vere viduae sunt [1]. 4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus [2]: hoc enim acceptum est coram Deo. 5. Quae autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die [3]. 6. Nam quae in deliciis est, vivens mortua est [4]. 7. Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint. 8. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit [5], et est infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor [6], 10. in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit [7], si hospitio recepit [8], si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. 11. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt: 12. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; 13. simul autem et otiosae discunt circuire domos: non solum otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes, quae non oportet [9]. 14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. 15. Jam enim quaedam conversae sunt retro satanam [10]. 16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat. 17. Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina [11]. 18. Dicit enim Scriptura [12]: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua [13]. 19. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus [14]. 20. Peccantes coram omnibus argue [15]: ut et caeteri timorem habeant. 21. Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis [16], ut haec custodias sine praejudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 22. Manus cito nemini imposueris [17], neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. 24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium, quosdam autem et subsequuntur. 25. Similiter et facta bona manifesta sunt: et quae aliter se habent, abscondi non possunt.

---

1) Vers. 5. 2) Sir. 3, 13. 14. 3) Luc. 2, 37. 4) Apoc. 3, 1. Eph. 2, 1. 5) Joan. 13, 35. 6) Cap. 4, 12. 7) 2 Joan. 4. 8) Hebr. 13, 2. 9) 2 Thess. 3, 10.—12. 10) Cap. 1, 6. 11) 1 Thess. 5, 12. 1 Cor. 9, 11. 12) 5 Mos. 25, 4. 1 Cor. 9, 9. 13) Matth. 10, 9. seq. Luc. 10, 7. 14) 5 Mos. 19, 15. 2 Cor. 13, 1. 15) Matth. 18, 17. 16) Matth. 25, 31. 17) Cap. 4, 14.

SUMMARIUM CAPITIS QUINTI.

Instruit Timotheum, quomodo quamlibet aetatem admonere debeat, quas viduas honorare; quomodo cum junioribus viduis agendum; qui presbyteri honore digni; neminem facile ordinandum.

1. *Seniorem ne increpaveris.* A generalibus praeceptis ad specialia, quibus instruendus est episcopus, descendit. *Seniorem,* Graece πρεσβύτερον, intelligit aetate non gradu, quemadmodum patet ex iis, quae sequuntur. Nam aetates hic distinguit in utroque sexu. Quod autem vertit interpres *increpaveris;* in Graeco verbum est, quod proprie significat *plagam inferre;* transfertur autem ad id, quod est *acriter et severe objurgare.* Admonet igitur Apostolus Timotheum, ne durius increpet senes, si delinquant. Id vero praecipit propter honorem senectutis, quae venerationem proprio quodam jure exigit.

Dicet aliquis: Christum et Paulum, et Danielem increpasse senes, et quidem acriter ac dure, Matth. 23. Act. 23. et Dan. 13. Respondeo, praeceptum hoc apostolicum de vulgaribus correptionibus intelligendum esse, non de ea, quae fit ob gravissima crimina, si praesertim conjuncta sint cum malitia et obduratione animi aut cum gravi scandalo proximorum. Unde Gregorius epist. 1. lib. 7. indict. 2. Januarium senem episcopum increpans, dicit, hanc Apostoli regulam de seniore non increpando tunc servandam esse, quando culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem, inquit, senior juvenibus exemplum ad interitum praebet, ibi districta increpatione feriendus est. Et B. Thomas in comment. cum sibi objecisset illud Jes. 65. *Peccator centum annorum maledictus erit,* respondet, senem propter excedentem malitiam perdere honorem senectutis, et tunc esse increpandum.

Sed obsecra ut patrem. Hoc dicitur episcopo juniori, qualis erat Timotheus. Nam senex episcopus senem subditum peccantem non jubetur ut patrem obsecrare aut corripere, sed potius ut fratrem. Pro eo quod habemus *obsecra,* multi vertendum putant *hortare,* utrumque enim Graeca voce significatur. Movet eos, quod juvenes, de quibus continuo sequitur, non sint obsecrandi, sed hortandi. Verum ad hoc statim respondebitur. Certe Apostolus non hic agit de exhortatione virtutum, sed de correptione vitiorum. Neque satis commode dicimur aliquem hortari ut patrem. Quare hortandi vocabulum huic loco non convenit, tametsi etiam Ambrosianus *exhortare* legit. Sensus autem est, seniorem, si deliquerit, cum obsecratione admonendum et corripiendum esse, velut si filius admoneat patrem.

Juvenes ut fratres. Et hoc Timotheo dicitur, cum alioqui episcopus senior juvenes non ut fratres, sed ut filios compellare debeat. Graece quidem est *juniores,* sed comparativus est loco positivi, sicut et in vocabulo *senioris.* Nunc quaeritur: quomodo deceat episcopum obsecrare juvenes peccantes; imo et juvenculas, de quibus mox sequitur. Respondeo, non hic repetendum esse verbum *obsecra,* sed aliud supplendum, videlicet *admone, corripe,* vel quidpiam tale. Est enim oratio elliptica, supplementum verbi a priore diversi postulans; qualis et illa erat capitis superioris: *prohibentium nubere, abstinere a cibis,* et aliae, quas ibidem annotavimus. Porro idem verbum supplendum est in utraque parte sequenti.

2. *Anus ut matres. Anus,* Graece πρεσβυτέρας, id est *mulieres natu grandiores,* ut vertit Erasmus. Nam *anus,* Graece γραῦς, vetulam significat. Sed neque hic dictum est *obsecra,* quia viro naturaliter auctoritas in mulierem competit. *Juvenculas, ut sorores, in omni castitate.* Hic peculiariter addit: *In omni castitate,* id est per omnia caste, quia juvencularum allocutio illecebrosa est, et facile sinistram parit suspicionem. Quare si res postulat, ut cum eis loquendum

sit, id brevissime fieri debet, et cum ea animi atque oculorum custodia, vultus et sermonis gravitate, loci et temporis cautela; ut non solum intus servetur cordis munditia, verum etiam exterius ab omni specie mali caveatur. Haec autem res non solum episcopo, verum et universo ordini ecclesiastico solicite est observanda. De qua re extant utilissima praecepta apud Hieronymum in Epist. ad Nepotianum.

3. *Viduas honora, quae vere viduae sunt.* Hic Aquinas, Liranus et Glossa faciunt initium capitis quinti. Tradit deinceps Apostolus doctrinam admodum salutarem de cura et institutione viduarum; ac primo Timotheum instruit, quem delectum habere debeat in *viduis honorandis,* id est alendis ac sustentandis publico sumptu Ecclesiae. Quae quidem sustentatio, nomine *honoris* sive *honorationis* idcirco significatur, quia fiebat cum testimonio virtutis earum, quae sic alebantur. Estque ea honoris acceptio frequens in Scripturis. Unde est illud decalogi: *Honora patrem et matrem,* quod de honore sustentationis ipse Dominus exposuit Matth. 15. Item quod infra dicitur hoc eodem capite: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Quod ergo dicit Apostolus, tale est: Eas viduas, quae vere viduae sunt, recipe in numerum viduarum, quae ex oblationibus fidelium aluntur: videlicet: ad exemplum earum viduarum, de quibus agitur Act. 6. Quo loco notandum, eum intelligi viduarum in ministerio quotidiano despectum, qui earundem honori opponitur, cujus hic fit mentio; atque eum despectum occasionem dedisse murmuri, quod illic describitur.

Sciendum autem imprimis, quod in ejusmodi viduarum numerum non admittebantur, nisi quae prius fidem dedissent continentiae deinceps servandae, id est votum vidualis castitatis Deo fecissent; quemadmodum infra significat ipse Apostolus. Qui etiam aetatem earum praescribit, aliasque conditiones exigit, quas in progressu videbimus. De hoc genere viduarum, plura qui volet, consulat Chrysostomum lib. de dignitate Sacerd. et Joannem Hesselium in comm., ubi diligenter ex antiquitate ea collegit, quae ad hunc locum illustrandum faciunt. Quem vide etiam infra ad illud: *Vidua eligatur* etc. Nam hic mos alendi viduas e fidelium oblationibus, ab Apostolis institutus, diu in Ecclesia perseveravit. Quando autem cessaverit, haud satis constat.

Quaerit Chrysostomus, cur de virginibus honorandis nullam faciat Apostolus mentionem. Respondet autem, fortasse tunc virgines non fuisse, scilicet Ephesi, ut quaestionem explicat Theophylactus. Uterque vero loquitur de virginibus Deo dicatis: neque sentiunt ejusmodi nullas tunc Ephesi fuisse, sed rariores; eo quod fideles recenter ex gentilitate conversi non facile caperent verbum hoc. Quanquam aptior ad quaestionem responsio est, ideo de virginibus honorandis Apostolum nihil scripsisse, quia loquitur de honore sustentationis. Atqui non virgines, sed viduae egentes ac desolatae sumtibus Ecclesiae sustentandae erant. Nam virgines a suis parentibus alebantur.

Vere viduas intelligit non secundum nominis significationem, sic enim vere viduae erant etiam illae, quae rebus necessariis abundabant, sed secundum nominis etymologiam; id est eas viduas, quae subsidiis ac solatiis humanis destitutae sunt. Graecis enim χῆρα, vidua, derivatur ἀπὸ τοῦ χηροῦσθαι, id est desolari, destitui, privari; id quod etiam viduari Latine dicitur. Atque huc apertius paulo post alludit, dicens: *Quae autem vere vidua est et desolata.* Eodem spectant verba proxime sequentia.

4. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet.* Per oppositionem insinuat quaenam sit vere vidua, utpote non solum viro orbata, sed etiam liberorum ope destituta. Nam si liberos habeat, a quibus ali possit: vere vidua non erit. *Nepotes* autem dicit filios filiorum; id quod a Syro interprete expressum est.

Discat primum domum suam regere. Graeca et Syra plurali numero *discant,* quibus et Latina quaedam vetusta adstipulantur. Pro verbo *regere,* Graece est εὐσεβεῖν, quod Erasmus et Hentenius Ambrosianum secuti verterunt, *pie tractare,* quemadmodum et Augustinus legit lib. 9. Confess. cap. 9. et q. 43. in Deuter. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam reddit, *colere;* cujus verba ponemus infra. Nec minus recte vertas, *pie curare;* quod habet Cajetanus. Alius quispiam partem hanc ita reddidit, non male: *Discant imprimis erga propriam domum pietatem exercere.*

Et mutuam vicem reddere parentibus, Graece et Syriace, *progenitoribus,* quod alii vertunt, *majoribus.* Totus hic Apostoli locus bifariam exponitur: aut ut viduis praecipiat, aut ut earum liberis. Qui legunt, *discat,* ut fere Latini, praeceptum Apostoli dirigunt ad viduam, hoc sensu: Si qua vidua filios aut nepotes habet superstites, ea priusquam Ecclesiae vidua fiat, familiam suam bene regat, filios ac nepotes pie instituat, atque eo modo beneficium educationis, quod a majoribus accepit, in minores refundat. In hunc sensum etiam Augustinus loco citato Apostolum intellexit. Quin et Chrysostomus, quamvis habeat pluralem numerum, ad viduam tamen retulit hoc praeceptum, nimirum sentiens hujusmodi mutationem numeri Paulo non esse insolitam, atque eo minus hoc loco improbandam, quod indefinita sit oratio, qua nempe de toto genere, non de individuo agitur.

Alii vero verbum plurale, *discant,* ad filios et nepotes referunt, ut sensus sit: Si qua vidua filios habet aut nepotes, ii primum discant pietatem exercere erga propinquos et domesticos, et vicem sustentationis rependere parentibus, a quibus educati fuerunt. Id est breviter et clare: Ipsi alant matrem suam, vel aviam suam. Cum qua expositione congruit, quod infra sequitur: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia: ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat.* Sensum hunc tradunt Theophylactus et Oecumenius quamvis hic etiam priorem adducat ex Chrysostomo. Hieronymum quoque posteriori modo praeceptum Apostoli intellexisse, palam declarant haec ejus verba in epist. ad Ageruchiam: De his viduis disputat Apostolus, quae suorum nutriuntur alimentis, quae filiorum et nepotum cervicibus imponuntur; quibus imperat, ut discant domum suam colere, et remunerare parentes, et sufficienter eis tribuere; ut non gravetur Ecclesia, et possit certis viduis ministrare. Haec ille. Ubi ne haesites, scias illud, *quibus imperat,* non viduas referre, sed filios et nepotes. Id enim manifeste postulat series sermonis.

Eandem expositionem et nos cum Hesselio probamus; non solum propter plurale, *discant,* verum etiam propter Graecum verbum εὐσεβεῖν, quod actum pietatis significat, non ejus tantum, quae Deo ab omnibus debetur, verum etiam, quam filii debent parentibus. Nam et his modis accipitur pietas apud Latinos; non posse autem intelligi piam et sanctam institutionem matrum erga familiam, vel inde apparet, quod hac ratione non vere dicerentur *mutuam vicem reddere parentibus.* Non enim ipsae tali modo, id est pie sancteque fuerant institutae a suis parentibus: utpote quos habuerant infideles et idolatras. Adde, quod de viduis egentibus sermo est: non ergo erant remittendae ad liberos suos, ut eos alerent, sed ut ab eis alerentur. Denique quomodo dicitur viduae nepotes habenti: *Discat primum domum suam regere;* cum vidua nepotes habens id jam diu ante in filiis suis et didicerit, et fecerit?

Non ergo viduae, sed filiis ejus ac nepotibus praeceptum hoc scribit Apostolus: scilicet id praecipiens, ut pietatis officium, id est sustentationem matribus viduis exhibeant, eoque modo vicem eis rependant: ciconiarum more, quae parentes vetulos naturali quodam instinctu fovent atque sustentant. Unde et ἀντιπελαργία vocatur apud Graecos haec filiorum pietas erga parentes.

Restat explicandus respectus vocabuli *primum,* juxta sensum hunc posteriorem. Putat Hesselius hoc significari, ut filii ac nepotes, qui forte cupiebant matrem, vel aviam suam ab Ecclesia sustentari, prius ipsi jubeantur eam alere: postea, si facultas eis deficeret, Ecclesiae alendam commendarent. Mihi longe probabilius est, respectum significari ad externos, minusve propinquos, hoc modo: Discant, te docente, filii ac nepotes primo loco domesticis suis, cujusmodi maxime sunt parentes, piam curam sustentationis impendere, ac vicem iis rependere; deinde, si possunt, etiam ad alios beneficentiam extendant. Congruit huic sensui, quod paulo inferius dicitur: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit* etc. Quod enim ibi dicit, *maxime,* hic dicit, *primum:* et quos ibi vocat *domesticos,* hic vocat *domum.* Ostendunt autem hae sententiae, parentes prae aliis hominibus diligendos esse, iisque prae caeteris benefaciendum.

Hoc enim acceptum est coram Deo. Graeci codices complures hodierni addunt, *bonum. Hoc enim est bonum et acceptum coram Deo.* Sed verisimile est, additum ex cap. 2. hujus ejusdem epist., ubi sic legitur: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Nam hoc loco *bonum* non legunt Theophylactus, Oecumenius, Syrus interpres, ut nec ulli codices Latini. Sensus est, opus illud pietatis filiorum in parentes esse Deo vehementer gratum. Unde et promissionem longaevitatis annexam habet in decalogo.

5. *Quae autem vere vidua est, et desolata.* Viduas, quae vere viduae sunt, honorandas docuit: nunc quae vere vidua sit, consequenter exponit. Nam quod dicit: *Et desolata,* exponentis est, quasi dicat: Quae vere vidua est, hoc est, quae desolata est, ac destituta non solum marito, verum etiam filiis ac nepotibus, omnique subsidio humano, quo juvari queat.

Speret in Deum. Multi codices, iique praestantes enuntiative legunt: *sperat in Deum,* quibus suffragantur Ambrosianus, Primasius, Anselmus et editio Syriaca. Graece quidem est praeteritum, *speravit:* sed quod vim praesentis habeat, quemadmodum ostendimus ad illud capitis superioris: *Quia speramus in Deum vivum.* Verum, *speravit,* in Latinis quoque nonnullis invenitur.

Et instet obsecrationibus et orationibus, nocte et die. Graeci codices, ac reliqui omnes, qui supra, rursus enuntiative legunt: *et instat.* Pelagium quoque et Sedulium legisse *sperat* et *instat,* arguunt eorum commentarioli. *Instat* autem, id est permanet, perseverat, ut alii vertunt, tameti Graeca voce magis assiduitas, quam perseverantia significatur. At vero etiam Hieronymus in epist. dudum citata satis significat, se locum hunc indicandi modo legisse, non imperandi: dum mulieres vere viduas ita describit: Quae omni suorum auxilio destitutae sunt, quae manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, aetasque conficit: quibus Deus spes est, et omne opus oratio. Nunc sensum hujus loci reddamus: Quae vere vidua est, inquit, ac juxta nomen suum desolata, solaque relicta: spem habet in Deo repositam, ad Deum assidue respicit, eique toto animo devota semper, tam nocte, quam die vacat orationibus.

Non significat Apostolus omnes eas, quae vere viduae sunt, ista praestare. Quaedam enim destitutae subsidiis humanis non ad Deum confugiunt, sed malis artibus sese dedunt, aut certe saeculi curas ac voluptates animo ac desiderio sectantur. Sed quomodo dixit in priore ad Cor. 7., *eum qui sine uxore est, solicitum esse, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo:* itemque *mulierem innuptam et virginem cogitare, quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu:* quia nimirum hi non sunt instar conjugatorum divisi atque distracti, quo minus ea faciant: ita nunc dicit, *eam, quae vere vidua est ac desolata, sperare in Deum* et orationibus assidue intentam esse; quia, cum nec familiam habeat, nec opus, ideoque a curis rerum temporalium

sit libera, non impeditur quominus tota vacet Deo, ad exemplum viduae illius Annae prophetissae, quae sicut Lucas de ea testatur Evangelii sui cap. 2. *non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* Hinc igitur Timotheo colligendum relinquit, non alias, quam quae hujusmodi sint, assumendas esse in numerum viduarum Ecclesiae. Porro quid differant obsecrationes et orationes: partim ad cap. 2. hujus epist., partim alibi dictum est.

6. *Nam quae in deliciis est, vivens mortua est.* In Graeco non est conjunctio causalis, sed adversativa: *Quae vero in deliciis* etc., quemadmodum et Ambrosianus legit. Ab Augustino q. 43. in Deut. ita citatur: *Quae autem in deliciis agit, vivens mortua est.* Idque Graeco textui magis exacte respondet. Nam Graecum participium σπαταλῶσα significat deliciantem, id est in deliciis agentem, sive versantem, ut neoterici vertunt. Apud Cyprianum lib. 3. ad Quirinum cap. 74. sic legitur: *Quae autem delicata est, vivens mortua est.* Ex his etiam liquet non ita distinguendum, ut hypostigma sequatur participium *vivens,* hoc modo: *Quae in deliciis est vivens,* quasi sensus sit: Quae in deliciis vivit, mortua est, quamvis ita distinxisse videatur Augustinus super Psalm. 9.; sed distinctionis notulam subjiciendam verbo *est:* ut quod sequitur, *vivens mortua est,* continuate pronuntietur. Quae distinctio sensum etiam reddit argutiorem.

Sentit enim Apostolus, viduam deliciis vacantem esse monstrum quoddam: quia vivens mortua est. Nam etsi corpore vivat, et valeat, adeoque suaviter juxta carnem vivat: mortua tamen est secundum spiritum, utpote gratia Dei privata. Quo sensu dictum est a Domino: *Sine mortuos sepelire mortuos suos,* Matth. 8. Hujusmodi viduam Apostolus opponit illi, quam dixit in Deum sperare, nocteque ac die precibus instare, de qua liceat e contrario dicere: *quod mortua vivat.* Nam mundo mortua, vivit Deo. Hoc autem de vidua deliciosa interposuit, ut sciret Timotheus, eas, quae hujusmodi sunt, velut indignas ab Ecclesiae beneficio rejiciendas esse.

7. *Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint.* Pronomen Graecum plurale est: *Et haec praecipe.* Consentit Ambrosianus. Itaque particula *ut* non materiam praecepti significat, sed finem. Est enim sensus: Ea quae jam indicavi, praecipe viduis, scilicet ut in Deum sperent, in orationibus assiduae sint, delicias et voluptates fugiant: ita futurum, ut eas nullus merito possit reprehendere, nec propter eas male audiat Christiana religio. Notandum est, Apostolum a viduis ecclesiae alumnis id exigere, quod peculiari studio ab episcopis et diaconis, atque eorum uxoribus exegit; scilicet ut sint irreprehensibiles: ex quo intelligitur, hoc viduarum genus non vulgarem dignitatis et honoris locum in ecclesia habuisse. Id quod etiam Chrysostomus et Ambrosianus observarunt.

8. *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet.* Graecum relativum τις commune est utrique generi: ac multi putant foemininum genus reddendum fuisse: *Si qua,* ut ad viduam referatur, propterea quod de viduis sermonem continuet Apostolus; quasi dicat: *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, nec eorum curam gerit etc.* Sic intellexerunt Graeci, quibus Ambrosiana versio, quam imitatus est Erasmus, suffragatur. Et convenit hic sensus cum priori expositione partis illius superioris: *Discat primum domum suam regere* etc. Verum ibi satis ostendimus, longe probabilius eam partem referri ad filios ac nepotes: quare et hoc loco ad eosdem respicere Apostolum cum Hesselio existimamus, ita tamen ut generalis sit sententia, qua rem particularem confirmet.

Retinendum igitur est masculinum genus. Inter *suos* et *domesticos* illud discrimen esse videtur, quod *suos* vocet quomodocunque propinquos; *domesticos* autem, sanguine proximos, ut sunt parentes, fratres, filii, nepotes; quod domestica habitatione conjuncti esse soleant. Non-

nulli *domesticos* interpretantur fideles, quos Gal. 6. vocat *domesticos fidei.* Verum hic non additur, *fidei;* et id quod prius diximus, magis congruit textui, maxime, quia praecessit *domum suam regere. Curam* vero seu *provisionem* intelligit rerum ad vitam necessariarum.

Fidem negavit. Non quidem verbo, sed facto, sicut de quibusdam dicit ad Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Peculiariter autem per ea crimina quis censetur facto negare fidem, per quae fit ut alii Deum Christianorum blasphement, aut a fide ac religione ejus avertantur. Tale erat in primitiva ecclesia, si filii curam parentum egenorum abjicerent, si servi dominis obedientiam detrectarent, si Christiani tributum principibus negarent. Haec enim statim in injuriam religionis vertebantur. Unde cap. seq. servis praecipiens, quid dominis debeant, subjungit: *Ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Sentit ergo Apostolus, eum, qui propinquos, praesertim parentes senio confectos atque egentes deserit, perinde facere atque si fidem negaret. Nam fidei Christianae derogat, dum facto suo infideles a fide suscipienda avertit.

Et est infideli deterior. Quia nimirum infideles, etsi inimicos suos se odisse profiteantur, domesticorum tamen curam habere solent, ducti lege naturae; quam utique in hac re non violant. Igitur hac parte fidelis, si curam suorum non habeat, infideli deterior est. Dico, *hac parte;* nam absolute deteriorem esse, non est necesse. Notandum est autem, Apostolum non dixisse, *fidem amisit,* sed *negavit;* nec rursum dixisse: Est infidelis, sed *infideli deterior;* ne quis ex his Apostoli verbis colligat, fidem quocunque peccato mortali amitti. Quod a Luthero assertum, a Patribus Concilii Tridentini damnatum est sess. 6. cap. 15. et can. 17. Quin e diverso potius sequitur: Si est infideli deterior, ergo non est infidelis.

9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.* Quod ait, *eligatur,* potest dupliciter accipi, vel ut eligatur admittenda in numerum viduarum, vel ut praeficienda caeteris. Cajetanus pugnat pro sensu posteriori, putans eum manifeste probari ex eo, quod tanta aetas requiratur. Sed priorem sensum postulat vox Graeca, quae proprie non significat, *eligatur,* sed *allegatur,* uti verterunt Erasmus et Hentenius, id est catalogo adscribatur et in numerum referatur. Ita quoque Graeci et Latini plerique intellexerunt, inter quos videndus B. Hieronymus epist. 9. et 11. Idque congruenter scopo et contextui Paulino. Pergit enim in describenda vidua, quae assumatur ad beneficium sustentationis e fidelium oblationibus.

Itaque ne ecclesia gravetur aut male audiat, vult diligentem haberi rationem electionis hujusmodi; praescribens conditiones, velut ne recipiantur juniores, aut de incontinentia quomodolibet suspectae: item quae a propinquis ali possint, aut quae ipsae habeant, unde sustententur, sed vetulae, castae, pauperes ac desolatae, quaeque bonis operibus erga ecclesiam et filios suos exhibitis, hoc beneficii promeruerint. Quae quidem eligendae viduae disciplina nata est et propagata ab incunabulis ecclesiae, quoniam, sicut Act. 6. legitur: *Viduae honorabantur in ministerio quotidiano,* scilicet, alimoniae et sustentationis. Ex qua re negligentius observata natum illud murmur, cujus occasione constituti sunt diaconi. Adde, quod Apostolus viduae, quam hic praecipit eligendam, non opponit ex altera parte viduas, quae illi pareant; sed *adolescentiores,* quas vult rejici, ut ex sequentibus patet.

Exigit autem aetatem sexaginta annorum ob duas causas, tum quia in hac aetate non solet esse periculum incontinentiae; tum quia ante eam valentiores adhuc sunt foeminae, ut sibi victum opere aliquo comparare possint. Prior ratio Chrysostomi est, posterior Hieronymi in epist. ad Salviam et B. Thomae in commentario.

Sed contra priorem rationem objiciet aliquis: Nunc in ipso fervore aetatis vir-

gines ad continentiae professionem ab ecclesia recipiuntur, non igitur in viduis propter incontinentiae metum exspectanda erat tanta aetas. Primum respondeo, loqui Apostolum non absolute de viduis ad continentiae professionem admittendis, sed talibus, quae alantur ex facultatibus ecclesiae: itaque providendum, ne junioribus alendis, quae adhuc operari possunt, etiamsi serio continere velle videantur, ecclesia gravetur. Deinde, nondum tunc exstructa fuisse monasteria, seu claustra, quibus coercerentur foeminae continentiam professae, ne ad viros evagandi liberam potestatem haberent. Utramque responsionem indicat nobis Hieronymus in epist. memorata, et habet utraque fundamentum in ipso Apostolo.

Quae fuerit unius viri uxor. Id est quae non plures habuerit maritos quam unum, nempe successive. Nam ut una mulier plures simul maritos habeat, nulla lex, nulla gentium consuetudo unquam permisit aut permittit. Hinc clare docetur, etiam per illud cap. 3. *Unius uxoris virum,* excludi plures uxores successive, et non tantum simul habitas, ut volunt adversarii. Nec est quod respondeant, Apostolum hic usum verbo praeteriti temporis, *quae fuerit,* cum illic absolute loqueretur: hoc enim non obstat, quo minus eadem utrobique sit phrasis: loquitur autem hic de praeterito, quia de vidua sermo erat. Deinde perabsurdum est, a muliercula eleemosynis ecclesiae sustentanda Paulum exigere, ut monogama sit, id est tota vita non nisi unum maritum habuerit: episcopum autem, qui ecclesiae praeficiendus sit, admittere digamum et trigamum et ultra.

Porro cur monogamam requirat viduam, ratio manifesta est, quia saepius nupsisse, argumentum est incontinentiae, sicut contra uno viro contentam fuisse, decor est castitatis muliebris. Unde laudantur in scriptura Judith et Anna viduae, secundas nuptias non expertae, Judith. 15. et Luc. 2.

Sed quaeritur, an hic etiam sit agnoscenda aliqua ratio sacramenti, seu mysticae significationis; sicut de episcopo, presbytero, diacono ostendimus supra cap. 3. S. Thomas id negat et glossam interlinealem affirmantem rejicit. Atqui non sola glossa sacramentum agnoscit, sed et alii auctores: Lombardus, Carthusianus, Hesselius; nec sane improbabiliter. Recte enim intelligitur, Apostolum etiam hac consideratione rejicere viduam digamam, quod ea in matrimonio suo repetito non signarit Christi ecclesiam; sicut ab ordine sacro repellit digamum, quod ob eandem causam ineptus sit repraesentandae personae Christi. Hinc est, quod ecclesia digamum etiam illum interpretatur, qui viduam uxorem duxerit; eo quod ex parte uxoris, quae ecclesiam significat, plenitudo sacramenti non subsistat. Quamvis autem viduae, de quibus Apostolus agit, non ordinabantur ad ulla sacra ministeria (sexus enim muliebris hujus ordinationis incapax est), deputabantur tamen officiis quibusdam ad ecclesiae curam pertinentibus. Porro verisimile est, S. Thomam postea sententiam mutasse. Nam in supplemento tertiae partis, desumpto ex ejus scripto in 4. Sent., dicit q. 63. art. 1. ad 2. secundas nuptias carere honore significationis, quae est in primis nuptiis, ut una sit unius; sicut est in Christo et ecclesia. Idque repetit art. 2. ad 2.

10. *In operibus bonis testimonium habens.* Id est: Multorum testimonio subnixa, quod bonis et piis actionibus se diligenter exercuerit. Nam quae testimonio hujusmodi destituitur, non debet haberi digna publico ecclesiae subsidio. Sequuntur exempla quorundam bonorum operum.

Si filios educavit. Educationem intelligit bonam et sanctam, qua nimirum liberi ad pietatem instituuntur, et honestis moribus formantur. Contra quod peccant non solum quae male et negligenter liberos suos instituunt; verum etiam illae, quae molestiam fugientes, nutricibus educandas suas proles committunt. Si qua autem sterilis fuit, et liberos non habuit, isto testimonio non indiget.

Si hospitio recepit. Id est si hospitalitatem exercuit, de qua virtute diximus, ubi de episcopo agebatur. Erat haec virtus in exordiis ecclesiae valde necessaria; quoniam diversoria publica, propter corruptissimos ethnicorum mores, plena erant contaminationibus idololatricis, nec multum differebant a prostibulis; neque loca exstabant, quo pauperes possent divertere. Quaeret aliquis, quomodo a vidua paupercula exigat Apostolus hospitalitatem, cum ea sit virtus divitum; nam de pauperibus viduis constat hic esse sermonem. Respondeo non plus exigi, quam ut pro modulo suo eam virtutem exercuerit. Nam etsi pauper sit, inquit Chrysostomus, habet tamen domum, in quam peregrinum recipiat. Adde quod fideles erant re modica contenti, ac minime graves suis hospitibus. Siqua vidua ne istud quidem per inopiam praestare potuisset; neque hoc testimonio indigebat.

Si sanctorum pedes lavit. Sanctos vocat fideles, praesertim ecclesiae ministros et evangelii praedicatores; in quibus sanctitas magis elucet. Moris erat in Judaea locisque vicinis pedes ex itinere sordidos adventantium hospitum lavare. Quod obsequium leguntur etiam Abraham et Lot angelis hospitio receptis exhibuisse Gen. 18. et 19. Eodem pertinet, quod Christus dicit Pharisaeo: *Aquam pedibus meis non dedisti* Luc. 7. Nam et ipse suorum discipulorum pedes lavare non est dedignatus: idque nobis exemplum esse voluit idem faciendi. Verum hoc loco, synecdochice, sub lotione pedum omne genus humilioris obsequii, quod sanctis praestari solet, intelligendum venit. Itaque vult Apostolus viduam talem esse, quae sanctis etiam viliora ministeria prompte exhibuerit.

Si tribulationem patientibus subministravit. Id est si afflictis opem tulit, pecuniis, intercessione, consolatione et aliis quibus potuit modis. Afflictorum multa genera sunt: ut infirmi, debiles, orbi, captivi, pressi aere alieno, oppressi per injuriam etc. *Si omne opus bonum subsecuta est.* Id est *prosecuta*, ut vertit Hentenius; quemadmodum et legit Hieronymus in comm. super Zach. c. 8. paulo post init. Erasmus sententiam reddit, hoc modo: *Si in omni bono opere fuit assidua.* Atqui Chrysostomus et caeteri Graeci propius urgent verbum *subsequendi* seu *prosequendi:* tanquam dicat Apostolus: Etsi ipsa ob inopiam, aut ratione sexus, exsequi multa bona opera non potuerit, ea tamen sit, quae ad omne bonum opus praestiterit obsequium et particeps accesserit.

11. *Adolescentiores autem viduas devita.* Rectius alii vertunt, *rejice,* id est ne admittas in numerum viduarum ab ecclesia alendarum. Non enim vitari eas vult, sed non assumi. S. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. c. 74. ita citat: *Juniores autem viduas praeteri.* Postquam enim docuit, quaenam viduae sint eligendae, docet nunc, quae sint rejiciendae. De significatione Graeci verbi dictum est supra ad illud capitis praecedentis: *Ineptas et aniles fabulas devita. Adolescentiores* autem dixit interpres pro *juniores;* sicut superiore capite *adolescentiam,* pro *juventute.* Unde et hic paulo post *juniores* vertit. Non enim Apostolo tantum est sermo de viduis in aetate adolescentiae constitutis.

Sed quaeritur utrum comparativus proprie sumatur, ut sensus sit eas rejiciendas esse, quae minores sunt annis sexaginta, quam aetatem in assumendis viduis requirebat: an vero ponatur loco positivi, ut simpliciter praecipiat, juvenes viduas a beneficio sustentationis esse repellendas. Quod sane magis apparet ob rationem, quam continuo subjungit ex voluntate nubendi; ac magis etiam ex eo, quod postea dicit: *Volo ergo juniores nubere.* Neque enim exigit Apostolus, ut viduae quinquagenariae nubant. Pro positivo etiam facit, quod supra dixit: *Juvenes ut fratres, juvenculas ut sorores:* ubi significatio positivi est, licet in Graeco sit comparativus. Ambrosiana versio tam hic, quam illic, *adolescentulas* habet. Denique commentatores, Graeci juxta ac Latini, positive comparativum exponunt.

Est autem hujus praecepti ratio duplex. Una, ne junioribus alendis ecclesia gravetur, cum illae sibi possint suo labore victum quaerere. Et quidem hac sola ratione spectata, quadrat comparativa expositio; quoniam usque ad annum sexagesimum, ordinarie, possunt foeminae subire labores. Eam rationem innuit Apostolus, ubi cavet, *ne ecclesia gravetur, ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat.* Altera ratio, quia juniores viduae non erant admittendae ad professionem et votum castitatis. Prohibet, inquit Ambrosianus, adolescentulas viduas in hac suscipi professione. Lubricae enim aetati fides facile adhiberi non debet.

Eandem rationem communiter adferunt Graeci. Distinguunt enim quoad aetatem inter virgines et viduas ad professionem admittendas, quod virginibus continentiam professuris ideo non praescribatur aetas sicut viduis, quoniam virgines majori devotione ac fidei fervore castitatem amplectebantur; utpote adhuc integrae et a saeculo non praeventae. Deinde, nec id faciebant necessitate, aut spe alimoniae, sicut viduae. Postremo, quia viduae quaedam lapsae erant, et fidem Deo datam fefellerant; quod de virginibus professis nondum erat compertum. Hanc rationem ex voto continentiae sumptam ipse Apostolus adfert, et clare proponit sequentibus verbis:

Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt. Illud, *in Christo,* praecedentibus annectendum, non sequentibus; ut ex Graeco manifestum est. Atque eam constructionem suis commentariis probant non modo Graeci interpretes, sed et Latini vetustiores; quos etiam B. Thomas sequitur: etsi diversam structuram sequantur Anselmus et Haimo; quasi sensus conveniat cum eo, quod dicitur 1 Cor. 7. *Nubat cui vult, tantum in Domino.* Verum id minus recte; nam in Graeco non est praepositio, sed nudus genitivus τοῦ Χριστοῦ, qui non aliunde regitur, quam a verbo praecedente. Ejus autem verbi peculiaris est significatio, quam diligenter explicat Erasmus in suis annotationibus. Significat enim, prae deliciis lascivire et ferocire adversus aliquem: more jumentorum, quae copiosius pasta ferociunt in dominos et abruptis habenis suo feruntur arbitrio. Proinde Erasmus ita vertit: *Cum enim lascivire coeperint adversus Christum.* Hentenius autem sic: *Cum enim lascive egerint adversus Christum.* Denique Syrus vertit ad hunc modum: *Lasciviunt enim adversus Christum, et quaerunt ut sint viro.* Hieronymus quidem in epist. ad Ageruchiam de monogamina cap. 1. ita legit: *Cum lascivierint in Christo*; sed exponit ex Graeco, cum fornicatae fuerint in injuriam viri sui Christi. Vanum igitur est, quod suspicantur nonnulli, praepositionem *in* nunc in Graeco deesse, quae aliquando lecta fuerit. Respondet enim Latinum *in,* quod interpres dedit, Graecae praepositioni κατὰ componenti Graecum verbum et significanti contrarietatem, quum genitivo jungitur; ut potior suspicio sit Latinum nostrum interpretem vertisse, *in Christum,* id est adversus Christum: sicut et in Psalm. 2. Graece legitur κατὰ τοῦ etc., id est *adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

Quare sensus Apostoli est: Rejiciendas esse juniores viduas, quia postquam saginatae fuerint pane Ecclesiae, et in delicias carnales resolutae coeperint lascivire et proterve agere adversus Christum, quem sponsum elegerant, nubere volunt homini mortali, Christum fastidientes. Haec Graecorum expositio est, qui et colligunt ex hoc loco, viduam, de qua loquitur Apostolus, Christum habere maritum, id est professione castitatis ei conjunctam esse. Verba Chrysostomi sunt: *Et vidua igitur Christo in viduitatis professione consentit,* id est Christo tanquam sponso nubit. Haec vero Theodoreti: *Cum enim Christo professae sint in viduitate caste vivere, secunda matrimonia contrahunt.* Idem significant illa Hieronymi verba: *In injuriam viri sui Christi.* Nam quod ait: *Cum fornicatae fuerint,* speciem pro genere posuit,

quasi dicat: cum deliciatae fuerint, cum deliciis et voluptatibus sese dederint.

Nonnulli sic exponunt Apostolum: Cum habuerint temporalium abundantiam per Christum, id est intuitu professionis, qua se Christo devoverunt. Cum his sentiunt Aquinas et Cajetanus. Alii Graecum verbum in bonam partem interpretantur, hoc modo: Quum gustaverint delicias Christi, postea fastidire eas incipiunt et nubere volunt. Tradit hunc sensum Stapulensis, eundemque ex veteribus adstruere nititur Hesselius. Verum has expositiones textus originalis non admittit.

12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Damnationem,* Graece et Syriace: *judicium,* sed *judicium* pro condemnatione frequentissimum est Hebraeis. Nonnulli metonymiam hoc loco subesse putant, ut *damnatio* sumatur pro peccato damnatione digno. Non enim illae viduae damnationem jam habebant, sed peccatum, quo damnationem merebantur. Verum nihil opus hoc tropo, praesertim cum Graeca vox κρῖμα nusquam alibi pro peccato posita reperiatur: nam *habere damnationem* Apostolo non aliud est, quam obnoxium esse damnationi, etiamsi illa nondum praesens sit.

Jam quod nos habemus: *irritam fecerunt,* Graecis unum verbum est ἠθέτησαν, quod proprie significat *repulerunt,* sive quomodo plerique vertunt *rejecerunt.* Hinc autem consequens est id, quod noster vertit interpres. Nam qui datam fidem rejicit et ab ea recedit, eam irritam facit. Porro de fide consentiens est omnium orthodoxorum interpretum, tam Graecorum quam Latinorum, tamque veterum, quam recentiorum expositio: per eam significari fidem promissionis Christo factae, votum Christo nuncupatum, pactum cum eo initum continentiae deinceps servandae. His enim hujusmodi verbis istam fidem explicant atque hunc sensum reddunt. Eo ipso, quo nubere volunt, obnoxiae sunt damnationi aeternae, quia fidem, qua pactae fuerant Christo sponso continentiam se servaturas, abjecerunt et violaverunt, alium quaerentes maritum.

Fidem exponunt hoc modo non solum commentatores, verum et caeteri Patres passim in suis scriptis atque imprimis Augustinus, qui lib. de bono viduitatis cap. 8. sic habet: In virginali et viduali continentia excellentia muneris amplioris expetitur; qua expedita et electa, et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam, si non nubatur, nubere velle damnabile est. Similia docet ejusdem lib. cap. 9. et 10. Idem in exposit. Psalm. 75. Quid est, inquit, *primam fidem irritam fecerunt?* Voverunt, et non reddiderunt. Eundem Augustinum vide lib. de sancta Virg. cap. 33. et 34., lib. 1. de adult. conjug. cap. 24. et 25. et epist. 70. Consulantur et alii Patres: ut Cyprian. epist. 11. lib. 1. ad Pompon., Basil. lib. de Virg., Epiphan. in haeresi Montan., quae est 48. et in haeresi Apost., quae est 61. Hieronymus lib. 1. contra Jov. et in Epist. ad Furiam de viduit. servanda et in fine Epist. ad Demetr., Innocent. I. Epist. 2. cap. 12. et 13., Fulgentius Epist. 1. cap. 6. Quibus accedit Concilium Carthaginiense 4., cui B. Augustinus interfuit can. 104., in quo dicitur viduas, quae se devoverunt Domino, si postea ad nuptias saeculares transiverunt, secundum Apostolum habere damnationem, quia fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausae sunt.

At vero haec Apostolicae sententiae interpretatio sectariis, qui vota praesertim continentiae oderunt, non placet. Unde alios sensus hujus loci commenti sunt. Plerique eorum fidem Christianam significari volunt, qua nimirum Evangelio creditur, et a qua Christiani vocamur, tum quoniam ea simpliciter est prima homini Christiano, tum quod haec fidei acceptio tritissima sit in Epistolis Apostolicis. Qua etiam utraque ratione oppugnant Catholicorum expositionem. Quibus respondeo: Si de fide Christiana loqueretur Apostolus, omnino frustra praemisisset: *nubere volunt.* Nam sive nubere velint, sive non, *damnationem habent,* quae recedunt a

fide Evangelii. Manifestum est autem, Apostolum hoc in eis culpare, *quod nubere volunt.* Non ergo de fide Christiana, cui nuptiae non repugnant, loquitur: sed de ea fide, qua castitatem Deo professae, nuptiis renuntiarunt. Quam Apostolus primam fidem vocat, non quod eam nulla fides praecesserit, sed Hebraea phrasi primam, id est priorem seu antea datam. Sic Apoc. 2. dicitur: *Prima opera fac.* Non *prima* omnium, nam ea opera mala erant, sed *prima,* id est priora. Tale est illud ibidem: *Charitatem tuam primam reliquisti,* id est priorem. Et illud Lucae Act. 1. *Primum quidem sermonem feci,* id est priorem. Loquitur enim de priori libro a se conscripto. Sic priorem ad Corinthios Epistolam, vocamus primam: quae phrasis etiam Graecis est familiaris.

Quod autem ad fidei vocabulum attinet, etsi in Epistolis Apostolicis, ratione materiae, frequentissima sit mentio fidei, qua creditur in Christum: non raro tamen etiam ea fides nominatur, quae in servandis promissis consistit, ut Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Gal. 5. *Mansuetudo, fides, modestia.* 2 Tim. 4. *Fidem servavi.* Nec alia fides intelligitur, quoties Deus fidelis in Scripturis vocatur. Qua significatione etiam homines fideles appellat Apostolus, ut hujus Epist. cap. 1. *Fidelem me existimavit, ponens in ministerio,* et cap. 3. *Fideles in omnibus.*

Potest autem adversariorum expositio etiam ex alio ipsorum dogmate refelli. Negant enim, fidem Christianam semel habitam amitti posse, quomodo igitur eam olim susceptam viduae, de quibus hic agitur, abjiciunt et irritam faciunt? Alii proinde non fidem ipsam, sed fidei professionem in baptismo factam intelligunt. Sed et hic sensus eodem argumento, quo superior, ex Apostoli verbis sumpto eliditur. Nihil enim ad hunc sensum pertinet, quod praemisit: *nubere volunt,* neque enim in baptismo promiserunt se non nupturas, aut si promisissent, secundum adversarios male fecissent, nec voto tenerentur. Alii sic exponunt: Nubere volentes, damnationem habent, id est reprehensionem ac perpetuam ignominiae maculam incurrunt, quia fidem priori ac defuncto marito datam, irritam fecerunt. Sed haec coacta est et a Scripturis aliena *damnationis* interpretatio. Deinde sensus iste adversatur ipsi Paulo docenti Rom. 7. et 1 Cor. 7. mulierem, postquam dormierit vir ejus, liberatam esse a lege viri, ut cui vult, nubere possit. Quod si fidem priori marito datam intelligunt, de non nubendo alteri post ejus mortem: hujusmodi fidem seu promissionem ipsi sectarii non probant, nihilo magis, quam continentiae promissionem Deo factam.

Porro Calvinus, etsi de fide baptismi locum hunc interpretetur; videns tamen elabi se non posse, propter illud: *Nubere volunt,* quod cum ea interpretatione nullo modo cohaeret: tandem admittit expositionem veterum de pactione, seu voto continentiae, verum id cum duplici reprehensione Catholicorum. Duabus, inquit, de causis tyrannicam de coelibatu legem maxime improbamus; quod scilicet cultum esse fingunt coram Deo meritorium; et quod vovendi temeritate praecipitant animas in exitium. Cui respondetur, non esse Catholicorum figmentum, sed doctrinam a Christo et Apostolis, et tota antiquitate traditam, per continentiam virginalem ac vidualem, perinde ut per alias virtutes, si recto fine exerceantur, homines Deo placere, et ad consequendam regni coelestis beatitudinem promoveri. Laudat Christus eunuchos, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum, Matth. 19. Paulus dicit, mulierem innuptam et virginem cogitare, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, 1 Cor. 7. Jovinianus ab Ecclesia damnatus est, quod conjugium aequaret virginitati, et par in utroque meritum poneret. Augustinus lib. de sancta virgin. cap. 13. *Mirabiliter desipiunt,* inquit, *qui putant hujus continentiae bonum non esse necessarium propter regnum coelorum, sed propter praesens saeculum etc.*

Quod ad vovendi temeritatem attinet, vitium est quorundam, sed ab Ecclesia

semper improbatum, ut quae suis legibus diligenter cavet, ne quis temere castitatem voveat. Unde et annum probationis jam olim instituit: ac ne quis ullam virginem, aut viduam, aut aliam quamcunque mulierem ad emittendam professionem quomodocunque cogat invitam; nemo consilium, auxilium, aut favorem ad eam rem praestet; suamve praesentiam, consensum, vel auctoritatem actui hujusmodi quoquo modo interponat: sub poena anathematis in Synod. Trid. interdixit sess. 25. de reform. de regularibus et monialibus cap. 18. Ampliorem refutationem falsarum expositionum hujus loci vide apud Hesselium.

Si quaeras, an nuptiae viduarum, quae continentiam voverant, ratae fuerint, an irritae: respondeo cum eodem doctore, nusquam legi apud veteres, quod irritae fuerint. Neque enim votum earum erat solemne, quale est virginum, quae vitam profitentur monasticam. Unde Epiphanius in haeresi Apostolicorum ejusmodi matrimonia sive a viduis, sive a virginibus inita, graviter quidem reprehendit, vera tamen esse conjugia satis aperte significat. Similiter Cyprianus lib. 1. ep. 11., Innocent. I. epist. 2. cap. 13. et Augustinus lib. de sancta virgin. cap. 34. et lib. de bono vid. cap. 10. Hujus rei argumentum est, quod Ecclesia nunquam legatur ea matrimonia dissolvisse, sed tantum contrahentibus poenitentiam imposuisse, ut videre est in Synodo Carthaginiensi 4. cap. 104. Quaeri hic posset, quomodo non secum pugnet Apostolus, hoc loco damnans adolescentiores viduas nubere volentes; cum paulo post dicat: *Volo juniores nubere.* Verum responsio patebit ex ejus loci commentario.

13. *Simul autem et otiosae discunt circuire domos.* Alia recenset incommoda, propter quae juniores viduae non sint in alimoniam ecclesiasticam assumendae. Dum enim vitae sustentationem accipiunt ab Ecclesia, libere otiantur, pares se facientes vetulis, quae laborare non possunt; otiantes vero, nec domi habentes quod agant, nec virum quem metuant, discunt, id est assuescunt vagari per domos, quod prorsus alienum est ab honestate muliebri, nec non pudicitiae earum periculosum. Hinc patet, viduas, de quibus agit Apostolus, non fuisse conclusas; ut hodie sunt sanctimoniales.

Non solum otiosae. Graeca addunt *autem: Non solum autem otiosae,* quemadmodum et Ambrosianus legit. Ea conjunctio non erat negligenda: nam ad epitasin facit, unde alii vertunt: *Imo non solum otiosae. Sed et verbosae.* Graeca vox significat garrulas et inepte loquaces. Vitium est muliebre, sed earum maxime, quae otio deditae sunt.

Et curiosae. Id est rerum alienarum et ad se non pertinentium indagatrices. Est enim *curiositas,* inordinata et immoderata cognoscendi cupiditas. Hoc autem vitium otiositatis proprius est foetus. Unde ajebat ille: Tantumne tibi abs re tua est otii, aliena ut cures? Porro curiositas loquacitatem parit. Nam curiosi, ut aliena discant, alibi visa vel audita referunt: deinde haec rursus apud alios effutiunt. *Loquentes, quae non oportet.* Sive quia secreta, quae audierint, produnt: sive quia detrahunt aliorum famae: quod utrumque ad intemperantiam linguae pertinet: sive quia verba proferunt interdum parum honesta et pudica: quod provenit ex lascivia.

14. *Volo ergo juniores nubere.* Non hoc dicit Apostolus de junioribus illis viduis, quae jam voverant, se non amplius nupturas: neque enim eas vult praecipitare in damnationem: nam si damnationem habebant nubere volentes, quanto magis nubentes? Sed loquitur de junioribus in genere: quas repelli vult a beneficio sustentationis, et non admitti in numerum viduarum Ecclesiae, ne postea luxurientur adversus Christum, et nubere volentes, fidem ei datam irritam faciant, et per hoc certam incurrant damnationem. Unde liquet, hunc locum superiori non esse contrarium, ubi dixerat: *Nubere volunt, habentes damnationem.*

Sed quaeritur, quomodo cum hac sententia non pugnet, quod idem Apostolus

ait 1 Cor. 7. *Volo omnes esse sicut me ipsum;* et peculiariter de vidua: *Beatior erit, si sic permanserit.* Responsio: Apostolus hoc loco id velle se dicit, quod absolute, et omnibus circumstantiis consideratis expedire videbat istis junioribus viduis. Ad Corinth. autem priore loco tantummodo desiderium suum exponit, quod tamen videt non posse impleri. Addit enim: *Sed unusquisque donum suum habet a Deo.* Posteriore autem loco declarat quidem in genere, quid sit melius: non tamen omnes viduas ad id hortatur: sciens non omnes capere posse, sed proponit excellentiam virtutis et praemii, ut quae possunt capere, capiant. Quod ergo hic dicit: *Volo juniores nubere,* secundum indulgentiam dicit, non secundum imperium, sicut illud 1 Cor. 7. *Iterum revertimini in idipsum.* Quodque illic addidit: *propter incontinentiam vestram,* idem et hic addi potuit et intelligi debet, quasi dicat: Quoniam in junioribus viduis video periculum incontinentiae et damnationis, si voveant, idcirco volo eas nubere.

Illud ergo *volo,* non est praecipientis, sed suadentis et consulentis minus bonum, quod est nubere, respectu continentiae vidualis; imo et minus malum proponentis, quale est nubere per incontinentiam, respectu fornicationis et violationis voti. Quare ex hoc loco, sicut et ex altero jam citato ad Corinthios bene colligitur, quod licitum sit proponere minus peccatum ei, qui in gravius peccatum alioqui sit prolapsurus. Non enim id est consulere peccatum simpliciter, sed sub ratione minoris. Huic nostrae responsioni consentanea scribunt Ambrosius lib. de viduis paulo post init., Hieronymus in epist. ad Ageruchiam, expresse exponens, Apostolum haec dicere secundum indulgentiam, non secundum imperium; Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 8.

Sed objiciunt adversarii: Si voluntas aut consilium Apostoli est, ut juniores viduae nubant, male igitur Ecclesia passim adolescentulas ad professionem castitatis admittit. Quin et Cajetanus in comment. Utinam, inquit, hodie disceremus ab hujusmodi experientiis, an prosint juvenilis aetatis utriusque sexus solemnia vota, tum sacrorum ordinum, tum religionum.

Primum respondeo, de viduis Apostolum hic loqui, non de virginibus; nam de his apertum habemus Apostoli consilium 1 Cor. 7. *ut sic permaneant,* ac definitam sententiam, qua dicit *eum, qui matrimonio jungit virginem suam, bene facere, sed qui non jungit, melius facere.* Non est autem de virginibus et viduis eadem ratio, nam multas ob causas facilius continent virgines, quam viduae, quemadmodum et Hieronymus in memorata Epist. testatur. Unde et probabile de vidua argumentum est: Si cum virgo esset, continere non potuit; igitur neque post expertas nuptias continere poterit. Deinde non de omnibus et singulis viduis junioribus loquitur Apostolus, sed de ipso genere. Sentit enim, plerasque tales esse, ut eis nubere magis expediat, quam continentiam vovere; illo praesertim tempore, quo necdum instituta erant monasteria, in quibus clausae et a saeculari conversatione remotae sub disciplina praepositarum viverent. Et hic quidem omnes juniores viduas repelli a beneficio sustentationis, quum ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum,* non tamen omnes vult nubere, sed plerasque, ut dictum est. Alioqui etiam viduis ad nubendum aptis continentiam suadet 1 Cor. 7. Cum enim de vidua dixisset: *Cui vult, nubat, tantum in Domino;* subjungit: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.*

Quod autem virgines adolescentulae recte ad professionem castitatis admittantur, perspicue et pulchre docet Ambrosius lib. 3. de virginibus. Idque adeo perpetua Ecclesiae consuetudine firmatum est in juvenibus utriusque sexus ad ejusmodi professionem admittendis, ut magnae temeritatis et impudentiae sit, id an recte fiat, in dubium revocare. Tantum hoc agendum, ut circa personas assumendas sacri canones et monasticae constitutiones bene observentur.

Filios procreare. Graece τεκνογονεῖν, a quo τεκνογονία, de qua superius cap. 2. *Salvabitur autem per filiorum generationem;* ex quo liquet, eo verbo comprehendi totam liberorum educationem. Hanc autem intelligit rectam, legitimam et Christianam. *Matresfamilias esse.* Graeca vox significat: *domum regere,* id est familiam administrare. Quod quidem mulieris officium est, sed sub potestate ac regimine viri: idque dicitur ad differentiam negotiorum civilium ac publicorum, quae nihil ad mulierem, sed proprie ad viros pertinent. Haec officia, quae sunt *liberos educare* et *domum gubernare,* mulieri praescribit Apostolus non tanquam meliora aut aequanda, cum iis officiis, quibus vacant virgines et viduae castitatem professae, ut volunt haeretici; cum istae secundum Apostolum *cogitent, quae Domini sunt, ut sint sanctae corpore et spiritu* 1 Cor. 7., cumque ut ait hoc ipso capite: *ea, quae vere vidua est, speret in Deum, et orationibus instet nocte ac die;* sed ut illae, quae majus bonum per incontinentiam non assequuntur, malo suo bene utentes, intra honesti conjugii fines et officia contineantur, quemadmodum Augustinus docet libro de bono conjugali cap. 3., et libro 1. de nuptiis et concup. cap. 16. Denique ita fit, ut a vitiis supra nominatis, otio, discursu, loquacitate, curiositate retrahantur; utpote domesticis actionibus occupatae et maritis evagationem prohibentibus.

Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Sive *ad maledicendum,* ut alii vertunt. *Adversarium* non diabolum intelligit, ut quidam putant, is enim semper maledicit et calumniatur, etiam nulla data occasione, sed hominem Christianae religioni inimicum, sive gentilis ille sit, sive Judaeus. Est enim hic locus similis illi Tit. 2. *Ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Unde etiam intelligitur hac parte causam indicare praecedentium. Nam idcirco vult juniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse, ut sub jugum matrimonii redactae et conjugalibus officiis implicatae, non habeant libertatem, neque spatium evagandi et caetera mala, quae superius memorata sunt faciendi, per quae infidelibus et Christiani nominis adversariis, occasio daretur male loquendi de religione et instituto Christianorum.

15. *Jam enim quaedam conversae sunt retro Satanam.* Clarius alii vertunt: *Jam enim quaedam adversae sunt,* sive *deflexerunt post Satanam.* Ambrosianus: *Deerraverunt abeuntes post Satanam.* Sensus est: eas a Christo aversas, Satanam, id est diabolum secutas esse. Sed qua in re id fecerint, non explicat. Quidam interpretantur, quia nupserunt contra votum: alii, quia fornicatae sunt: quod est probabilius. Ex hoc enim facto major occasio maledicendi suppetebat adversario. Potest etiam referri ad desertionem religionis. Per hanc enim religio multum infamatur.

Hic insurgit Calvinus et dicit: Si quarumdam juniorum viduarum defectio satis validum argumentum Paulo fuit, ut remedium universale quaereret, quam multa hodie Papistis argumenta essent abolendi impuri sui coelibatus! etc. Sed huic adversario breviter respondetur, Paulum non hic condere universale praeceptum, quo omnes juniores viduas a voto continentiae arceat, vel omnes ad nuptias compellat: sic enim suo ipsius consilio, quod viduis dedit ad Corinthios scribens, adversaretur: sed, sicut supra declaratum est, simpliciter quidem vetat juniores recipi in numerum viduarum, quae ab Ecclesia alantur: si tamen earum quaedam, ut Domino placeant, continentiam et vovere, et servare ex animo velint, nequaquam prohibet, neque ad nubendum cogit. Sed quia paucae tales erant, multitudini consulens, in genere dixit: *Volo juniores nubere,* quia scilicet pleraeque ejusmodi erant, ut propter ipsarum incontinentiam omnino eis expediret nubere. Porro si leges omnes, quae a multis male servantur, abolendae essent, quod Calvini ratiocinatio praetendit:

quam, obsecro, bonam legem reliquam haberemus?

16. *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis.* In Graeco utrumque genus exprimitur, sicut et in MSS. Laudensi, nec non apud Ambrosianum. Sic enim legit: *Quod si quis fidelis aut si qua fidelis habet viduas, sufficienter subministret illis.* Congruit hic locus cum illo superiori: *Si qua vidua filios aut nepotes habet* etc. Nisi quod praesens sententia generalior est, non solum pertinens ad filios et nepotes, qui ad alendas matres viduas arctiori vinculo tenentur; verum etiam complectens agnatos atque affines viduarum, aut etiam dominos ac dominas, qui vel quae illarum opera et famulatu usae fuerant. Quos omnes monet, ut viduas hujusmodi aliqua necessitudine sibi conjunctas, quae per aetatem aut infirmitatem solitos labores subire non possunt, de suis facultatibus alant; tum quia Christiana charitas, adeoque aequitas id postulat, tum ob rationem sequentem: *Et non gravetur Ecclesia;* scilicet earum alimoniis, id quod textus Ambrosianus exprimit. Contingeret autem gravari Ecclesiam, si omnes viduae, tametsi egentes, ei traderentur alendae.

Ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat. Id est suppeditet, sufficienter provideat Ecclesia. Nam ad Ecclesiam hoc referendum liquet ex Graeco. Est enim idem verbum, quod paulo ante *subministret. Vere viduas* vocat desolatas ac destitutas humanis subsidiis, quemadmodum superius explicavit ipse Apostolus. Tales autem non sunt, quamdiu propinquos aut amicos habent, a quibus sustententur. Locus hic notari potest adversus eos, qui cum de suo satis habeant, unde vivant, ecclesiasticis beneficiis impinguantur; aut qui uno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti, plura accumulant. Nam si fidelis habens viduas, subministrare illis jubetur, ut iis, quae vere viduae sunt, alendis Ecclesia sufficiat: quanto magis qui vel patrimonium vel unum habent ecclesiasticum beneficium, ex quo sufficienter ali possint, abstinere debent a gravanda Ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos divina celebrentur officia et Christiani populi salus procuretur.

17. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Ab honore viduarum transit ad honorem presbyteris debitum. *Presbyteros* autem intelligit non aetate, sed ordine; sic tamen, ut etiam episcopos comprehendat. Nam Asia, cujus metropolis erat Ephesus, plures habebat episcopos, qui et presbyteri vocabantur, ut patet Act. 20. *Vocavit,* inquit, *majores natu Ecclesiae,* Graece *presbyteros;* et infra: *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Certe in eo, quod dictum est capite superiori: *Cum impositione manuum presbyterii,* episcopos intelligi, manifestum est. Quod autem etiam presbyteri episcopis inferiores hac parte comprehendi debeant, paulo post ostendemus. Quamvis enim proprie episcoporum sit Ecclesiis praeesse, quod in Actis vocat *regere Ecclesiam Dei,* tamen et reliqui presbyteri episcopo subjecti suo modo praeerant et regebant Ecclesiam, quemadmodum et hodie presbyteri Curati.

Duplicem honorem, Ambrosianus interpretatur coelestem et terrenum. Nonnulli honorem reverentiae et subsidii, sive aliis verbis, honorem dignitatis et commodi temporalis. At rectius alii duplicem honorem sustentationis, quem assignari censent presbyteris duplum, comparatione viduarum. Cujus expositionis meminit Chrysostomus. Verum magis adhuc placet ejusdem Chrysostomi et aliorum commentarius, quo *duplicem honorem* interpretantur benignam ac liberalem sustentationem, rerumque necessariarum subministrationem. Nam *honoris* quidem nomine subsidium vitae significari, quatenus in testimonium virtutis aut excellentiae cujusdam praebetur, jam ex superioribus et aliunde patet. Hinc stipendia pastoribus, professoribus, praefectis debita, Latinis honoraria vocantur. Duplex autem Hebraeis dicitur multum et copiosum, ut Jes. 40. *Suscepit de manu*

Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, et Jerem. 16. *Reddam duplices iniquitates et peccata eorum,* et cap. 17. *Duplici contritione contere eos.* Quomodo et illud videtur intelligendum, quod Elisäus ad Eliam dixit 4 Reg. 2. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.*

Igitur in hoc Apostoli praecepto fundatur liberalis alimentatio pastorum seu parochorum. Sed cave, ne hinc colligas, licitam esse pluralitatem beneficiorum ecclesiasticorum, quae singula singulis deputata sunt ministris. Tantum enim hinc statuitur, ea satis ampla esse debere ad honestam ministrantium sustentationem, praesertim eorum, qui praesunt; non quidem, ut superabundent ac divitias congerant, sed ut eis pro conditione ac statu suo affatim necessaria suppetant, nec desit, quod indigentibus tribuant.

Maxime qui laborant in verbo et doctrina. Id est qui docendo Dei verbo sunt intenti, qui evangelicae praedicationi diligenter incumbunt. Id enim episcoporum praecipuum est munus. Dicit autem: *qui laborant,* quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parvi laboris est. Unde mox Paulus hujusmodi doctorem comparat bovi trituranti et homini operario, id est servile opus exercenti.

Porro manifeste colligitur ex hac sententia, fuisse etiam Apostolorum tempore quosdam in Ecclesia presbyteros, qui et bene praeessent et duplici honore digni essent, nec tamen laborarent in verbo et doctrina. Neque id hodierni sectarii negant, sed hoc ad suos seniores detorquent, quorum officium in eo constituunt, quod una cum ministris verbi, quos dicunt, communi consilio et auctoritate, ut loquitur Calvinus, Ecclesiae disciplinam administrent. Atque in eo fundare se putant sua seniorum conciliabula, quae consistoria vocant.

Ad eam rem adducunt testimonium ex Ambrosiano commentario super illud: *Seniorem ne increpaveris,* ubi dicit auctor ille: Sicut olim Synagogam, ita postea Ecclesiam seniores habuisse, quorum sine consilio nihil ageretur in Ecclesia. *Id autem,* inquit, *qua negligentia obsoleverit, nescio; nisi forte doctorum desidia aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* Sed respondetur: auctorem illum loqui de presbyteris ecclesiastico ritu ordinatis, non de laicis, ut haeretici volunt, ob gravitatem et prudentiam, quam dicunt, ad consilium et gubernandi societatem assumptis.

Sciendum quoque est, hunc Pseudambrosium, qui verisimiliter diaconus fuit Ecclesiae Romanae, iniquiorem episcopis fuisse. Quod enim ille episcoporum desidiae ac superbiae adscribit, Hieronymus non uno loco in aliam refert causam, scilicet ut schismatis occasio tolleretur, quae ex illa communi ratione gubernandi metuebatur. Quamquam nec verum est, omnino cessasse in Ecclesia consilium presbyterorum. Nam et Romanus Pontifex suos habet Cardinales, et caeteri Episcopi suos presbyteros canonicos, quos velut consiliarios adhibent, si quando gravius aliquid inciderit.

An autem hujus generis presbyteri fuerint, qui tempore Pauli bene praeerant, nec tamen in verbo nec doctrina laborabant; an vero potius ii significentur, qui Episcopis et pastoribus subsidiariam praestabant operam in offerendo sacrificio et administrandis sacramentis; an denique respiciatur ad episcopos bene regentes plebem, non tamen habentes gratiam verbi, quales aetate Augustini erant Alipius et Valerius episcopi: dubitari potest. Quamvis enim in episcopo requirat Apostolus, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* Tit. 1., pauci tamen reperiebantur, qui id satis praestare possent.

Verumtamen magis apparet, secundum genus presbyterorum significari; videlicet eorum, qui cum ad praedicationem verbi minus essent idonei, sacramentorum ministerio vacabant, et per hoc participes erant praefecturae et jurisdictionis in populum. Constat enim, Apostolos et eorum successores Episcopos quorumdam Sacramentorum administrationem aliis deman-

dare solitos. Nam sicut Christus non per se baptizabat, sed per discipulos Joan. 4., ita et Apostoli, exemplo ejus edocti, ne quo pacto a praedicatione verbi impedirentur, fere non per se, sed per alios baptizabant; ut probant exempla Petri et Pauli Act. 10. et 19. et 1 Cor. 1. De Episcopis autem intelligi posse non existimo. Quamvis enim contingat esse episcopos bene regentes, et gratiam verbi non habentes; non tamen credo eum permisisse Timotheo, cui praescripsit regulam assumendi episcopi, in qua dicitur, quod oporteat eum esse doctorem, ut assumeret episcopum non doctorem, id est non aptum ad docendum populum.

18. *Dicit enim Scriptura: non infraenabis os bovi trituranti.* Ex scriptura Deut. 25. confirmat suum praeceptum. Nam lex illa moraliter significat, praefectis ac praedicatoribus verbi Dei non parce, sed liberaliter, velut ex pleno acervo victum esse suppeditandum. Etenim et alibi in scriptura nomine bovis praedicatores Evangelii mystice significati sunt, ut Prov. 14. et Jes. 32. Ambrosianus legit: *Non infraenabis bovem triturantem:* nam *os* in Graeco non exprimitur, uti nec in Syriaco, sed includitur in verbo φιμώσεις, quod significat obligare, obstruere os; id quod fraeno, vel simili instrumento in os immisso fieri solet. Noster interpres 1 Cor. 9., ubi eadem est citatio, vertit: *Non alligabis* etc. Ex eodem Apostoli loco, ejusque commentario, petatur hujus testimonii plenior expositio.

Et dignus est operarius mercede sua. Quaerunt interpretes, ubi hoc dicat scriptura. Sunt, qui referant ad illud Lev. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Sed verborum hic nulla similitudo, licet res aliquo modo conveniat. Alii putant citari scripturam Evangelicam. Nam Luc. 19. Christus hanc sententiam totidem verbis pronuntiavit. Sed non est verisimile, Paulum aliquid ex Evangelio Lucae discipuli sui citasse; praesertim cum id tunc nondum scriptum fuisse videatur. Itaque rectius illi, qui negant hac parte citari aliquod scripturae testimonium. Nam illud praecedens: *Dicit enim scriptura;* tantum referri debet ad testimonium proxime sequens: *Non infraenabis* etc. Huic autem scripturae subjungit Apostolus alteram sententiam, ex rebus humanis atque a sensu communi sumptam; quemadmodum et Christus eam protulit. Omnibus enim ratio dictat, operario mercedem deberi. Nam et alia quaedam hujusmodi congerit Apostolus 1 Cor. 9., ab eo loco: *Quis militat suis stipendiis unquam* etc.?

Neque vero significat hac parte, subsidium temporale habere rationem mercedis, quam praedicator Evangelicus pro labore et opera sua recipiat: id enim esset vendere Evangelium, quod gratis debet annuntiari. Sed sensus Apostoli est, sicut operarius dignus est mercede, unde vivat; ita et Evangelii ministrum dignum esse honorario, subsidio, unde sustentetur. Tantum enim in hac comparatione spectatur sustentatio operanti debita. Unde et Christus Matth. 10., eandem sententiam adferens, pro *mercede, cibum* nominavit: *Dignus est,* inquit, *operarius cibo suo.*

Sed objiciet aliquis: Haec Pauli doctrina tantum pertinet ad presbyteros, qui bene praesunt, quique laborant instar bovis triturantis et hominis operarii; ergo presbyteris et pastoribus otiosis, et officium non facientibus, aut etiam scandalose viventibus nihil subsidii debetur. Respondeo, quorundam sententia nihil deberi, si solum spectetur jus naturale; quod solum hoc loco et 1 Cor. 9. prae oculis habet Apostolus; sed sicut in veteri lege sacerdotibus, etiam improbis, solvendae erant decimae Mal. 2. et 3., ita et nunc jure positivo deberi presbyteris, etiam malis et ab officio cessantibus, ea quae simpliciter eis data, aut legata sunt, id est sine obligatione certorum officiorum; etiamsi is, qui dedit, aut legavit, bene speraverit, eos officium facturos. Quod si accesserit obligatio: non tamen licebit subditis, seu parochianis, consuetas decimas aut quippiam tale pro

suo arbitrio pastoribus sive praelatis officia debita non praestantibus subtrahere; sicut docebat Joannes Wicleff art. 18. Constantiae damnato: sed super ea re sententia judicis ecclesiastici erit exspectanda. Quanquam illud constat ex canonibus et pontificum decretis, eos qui beneficia possident ecclesiastica, si debita officia non persolvant, ad restitutionem fructuum perceptorum teneri.

19. *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Graeci *presbyterum,* aetate seniorem intelligunt et juniori opponunt; quasi adversus juvenem admitti possit accusatio, adversus senem non item. Cum his sentire videtur Cyprianus ex eo, quod Latine legat, *majorem natu* lib. 3. Testim. ad Quirinum cap. 76. Alii vero omnes exponunt de eo, qui ordinatione, seu dignitate presbyter est: idque sane postulat contextus sermonis Apostoli. Nam de hujusmodi presbyteris proxime locutus fuerat: et sicut ibi praeceptum Timotheo dedit de iis sustentandis, ita nunc praecipit de iisdem judicandis, si forte deliquerint. Est autem verisimile, eo nomine etiam hoc loco Episcopum comprehendi, quemadmodum in praecedentibus. Etenim si cautio, quam hic praescribit, adhibenda est in presbytero accusato; quanto magis in Episcopo? Erat autem Timotheus Ephesi, velut in metropoli, constitutus a Paulo non solum presbyterorum, verum etiam caeterorum Asiae Episcoporum Judex, apud quem illorum causae tractari deberent. Et quidem de Episcopis manifeste exponit Apostolum Sixtus II. Papa Epist. 2.

Notandum est autem, veteres quosdam absolute legere, *adversus presbyterum accusationem ne receperis,* non addita exceptione: *Nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Ita Cyprianus loco memorato; nec non expositores Ambrosianus, Pelagius, Primasius, Oecumenius, qui omnes in suis commentariis exceptionem hanc non agnoscunt, licet in textum apud eos irrepserit. Neque tamen isti sentiunt hoc Apostolum velle, ut adversus presbyterum nunquam admittatur accusatio; sed, ne facile admittatur. Majorem natu, ait Cyprianus, non temere accusandum. Meminit hujus variae lectionis Hieronymus in Epist. ad Marcellam num. 102., sed ita, ut vulgarem lectionem omnino praeferat; quae eadem reperitur etiam in epist. supr. citata Sixti Pontificis.

Jam quaeret aliquis, quid hic peculiare de presbyteris accusatis praecipiat Apostolus; cum lex sit omnibus communis, ne quis uno contra se dicente testimonium condemnetur, sed ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Deut. 17. et 19. Qui testium numerus etiam positiva Ecclesiae lege determinatus est. Quidam respondent, Apostolum tacite uti argumento a minore: Si nemo, ne laicus quidem, condemnandus est ex unius testimonio, quanto magis id cavendum in presbytero? Sed melius ac promptius alii quaestionem solvunt ex ipsis Apostoli verbis, qui non dixit: presbyterum accusatum ne condemnes, sed: *Adversus presbyterum accusationem ne recipias, nisi* etc. Est autem longe aliud condemnare, et accusationem recipere. Praecipit igitur Apostolus, ne recipiendam quidem esse judici accusationem, id est, accusantis actionem, adversus presbyterum, nisi testium qualitate prius examinata. Ita post Aquinatem Cajetanus. Non vult Apostolus, inquit, ut accusatione admissa presbyter subjaceat discrimini progressus, utrum testes sint sufficientes, an deficiant: sed ut ipsa accusatio non admittatur, nisi constet de sufficientibus et idoneis testibus. Et hoc est privilegium presbyterorum ex hac Pauli ordinatione. Sic ille.

Hujus autem praecepti, seu privilegii ratio reddi potest, tam ex parte presbyterorum, quam subditorum. Nam presbyterorum magna dignitas est; ac totius interest Ecclesiae, ne facile eorum existimatio laedatur. Quod contingeret, si statim absque legitimis testibus admitteretur eorum accusatio. Subditi vero plerumque erga praelatos et pastores suos iniquiores sunt, et lapsus eorum justo gravius solent

exaggerare. Quidam etiam severitate eorum aut correptionibus offensi, male erga eos affecti sunt; et per hoc ad accusandum, vel dicendum adversus eos testimonium proniores. Ab horum igitur iniquitate et malitia presbyterorum auctoritas hoc praecepto fuit vindicanda.

Porro quod ad numerum testium attinet, etsi regulariter duo, tresve sufficiant pro argumento veritatis, quibusdam tamen casibus tam jure civili, quam ecclesiastico plures tribus requiruntur. De qua re late et docte disserit in suo comm. Joannes Hesselius. Ubi etiam bene respondet calumniae Joan. Calvini de numero testium ad accusandum Episcopum per canones requisito. Nec tamen admittit, illud decretum de 72. testibus ad condemnandum Episcopum, esse Sylvestri, aut esse authenticum; quod allegatur 2. q. 4. Praesul.

20. *Peccantes coram omnibus argue.* Illud, *coram omnibus,* sequenti vocabulo adhaeret, non praecedenti. *Peccantes* autem intellige non quoslibet eos, qui peccant, sed aut per se manifestos, aut publico judicio convictos; nec cujuscunque peccati, sed gravioris et scandalosi; cujusmodi peccata deduci solent ad judicium episcopi. Non ergo quicquam hic praecipit Apostolus contra legem charitatis, quae peccata occulta non permittit proferri in publicum; neque contra praeceptum Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum* etc. Matth. 18. Verisimile est autem ex praecedenti sententia, Apostolum respicere ad presbyteros, quasi dicat: Sicut presbyterorum non est facile recipienda accusatio; ita si legitimo judicio convicti fuerint, non est eis parcendum; sed in exemplum aliorum *coram omnibus,* id est palam in publico conventu Ecclesiae graviter ac severe sunt increpandi. Hoc Episcopo dicitur respectu presbyterorum: sed eadem est ratio de parochis respectu laicorum sibi subditorum; ita tamen, ut id faciant juxta dictamen prudentiae, quatenus scilicet expedire viderint ad aedificationem multitudinis, de qua sequitur:

Ut et caeteri timorem habeant. Id est ut caeteri sive presbyteri, sive alii, timeant similem objurgationem, hoc est, publicam et cum publico pudore conjunctam, et hoc metu absterreantur a similibus peccatis perpetrandis. Igitur in Ecclesia non solum amore justitiae, verum etiam timore poenae continendi sunt homines in officio; tametsi timor ille charitati introducendae servire debeat.

21. *Testor coram Deo, et Christo Jesu.* Graece διαμαρτύρομαι: *obtestor coram Deo et Domino Jesu Christo.* Haec verba proprie non jurantis sunt, ut quidam putarunt, sed adjurantis et obtestantis; quale est illud capitis sequentis: *Praecipio tibi coram Deo* etc., et 2 Epist. 4. *Testificor coram Deo* etc. Declarat igitur Apostolus, se ea quae dixit de exercendo judicio, praecipere Timotheo coram gravissimis testibus, ne forte negligentius agat in re tanti momenti. Si enim Paulus de seipso timuit, ne cum aliis praedicasset reprobus efficeretur, potuit et de Timotheo vereri ne quid peccaret in hoc genere; praesertim cum res sit difficillima tanta aequitate judicia exercere, ut nullus relinquatur locus affectibus, aut nulla obrepat negligentia.

Quanquam non propter Timotheum solum, sed propter alios episcopos in uno Timotheo instruendos adjicienda fuit haec tam gravis et terribilis obtestatio. Primo autem loco Deum ipsum praesentem appellat: nam judices vicarii Dei sunt: *non enim hominis exercent judicium, sed Dei,* ait rex ille, 2 Par. 19. Ideoque Deum, cujus vices gerunt, semper ante oculos habere debent; tum quia cogitatio praesentiae Dei fraenum est homini, ne quo pacto a justitia recedat. Secundo loco Dominum Jesum Christum testem nominat, non quod Christus Deus non sit, id quod ex hujusmodi sententiis Apostolicis perverse colligebant Ariani; sed naturam in eo humanam considerat, secundum quam Dominus noster est jure redemptionis. Est autem Christus homo praesens

omnibus actionibus nostris, non solum per divinam naturam ubique praesentem; verum etiam per creatam scientiam animae ejus infusam, qua omnia hominum acta et cogitata cognoscit; uti sane cognoscere debet, cum secundum naturam humanam judex omnium sit futurus.

Et electis Angelis. Tertio loco sanctorum Angelorum praesentiam allegat, ut qui actionum nostrarum assidui spectatores sint, et ad judicium cum Christo venturi. Sic alibi mulieres in Ecclesia velatas esse vult propter angelos ibi praesentes. 1 Cor. 11. Sic et Christus prohibet contemni vel unum aliquem ex pusillis; eo quod custodes eorum angeli tantae sint dignitatis, ut semper videant faciem Patris coelestis, Matth. 18. Haec igitur consideratio perpetuae praesentiae Dei et Christi, et sanctorum Angelorum, merito movere et excitare debet non Episcopos solum, sed omnes omnino fideles, ut ne quid usquam committant, quod tot et talium spectatorum oculos offendat.

Caeterum *electos Angelos* Catharinus intelligi vult non omnes angelos beatos, sed septem primarios, quos putat significari per septem spiritus Dei Apoc. 1., et per septem angelos Tob. 12. Atque horum primos esse dicit Michaëlem, Gabrielem et Raphaelem in scripturis nominatos. *Electos* autem vocari hos septem angelos, quod caeteris sanctis angelis excellentiores sint: quomodo scriptura veteris instrumenti interdum electos vocat, qui suo in genere praecellunt, ut Psalm. 77. *Et electos Israël impedivit,* et Psalm. 140. *Non communicabo cum electis eorum.* Repetit eadem ad illud Heb. 1. *Nonne omnes* etc. Ita quidem Catharinus, congruenter cum illa sua doctrina, qua negat, omnes salvandos esse electos seu praedestinatos: sed eos solum, qui prae aliis salvandis efficaciter a Deo vocantur ad salutem. Quam opinionem erroneam esse, et Catholicae fidei contrariam docuimus in 1. sent. dist. 40.

Quamvis autem scriptura alicubi *electos* vocet eos, qui prae aliis eminent: ubi tamen de salvandis agitur, electi non alii vocantur, quam salvandi in universum. Opponuntur enim electi reprobis, non sanctis minoribus. Id quod patet ex innumeris locis scripturae novi Testamenti; licet Catharinus frustra conetur quaedam loca ad suum sensum detorquere. Quos autem scriptura vocet septem spiritus Dei, et septem angelos; ex propriis locis et eorum commentariis petendum est. Igitur *angelos electos* vocat Apostolus angelos sanctos, ad distinctionem angelorum reproborum, id est daemonum. Elegit autem angelos Deus ab aeterno, non ex praevisis eorum meritis, sed ex solo beneplacito suae voluntatis; quemadmodum et homines; uti certis rationibus, et tam Scripturae quam sanctorum Patrum testimoniis ostendimus ad dist. 41. lib. 1. Sent.

Ut haec custodias. Nonnulli pronomen referunt ad omnia, quae hactenus Timotheo praecepit de ordinatione ecclesiae, episcoporum, diaconorum, de cura viduarum, deque presbyteris honorandis aut judicandis; sed Graeci tantum ad ea, quae proxime dicta sunt de judicio, idque rectius; ut satis colligitur ex verbis adjunctis, quae ad officium judicandi pertinent.

Sine praejudicio. Hanc partem Ambrosianus annectit sequentibus, ut praeceptum Apostoli sit: *Sine praejudicio nihil facere,* id est, ut ille exponit, ecclesiasticam dignitatem nemini conferre, nisi praejudicatum sit, id est, prius de vita et moribus examen et judicium factum. Eodem tendit expositio Cajetani. Alii vero, tam Graeci quam Latini, convenientius Apostolico textui jungunt parti praecedenti; nomine *praejudicii* non intelligentes id, quod Jurecconsulti rem prius judicatam: sed judicium praecipitatum, dum quis ex opinione temere concepta et re non satis expensa judicium profert. Unde Erasmus et Hentenius verterunt, *sine praecipitatione judicii.* Nam duo vitia praecipue cavenda sunt judicibus, tam ecclesiasticis, quam politicis: judicandi praecipitantia et affectus. De priore jam dixit, de posteriore sequitur:

Nihil faciens in alteram partem declinando. Pro eo quod noster interpres, nec non Ambrosianus vertunt, *in aliam,* seu *alteram partem declinando,* sive *declinans:* Graece tantum est κατὰ πρόσκλισιν, id est *juxta inclinationem* seu *propensionem.* Tametsi nonnulli codices tam hodierni quam antiqui habent κατὰ πρόσκλησιν, tertia vocali, pro quarta, id est *juxta advocationem.* Nam utriusque lectionis post Theophylactum meminit Oecumenius, pro posteriori citans Clementem lib. 17. inform., pro priori verba quaedam Basilii, quae sumpta sunt ex hom. 12. in principium Proverbior. Atque haec lectio etiam apud Chrysostomum est, et hunc habet sensum: Nihil agens per inclinationem animi, qua in hanc aut illam partem propendeas affectu aliquo praeoccupatus, sed omnibus aequum te exhibens, ut sit allusio ad bilancem, quae ob inaequalitatem ponderis et rei ponderatae in alteram partem inclinat. Sic enim et judex, si quo affectu in alteram partem moveatur, iniquus erit. Hanc Graecam lectionem secuti sunt Latini interpretes, qui sensum ejus reddendo verterunt: *In alteram partem declinando.* Posterior autem lectio a Theophylacto sic exponitur: Si advocet atque invitet te altera pars, ut ei succurras; ne accesseris, neque ejus invitationi accommodes aurem. Verum longius petitus est hic sensus: quocirca prior lectio, quae sensum facit praesenti loco convenientissimum, omnino probanda est.

22. *Manus cito nemini imposueris.* Maturum judicium adhiberi vult in ordinandis ecclesiae ministris, scilicet episcopis, presbyteris, diaconis. De quibus omnibus actum est supra. Nam *impositio manuum* ordinationem hoc loco significat, sicut et cap. superiori et 2. epist. cap. 1., non quod caeremonia manuum impositionis vel sola vel praecipua esset in ordinatione sacra; sed quod maxime usitata et conspicua, et proinde idonea, quae nomen daret sacramento: quemadmodum et supra a nobis ostensum est. Sub hoc igitur nomine caeteras quoque caeremonias ordinationis comprehendere oportet, ac nominatim verba precatoria, quae super ordinandis proferebantur; uti testatur Hieronymus hunc Apostoli locum citans in comment. super Jes. 58. *Cito manus imponit,* qui ordinat aliquem, vita, doctrina, meritis haud satis exacte ac diligenter exploratis. Unde Leo Papa Epist. 87. ad Episcop. African. cap. 1. Quid est, inquit, cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem honorem tribuere non probatis?

Nonnulli contendunt, hunc locum pertinere ad absolutionem poenitentium, moti ratiunculis quibusdam: ut Galenus catech. 155., sed quae mihi non persuadent; nec puto poenitentium absolutionem in scripturis usquam vocari manus impositionem. Confer infra 2. ad Tim. c. 1. v. 5.

Neque communicaveris peccatis alienis. Ambrosianus interpres ita vertit: *Neque te commaculaveris peccatis alienis.* Qua in re videtur attendisse ad phrasim Hebraicam, qua communicare sumitur interdum pro eo, quod est coinquinare, seu commaculare, ut Marc. 7. *Quae de homine procedunt, illa sunt, quae communicant hominem.* Et Act. 10. *Quae Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Graece: *Tu ne communices.* Sed ea significatio minus apte quadrat huic loco, propterea quod in Graeco non dicatur: *neque te communicaveris,* sed absolute: *Neque communicaveris.* Adde quod Graecum verbum hic positum non prorsus idem est cum eo, quo Marcus in Evangelio et Lucas in Actis usi sunt; neque reperitur, ubi significet *coinquinare.* Quare retinenda est consueta significatio. *Communicat autem quis peccatis alienis,* dum in poena seu reatu fit eorum particeps, vel similia faciendo, vel jubendo, consulendo, laudando seu qualitercunque cooperando, vel consentiendo; vel denique non impediendo, aut corrigendo, dum quis impedire aut corrigere potest et tenetur.

Igitur nonnulli sic Apostolum exponunt: Etiamsi sint aliqui tam officii sui negligentes, ut manus cito ac temere imponant, tu noli eos imitari, ne simul cum illis reus fias. Alii sic: Noli acquiescere importunis eorum studiis et precibus, qui indignos commendant ad gradus ecclesiasticos. Hoc enim esset alienae stultitiae consentire. Hi commentarii *peccata aliena* interpretantur eorum, qui vel ordinant indignos, vel commendant.

Sed verisimilius est Apostolum respicere ad peccata eorum, qui temere ordinantur. Nam de ordinandis praecipiebat. Atque de his Apostolicam sententiam exponit Leo Pontifex in epist. supra citata. Possunt autem *horum peccata* intelligi, vel quae ante ordinationem fecerint, vel quae postea facturi sint; ac de utrisque veteres tam Graeci quam Latini exponunt, hoc sensu: Si quibus cito manus imposueris, quicquid illi in sua administratione delinquent, tibi merito imputabitur: imo et peccatorum antea ab eis admissorum reus eris, quod ad ea dissimulaveris, quae corrigere debebas et imposita poenitentia punire. Plena quidem videtur ista expositio; sed tamen magis apparet, Apostolum respicere dumtaxat ad peccata, secutura ex inconsulta et temeraria ordinatione.

Adjungit Hesselius et hunc sensum, non improbabilem: Ne quempiam ordines, antequam de ejus probitate tibi constiterit: at postquam ordinaveris, si praeter exspectationem male fungatur officio, aut improbe vivat, tu eum convictum amove, et coram omnibus argue, ne peccata ejus per conniventiam facias tua. Loquitur autem Apostolus non de quibuscunque peccatis, sed gravioribus, atque iis maxime, quae publicum offendiculum pariunt, uti supra dictum est ad illud: *Peccantes coram omnibus argue.*

Teipsum castum custodi. Partem hanc cum ea, quae proxime praecessit, connectunt quidam, hoc modo: *Ne communices peccatis alienis; sed ab illis purum serva temetipsum*, non facile quenquam ordinando, neque dissimulando, si jam ordinati peccaverint. Ita locum hunc intellexit Augustinus lib. 2. contra epist. Parm. cap. 21. Docuit Apostolus, inquit, ex sequenti, quemadmodum quod prius dixit, intelligendum sit. Qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat, consentit; si consentit, corrumpitur: si corrumpitur, castum se non servat; et quae sequuntur. Similiter exponit lib. 2. contra literas Petil. cap. 106. Igitur Augustino sensus est: Serva temetipsum castum a peccatis alienis, id est purum ab eorum consensu.

Porro Graeci interpretes *castum,* quod Graece est ἁγνὸν, intelligunt temperantem ac pudicum. De pudicitia, ait Chrysostomus, illi sermo est. Ac deinde subjungit: Quod si haec scribit viro adeo sese jejuniis et aquae potu extenuanti, ut inde etiam aegrotaret; quid nos facere oportet, aut quonam modo nos observare? Sensum hunc plane confirmant ea, quae de significatione et usu Graeci vocabuli dudum diximus, ad illud capitis superioris: *In castitate.* Qui sensus et apud Aug. alibi est. Nam Tom. 10. fragmento 1. hunc locum ita citat: *Contine teipsum,* et de continentia carnis exponit. Admonet igitur Apostolus Timotheum castitatis, id est pudicitiae diligenter et omni studio conservandae: tum quia Episcopus erat, quam dignitatem impudicitiae crimen vehementer infamat; tum quia juvenis, in qua aetate facile periclitari castitas solet.

Ubi contra sectarios observa, Paulum non remittere Timotheum, tametsi juvenem, ad nuptias et amplexus conjugales; sicut superius remisit viduas juniores: sed simpliciter admonere, ut castum seipsum servet. Unde et hic locus satis significat, Episcoporum coelibatum instituti esse Apostolici.

Quaeres, quomodo sensus iste cohaereat cum praecedentibus. Cajetanus ita connectit, quasi Timotheo dicatur: Sic curam gere aliorum, ut non recedas a custodia tui ipsius. Alii propius intentionem Apostoli considerantes, dicunt, eum hoc de castitate praeceptum studiose Ti-

motheo insinuare; ut cum auctoritate et fructu posset arguere peccantes et adversus eos exercere judicia. Videtur enim Apostolus in superioribus, ubi de peccatis presbyterorum arguendis et judicandis agebat, respexisse potissimum ad peccata carnis et intemperantiae; ut quae maxime soleant infamiam et scandala concitare, quibusque Asiani, quibus praesidebat Timotheus, admodum dediti erant.

23. *Noli adhuc aquam bibere.* Graece duo tantum sunt verba, *μηκέτι ὑδροπότει*, id est, ut alii clarius vertunt: *Ne posthac aquam bibas;* aut more nostri interpretis: *Noli amplius aquam bibere;* quomodo quod in Graeco est Joan. 5. et 8. μηκέτι ἁμάρτανε transtulit: *Noli amplius peccare.* Sensum eundem expressit Syriacus interpres. Nostra versio sonat, quasi Timotheus vinum biberit propter infirmitatem et Apostolus hortetur, ne statim redeat ad primam consuetudinem bibendi aquam. At Timotheus aquam, non vinum bibebat; quem ex stomacho laborantem et frequentes patientem infirmitates monet Apostolus, ut consuetudinem mutet, quo sanitati consulat: monet, inquam, ne deinceps solam aquam in potum sumat. Id enim significat Graecum verbum ὑδροποτεῖν. Unde quidam vertit: *Ne amplius sis abstemius,* id est omnino vini abstinens. Liquet autem, quem ordinem habeat pars ista cum praecedenti: nam Timotheus ut castum semetipsum servaret, carnis lasciviam aquae potu reprimebat et ita quidem, ut a vino prorsus abstineret, non sine dispendio sanitatis sui corporis. Dicit ergo ei Apostolus: Quamvis castitatis te admoneam; nolo tamen, ut in alteram partem pecces et aquae potu valetudinem laedas. Porro Calvinus, cui superioris praecepti de castitate explicatio, quam dedimus, non arridet, negat Apostolum adeo fuisse curiosum in texenda orationis serie; nec infrequens ei esse, ut diversas sententias absque ordine permisceat. Quin etiam suspicatur, hanc partem, scripta jam epistola, appositam fuisse extra ordinem versuum; ac deinde librariorum errore in hunc locum irrepsisse. Hoc quid aliud est, quam futiliter nugari in re sacra?

Sed modico vino utere propter stomachum tuum. Sensus est: Sed propter stomachi debilitatem admitte etiam aliquem usum vini; ne si sola aqua utaris, ut hactenus, stomachum gravius offendas. Nam quod potum aquae non prorsus ei adimat, inde patet, quia modicum vini concedit, id est non quantum sitis postulat, sed quantum satis sit aquae temperandae, ne valetudinem laedat. Sicut enim aquae potus stomachum debilitat; ita vinum temperate sumptum corroborat.

Quaeres, cur Apostolus addiderit, *modico,* et non absolute dixerit: *Utere vino?* Neque enim periculum erat, ne Timotheus, homo supra modum abstinens, immodice vinum biberet. Resp. unam causam esse, ut Timotheo usum vini persuaderet; ac si diceret: Abstinentiam tuam scio et laudo, sed istum rigorem propter infirmitatem corpusculi volo ut nonnihil relaxes, indulgendo tibi posthac paululum vini; aliam vero causam, eamque praecipuam, ut in Timotheo omnes episcopos ac presbyteros temperantiam doceret. Videbat enim Apostolus futurum, ut presbyteri duplici honore dignati facile ad intemperantiam et luxum declinarent.

Et frequentes tuas infirmitates. Non morbos vult intelligi, sed in genere malas affectiones sive corporis, sive aliquorum membrorum, ut capitis, hepatis, pectoris. Nam et his curandis usus vini moderatus conducit. Recte Ambrosianus in hunc locum: Prudenter, inquit, Deus sibi serviri vult: non ut nimietate sua debiles fiant, et poseta medicorum suffragia requirant. Ubi nimietatem vocat abstinentiam nimiam. Sed pauci sunt, ait Hesselius, quibus suadendus sit usus vini propter infirmitates, multi vero, quibus aquae potus indicendus propter ebrietates et fornicationes.

Hic quaeri potest, utrum haec, quae pro tuenda sanitate corporis Apostolus Timotheo praecipit, reputari debeant in partem Scripturae divinitus inspiratae.

Nam ea medicinae praecepta potius videntur, quam pietatis aut religionis. Respondeo, procul dubio partem esse Scripturae sacrae. Nihil enim vetat, quo minus eadem praecipiat medicus et Theologus fine diverso. Ille quidem, solum spectans corporis sanitatem, hic vero eam ulterius referens ad virtutes animi et obsequium Dei. Id quod hic a Paulo factum est. Sed quaeres, quare Paulus, qui mortuos oratione suscitare poterat, non similiter Timotheum sanaverit infirmum. Movet hanc quaestionem Chrysostomus, eademque moveri solet de Epaphrodito, ob cujus infirmitatem et periculum se contristatum fuisse scribit Apostolus Phil. 2. Atqui in ejus loci comment. nos eam quaestionem dissolvimus. Responsionis summa est, Apostolum id non fecisse, quia videbat non expedire. Sciebant enim Apostoli, erga quos homines, et quando, et quomodo uti deberent dono curandarum infirmitatum sibi concesso; nec, si secus uti vellent, Deum invocantibus adfuturum. Expediebat autem Timotheo pati hanc infirmitatem, sicut Paulo sentire stimulum carnis: *quia virtus in infirmitate perficitur.* Et haec ipsius Chrysostomi responsio est in commentario. Vide ejusdem serm. 1. ad popul. Ant. etiam a Theophylacto et Oecumenio citatum atque laudatum, in quo praesentem Scripturae locum late et pulchre explicat. Adde, quod Timotheus usu vini poterat curari, quare non erat recurrendum ad miraculum, veluti Deum tentando.

24. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad judicium. Manifesta,* Graece πρόδηλοι, *praemanifesta;* quod Erasmus vertit: *ante manifesta.* Quanquam Graecum compositum ab auctoribus usurpatur pro simplici, ut non aliud quam manifestum ac notorium significet, cum intensione quadam, sicut adverbium Latinum *propalam* idem, quod *palam.* Nam ordo temporis satis significatur per sequentem particulam *praecedentia ad judicium.*

Quosdam autem subsequuntur. Graece: *Quosdam autem et subsequuntur.* Consonant Ambrosianus textus et vulgatae versionis exemplaria quaedam manuscripta atque etiam Clementina editio, tametsi ea res sensum non mutat. Redundat enim conjunctio, quod et in aliis locis annotavimus. Hic Scripturae locus varie exponitur, prout varie potest intelligi judicium, de quo loquitur Apostolus. Nam alii judicium Dei intelligunt, quod in futuro saeculo exercebit. Alii vero judicium humanum, quale est illud, quo Episcopus subditos suos judicat. De judicio Dei duplex est sensus. Unus iste: Quorundam peccata manifesta sunt hominibus, quae proinde cognosci et judicari possunt in hac vita, priusquam veniatur ad judicium; quorundam autem occulta sunt hominibus, ideoque in hac vita judicari non possunt, sed reservanda sunt futuro atque extremo Dei judicio. Sic fere exponunt Basilius lib. de vera Virg. et August. lib. 2. de serm. Domini in monte. Alter sensus est: Hominum malorum multa peccata mortem eorum et judicium seu condemnationem, quae fit in morte, praecedunt; quorumdam autem multa etiam peccata mortem eorum subsequuntur, videlicet ea, quae per malam eorum doctrinam et malae vitae exempla ab aliis postea committuntur. Et similiter in bonis res sese habet. Hunc sensum tradit ibidem Basilius secundo loco, atque ex eo referunt Theophylactus et Oecumenius. Hae duae expositiones id habent incommodi, quod non satis appareat, quomodo verba Apostoli sic intellecta cum superioribus cohaereant. Deinde, si prius membrum accipitur de peccatis praecedentibus judicium Dei, ergo posterius accipiendum erit de peccatis idem judicium subsequentibus. Quod in priori sensu absurde dici videtur, cum illud Dei judicium sit extremum.

Restat igitur ea expositio, quae Pauli sententiam de judicio humano, quale est Episcopi, interpretatur. De hoc enim judicio actum fuit in praecedentibus; unde et de eodem nunc, post brevem super

ipsius Timothei persona digressionem, plenius eum instruit. Non tamen est necesse, sententiam Apostolicam restringi ad judicium episcopale, cum possit generaliter accipi de judicio humano, sub quo episcopale continetur. Ita Hieronymus intellexit in Epist. 10., quae est ad Furiam, de viduit. servanda cap. 3. Quod dicit Apostolus, inquit, istiusmodi est: Quidam tam libere et palam peccant, ut postquam eos videris, statim intelligas peccatores: alios autem, qui callide occultant vitia sua, ex sequenti conversatione cognoscimus.

Sed hic Hieronymi commentarius patet adhuc ad duplicem sensum, quemadmodum et ipsa Apostoli verba de humano judicio intellecta. Nam hoc judicium aut est examinis seu discussionis; aut est definitionis, velut cum quis eligitur aut rejicitur. Priori modo sensus et connexio hoc est: Cum dixi, ne cui manus cito imponas, non sum locutus de hominibus aperte malis, sed occulte. Nam eos, qui aperte mali sunt, jam constat esse rejiciendos, etiam antequam de iis judicium examinis habeatur, quia peccata eorum ita manifesta sunt, ut judicium hoc praecurrant. Unde in talibus non requiritur ordo judicialis. At vero occulte mali non prius rejiciendi sunt aut condemnandi, quam discussa fuerit eorum vita; quia nimirum peccata eorum, quoad manifestationem, sequuntur hoc discussionis judicium. Propter hos igitur moneo, ne cito cuiquam manus imponas. Hunc sensum perspicue tradit Cajetanus, et approbat Hesselius.

Posteriori modo sensus est: Si ordinaveris manifestos peccatores, communicabis peccatis alienis. Si quos autem ordinaveris, qui post ordinationem detegantur aut deprehendantur mali: ea res tuam conscientiam non gravabit, modo diligens examen antea adhibueris, quia occulta et futura nosse non potuisti. Quorundam enim hominum peccata palam nota sunt ante electionem eorum aut reprobationem; quorundam vero latent, nec prius sese produnt, quam ordinati fuerint, aut evecti ad honores. Hoc enim est, quod ait: *Quosdam autem subsequuntur,* scilicet jam ordinatos, id est ordinationem eorum. *Subsequuntur* autem, vel in notitia hominum, vel etiam reipsa, dum qui prius boni erant, postea mali fiunt, vel in superbiam elati, vel in luxum resoluti. Istae duae expositiones valde consentaneae sunt apostolico textui; tametsi prior plus habeat probabilitatis propter id, quod sequitur:

25. *Similiter et facta bona manifesta sunt, Facta,* Graece ἔργα, opera; *manifesta,* rursum Graece πρόδηλα, de quo supra diximus. Supplendum autem ex parte superiore: *praecedentia ad judicium.*

Et quae aliter se habent, abscondi non possunt. Pronomen *se,* ab interprete additum est lucis causa. Sensus hujus partis a superiore dependet. Unde et quadruplex assignari potest: Primus quidem et secundus de judicio Dei, tertius autem et quartus de judicio humano. Primus sensus est: Similiter et quorundam hominum bona opera manifesta sunt hominibus, antequam ad illud extremum Dei judicium veniatur. Quae vero aliter se habent, id est non sunt hominibus manifesta; non manebunt abscondita, sed tandem in Dei judicio manifestabuntur.

Secundus: Bona opera, quae boni faciunt in hac vita, mortem eorum et judicium, id est aeternam retributionem, quae in morte datur, antecedunt, etiam in hominum notitia. Ea vero, quae mortem eorum sequuntur, id est quae ab eorum discipulis, aliisve exempla vitae eorum imitantibus fiunt, licet nondum sint hominibus manifesta, tamen abscondi non poterunt, sed in die judicii omnibus patebunt.

Tertius sensus: Quod te monui, ne quem cito ordines; sicut non dixi propter aperte malos, ita nec propter eos, quos manifeste et notorie constat bonos et idoneos esse, sed propter eos, quorum virtus latet. Nam et bonorum quorundam bona opera adeo manifesta sunt, ut judicium examinis praeveniant, de quibus proinde assumendis consultatione non sit opus:

quorum vero opera bona non sunt ita manifesta, discutienda sunt. Quod si fiat, non facile poterunt abscondi, sed saltem post hujusmodi discussionis judicium manifesta erunt, et auctores suos dignos ostendent, quibus manus imponantur.

Quartus sensus: Sicut quidam antequam ordinentur, tam manifeste mali sunt, ut plane constet esse rejiciendos: ita nonnulli tam manifeste boni, ut constet esse assumendos; quos si assumseris, non communicabis peccatis alienis, etiamsi postea degenerent. Si quos autem rejeceris, quorum virtus tunc latebat, postea vero innotescat, neque enim facile diu abscondi potest: non est quod ea res animum tuum conturbet, quandoquidem occulta scire non potuisti. Quis horum sensuum maxime probabilis nobis videatur, ex iis, quae proxime diximus, intelligere facile est.

CAPUT SEXTUM.

Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos
arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur [1]. 2. Qui
autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt [2]; sed
magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt.
Haec doce, et exhortare. 3. Si quis aliter docet, et non acquiescit
sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae [3]: 4. superbus est, nihil sciens [4], sed languens
circa quaestiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, 5. conflictationes hominum
mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum [5] esse pietatem. 6. Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia [6]. 7. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium,
quod nec auferre quid possumus [7]. 8. Habentes autem alimenta, et
quibus tegamur, his contenti simus [8]. 9. Nam qui volunt divites fieri,
incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa
inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem [9].
10. Radix enim omnium malorum est cupiditas [10]: quam quidam appetentes, erraverunt a fide [11], et inseruerunt se doloribus multis. 11.
Tu autem, o homo Dei, haec fuge: sectare vero justitiam, pietatem,
fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem [12]. 12. Certa bonum
certamen fidei [13], apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, et
confessus bonam confessionem coram multis testibus [14]. 13. Praecipio
tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium
reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem [15]: 14. ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri
Jesu Christi, 15. quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens,

---

1) Tit. 2, 9. 10. Rom. 2, 24. 2) 1 Petr. 2, 16. 3) Tit. 1, 1. 4) Cap. 1, 7. 1 Cor. 8, 1. 2. 5) 1 Thess. 2, 5. 6) Hebr. 13, 5. 7) Hiob. 1, 21. 8) Prov. 30, 8. Act. 20, 33.—35. 9) Matth. 6, 19. seq. 13, 22. 19, 23. Sir. 27, 1. 10) Luc. 12, 15. 11) Matth. 13, 22. 12) Gal. 5, 22. 13) 2 Tim. 2, 2.—5. 1 Cor. 9, 25.—27. 14) Act. 16, 3. 15) Joan. 18, 36. 37. 19, 11.

Rex Regum, et Dominus dominantium, 16. qui solus habet immortalitatem[1]), et lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit[2]), sed nec videre potest: cui honor et imperium sempiternum, Amen. 17. Divitibus hujus saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum[3]), sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, 18. bene agere, divites fieri in bonis operibus[4]), facile tribuere, communicare, 19. thesaurizare sibi[5]) fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 20. O Timothee, depositum custodi[6]), devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae[7]), 21. quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt[8]). Gratia tecum. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS SEXTI.

Servos sui officii admonet. Cavendas docet pugnas verborum. In quo periculo versentur, qui divites fieri volunt. Timotheum ad officia pietatis hortatur. Quid ab eo divitibus praecipiendum sit. Denique ipsum monet, ut depositum custodiat.

1. *Quicunque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* A capite quodammodo ad pedes descendit Apostolus, dum post ea, quae de presbyteris honorandis et judicandis admonuit, nunc de servis instructionem subjicit. Cur autem id necessarium duxerit, ex sequentibus intelligitur. Nam ex eo, quod servi Christiani minus prompte dominis suis obsequerentur, male audiebat ipsa religio Christiana, ac domini ab ea reddebantur alieniores. Unde et Ephesios et Colossenses servos, qui Asiani erant, similiter de suo ipsorum officio admonet Eph. 6. et Col. 3. Apparet enim fuisse quosdam in illis partibus, qui docerent, servos libertate donatos per Christum, eximi a jugo servitutis humanae. Cui pernicioso dogmati per salutarem doctrinam fuit omnino resistendum, quemadmodum et a Petro Apostolo factum est 1. Epist. 2.

Itaque de hac re serio Paulus instruit Episcopos Timotheum et Titum, velut de re gravissimi momenti, quemadmodum a Chrysostomo prolixe declaratur in parte morali sui sermonis. *Sub jugo* esse dicuntur, qui conditione sunt servi. Servitus enim jugum quoddam est. Praecipit autem iis, ut *dominos suos,* quamvis infideles, malos, impios, omni honore dignos existiment, id est integrum honorem ac reverentiam, quae iis debetur, libenter et ex animo impendant. Cujus quidem honoris magna pars est obedientia et studium utilitatis dominorum. Sed quomodo impios aestimabunt vere dignos honore? Resp. omnem eum, qui jure superior ac dominus est, hoc ipsum a Deo accepisse, et in ea re vices Dei agere, atque hac ratione honorem ei deberi, qualiscunque demum ipse sit; tametsi cavendum est servis, ne quo facto aut consensu impietatem dominorum suorum honorare videantur.

Ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Domini, Graece *Dei,* quemadmodum ad Rom. 2. *Nomen enim Dei,* inquit, *per vos blasphematur inter gentes.* Sensus est: Ne, si servi contumaces se praebeant aut infideles suis dominis, male loquantur homines de Deo Christia-

---

1) Joan. 5, 26. 2) Joan. 1, 18. 3) Luc. 12, 16.—21. 4) 2 Cor. 9, 8. 5) Matth. 6, 20. Luc. 12, 21. 6) 2 Tim. 3, 14. 7) Cap. 1, 6. 7. 8) 2 Tim. 2, 18.

norum, et obtrectent doctrinae Evangelii, tanquam quae dissolvat ordinem politiae ac justitiae humanae. Possunt quidem ad eundem genitivum *Domini* vel *Dei*, referri *nomen* et *doctrina*, sed magis apparet *doctrinam* absolute poni pro doctrina Evangelica; sicut *verbum* saepe ponitur absolute. Utriusque exemplum est in capite superiori: *Qui laboravit in verbo et doctrina.* Notanda quoque liptote in verbis Apostoli, qua minus dicit, quam intelligit. Vult enim servos per omnia officiosos esse erga dominos non solum, ne male audiat religio et doctrina Christiana; verum etiam ut bene audiat, utque domini, qui non credunt verbo, considerantes bonam et sanctam servorum suorum conversationem, sine verbo lucrifiant: sicut in re simili loquitur B. Petrus 1 Epist. 3. Et haec quidem de servis dominorum infidelium. Nam de servis fidelium nunc sequitur:

2. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt.* Christiani se mutuo *fratres* salutabant. Hoc autem nomine quaedam aequalitas significatur: unde consequenter tolli videbatur differentia domini et servi. Atque hoc fortassis argumento utebantur, qui negabant, servitutem inter Christianos locum habere, quod omnes sint fratres. Quocirca servos, qui dominos habent Christianos, admonet Apostolus, ne eos propterea contemnant, id est minus honorent, *quod fratres sint.* Haec enim pars: *Quia fratres sunt,* ad dominos referenda est, non ad servos; ut patet ex parte sequenti.

Sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti. Id est libentius ac diligentius iis serviant, propterea quod Christiani sint, et eo nomine peculiariter dilecti. Quamvis enim qualibuscunque dominis bene et prompte serviendum sit; magis tamen id merentur domini Christiani. Simul observa, Apostolum colligere nomina, quibus Christiani inter se vocabantur. Ea sunt, *fratres, fideles, dilecti.* Quod si domini cogitabantur tantum ut fratres; occasio erat contemptus: sin autem ut fideles et dilecti; ratio erat alacrius ac magis ex animo serviendi.

Qui beneficii participes sunt. Pro *beneficio beneficentiam* alii malunt. Ambiguum est autem, utrum ad dominos haec pars referenda sit, an ad servos. Ad dominos relata, potest hunc habere sensum: Qui beneficii Christi participes sunt, perinde, ut servi. Nam et haec causa est, cur illis servi libentius obsequi debeant. Refert etiam ad dominos Syriaca versio, sed alio sensu; sic enim habet: *Qui contenti sunt ministerio eorum;* id est qui gratum et acceptum habent eorum ministerium, ac pro beneficio reputant.

Porro qui de servis intelligunt, ita exponunt: Qui beneficentiae dominorum suorum participes sunt, idque nunc liberalius, quam olim. Nam postquam domini facti sunt Christiani; beneficentiam augent in servos, amant ut fratres et impensa obsequia benignius compensant. Quae profecto magna causa est, cur iis servi propensius debeant inservire. Sensus hic Graecorum est interpretum: idemque maxime servit instituto Apostoli. Nec obstat, quod ea, quae proxime praecedunt, de dominis dicta sint: facile enim per hyperbaton haec pars ad illam ulteriorem, *sed magis serviant,* referri potest, uti monet Theophylactus. Quod et Graeco textui congruit.

Haec doce, et exhortare. Haec, quae de servis praecepi, *doce,* ut sciant; *et exhortare,* ut faciant. Nonnulli referunt ad omnia superiora, minus commode.

3. *Si quis aliter docet.* Quid sit *aliter docere,* seu potius *alia docere;* exposuimus ad illud capitis primi: *Ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent.* Est enim utrobique in Graeco idem verbum compositum ἑτεροδιδασκαλεῖν, id est diversam doctrinam adferre; nimirum doctrinae prius acceptae dissentaneam ac repugnantem. Satis apparet ex hoc loco, fuisse eo tempore quosdam, qui diversum a supra dictis docerent, occasione libertatis Evangelicae servos avocantes ab officio debito. Verumtamen non ille aliud docet, qui Christianos beneficio canonum

Ecclesiasticorum aut legum imperialium, quibus canones hac in parte nituntur, docet eximi jugo servitutis respectu dominorum ipsi Ecclesiae, aut Imperio subditorum; sive hi Christiani sint, sive haeretici, sive Judaei, sive etiam Pagani. Haec enim legibus humanis in subditos constitui possunt: de qua re prolixe disserentem vide Hesselium in commentario. Sed ille docet aliud, qui hominem eo ipso, quo Christianus est, liberum esse docet a servitute ista humana; videlicet confundens libertatem Christianam, quae spiritualis est et interna, cum libertate externa et corporali. Alii partem hanc: *Si quis aliter docet* etc., non ad proxime dicta referunt, sed ad illa dogmata, propter quae initio Epistolae jussit denuntiari quibusdam ne aliter docerent: quod non est improbabile, propter ea quae hic sequuntur. Qanquam etiam dici potest, falsam hanc de servorum libertate doctrinam ab Apostolo comprehendi sub ea, quam initio taxavit.

Et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi. Acquiescit, Graece et Syriace, *accedit.* Sensum bene reddidit noster interpres. *Sermones Christi* vocat Apostolus, vel quos Christus ipse docuit, vel potius, qui sunt de Christo, ejusque mysterio ac doctrina. Hi autem erant sermones Apostolici, id est doctrina apostolica. Nam ipsius Christi verbis palam contradicere non poterant, qui fidem Christianam profitebantur. Sic ait ad Rom. 10. *Auditus per verbum Christi,* quo scilicet Christus annuntiatur. Ad eundem modum fides Christi et Evangelium Christi dicuntur, quia sunt de Christo. Vocantur autem *sani sermones,* quia salutares, id est ad aeternae vitae salutem utiles. Id explicatur parte sequenti.

Et ei, quae secundum pietatem est doctrinae. Id est ei doctrinae, quae pietati consentanea est, quaeque pietatem promovet. Haec enim est doctrina sana. *Pietatem* intellige verum Dei cultum, Graece εὐσέβειαν, qua nimirum recte et sincere Deus colitur. Igitur hac parte videntur oblique perstringi superstitiones Judaicae.

4. *Superbus est.* Graece: *Inflatus est.* Hoc dicitur, aut quia proprium sensum apostolicae doctrinae anteponit, quod est omnibus haereticis commune; aut quia sibi placet tanquam magna et mira praeditus scientia. Simile illud de Simoniano seductore, Col. 2. *Frustra inflatus sensu carnis suae.* Posteriori rationi pulchre respondet, quod sequitur:

Nihil sciens, quasi dicat: Merito dixi *inflatum esse,* tanquam vento turgidum ac distentum; quia revera nihil habet solidae scientiae pertinentis ad pietatem. Quamvis enim Judaizantes, qui potissimum hic notantur, crederent unum Deum omnium creatorem, et futuram mortuorum resurrectionem, et alia quaedam hujusmodi; censentur tamen Apostolo nihil scire, quia carebant scientia gratiae Christi, sine qua omnis alia fides et scientia nihil omnino prodesse poterat ad salutem. Potest et hic esse sensus: *Nihil sciens* eorum, quae prae aliis jactat se scire. Nam ut de talibus dictum est cap. 1. *Conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores; non intelligentes, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Sed languens circa quaestiones et pugnas verborum. Languens, Graece, *aegrotans;* quod tamen apud Graecos etiam ad animum refertur, perinde ut *languere* apud Latinos; ut νοσεῖν, aegrotare dicantur, qui desipiunt ac delirant, aut qui quomodolibet male animo affecti sunt. Erasmus vertit: *Insaniens,* ut appareat antithesis, quam facere videtur Apostolus inter sanitatem doctrinae Christi, et insaniam doctrinae eorum, contra quos hic agit. Igitur secundum Graecorum commentarium languent circa quaestiones, qui animo languenti ac male sano veritatem quaerunt. Cujusmodi sunt, qui sine fide quaerunt ac disceptant de iis, quorum ante omnia a nobis fides exigitur. Quicunque enim ratione discutiunt et investigant ea, quae credere debebant; ii, more febricitantium, perverse de illis judicant; et more phreneticorum aliud

pro alio eligunt. Id quod non solum accidit infidelibus, humanae rationis judicio mysteria Christianae religionis expendentibus, velut de Deo incarnato, de Trinitate, de resurrectione: imo et Tullio de natura Deorum disputanti: verum etiam haereticis, privato sensu et non ad normam fidei Scripturas interpretantibus. Fides enim oculus est, inquit Theophylactus. Sicut ergo, qui non habet oculos, quod quaerit non invenit: ita et qui fide destitutus est. Et haec quidem Graecorum expositio est.

Alii vero probabilius putant, Apostolum generaliter loqui de quaestionibus frivolis, inutilibus, curiosis ac supervacaneis, atque iis omnino, quae ad fructum salutis nihil adferunt momenti. Nam hujusmodi multis quaestionibus intenti erant ii, contra quos hic agitur. Unde est et illud primi capitis: *Neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis, quam aedificationem Dei, quae est in fide.* Dicuntur autem hi *languere circa quaestiones,* quia, cum animi morbo laborent, sanitatem ex iis nullam reportant. De toto hoc genere quaestionum inutilium et curiosarum vide Augustinum, Epist. 56. ad Dioscorum. Pertinet eodem, quod sequitur:

Et pugnas verborum. Graece λογομαχίας, quod etiam verti potest, *disputationum pugnas;* quemadmodum vertit Erasmus. Intelliguntur autem concertationes de quaestionibus, quales jam dictae sunt. Itaque duo vitia notantur: quaerendi vanitas, et disputandi pugnacitas; quorum utrumque salutis profectum impedit. Sensum, quem dedimus, alia loca Apostoli confirmant: ut secundae Epist. cap. 2. *Stultas et sine disciplina quaestiones devita; sciens quia generant lites,* et Tit. 3. *Stultas autem quaestiones et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita: sunt enim inutiles et vanae.*

Caeterum male locum hunc Erasmus et sectarii detorquent adversus scholasticorum Theologorum disputationes. Ut enim demus, quasdam quaestiones parum utiles ab illis interdum moveri, quasdam vero tametsi utiles verbosius agitari, quam oporteat: paucorum tamen haec vitia sunt, neque propterea, quod adversarii volunt, in universum damnanda est illa de rebus Theologicis scholastica disputandi ratio; quam sane Ecclesia et ad eruendam veritatem, et ad detegendas fallacium argumentorum strophas, utilissimam experitur et probat.

Ex quibus oriuntur invidiae, contentiones. Graece: *Ex quibus nascitur invidia, contentio.* Quaestiones, inquit, illae et λογομαχίαι adeo non sanant hominem, ut etiam pluribus peccatis implicent et languorem augeant. Cum enim non ad aedificationem, sed ad inanem gloriam, aut quaestum suscipiantur: *invidiam et contentionem,* id est rixas, excitant inter ipsos disputantes. Hoc quam verum sit, etiam hodie in mutuis sectariorum conflictationibus cernimus; dum sine judice summa contentione quisque certat pro sua sententia.

Blasphemiae, suspiciones malae. Graeci *blasphemias* interpretantur prava dogmata de Deo rebusque divinis. Similiter *malas suspiciones* intelligunt falsas atque indignas de Deo opiniones. Nam hujusmodi etiam oriebantur ex indoctis et curiosis disputationibus, praesertim Judaeorum; ut patet ex Thalmudica eorum doctrina. Verum quia *blasphemiae* generaliter sonant maledicta, sive in Deum jactata sive in homines: simplicius est, ut intelligamus convitia et probra, quibus se mutuo impetunt contentiosi disputatores; adeo ut nonnunquam etiam a verbis ad verbera veniatur. Item *suspiciones malas,* quas ex inimicitia concepta fovent adversum se mutuo.

5. *Conflictationes hominum mente corruptorum. Conflictationes* Graece παραδιατριβαί. Nam Graeci διατριβὰς vocant congressus et exercitationes disputandi; quales erant philosophorum in suis auditoriis; ita dictas, quod exercitiis ejusmodi tempus utiliter tereretur. Sed praefixa praepositio παρὰ significationem vocabuli ad vitium trahit; ut παραδιατριβαὶ

dicantur exercitationes inanes atque inutiles, aut etiam noxiae: quas interpres noster uno nomine vocat *conflictationes,* Erasmus addit *supervacaneas,* alii, *perversas.* Oecumenius sumptam metaphoram putat a scabiosis ovibus, quae applicatae aliis et attritae, etiam sanas morbo afficiunt. Juxta hunc sensum, cujus etiam Chrysostomus et Theophylactus meminerunt, latine verti poterat *attritiones,* vel *affricationes.* Nam et Syra versio dedit *attritionem.* Tanquam dicat Apostolus: Quomodo scabiosum pecus attritu suo alias oves, quae sanae sunt, inficit; ita et isti homines, dum inter alios versantur, veneno suae doctrinae eos inficiunt.

Hic sensus, etsi probe moralis, ideo tamen minus placet, quod recedat a recepta significatione vocabuli Graeci. Non est autem praetermittendum, in quibusdam codicibus, ac nominatim apud Oecumenium, et in bibliis regiis legi διαπαρατριβαὶ transpositis praepositionibus; quae lectio etiam ad marginem in Latino Chrysostomo est annotata. Eam autem vocem Cicero *assiduitatem,* Donatus *conflictationem,* Latine reddiderunt.

Quod ad sermonem Apostoli attinet, prima fronte mirari potest quispiam, quomodo velit ex quaestionibus et logomachiis oriri conflictationes: sed sicut lis ex lite saepenumero seritur, ita et ex illis frequenter eo proficitur, ut vel acriores quam principio oriantur *conflictationes hominum mente corruptorum,* id est inanes, ac pravae exercitationes hominum, quorum mens ambitione, vel avaritia, aliisque affectibus occupata et corrupta est. Quae causa est, ut nec salutaria quaerant, nec veritatem inveniant. Unde sequitur:

Et qui veritate privati sunt. Id est destituti. Erasmus vertit: *Et quibus adempta est veritas;* sed non attendit ad usum Graeci vocabuli. Non enim significat Apostolus, veritatem, quam aliquando tenuerunt, iis ademptam esse, juxta proverbium: Altercando veritas amittitur; sed apud eos veritatem non esse, nec inveniri; cum disputationis eorum scopus non sit veritas, sed pravae cupiditatis expletio. Itaque pars haec infertur ex praecedenti; quasi diceret, eas esse conflictationes hominum, qui mente corrupti sunt, et proinde veritate destituti. Quam sequelam explicat id, quod sequitur:

Existimantium quaestum esse pietatem. Ex Graeco liquet hanc esse syntaxin: *Existimantium pietatem esse quaestum,* id est rem quaestuosam. Sensus est: Qui pietatem quaestui habent, et ut clarius dicam, qui quaecunque pie et religiose facere, dicere ac docere videntur, referunt ad temporalem et privatam suam utilitatem. Sub *quaestu* comprehende etiam caetera, quae perverse concupiscuntur, ut gloriam, honores, voluptates. Haec ab Apostolo praecipue contra Judaeos et Judaizantes dicuntur, homines avaros ac terrena sectantes, et ex qualicunque sua religione negotiatorum more passim apud homines quaestum aucupantes. Unde et ad Titum scribens cap. 1. *Sunt,* inquit, *multi inobedientes vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui.* Ac deinde subjungit de eorum avaritia: *Qui universas domos subvertunt docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.*

Graeci codices addunt hoc loco, quod in Latinis hodie non legitur: *Abscede,* sive *sejungere a talibus.* Pro quo Ambrosianus habet: *Discede ab ejusmodi.* Unde liquet, vetustam esse lectionem hujus partis; quam et omnes Graeci interpretes exponunt, admonentes non dicere Apostolum: Disputa cum illis, et e diverso contende; sed: *Recede,* scilicet post unam et alteram admonitionem. Sic enim ex alio loco, qui est ad Tit. 3., sententiam hanc supplet Chrysostomus. Ratio praecepti est, quia qui quaestum spectant non veritatem, persuaderi non possunt, nisi (quod est difficillimum) morbo avaritiae prius sanato.

6. *Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia.* Correctio rhetorica est, qua quod vituperaverat, in contra-

rium vertit, sensu mutato, quasi dicat: Imo vero, si quis recte judicet, ipsa pietas magnus est quaestus; non ita quidem, ut illi existimant, de quibus modo dicebam, sed excellentiori ratione: quia pietas multo plus valet quam quicquid ab homine avaro desiderari potest. Nam, ut supra dixi, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitae praesentis et futurae.* Quod adjungitur: *Cum sufficientia,* Graece μετὰ αὐταρκείας, id Erasmus quadam periphrasi vertit, *cum animo sua sorte contento.* Idque etiam Hentenius et alii nonnulli sequuntur. Sed videtur Apostolus ea Graeca dictione voluisse duo complecti, nempe sufficientiam rerum necessariarum ad vitam hanc temporalem, et animum iis contentum. Nam haec duo sequenti sententia conjungit, dicens: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

Non ergo significat Apostolus vocabulo αὐταρκείας animum sua sorte contentum, quod vult Erasmi versio; sed animum contentum rebus ad vitam sufficientibus, ita nimirum, ut supra ea, quae necessaria sunt, non quaerat. Id enim significat vox Graeca. Nam si quis rebus prorsus necessariis indigeat, ut si nec panem habeat, nec vestem; ab eo non exigimus animum illa praesenti sorte contentum, quin potius stupidum judicaremus, si sorte illa infelici contentus, necessaria non quaereret; imo nec pium, qui Deo non diceret: *Panem nostrum quotidianum* etc.

Sed cur addidit Apostolus, *cum sufficientia;* cum sola pietas pro magno quaestu nobis sufficere debeat? Scilicet ideo, quia pie, sancteque vivere non possumus, nisi vivamus. Ut autem vivamus, habenda sunt vitae necessaria. Postulat igitur ipsa pietas sufficientiam adque adeo docet nos eam petere a Deo. Quamquam sunt, qui illud, *cum sufficientia,* annectant illi, quod praecedit, hac constructione: *Pietas est magnus quaestus cum sufficientia.* Ita videtur B. Thomas in Comment.

7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum.* Graece et Syriace, sine pronomine, *in mundum.* Similiter apud Ambrosianum et Primasium. *Haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Graece, *profecto nec efferre quid possumus.* Opponit enim Apostolus has voces inferre et efferre. Alludit autem ad illud Sancti Job: *Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc.* Quod et Ecclesiastes c. 5. generatim de homine pronunciat. Itaque loquitur Apostolus de bonis externis, quorum nihil, cum nasceremur, attulimus, nihil etiam, quando moriemur, ablaturi. Qua sententia docere vult, ejusmodi bona tantum esse adventitia, nec permansura; ac proinde transitorie tantum iis utendum, nec plus quaerendum, quam quod satis sit ad vitam hanc mortalem transigendam. Adque id est quod sequitur.

8. *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur,* Graece σκεπάσματα, id est tegumenta, seu protegumenta. Non dicit vestimenta, quia latius patet σκέπασμα, comprehendens etiam domicilium; tametsi Hieronymus lib. 2. contra Jov. amictum legit, ita citans: Habentes victum et amictum.

His contenti simus. Quaedam exemplaria *sumus* habent. Atque eam lectionem exhibet editio Lovaniensis correctior et primae Clementinae addita castigatio Romana. In Graeco verbum est futurum, indicativi modi, ἀρκεσθησόμεθα, quasi dicat: *contentabimur.* Sed Hebraea phrasi frequenter hujusmodi futura vim habent imperantis, ut: non occides, non moechaberis. Quamquam Apostolus simul etiam affirmare aliquid intendit, hoc modo: Quoniam haec sufficiunt, his contenti sumus. Eam affirmationem clare exprimit Syra versio: *Propter hoc sufficit nobis alimentum et operimentum.*

Quaeres, quomodo nos velit his esse contentos, cum tam multa alia sint hominibus necessaria: ut libri studentibus alicui disciplinae; arma militibus; instrumenta mechanica fabris. Resp. Paulum ea sola nominasse, quae omnibus in universum hominibus necessaria sunt, idque simpliciter et non ad certos fines dum-

taxat, et sub quibus caetera fere possunt comprehendi.

Sed iterum quaeres, utrum consilii sit, an praecepti, quod dicit: *His contenti simus.* Resp. praeceptum esse, idemque ad omnes pertines, atque adeo ex ipsa naturae lege profectum. Nam superflua quaerere, contra naturam est. Et si petere superflua a Deo, non licet; ergo nec quaerere. Quod si tamen affluant divitiae; retineri licite possunt, modo cor iis non apponatur, sed secundum Dei legem expendantur in necessitates aliorum. Etenim et hoc natura docet et charitas exigit, ut membrum abundans re sibi non necessaria, transmittat eam ad alia membra, quae indigent. Ideo namque Deus alios divites fecit, alios inopes; ut illi tribuendo, isti patiendo et pro tribuentibus orando, Deum promereantur. Habetur idem praeceptum Heb. 13. *Sint mores sine avaritia contenti praesentibus.* De quo dicemus suo loco. Porro quod diximus, in Apostoli verbis praeceptum contineri, amplius confirmatur per id, quod sequitur.

9. *Nam qui volunt divites fieri.* Graece et Syriace: *Qui autem volunt ditari. Incidunt in tentationem et laqueum diaboli.* Genitivum *diaboli,* Graeca, Syra, Ambrosianus et Aquinas non agnoscunt; ut verisimile sit ex cap. 3. superiori, ubi laqueus diaboli nominatur, huc irrepsisse. Recte admonent interpretes non dicere Apostolum: Qui sunt divites; sed *qui volunt divites fieri;* ne quis hic damnari putet divitiarum possessionem. Nam de iis, qui divites sunt, quid eos facere oporteat, infra audiemus. Hoc igitur est quod dicit: Qui divitias appetunt, et hoc agunt, ut divites sint, incidunt in multas peccandi occasiones, iisque velut laqueis et retibus implicantur. Non enim, juxta quorundam expositionem, tantum significatur, eos incidere in multa hujus vitae pericula, quod et piis accidit, dicente Jacobo Apostolo cap. 1. *Omne gaudium existimate, cum in tentationes* (id est tribulationes) *varias incideritis:* sed tentationem intelligit, qua quis ad peccandum solicitatur; quomodo de tentatione loquitur eodem capite B. Jacobus, inquiens: *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur* etc.

Potest et sic intelligi: *Incidunt in tentationem et laqueum,* id est, a tentatione et laqueo comprehenduntur. Quod fit, dum a tentatione superantur: juxta id, quod deprecamur in oratione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem,* id est: Ne nos permittas a tentatione superari. Cui sensui favet quod sequitur.

Et desideria multa inutilia et nociva. Inutilia Graece ἀνοήτους, insensata, stulta, absurda. Consonat et Syra versio. Suspicatur autem Erasmus, interpretem nostrum unam literam amplius in Graeco legisse, ἀνονήτους, id est *inutilia.* Nam et Ambrosianus textus *inutilia* legit. Atque ea Graeca lectio etiam hodie visitur in nonnullis codicibus, nominatim in exemplari Regio. Hanc lectionem si sequamur, in vocabulo *inutilia* liptote erit, qua minus dicitur quam intelligitur; eritque posterior dictio prioris expositio, *inutilia,* id est *nociva.* Quomodo scriptum est Sap. 1. *Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest;* id est multum nocet, et cap. 2. *Quoniam inutilis factus est nobis,* id est utilitati nostrae contrarius. Verum quia scriptura non solet eo vocabulo Graeco uti ad significandum inutile, sed aliis ab hoc diversis; idcirco probabilius apparet id, quod Chrysostomus aliique Graeci expositores legerunt et interpretati sunt: scilicet eos, qui divites fieri volunt, incidere in desideria, seu cupiditates multas, easque stultas et noxias: stultas quidem, id est a recta ratione alienas, noxias vero, propter id quod sequitur:

Quae mergunt homines in interitum et perditionem. Idem sunt *interitus* et *perditio;* sed hac geminatione usus est Apostolus vehementiae causa; aut certe, ut duplicem interitum significaret, temporalem et aeternum. Nam cupiditates, quas amor divitiarum parit, non solum temporalibus malis hominem involvunt, verum etiam demergunt in profundum gehennae. Huc autem imprimis pertinet concupiscentia rerum alienarum, quae la-

tissime patet et hominibus avaris propria est.

Quaeres, cum Apostolus tam graviter exaggeret pericula eorum, qui volunt divites fieri: num igitur peccatum sit velle ditari. Sed huic quaestioni jam supra responsum est. Si enim praecipimur contenti esse rebus ad vitae necessitatem sufficientibus; certe consequens est, eos peccare, qui his non contenti, quaerunt superflua; quod quidem faciunt, qui divites fieri volunt. Nam divitiae sonant rerum ad usum hujus vitae necessariarum superabundantiam. Igitur hujusmodi cupiditas, absolute considerata, non caret affectu avaritiae, qua plus quam opus est quaeritur. Ac proinde optare et quaerere divitias, quomodo plerique optant et quaerunt, volentes abundare bonis hujus saeculi, non potest esse sine peccato.

Si quis autem, quod rarum est, eas optet et quaerat cum voluntate removendi superfluum quod in divitiis includitur; ut si cogitet sancte eas expendere, velut in eleemosynas pauperum, redemptionem captivorum, exstructionem ecclesiarum, monasteriorum, xenodochiorum, collegiorum, aliosve similes usus: licitum id est et pium, si secundum se spectetur. Sic enim et Apostolus monet Ephes. 4. dicens: *Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Nec id supradictis contrarium est. Talis enim, etsi quaerat aliquid supra suam ipsius necessitatem, ac sibi ipsi quodammodo superfluum; non tamen superfluum absolute. Nam superfluum non censetur, quod servatur egenis tribuendum suo tempore; sicut non est superfluum, quod servatur in futuram necessitatem familiae, ut quod aestate colligitur in hyemem venturam.

Verumtamen etiam cum istiusmodi voluntate et cogitatione, quam dixi, divitias quaerere, plerumque et ordinarie periculo non caret; idque multas ob causas. Primum enim fit, ut mentiatur iniquitas sibi, et non videat homo occulta avari cordis sui; quin etiam si correctum sit, et intentio bona, tamen ex ipsa divitiarum possessione atque praesentia, facile poterit a recto averti ac depravari, ut vel incipiat tenacius eas possidere, vel ad luxum expendere, vel certe ex iis inflari et superbire, aut Deum negligere: quia sicut in deliciis castitas, ita in divitiis valde periclitatur humilitas et pietas. Hinc est, quod tam multa in scripturis sacris contra divites dicuntur, quale est illud Christi in Evangelio: *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* Luc. 18. Cujus haec est ratio, quia difficile admodum est, divitem esse et divitias non amare. Quae res non solum in hominibus saecularibus veritatem habet, sed etiam in ecclesiasticis ac religiosis. Nam utique episcopos et ecclesiae doctores, atque ministros hic instruit Apostolus: imo vero istis appetitus divitiarum tanto magis inhibetur, quanto alios contemptu saeculi praecellere debent, et bonis exemplis anteire. Quod vel maxime notandum est propter eos, qui plura beneficia ecclesiastica possident, aut quaerunt, quibus unum ad vitam honeste transigendam sufficit: etiamsi plura habeant, eo praetextu, vel intentione, ut opes inde collectas in pios usus, ut loquuntur, aut viventes erogent, aut a morte relinquant. Male enim contra divinas et ecclesiasticas leges, ipsumque adeo jus naturae, per hujusmodi fallaces intentiones quorundam avaritia sibi blanditur ad ipsorum interitum et perditionem.

10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Pro cupiditate, Graece est φιλαργυρία, *amor pecuniae,* quam uno nomine *avaritiam* vocamus; quomodo legit Ambrosianus. Atque ita citant saepe B. Augustinus, aliique Latini Patres. Alii *studium pecuniae* vertunt. Probat Apostolus id, quod dixerat, eos qui divites fieri volunt, in plurima mala incidere; quia nimirum divitias quaerunt ex avaritia, quae radix et seminarium est omnium malorum. Ubi tam poenae, quam

culpae mala voluit comprehendi, sicut bene Cajetanus annotat; neque solum mala poenae futuri saeculi, sed etiam praesentis. Id liquet partim ex iis, quae praecedunt, partim ex eo, quod proxime sequitur. Nominat enim tentationem, laqueum, desideria multa inutilia et nociva, dolores multos, denique interitum et perditionem. Augustinus quidem sentire videtur, ab Apostolo speciem pro genere positam esse, scilicet avaritiam pro cupiditate, qua plus quam sat est, quaeritur, non solum in pecuniis et opibus externis, sed in re qualibet, ut honoribus, potentia, scientia, voluptate. Loca sunt lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 15. et lib. 3. de lib. arb. cap. 17., itemque in enarrat. Psalm. 118. conc. 11. et tract. 8. super Epist. primam Joan. Verum repugnat tam significatio, quam usus vocabuli Graeci. Neque enim hic est πλεονεξία, quae solet etiam ad alia, quae male appetuntur, extendi; sed ut dixi, φιλαργυρία, quae ad alia non extenditur. Adde, quod ipsa consequentia sermonis apostolici vix admittit eam extensionem.

Sed nec opus est; cum veritas sententiae specialiter intellectae satis abundeque nota sit, non solum ex aliis scripturis, verum etiam per experientiam, ac multorum auctorum clara testimonia. Sententia est Ecclesiastici cap. 10. *Avaro nihil esse scelestius.* Et iterum: *Nihil iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet.* Exclamat etiam Ethnicus poëta: Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Sed et Claudianus eam scelerum matrem appellat lib. 2. in laudes Stiliconis. Exemplum autem, inter alia multa, habemus apertissimum in Juda proditore, qui Dominum suum pecuniae cupiditate vendidit occidendum. De quo vide Leonem serm. 9. de pass. Domini, ubi et hanc Apostoli sententiam pulchre amplificat. Hinc Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 8. instruens adolescentes ad vitae probitatem: *Amorem pecuniae,* inquit, *totius suae spei certissimum venenum esse credant.* Ex his omnibus patet, quam vere et apposite Paulus avaritiam vocet omnium malorum radicem: eo nimirum, quod omne genus scelerum ac flagitiorum ex avaritiae radice progerminet, dum pecuniae causa nihil non audent homines committere: velut perjuria, furta, rapinas, sacrilegia, homicidia. Tametsi non hanc solam rationem spectavit Apostolus, sed et alteram, ut supra dixi, de malis poenae; quia scilicet in omne genus calamitatum ac miseriarum avaritia suos cultores praecipitat.

Quaeret aliquis, quomodo dicat Apostolus, avaritiam esse radicem omnium malorum, cum juxta celebrem Ecclesiastici sententiam cap. 10. *Initium omnis peccati superbia* sit. Resp. diverso sensu haec dici. Nam avaritia quidem ea ratione, qua dictum est, omnium malorum est origo. Superbia vero omnis peccati initium est, quia tam in angelis quam in hominibus primum omnium peccatum fuit superbia, qua a Deo recesserunt. Quanquam et a superbia oriuntur caetera, quatenus homo per superbiam aversus a Deo transit ad regnum peccati.

Quam quidam appetentes erraverunt a fide. Rem ab experientia declarat. *Appetere cupiditatem* seu *avaritiam* Hebraismus est, quo affectus pro objecto ponitur, avaritia pro rebus concupitis, id est opibus, pecuniis. Tale est illud Psalm. 105. *Concupierunt concupiscentiam in deserto,* et Job 3. *Timor, quem timebam, evenit mihi.* Cujus expositio sequitur: *Et quod verebar, accidit.* Hac phrasi non animadversa alii verterunt: *Quam secuti* aut *cui addicti*, praeter usum ac significationem verbi Graeci ὀρεγόμενοι. Alii *quam* referunt ad *pecuniam*, inclusam in φιλαργυρία, sed imperite, cum genus in Graeco non respondeat. Itaque sentit Apostolus, usque adeo radicem omnium malorum avaritiam esse, ut etiam ad infidelitatem perducat. Jam enim, inquit, quidam, qui Christo nomen dederant, dum avaritiam student, et divitias appetunt atque sectantur, aberrarunt ac defecerunt a fide Christiana; videlicet ea ratione, qua supra cap. 1. dixit, *quosdam*

repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragasse. Si enim avaritia est peccatorum radix et scelerum mater, igitur bonam conscientiam repellit, quisquis avaritiae studet.

Et inseruerunt se doloribus multis. Graece *confixerunt se,* quemadmodum et vertit Theophylacti interpres. Atque eam significationem urgent expositores Graeci. Sensus est: Et conjecerunt se in multas et graves angustias, multorum dolorum causas, et quibus velut spinis transfixi cruciantur. Significat, omnes quidem, qui divites fieri volunt, incidere in tentationes et laqueos peccatorum, et noxia desideria, quae causa sint aeternae perditionis; quosdam autem etiam implicari gravissimis malis hujus saeculi, quae solent ex infraenata rerum alienarum cupiditate consequi.

11. *Tu autem, o homo Dei, haec fuge.* In veteri Scriptura *homines Dei* aut *viri Dei* vocabantur Prophetae, velut Deo familiares: ut Moses, Samuël, David, Elias, Elisaeus atque alii. Non dissimili ratione Timotheum episcopum Paulus *hominem Dei* vocat, quia nimirum in his, quae Dei sunt, populo praeerat, hoc habens proprium munus, ut homines ad Deum adduceret, quod est omnibus episcopis commune. Unde in secunda ad Timoth. 3. nomen illud generatim episcopo tribuit, dicens: *ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus instructus.* Igitur et hic in Timotheo omnes episcopos et pastores admonet. Tu, inquit, qui es homo Dei et proinde in ea, quae Dei sunt, totus intendere debes, ista, quae dixi, *fuge,* scilicet avaritiam et peccata, quae ex illa radice procedunt. Verbum *fuge* emphasim habet, quasi dicat: sis ab hujusmodi longissime remotus. Adhortatio omnibus animarum pastoribus summopere necessaria. Nihil enim aeque depravat eorum intentionem, et ex pastoribus mercenarios facit, atque studium et affectus avaritiae. Nihil etiam est, quod magis impediat fructum salutis animarum, quam si videant subditi pastorem suum avaritiae studere et sua quaerere, non quae Jesu Christi.

Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Hortatur ad virtutes oppositas. Illa fuge, ista *sectare,* quod Graece est: δίωκε, *persequere,* vocabulum fugae contrarium, ut significet, pari animi contentione pastoribus et vitia fugienda, et sectandas esse virtutes. Eodem verbo usus est 1 Cor. 14. *Sectamini charitatem.* Primo loco *justitiam* nominat, unicuique, quod suum est, tribuentem, quae avaritiae opponitur res alienas appetenti. Deinde *pietatem,* qua Deus ex animo et pura intentione, non autem affectu mercenario colitur, quam supra dixit: *esse magnum quaestum et ad omnia utilem. Fidem,* coelestia bona quaerentem, a qua aberraverunt quidam per avaritiam. *Charitatem,* non *quaerentem quae sua sunt, sed quae aliorum,* ad quam liberalitas pertinet, et omne genus beneficentiae erga proximos. *Patientiam,* qua non solum superfluis, verum etiam necessariis aequo animo caremus. *Mansuetudinem,* pro qua Ambrosianus legit: *tranquillitatem animi,* dum scilicet non commovemur adversus eos, qui nos injuriis afficiunt, ea quae nostra sunt auferentes, juxta illud: *Qui aufert, quae tua sunt, ne repetas,* Luc. 6.

12. *Certa bonum certamen fidei.* Metaphorica est admonitio, non a militia sumpta, quod plerique putant, cujusmodi erat illa cap. 1. *ut milites in illis bonam militiam,* sed a certamine, quod cursu fiebat in stadio, de quo 1 Cor. 9. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* etc. Cui quidem exhortationi similis est ista, nisi quod illa generalis est ad omnes fideles, haec autem speciatim dirigitur ad episcopum. Alioquin et hic in Graeco est nomen agonis, quasi dicat: *Agoniza bonum agonem fidei,* et mentio fit bravii comprehendendi in eo, quod sequitur: *Appre-*

hende vitam aeternam. Utitur autem eadem metaphora etiam in 2. Epist. cap. 2. dicens: *Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Similis est locus ad Phil. 3., ubi de seipso loquitur tanquam in hujusmodi stadio currente ad bravium supernae vocationis. Hortatur ergo Timotheum Apostolus, ut memoratis virtutibus instructus, cursum ministerii sui bene ac feliciter peragat. Qui cursus merito *certamen* vocatur propter difficultates, quas, qui currit, patitur ab adversariis, tam internis, quam externis, cursum ejus impedire ac bravium intervertere conantibus. Vocatur autem *certamen fidei*, vel quia non nisi per fidem vincit, qui in hoc certamine versatur, Joanne testante 1. Epist. 5. *Haec est victoria, quae vincit mundum fides nostra*; vel quia certamen hoc pro fide Christi propaganda ac defendenda susceptum erat. Loquitur enim, ut dixi, de cursu ministerii evangelici.

Apprehende vitam aeternam. Id est ita certa in hoc cursu, ut apprehendas et consequaris vitam aeternam velut bravium et palmam victoriae. Docet hic locus contra sectarios, vitam aeternam bene viriliterque certantibus propositam esse tanquam praemium. Id diserte annotatum est a Theophylacto. Ecce, inquit, et merces, et praemium vita aeterna.

In qua vocatus es. Graece *in quam* vel *ad quam et vocatus es.* Eadem Ambrosiani lectio est. *In quam,* legitur etiam apud S. Thomam et in nostris quibusdam codicibus. Sensus est: Ad quam vocatus et invitatus ab agonotheta Christo, qui vitam aeternam in hoc stadio certantibus praemium proposuit. Hinc alibi vocatur *bravium supernae vocationis.* Intelligitur autem vel interna vocatio, quae fit per fidem, semperque est efficax; ejus enim frequenter Apostolus meminit: vel externa, quae fit per ministros Evangelii, quamque multi non sequuntur, qualis illa in Evangelio: *Venite ad nuptias.* Hucusque metaphora certaminis.

Et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Erasmus, Hentenius et alii nonnulli vertere maluerunt: *Et professus bonam professionem.* Multipliciter autem haec pars exponitur. Uno modo sic: Habes praeclarae confessionis tuae multos testes, cum Ephesi, tum in aliis regionibus, qui te fideliter in Evangelii professione versantem spectarunt. Alius sensus est: Timotheum aliquando in persecutione, cum periclitaretur, coram multis confessum fuisse fidem Christi. A qua confessione, confessores olim vocabantur. Hunc sensum priore loco tradunt Chrysostomus et Theophylactus. Et favet, quod sequitur de testimonio et confessione Christi, quam fecit sub Pontio Pilato.

Tertius sensus est: sermonem esse de confessione fidei, quam Timotheus fecerat in baptismo, qua nimirum professus erat symbolum fidei, cum renunciatione Satanae atque pomparum ejus. Solet enim ea fidei professio solemni ritu fieri multis praesentibus, quemadmodum constat ex Dionysio lib. eccl. hier. cap. 2. part. 2. et cap. 7. part. 3. et ex Augustino lib. 8. confess. cap. 2. Haec Graecorum expositio est et quorundam etiam Latinorum, ut Ambrosiani, Pelagii, Primasii et Haimonis, quibus Sasboldus et Hesselius adstipulantur.

Postremus sensus est de ea confessione, quam fecerat Timotheus, quando fuit ordinatus a Paulo episcopus cum impositione manuum presbyterii. Haec erat non fidei confessio, sed professio ac sponsio ministerii evangelici recte ac fideliter obeundi; fiebatque coram multis testibus, non solum episcopis, qui manus imponebant, verum et frequenti coetu fidelium. Ita exponunt Lomdardus, Aquinas et Cajetanus, sane quam probabiliter et ad locum praesentem accommodate, tanquam dicat Apostolus: Ita certa in cursu ministerii tui, ut apprehendas palmam vitae aeternae, ad quam vocatus es, et cujus gratia, multis praesentibus, hanc optimam fecisti professionem, te fideliter ac strenue executurum opus Episcopi et Evangelistae. Cujus professionis te semper memorem esse volo.

13. *Praecipio tibi coram Deo.* Non contentus Apostolus superiori adhortatione adjungit, qualem et capite praecedenti post praecepta de judiciis exercendis, qualem etiam videbimus in secunda Epistola. Arguunt haec ingentem Pauli solicitudinem pro Ecclesia, qui putaverit tantis obtestationibus agendum cum Timotheo, quem noverat fidelissimum Ecclesiae ministrum et omnium minime sua quaerentem, ut ipse de eo testatur Phil. 2. Praecipio tibi, inquit, in conspectu et praesentia Dei, qui testis esse poterit me haec praecepisse; et vindex, si ea non serves. Quid praecipiat, postea subjungit, ubi dicit: *Ut serves mandatum sine macula* etc.

Qui vivificat omnia. Non dicit, qui videt omnia, sed qui vivificat; quia plus est vivificare, quam videre. Vivificat autem omnia, quaecunque vivunt, quia omnis vita a Deo est. Sic idem Apostolus Act. 17. dicit: *Deum dare omnibus vitam, et inspirationem et omnia.* Est autem hoc Dei epitheton praesenti loco valde congruens, quo Timotheum ad certamen et pericula perferenda reddit alacriorem certa spe resurrectionis, quasi dicat: Ne metuas mortem, nam servus es Dei, qui potest etiam mortuos ad vitam revocare.

Et Christo Jesu. Christi praesentiam allegat ut hominis, quia quamvis secundum naturam humanam non sit ubique, secundum eam tamen omnia quaecunque usquam aguntur, cognoscit et videt. Quanquam non ideo tantum Christi meminit Apostolus, quod is omnium actionum nostrarum inspector sit ac judex futurus; verum etiam ut eum Timotheo proponat tanquam exemplar confessionis, quod imitetur. Sequitur enim:

Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem. Graece: *qui testatus est*, vel *qui testatam fecit.* Hoc vertit Erasmus, illud apud Ambrosianum legitur. Sunt autem phrases similes: *testari bonam confessionem* et, quod praecessit, *confiteri bonam confessionem.* Ipsa enim confessio testimonium quoddam est. Porro nonnulli verterunt: *coram Pontio Pilato*, non quod Graecus textus id postulet, sed quod putarent, hic significari confessionem veritatis a Christo factam coram Praeside Pilato. Nam et Chrysostomus, ejusque sequaces, hujusmodi confessionem intelligunt, qua nempe Christus stans coram Praeside confessus est, se regem esse Judaeorum et ad hoc natum, ut testimonium perhiberet veritati. Quamvis autem Graeca praepositio ἐπὶ genitivo juncta hunc sensum admittat; usitatius tamen et elegantius id significat, quod nos legimus, quodque etiam est apud Ambrosianum.

Nec aliud sane dicere voluit Apostolus, quam quod totidem verbis in Graeco fidei symbolo legitur: ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, quod nemo dixerit aliter reddendum Latine, quam sicut universa Ecclesia Latina recitat: *Sub Pontio Pilato.* Tale est illud Act. 11. *factam fuisse famem sub Claudio Caesare.* Nec arbitrandum est, Graecos tractatores aliter interpretatos fuisse praepositionem ἐπὶ, licet confessionem intelligant eam, quae coram Pilato facta est. Sed si ejusmodi tantum significaretur confessio, quae nimirum verbis fit coram aliquo judice; potius dicendum fuisset: *coram Caipha,* quam *coram Pilato;* nam coram Caipha apertissimis verbis confessus est se esse Christum filium Dei, coram Pilato non aliud, quam se esse regem Judaeorum.

Ut ergo verus habeatur sensus verborum Apostoli, memoria repetendum est, quod annotavi ad illud cap. 2. *testimonium temporibus suis,* usu primitivae Ecclesiae nomen *testimonii* seu *martyrii* pertinere ad eam testificationem, quae fit opere, non qualicunque, sed consummato et perducto usque ad mortem. Hoc enim excellentissimum testimonii genus est, atque eo jure martyrii nomen sibi proprie vendicabat, etiam apud Latinos. Nam *confessionis* vocabulum servabatur testimoniis seu verbo, seu facto perhibitis, citra mortis perpessionem. Unde et intelligitur, quare de Timotheo quidem dixerit: *confessus bonam confessionem,* de

Christo autem: *testatus bonam confessionem.* Sensus igitur Apostoli est: Qui cum saepe veritatem, cujus causa missus erat a Patre, palam confessus apud homines fuisset, tandem Praeside ac judice Pontio Pilato, ejusdem veritatis confessionem testatus est, sive testatam fecit, id est martyrio complevit et consignavit, quando pro ea veritate crucem et mortem sustinuit. Sensum hunc docte prosequitur Hesselius.

14. *Ut serves mandatum sine macula irreprehensibile. Sine macula,* Graece *immaculatum.* Sed sciendum, haec adjectiva *immaculatum, irreprehensibile* in Graeco posse tam ad mandatum, quam ad personam Timothei referri. Ad mandatum refert Ambrosianus textus, dum legit: *ut serves mandatum immaculatum, irreprehensibile.* Graeci interpretes ad Timotheum referre videntur, dum sic exponunt: Neque vitae, neque dogmatum gratia aliquid maculae contrahas, unde merito reprehendaris. Ita vertendum esset, sicut neoterici quidam verterunt: *Ut serves praeceptum, immaculatus, irreprehensibilis.* Sunt qui prius adjectivum praecepto adjungant, posterius Timotheo remittant, hoc modo: *Ut serves praeceptum immaculatum, irreprehensibilis.* Sic enim Hentenius transtulit.

Contra vero noster interpres posterius adjectivum praecepto dedit; prius autem ita vertit, ut in Timotheum cadere videatur; quasi dicat Apostolus: *ut serves praeceptum irreprehensibile, dum teipsum sine macula conservas:* juxta id, quod dixerat capite superiori: *Teipsum castum custodi.* Praeceptum autem irreprehensibile servatur eo sensu, quo ad Tit. 2. dicitur: *verbum sanum, irreprehensibile,* dum videlicet in ministris legis aut doctrinae nihil habet adversarius, quod reprehendat, et propter quod ipsa lex et doctrina male audiat.

Verumtamen inter has quatuor constructiones duae mediae plus habere videntur probabilitatis. Nam *irreprehensibile* solet usitatius ad personam referri; ut et in hac eadem Epistola personae tribuitur cap. 3. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Est enim idem in Graeco vocabulum, quod hoc loco. Jam quaeritur, quod *mandatum* dicat Apostolus. Quidam exponunt de mandato, quo dixit: *Certa bonum certamen fidei.* Nonnulli de mandato dilectionis: alii significari putant comprehensionem omnium, quae hactenus Timotheo praecepit, quorum summa est, ut se fidelem Christo et Ecclesiae ministrum praebeat. Ad hoc enim velut unum praeceptum omnia rediguntur.

Usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. Graece, μέχρι τῆς ἐπιφανείας, id est *usque ad apparitionem* seu *manifestationem Domini nostri Jesu Christi.* Id est usque ad secundum ejus adventum, quo veniet manifestus cum potestate magna et majestate judicaturus mundum, et redditurus unicuique secundum opera sua. Non dicit, ut serves praeceptum usque ad mortem tuam; sicut cuidam dicitur in Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem,* sed *usque in adventum Domini,* scilicet ut eum magis excitet, inquit Theophylactus, mentione facta illius gloriae tremendae. Nam frequens est Apostolus, imo tota Scriptura novi testamenti in inculcando secundo Christi adventu: tum quia ad gloriam, quae tunc revelabitur, spectat ac protenditur omnis spes fidelium, quae eos mirifice consolatur in omni tentatione, pressura et persecutione, quam in hoc saeculo patiuntur; tum quia judicii illius futuri cogitatio segnioribus terrorem ingerit, simul et stimulos injicit ad parandam viam judici venturo. Sic idem Apostolus Phil. 1. *Ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi.*

Porro ne quis suspicetur, Apostolum hujusmodi locutione significare velle, quod viventibus adhuc iis, ad quos scribit, venturus sit Christus ad judicium; aperte et ex professo removet hanc opinionem ipsemet in 2. Epist. ad Thess. 2. Ubi eos solicite monet, ne qua ratione commoveantur, quasi instet dies Domini; docetque quanta sint, quae diem illum de-

beant praecedere. Dum ergo Timotheo praecipit, ut servet mandatum *usque in adventum Christi;* intelligendus est praecipere, ut servet usque ad exitum vitae. Nam ut ait August. epist. 80. ad Hesychium: *Tunc unicuique veniet dies adventus Domini, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die.*

Putat autem Hesselius, Apostolum sub obtestatione praecipientem Timotheo, ut servet mandatum sine macula usque in adventum Christi Domini, in memoriam ei revocare sponsionem in baptismo factam, quando, ut est in ceremoniis baptismi, dictum est ei: *Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi; ut habeas vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum:* et respondit, *Amen.* Cujus ceremoniae etiam meminit Hieronymus in epist. ad Damasum.

15. *Quem suis temporibus ostendet. Quem* non Christum refert, sed *adventum* sive apparitionem, ut ex Graeco liquet: tametsi id ad sensum non multum interest. Quod enim ad rem attinet, non aliud est, apparitionem Christi ostendere, quam Christum apparentem seu manifestum exhibere. *Beatus et solus potens. Potens:* in Graeco substantivum est, δυνάστης. Vocantur autem dynastae quasi potentatus, eo quod plurimum possint: cujusmodi maxime sunt reges et principes. Erasmus *principem* vertit. Quanquam Graecum vocabulum dynasta retineri potuit ab interprete. Est enim etiam Latinis scriptoribus in usu, nominatim Ciceroni ad Atticum et in Philippicis.

Rex regum et Dominus dominantium. Regum, Graece, *regnantium.* Quoniam de Christo ut homine loquebatur, secundum hanc enim naturam venturus est ad judicium, idcirco ostensionem adventus ejus Deo tribuit auctori, videlicet ea ratione, qua 1 Cor. 15. scribit, Deum patrem omnia subjecturum Christo filio. Unde etiam apparet, hoc loco Deum Patrem significari: quamvis alioqui quae hic dicuntur, in totam Trinitatem competant. Dicit autem, *temporibus suis,* seu *propriis,* ut est in Graeco; id est ad eam rem a Deo praeordinatis, ipsique notis: ut reprimat humanam curiositatem, quam et Christus in suis Apostolis hujusmodi verbis repressit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. Quare hac parte tollitur suspicio, ne propter illud, *usque in adventum Domini,* quis putet adhuc vivente Timotheo venturum Dominum. Vult enim illud tempus esse nobis omnino incertum, ac minime scrutandum. Beatum Deum vocat proprio epitheto, sicut et supra cap. 1., ne dubitemus, ab eo, qui per essentiam beatus est, ac solus omne bonum possidet, communicandam nobis beatitudinem promissam. Quomodo autem dicatur, *solus potens,* seu Dynasta, ne quis hic everti putet potestates humanas, exponitur verbis sequentibus, *rex regum, dominus dominantium.*

Itaque sensus est: Deum solum esse perfecte ac prorsus absolute Principem, Regem et Dominum, ut qui potentiam, regnum, dominatum a nullo alio acceptum habeat, sed a quo caeteri, quicunque regnant et dominantur, qui proinde ei, tanquam regi et Domino, omnes subjecti sunt. His epithetis amplificat Apostolus Dei potentiam ac majestatem; ut eam ante oculos habentes, principum ac dynastarum hujus mundi violentiam atque tyrannidem non metuamus.

Si quaeritur: An etiam Christus, ut homo, dici possit Rex regum et Dominus dominantium; affirmativa responsio est. Sic enim diserte vocatur Apoc. 17. et 19., tametsi non eodem sensu, quo id Deo tribuitur hoc loco. Nam Christi regnum atque dominium, quod habet super omnes alios reges ac dominos, a Patre ei datum est ac Patri subjectum, eidemque cum agnitione subjectionis tradendum; juxta illud 1 Cor. 15. *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.*

16. *Qui solus habet immortalitatem.*

Alias subjicit divinae majestatis proprietates; ac primum *immortalitatem*, quo non solum distinguitur a regibus terrenis, qui mortales sunt, sed ab omni re creata. Nam perfecta immortalitas est omnimoda immutabilitas. Omnis enim in deterius mutatio mors quaedam est; et omne, quod ita mutatur, quodammodo moritur; dum per mutationem desinit esse id boni, quod erat. Atqui solus Deus omnino immutabilis est juxta illud Mal. 3. *Ego Dominus et non mutor*, et Jac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* De hujusmodi immortalitate locum hunc intellexerunt August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. et lib. 3. contra Maxim. cap. 12. et Bernardus serm. 81. super Cantica. Potest et sic intelligi: Qui solus ex se et per naturam immortalis est; ut qui sit essentialiter vita. Nam intellectuales creaturae, ut angeli et animae rationales, participative tantum, et, ut Patres loquuntur, per gratiam, immortales sunt. Unde qua ratione solus Deus bonus est, eadem solus est immortalis, scilicet per essentiam. Utrique intellectui coaptari potest etiam illud hujus Epistolae cap. 1. *Regi saeculorum immortali*, Graece, *incorruptibili.* Siquidem omnis, qualem diximus, mutatio, corruptio quaedam est; et solus Deus per naturam est incorruptibilis.

Et lucem inhabitat inaccessibilem. Non de luce creata loquitur, sicut quidam hunc locum intellexerunt, imaginantes inaccessibilem hanc lucem, quam Deus inhabitat, constare ex quinta quadam usia sive essentia, quemadmodum refert Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 8. Sed loquitur de luce increata, quae est ipse Deus, attestante Joan. 1. ep. 1. *Deus lux est; et tenebrae in eo non sunt ullae.* Sic ergo dicitur *inhabitare lucem*, sicut est et habitat et permanet in seipso, secundum illud Ambrosii: *Immotus in te permanens.* Maxime enim quisque ibi dicitur habitare, ubi semper est, et unde nunquam recedit. Est autem Deus lux spiritualis; cujus visione et ipse naturaliter beatus est, et alios accidentaliter beatos facit. Eam lucem Apostolus *inaccessibilem* vocat, quia ad eam videndam nulli hominum patet accessus. Quod quo sensu sit accipiendum, cum scriptum sit: *Accedite ad eum, et illuminamini* Psalm. 33., pendet ex intellectu ejus, quod sequitur:

Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Dixerat cap. 1. Deum immortalem et invisibilem; quod utrumque hic repetit pluribus verbis. Ac de immortalitate jam dictum est. Nunc explicandum quomodo Deum vocet *invisibilem*, et ita quidem, ut eum nec viderit nec videre possit quisquam hominum; cum Dei visionem, eamque perfectam, omnes Christiani certa spe exspectare jubeamur. Quidam exponunt hunc locum de visione, quae fit oculis corporeis. Sed falli videntur: sic enim nihil singulare de Deo diceret Apostolus; quia nec angeli, nec animae, corporeis oculis videri possunt. Imo nec aër nec aether, quamvis corpora sint, oculis percipiuntur; ut taceam de tam multis accidentibus a sensu remotis. Alii de visione comprehensiva putant Apostolum loqui, qua nimirum infinita Dei substantia a cognoscente perfecte comprehenditur; id est quantum visibilis est, videtur. Huic intellectui videtur obsistere, quod Apostolus peculiariter loquitur de hominibus, velut angelos nolens comprehendere: quandoquidem nec ulla alia Scriptura negat, angelos Deum videre, sed magis affirmat, ut Matth. 18. *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris.* Constat autem, nec ab angelis Deum videri comprehensive, sed a seipso solo.

Restat igitur, ut Apostolum interpretemur de visione intellectuali, qua secundum essentiam videtur etsi non comprehendatur. Ut sensus sit: Quem nullus hominum in hac mortali vita vidit, aut videbit unquam, imo nec videre potest; obstante videlicet ordinatione divina, qua immobiliter decrevit, ut ea visio nemini contingat, dum adhuc peregrinatur in via; sed pro mercede ac praemio servetur iis, qui cursum hujus vitae feliciter com-

pleverunt; juxta promissionem hanc Salvatoris: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. 5. Haec Graecorum est expositio, nec non Evaristi Pontificis in prima Epistola decretali, atque adeo ipsius Augustini lib. 3. contra Maximinum cap. 9. et 12., super Psalm. 118. conc. 6. Eum autem esse germanum hujus loci sensum, ostendi potest ex simili sententia, quae est apud Joannem cap. 1. Evangelii, et 1 Epist. 4. *Deum nemo vidit unquam.* Sentit enim, Deum a nullo puro homine in hac mortali vita aut visum esse aut videri posse; ideoque filium Dei, qui ab aeterno cum patre fuit et patrem vidit, ad nos missum esse, ut coelestia secreta nobis reseraret. Id enim est, quod in Evangelio subjungit: *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Nec ab hac sententia diversum est, quod Christus dicit Joan. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam; nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Significat enim iis verbis, se solum a Patre missum doctorem, ut qui solus patrem viderit, et secreta ejus noverit. Jam ex hac apostolica doctrina sequitur, visionem Dei beatificam nulli mortalium unquam fuisse concessam, ne Mosi quidem aut Paulo; cum nulla prorsus sit necessitas a generali Dei decreto, quod illae Scripturae significant, eos eximendi, quin potius gravissimae rationes prohibeant, sicuti plenius ostendimus ad dist. 8. lib. 2. Sent.

Sciendum est autem, etsi de Deo Patre haec ab Apostolo dicta sint, ut initio monuimus, nam et Joannes in testimoniis allegatis de Patre loquitur: omnia tamen etiam in Filium et Spiritum sanctum revera competere; quemadmodum vigilanter annotant interpretes Graeci, ne quis aliquam hic suspicetur personarum in Deo inaequalitatem. Itaque particula *solus*, bis posita, neque filium excludit neque Spiritum sanctum; sed res omnes et solas a Deo diversas: uti docet Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. et lib. 1. de Trin. cap. 6. Quare nec illud recipiendum, quod ex hac Scriptura probare nititur Ambrosianus commentator, Deum Patrem in veteri testamento per subjectam aliquam creaturam nunquam apparuisse, sed solum Filium. Quanquam et aliorum quorundam veterum ea sit opinio. Sed eam ex scripturis docte refellit Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 18. et verus Ambrosius in Lucam.

Cui honor et imperium sempiternum. Amen. Pro *imperio, potestatem* legit Ambrosianus, utrumque enim significat Graecum κράτος, sed magis proprie potestatem imperandi quam actum. Quamvis et apud Latinos *imperii* nomine saepe non actus imperandi, sed potestas significetur. Potest autem haec pars aut optative intelligi, *cui sit honor* etc. aut enuntiative, *cui est honor.* Plerique enunciative exponunt, hoc sensu: Cui ab omnibus debetur honor summus, tanquam omnium bonorum auctori; quique imperium habet sempiternum, idemque prorsus absolutum et universale, cum reges hujus saeculi tantum ad tempus imperent, nec nisi limitata et valde imperfecta gaudeant potestate. Quod vero sequitur, *Amen,* est confirmantis, quasi dicat: Vere ita est.

Aliis magis placet sensus optativus sive imprecativus, iste: Cui ab omnibus impendatur honor; et cujus imperium sit per omnium confessionem sempiternum. *Amen,* id est fiat. Juxta quem sensum respondebit ista precatio partibus illis orationis Dominicae: *Sanctificetur nomen tuum,* et: *Adveniat regnum tuum.* Sunt autem in scripturis multae sententiae huic similes, ut Rom. 16. *Cui honor et gloria in saecula saeculorum, Amen.* Eph. 3. *Ipsi gloria in ecclesia et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum, Amen.* Item Phil. 4., 2 Pet. 3., Apoc. 5. et 7. et in epist. Judae et hujus epist. cap. 1. Quae omnes sententiae, seu potius sententiarum clausulae, magis videntur optandi ac bene precandi formam habere, quam aliquid affirmandi; quamvis idipsum, quod optatur, absque dubitatione futurum sit.

17. *Divitibus hujus saeculi praecipe non sublime sapere.* Ne propter ea, quae

superius dixit adversus avaritiam et divitiarum cupiditatem, putaret quispiam, divitias in universum damnari: nunc divitibus praecepta dat, quibus bonum et sanctum usum divitiarum commonstret. Ex qua doctrina consequens imprimis est, divitias licite possideri posse; falsumque esse illud dogma Pelagii, Christianum non posse salutem consequi nisi possessiones omnes abdicet ac relinquat. Contra quam haeresim ex hoc loco et aliunde disserit August. epist. 89. ad Hilarium. Neque vero pugnat Apostolus cum Domino dicente Matth. 19. *Facilius esse ut camelus transeat per foramen acus, quam ut dives intret in regnum coelorum.* Per hoc enim Christus docere vult, perdifficile esse ac pene impossibile, ut dives salvetur; eo quod difficillimum sit divitias habere et in divitiis non confidere.

Verum si quis dives non in divitiis, sed in Deo confidat, et secundum Dei voluntatem divitias dispenset; tali diviti vitam aeternam promittere cum Apostolo non dubitamus: cum et Christus subdat, loco memorato: *Apud homines id impossibile esse, sed non apud Deum.* Vocat autem eos Apostolus *divites hujus saeculi,* sive secundum Graecam lectionem, *divites in praesenti saeculo,* ut insinuet, alias quasdam esse divitias ad futurum saeculum pertinentes, istis praesentibus longe praestantiores et ab omnibus expetendas; quarum possessores Christus *in Deum divites* appellat Luc. 11., quarum et hic commendatio paulo post sequitur, in eo quod dicit, *divites fieri in bonis operibus.*

Sublime sapere, pro quo Ambrosianus legit, *superbe sapere,* in Graeco una composita dictio est ὑψηλοφρονεῖν, id est *elato esse animo,* sicut alii bene verterunt; aut uno verbo *superbire,* quemadmodum Hieronymus legit in comment. epist. Gal. cap. 6. Legitur idem vocabulum Rom. 11., ubi nos habemus: *Noli altum sapere, sed time.* Competit in eos, qui sibi placent, et magni seipsos faciunt, aliosque prae se contemnunt: quales maxime sunt hujus saeculi divites. Nam, communi hominum vitio, opulentia superbiae et arrogantiae mater est. Pulcre B. Augustinus vermem divitiarum superbiam vocat: quod difficile sit, ut qui dives est, non sit superbus Homil. 13. inter 50. et serm. 5. de verbis Domini. Unde liquet, quam necessarium sit divitibus hoc humilitatis praeceptum, *non sublime sapere.*

Neque sperare in incerto divitiarum. Graece, *in divitiarum incertitudine,* id est *in incertis divitiis.* Vitium hoc, *sperare in divitiis,* causa est, cur opes superbiam gignant; dum qui multum habent, multum se posse confidunt et per hoc animis efferuntur, atque alios tanquam impotentiores despiciunt. Hujus spei seu fiduciae vanitatem Apostolus ostendit ex proprio divitiarum epitheto, quia sunt incertum aliquid. Multis enim casibus obnoxiae sunt: furtis, fraudibus, rapinis, incendiis, quibus auferuntur et pereunt etiam invitis possessoribus; quod de spiritualibus divitiis dici non potest. Stultum est autem in re tam caduca, incerta, instabili et quae saltem ipsa morte necessario relinquenda sit, spem suam collocare.

Sed in Deo vivo. Potius, inquit, spem suam ac fiduciam reponant in Deo, totique ab eo pendeant, etiam in mediis opibus; quas ille dat et aufert quibus et quando voluerit. Addit Apostolus epithetum *vivo,* Graece *vivente;* sive ad discrimen falsorum Deorum, qui aut non vivunt, aut misere vivunt; sive ad indicandam spei certitudinem, quae in Deo collocatur, cum is nulli sit mutationi subjectus, sed semper et immutabiliter vivat.

Qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum. Abunde Graece πλουσίως, id est *opulente.* Est enim allusio ad divitias, quasi dicat: non in opibus, sed in Deo opum largitore sperate, qui nobis opulenter omnia subministrat. Non sentit Apostolus, Deum omnibus omnino hominibus abundanter omnia praebere, quae sunt eis necessaria; constat enim, multos esse qui indigeant: sed de communi beneficentia Dei erga genus humanum loquitur, quae in eo consistit, quod Deus

affatim praebet ea, quibus homines ad vitam hanc temporalem opus habent; faciens solem suum oriri, pluviasque descendere super bonos ac malos et terram omni genere frugum et fructuum foecundans. Denique ex aëre, terra et aquis animantia ad victum copiose subministrans, ut nihil cuiquam desit, nisi quantum aliorum avaritia alios defraudat, dum ea, quae abunde suppetunt, non communicent.

Haec Graecorum est explicatio, quam ratam facit alia sententia ejusdem Apostoli, qua Act. 14. Dei beneficentiam erga homines praedicans, dicit eum *de coelo dare pluvias et tempora fructifera et implere cibo et laetitia corda eorum.* Ex quo etiam loco datur intelligi quid sibi velit, quod hic adjecit, *ad fruendum*, id est ad percipiendum cum laetitia. Nam *frui* tam in scripturis sacris, quam apud auctores profanos, non est aliud, quam cum laetitia et delectatione rem aliquam percipere. Vult autem Deus homines donis suis laetificare, sed ita ut non in illis, sed in ipso finem et felicitatem suam constituant. Quod est frui, theologico loquendi modo. Qua de re egimus ex professo in 1. Sent. dist. 1.

18. *Bene agere.* Graecum verbum compositum est ex bono et opere, quasi dicat: *bona operari.* Itaque divites hortatur, ut divitias, quarum usus latissime patet, neque avare recondant, neque utantur ad fastum, vanitatem, voluptates, ut plerique faciunt; sed ad bona opera, quibus adjuventur proximi. Dependet adhuc pars ista a verbo *praecipe;* sicut et infinitivi sequentes.

Divites fieri in bonis operibus. Graecum πλουτεῖν ambiguum est ad ditescere et divitem esse: quamquam utrumque significatum hic probe quadrat. Auget autem Apostolus quod dixerat, *bene agere:* neque enim divitibus sufficere debet quomodocunque bona operari; sed sicut abundant opibus, ita abundare debent bonis operibus et ex falsis divitiis veras opes, quae in christianis virtutibus consistunt, sibi comparare. Quod potissimum fit, dum erogantur divitiae in proximorum necessitates, praecipiente Domino Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ostendit hic locus, adeo falsum esse, quod haeretici docent, omnia justorum opera esse peccata; ut etiam divites ea, quae bona sunt, operari possint, imo et bonis operibus abundare. Exempla sunt, in Abraham, Isaac et Jacob, aliisque justis veteris testamenti et in Tabitha discipula, de qua Lucas testatur Act. 9., quod erat plena bonis operibus.

Facile tribuere. Id est, faciles ac promptos esse ad tribuendum. Id enim vox Graeca tricomposita εὐμεταδότους significat. Hanc largiendi promptitudinem commendat idem Apostolus 2 Cor. 9. dum eos adhortatur, ut non ex tristitia aut necessitate, sed cum hilaritate tribuant: *Hilarem enim,* inquit, *datorem diligit Deus.* Huic Apostoli praecepto non satisfaciunt, qui tardi sunt ad tribuendum, ut bene S. Thomas annotavit, citans illud Proverb. 3. *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere et cras dabo tibi; cum statim possis dare,* et illud Job 31. *Si oculos viduae exspectare feci.*

Communicare. Graece κοινωνικούς *communicativos esse,* quod Erasmus vertit, *libenter communicantes.* Hoc Graeci referunt ad vitae conversationem, ut sensus sit: Humanos et benevolos sese praebeant, minimeque fastuosos et quibuscum aliis non refugiant conversari. Similiter Augustinus serm. 5. de verbis Domini: *Comunicent,* inquit, id est, pares suos mortales agnoscant. Verum usu scripturae sacrae Graecum vocabulum magis pertinet ad eam communionem, qua quis ea, quae habet, aliis, qui non habent, impertiendo facit communia. Quae quidem significatio huic loco, ubi divites ad beneficentiam exstimulat Apostolus, optime congruit: ut hoc praeceptum simile sit isti Rom. 12. *Necessitatibus sanctorum communicantes,* et Heb. 13. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci.* Eadem hujus vocis acceptio est 2 Cor. 8. et 9. Gal. 6. et Phil. 4.

Rectius igitur in hunc sensum interpretantur *communicandi* verbum expositores Latini, Hervaeus, Aquinas, Liranus, Cajetanus, Catharinus et alii. *Communicare,* ait Aquinas, id est habere divitias sicut cummunes. Unde idem Doctor 2. sec. q. 66. art. 2. probat ex hac scriptura, non debere quemquam res exteriores, quantum ad usum attinet, habere ut proprias, sed ut communes; ita scilicet ut facile eas communicet in necessitates aliorum. Idque etiam Cajetanus in suo commentario diligenter annotavit.

19. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* Sicut fides bonorum operum ac totius justitiae nostrae fundamentum est; ita bona opera sunt fundamentum salutis, quam in futuro exspectamus. Praecipit igitur Apostolus divitibus, ut studeant abundare bonis operibus: ita futurum, ut pro thesauro pecuniarum spiritualem thesaurum sibi colligant ac recondant; videlicet cumulum meritorum, quae (sicut Aquinas annotat) sunt fundamentum futuri aedificii, quod nobis praeparatur in coelo. *Quoniam*, inquit, *tota praeparatio futurae gloriae est per merita, quae acquirimus per gratiam.* In eundem hunc sensum coveniunt commentarii veterum, maxime Graecorum. Pelagius quidem fundamentum hoc intrepretatur: *Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo;* sed id facit juxta suam haeresim, cujus supra memini, qua nimirum docebat, neminem salvari posse, qui non omnia sua relinqueret.

Ut apprehendant veram vitam. Explicatio est illius particulae, *in futurum.* Graeca non habent, *veram*, sed *aeternam vitam;* tametsi res eadem significatur. Non enim alia *vera* vita existimanda est, quam *aeterna ac beata* vita. Nam, ut ait Gregorius hom. 37. in Evang., temporalis haec vita aeternae vitae comparata mors est potius dicenda, quam vita. Porro *apprehendere* est assequi: ut hoc eodem cap. paulo superius. *Apprehende vitam aeternam.* Monstrat hic locus adversus sectarios, vitam aeternam apprehendi per bona opera et non per solam fidem: atque adeo posse fideles vitam aeternam bonis operibus promereri. Nam et Calvinus mercedis promissionem hic agnoscit, etsi meritum rejiciat, dicatque mercedem esse indebitam. Sane quam imperite, quasi non ad se mutuo referantur meritum et merces, ut alterum sine altero stare non possit. Consule si placet Hesselium in commentario, doctissime refellentem Calvini tergiversationes.

20. *O Timothee depositum custodi.* Finem impositurus epistolae redit ad caput, ac Timotheum nomine suo compellans, iterum serio et graviter admonet, ut acceptam fidei doctrinam conservet, nec locum relinquat ulli peregrino dogmati. Nomine *depositi* metaphorice significatur doctrina successori credita, ac per manus tradita: quomodo depositum pecuniarium tradi et credi solet amico. Qua ex re duo discimus. Alterum, traditiones sive scriptas sive non scriptas, quae sunt in ecclesiae deposito, ad doctrinam Christianam pertinere. Neque enim solas scripturas Paulus apud Timotheum deposuerat, sed doctrinam sanam viva voce ei tradiderat. Nam scriptura etiam apud haereticos est, qui tamen hujus depositi sunt expertes. Alterum, episcopos (quos in Timotheo format Apostolus) constitutos esse doctrinae custodes ac velut depositarios; quibus proinde nec mutare quicquam in ea liceat, nec minuere, nec addere. Nam et hoc praeter depositi rationem est, ut ei aliquid addatur. Unde Basilius episcopos esse dixit custodes depositi, non alicujus doctrinae inventores, ut habetur historiae trip. lib. 7. cap. 36. Hinc ergo sequitur, fidei semel a Christo traditae et ab Apostolis acceptae nihil prorsus addi posse; neque id agi in Conciliis fidei causa convocatis, ut novi condantur articuli fidei, sed ut fidei doctrina ab initio tradita conservetur, explicetur, illustretur, et contra succrescentes haereses defendatur: quemadmodum praeclare docet Vincentius Lirinensis, hunc Apostoli locum tractans in libello, quem scripsit contra profanas haereseon novi-

tates cap. 26. et aliquot seqq. Hujus depositi rursus meminit Apostolus in 2. epist. cap. 1., ubi cum dixisset: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti;* mox subjungit: *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum.* Exponit autem plenius cap. 2. cum ait: *Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Ac rursus cap. 3. *Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.*

Ex quibus liquet, falli eos, qui depositum interpretantur talentum seu gratiam Spiritus sancti, quam per ordinationem Timotheus acceperat. Manifestum est enim, Apostolum de deposito doctrinae loqui, quae quasi per manus transmittenda sit ad successores. Quin et repugnant depositi ac spiritualis talenti rationes. Nam depositum reddendum quantum et quale acceperis: talentum vero Dominus praecipit augeri et multiplicari; damnatque servum, qui illud integrum, quale acceperat, sine lucro restituit, Matth. 25. Denique eam quam dixi significationem depositi, satis ostendunt ea quae sequuntur.

Devitans profanas vocum novitates. Graeci codices habent κενοφωνίας, id est *vocum inanitates*, quomodo recentiores interpretantur. Atque ita legunt et exponunt Theophylactus et Oecumenius; tametsi uterque admonet, Chrysostomum ita sententiam hanc tractare, quasi legerit καινοφωνίας, id est *vocum novitates.* Quae res tamen apud Chrysostomum in hujus loci comment., ut nos eum habemus, non apparet. Quamquam non dubium, quin ad eum modum noster interpres in Graeco legerit. Recurrit autem vox eadem in 2 Tim. 2., ubi noster *inaniloquia* vertit; ut etiam hodie est in Graecis. Atqui interpres Ambrosianus utroque loco sibi constans dedit, *vocum novitates.* Sicque legunt etiam caeteri Latini. Sed et Chrysostomus in 2. epist. de novitate doctrinae sententiam exponit.

Unde satis intelligitur, utramque hujus loci lectionem Graecam, quae consistit in unius literae differentia, esse pervetustam; nec facile discerni posse, utra sit alteri praeferenda. Certe quod hodie in Graecis est codicibus, consonat cum vocabulo ejusdem significationis ματαιολογία, *vaniloquium,* quod habetur hujus Epistolae cap. 1. Verum eo loco non additur *profanam,* ut nec opus erat. Nam omnia vaniloquia, qualiacunque sint, in vitio sunt, et ab omnibus vitanda. Quare ex eo, quod hoc loco et in secunda Epistola studiose ab Apostolo addita est determinatio, *profanas;* probabile fit, eum non κενοφωνίας, sed καινοφωνίας scripsisse; ut vocum novitates non quascunque, sed profanas dumtaxat vitandas praeciperet.

Adde, quod haec vox magis directe opponitur *deposito,* magisque convenit cum significatione vocabuli ἑτεροδιδασκαλεῖν, id est, aliud ac diversum aliquid docere; quo jam semel et iterum usus est in hac Epistola. Quod si legimus: *vocum inanitates,* sensus erit, notari quorundam futilem, inanem et clamosam loquacitatem, eamque profanam, id est impuram et pietati noxiam, ut Graeci exponunt; ac Timotheo praecipi, ut id genus devitet ac respuat.

Porro nostra lectio varie accipi potest: aut de novitate vocabulorum secundum se; aut de novitate eorum, quoad res significatas; aut de novitate utriusque generis simul, quum scilicet novis placitis ac doctrinis, ad excitandam admirationem, nova adaptantur vocabula, aut novae locutiones. Id quod novorum dogmatum magistris est familiare. Nobis verisimile est, Graeca voce non aliud quam novitates vocabulorum significari, qualiumcunque sint rerum; ac propterea Apostolum addidisse, profanas, ut non quascunque vocum novitates sibi displicere ostenderet, ac Timotheo devitandas praeciperet; sed eas modo, quibus res profanae, id est a vera pietate remotae significarentur. Quales utique sunt in religione omnes novae doctrinae; quoniam uti supra dictum est, apostolico deposito

nefas est novum quippiam adjici. Quare quicquid adjeceris, profanum est.

Videntur autem ab Apostolo notari vocum novitates, quas id temporis parturiebat schola Simonis Magi de Deo, mundo, coelis, angelis; proferens nescio quae novorum nominum portenta; quod et Valentiniani et Gnostici postea similiter fecerunt. De quibus omnibus videre est Irenaeum et Epiphanium. Sunt et hodie quaedam profanae vocum novitates, ab haereticis excogitatae; velut fides specialis, et justitia imputativa, servum arbitrium; Christum injustificatum esse, et in Eucharistiae sacramento impanatum; et quicquid hujusmodi novum ad nova atque perversa dogmata significanda ab illis introductum est. Non sunt autem profanae vocum novitates, quando docendi et explicandi gratia rebus ab initio creditis nova vocabula accommodantur, qualia sunt Incarnatio, Trinitas, Ingenitus, Homousion seu Consubstantiale, Theotocos, Transsubstantiatio, Opus operatum etc. Nam etsi nova vocabula: res tamen neque novae sunt, neque profanae.

Quocirca graviter Hilarius in libro contra Constantium prohibentem usurpari vocabulum *consubstantiale: Novitates vocum*, inquit, *sed profanas devitari jubet Apostolus. Tu cur pias excludis?* Et Athanasius in disputatione quadam, Arium alloquens: *Nominisne offenderis novitate; an etiam rei ipsius veritatem, quae hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit; non vocabulo novo nova rei veritas accessit.* Ac demum addit, tot nova antiquae veritatis extitisse nomina, quot fuerunt subministratae occasiones. Similia scribunt praesentem Apostoli locum tractantes Augustinus super Joan. tract. 97. et Vincentius Gallus loco dudum memorato.

Et oppositiones falsi nominis scientiae, vel, ut alii vertunt, *falso nominatae scientiae.* Nam in Graeco vox composita est ψευδωνύμου. Igitur *oppositiones falsi nominis scientiae* dicuntur objectiones, quas contra fidei doctrinam adferunt quidam specioso scientiae titulo, sed falso. Non enim vera scientia esse potest, quae veritati contraria est. Talis erat philosophia illa, quam reprehendit Col. 2. dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Monet ergo Timotheum Apostolus, ut devitet atque rejiciat oppositiones et argumenta, quae ex hujusmodi scientiis depromebantur; non quod vetet haereticorum argumentis esse respondendum, et objectiones solvendas: nam quomodo vult *episcopum esse doctorem* cap. 3. hujus Epistolae; *eumque talem, qui potens sit eos, qui contradicunt arguere* Tit. 1., si non ei permittit disputationem cum adversariis? sed quoniam etiam hoc ad orthodoxum et peritum disputatorem pertinet, non omnia, quae ab adversario proferuntur examinare ac discutere velle, sed quaedam simpliciter rejicere: quod fieri solet negatione ejus, quod sumitur et non probatur. Cujusmodi multa erant veterum haereticorum figmenta nulla probabilitate subnixa.

Graeci interpretes opinantur, hic ab Apostolo designari Gnosticos, qui sibi nomen hoc a scientia per superbiam arrogabant; cum alioqui non solum falsa et profana, sed etiam abominandas quasdam turpitudines in suis arcanis haberent. Unde Borboritae dicti sunt. Et quamvis credi possit, Gnosticorum nomen non statim cum haeresi emersisse, sed aliquanto post: tamen Apostolorum temporibus rem ipsam jam tum a Simone et Nicolao, quorum in Actis apostolicis Lucas meminit, originem accepisse, certum est. Hi namque doctrinam suam haereticam atque probrosam specioso scientiae titulo ornare et commendare studuerunt. Unde factum, ut eorum successores, ipso etiam sectae vocabulo scientiam profiteri volentes, sese Gnosticos, id est cognitores, appellarint. Quam rem Epiphanius cum alibi, tum in haeresi Carpocratitarum, sub initium, aperte declarat, qui idem haereticorum post Christi adventum exortorum hunc facit ordinem, ut primi fuerint Simoniani, tum ordine sequantur Menandriani, Sa-

turniniani, Basilidiani, Gnostici, Carpocratiani, Cerinthiani, Nazaraei, Ebionitae, Valentiniani, et qui deinde recensentur. Ex quibus jam perspicuum fit, Irenaeum verissime lib. 1. cap. 20. scripsisse, a Simonianis falsi nominis scientiam initia sumsisse: scientiam enim illi falso jactabant; etsi nondum Gnostici vel a seipsis vel ab aliis nominati.

Non praetereundum, quod Haimo et Cajetanus suspicantur, ab Apostolo significari quaestiones Judaeorum, quas Christianis movebant ex ea falsi nominis scientia, quam Cabalisticam vocant. Quod quidem satis convenire videtur cum superioribus, ubi dictum est: *Si quis aliter docet* etc. *superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum:* Sed an doctrina Cabalistica tam sit antiqua, quaerendum. Quod vero sectarii falso nominatam scientiam Sophisticen interpretantur; non damnamus, dum tamen artem dialecticam nomine Sophisticae non infament; aut, quod Pelagius in comment. facit, veri nominis scientiam esse negent.

21. *Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Promittentes*, rectius *profitentes.* Cujusmodi scientiam, inquit, dum profitentur, ac docti sapientesque videri student; ab integritate et sinceritate fidei, velut a scopo, aberrarunt. Est enim hoc loco idem verbum quod cap. 1. *A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.* Significat, inanium et falsarum scientiarum fructum hunc esse, ut qui iis imbuti sunt, facile deficiant a recta fide. Id quod Origeni et Juliano apostatae et aliis non paucis contigit, miserando exemplo.

Gratia tecum. Amen. Gratiam Dei, omnium bonorum fontem, more suo precatur in fine Epistolae. Graeci codices hic adscribunt, missam fuisse ex Laodicea, quae est metropolis Phrygiae Pacatianae. Sed auctorem hujus annotationis hallucinari, satis perspicuum esse puto ex iis, quae in argumento Epist. praefati sumus.

IN EPISTOLAM SECUNDAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD TIMOTHEUM
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

De secunda ad Timotheum Epistola primo dicendum, ubi et quando scripta sit, tum de argumento. Et quidem Romae e vinculis scriptam esse constat. Nam catenae suae et vinculorum meminit 1. et 2. capitibus: idque confirmant illa verba 4. capitis: *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi* etc. Verum ex his ipsis verbis videri potest, hanc Epistolam omnium postremam, atque instante jam martyrio, scriptam esse a Paulo. Quae pene omnium est interpretum sententia. Quam et Eusebius tradit lib. 2. hist. eccles. cap. 22.

At vero, si rem diligentius expendamus, apparebit, hanc Epistolam inter eas, quae Roma datae sunt, aut primam esse aut secundam, scriptamque multis annis ante Pauli obitum, videlicet tertio aut quarto Neronis anno; cum martyrium ipsius inciderit in annum Neronis decimum tertium. Quum enim Romam recenter advenisset, Timotheum discipulum, quo non alium habebat cariorem, statim de rebus suis certiorem reddere voluit, ac nominatim de successu primae suae defensionis apud Neronem, quod facit sub finem Epistolae. Eodem spectat, quod scribit nonnulla, quae plane arguunt recentem ejus adventum in urbem Romam, ut illa cap. 4. *Penulam, quam reliqui Troade, veniens affer tecum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti* vel *Melitae,* ut alii putant legendum.

Quod autem Paulus in hac Epistola non sentiat, finem vitae suae jamjam instare, sed contra potius significet, adhuc se reservari ad implendum praedicationis officium in gentibus, haud obscure docent haec eodem capite 4. ejus verba: *Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes.* Astitit enim per revelationem, sicut et fecisse legitur Act. 23. et 27. Hujusmodi fere argumentis adductus Cardinalis Baronius existimat, Paulum hanc Epistolam scripsisse brevi, postquam Romam advenisset, ac proinde multo ante mortem. Cui sententiae nos quoque non gravatim accedimus. Quomodo autem ei non obsistant illa priora Apostoli verba, quibus

dicit jam se delibari, tempusque resolutionis suae instare, cursu jam consummato, videbitur, Deo propitio, cum ad ejus explicationem ventum erit.

Quod ad argumentum Epistolae attinet, versatur ea praecipue in admonendo Timotheo sui officii et animando adversus afflictiones et persecutiones imminentes, ipsius Pauli exemplo. Plena est optimis praeceptis, episcopo sive pastori animarum, ad munus suum bene et utiliter exsequendum, necessariis: quale inprimis est, recte ac sincere tractare verbum veritatis, et a doctrina tradita et accepta nullatenus recedere. Unde et multa passim interserit de falsis profanorum dogmatum magistris, partim exortis, partim exorituris, quos praecipit vitari.

Missa videtur aut simul cum ea, quae ad Ephesios scripta est, aut non multo post, idque ante tres alias, videlicet ad Philippenses, ad Colossenses et ad Philemonem scriptas. In hac enim Timotheus Romam vocatur. In illis Timothei nomen adscribitur, velut jam praesentis et consortis in scribendo. Item in hac Marcus jubetur assumi Romam venturus. Qui idem in Epistolis ad Colossenses et ad Philemonem Romae scriptis, unus est ex salutantibus. Scriptam esse paulo post Epistolam ad Ephesios, ex eo conjici videtur, quod illa per Tychicum missa sit, in hac vero dicat: *Tychicum misi Ephesum,* velut de re nuper facta. An autem haec ad Timotheum Ephesi adhuc morantem missa fuerit, sicut prior Epistola: non omnino liquet. Multum enim temporis inter utramque intercessit. Tametsi illud satis apparet, in partibus Asiae minoris, cujus Ephesus erat metropolis, egisse tunc Timotheum, episcopali suo munere vacantem.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitae, quae est in Christo Jesu, 2. Timotheo [1]) charissimo filio, gratia, misericordia, pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro. 3. Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus [2]) in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis [3]), nocte ac die, 4. desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudeo implear [4]), 5. recordationem accipiens ejus fidei [5]), quae est in te non ficta, quae et habitavit primum in avia tua Loide et matre tua Eunice [6]), certus sum autem, quod et in te. 6. Propter quam causam admoneo te, ut resuscites [7]) gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. 7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis [8]), et dilectionis, et sobrietatis. 8. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri [9]), neque me vinctum ejus: sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei, 9. qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia [10]). 10. Manifestata est autem nunc per

[1]) 1 Cor. 4, 15. [2]) Act. 24, 14. 16. [3]) Rom. 1, 9. [4]) Rom. 1, 12. [5]) Phil. 2, 19.—21. [6]) Act. 16, 1. [7]) 1 Tim. 4, 14. 1 Thess. 5, 19. [8]) Rom. 8. 15. [9]) Rom. 1, 16. [10]) 2 Cor. 2, 7. Eph. 1, 4. 2, 8. 9.

illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi [1]), qui destruxit quidem mortem [2]), illuminavit autem vitam et incorruptionem [3]) per Evangelium: 11. in quo positus sum ego praedicator, et Apostolus, et magister gentium [4]). 12. Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor. Scio enim, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem [5]). 13. Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione [6]) in Christo Jesu. 14. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. 15. Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus et Hermogenes. 16. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit [7]): 17. sed cum Romam venisset, sollicite me quaesivit, et invenit [8]). 18. Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die [9]). Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Laudat in Timotheo fidem non fictam; admonens eum, ut gratiam Dei in se resuscitet, confidenter Evangelium annuntiet, prout ab ipso erat institutus. Notat quosdam, qui a se defecerant: Onesiphori autem fidem commendat ac bene ei precatur.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Apostolatum suum voluntati et electioni Dei adscribit, non suis meritis. Simile exordium est utriusque Epistolae ad Corinthios, nec non Epistolarum ad Ephesios et Colossenses. *Secundum promissionem vitae, quae est in Christo Jesu.* Materiam ac finem apostolatus sui, id est legationis declarat his verbis, quasi dicat: Deus ab initio constituit ac promisit se vitam aeternam hominibus daturum per Christum, atque ejus promissionis annuntiandae me legatum et ministrum esse voluit. Ubi nota relativum *quae* non ad promissionem, sed ad vitam pertinere, quemadmodum ex Graeco patet. Ambiguitas tolli potest expressione pronominis loco articuli τῆς hoc modo: *Secundum promissionem vitae ejus, quae est in Christo Jesu.*

2. *Timotheo carissimo filio.* Subaudi scribit hanc Epistolam. Pro *carissimo,* Graece est ἀγαπητῷ, *dilecto.* Sic enim idem vocabulum interpres vertit in Epist. ad Philemonem et alibi. Nec multum interest, cum apud Latinos superlativus supra positivum plerumque non addat, nisi perfectionem et vehementiam aliquam, quam satis significat Graecum ἀγαπητὸς. Recte igitur interpres indifferenter vertit nunc *dilectum,* nunc *carissimum.* Qua autem ratione Paulus *Timotheum filium suum* vocet, expositum est ad initium prioris Epistolae. *Gratia, misericordia, pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.* Eadem omnia, quae in priori Epistola Timotheo precatur. Supplendum est enim: *tibi sit* aut *multiplicetur.* Itaque sensus horum tum ex ejus loci commentario, tum ex superioribus Epistolis repetatur.

3. *Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura.* Graece: *Gratiam habeo Deo, quem colo* etc. Nam in Graeco verbum est λατρεύω, cultui divino in Scripturis accommodatum, quem-

---

[1]) Tit. 1, 3. [2]) Hebr. 2, 14. 15. [3]) Joan. 11, 25. 26. [4]) 1 Tim. 2, 7. Act. 9, 15. 26, 17. 18. [5]) Cap. 4, 8. [6]) 1 Tim. 1, 5. [7]) Vers. 8. [8]) Act. 28, 20. 30. [9]) Matth. 25, 34. 36.

admodum et nomen λατρεία, de quo diximus Rom. 9., ubi interpres eam vocem *obsequium* vertit. Porro duplex est hujus loci commentarius. Quidam sic exponunt: Quem a prima aetate usque nunc colo, velut a majoribus accepta et transfusa religione; colo, inquam, et colui cum pura et sincera conscientia, quia quamvis aliquando persecutus sim Ecclesiam Dei, nunquam tamen aliud aut docui aut feci, quam conscientia mihi dictaret. Alii vero non censent puram conscientiam dici posse, nisi quae cum vera et Christiana justitia conjuncta sit. Itaque quod hic dicitur, restringunt ad tempus praesens aut certe ad tempus, ex quo Christianus fuerat. Et hunc sensum reddunt: Quem colo eadem religione, qua majores ac proavi mei coluerunt, idque facio recta, pura ac sincera coram Deo conscientia.

Sensus uterque probabilis. Sed si respiciamus ad alia quaedam Scripturae loca, quae mox citabimus, prior sensus, qui Graecorum est interpretum, praeferendus videbitur. Sciendum est enim, Apostolum Paulum Evangelii causa male audivisse apud Judaeos et graves passum calumnias, tanquam qui primam religionem deseruisset, legemque et instituta majorum convelleret. Quo fiebat, ut non solum Judaei infideles eum persequerentur; verum etiam qui ex illis Christo nomen dederant, neque tamen adhuc a lege Mosaica poterant avelli, suspectum eum haberent, averterentur et derelinquerent; quemadmodum de quibusdam ipse in hac Epistola conqueritur.

Huic accusationi statim occurrit ac duo dicit; alterum, se nequaquam esse desertorem avitae religionis, sed Deo servire a progenitoribus, id est, Deum colere religione a majoribus usque ad se continuata. Alterum, se non esse veteratorem aut hypocritam, sed animo sincero, minimeque fucato conversatum coram Deo et hominibus. Haec autem, ut apud Judaeos valeant, utique debent intelligi de toto tempore conversationis ejus, praesertim quia ex ipsis initiis, quando adhuc in Judaismo erat, debebat ea res probari. Quod et facit Gal. 1. *Proficiebam,* inquit, *in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum.*

Jam et alia testimonia proferamus, quae sensum hunc confirment. Act. 23. productus in concilium sacerdotum, ita loquitur: *Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Quae verba non possunt limitari ad conversationem in Christianismo, tum quia dicens: *usque in hodiernum diem,* comprehendere videtur totum tempus praecedens, tum vero quia secundum hanc limitationem parum aptum fecisset exordium suae orationis apud adversarios. Quin potius hoc dicit, quod ad Phil. 3. *Secundum justitiam, quae in lege est, se conversatum esse sine querela.* Accedit, quod in eodem concilio exclamavit: *Ego Pharisaeus sum, filius Pharisaeorum;* et quod rursus Phil. 3. dicit: *Hebraeus ex Hebraeis, secundum sectam Pharisaeus.* Erat enim Pharisaeorum secta apud Judaeos probatissima. Facit huc praeterea, quod Act. 24. apud Felicem praesidem se defendens: *In hoc,* inquit, *et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper.* Sed illud maxime, quod causam apud Festum et Agrippam agens, Act. 26. sic loquitur: *Et quidem vitam meam a juventute, quae ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judaei, praescientes me ab initio, si velint testimonium perhibere, quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi Pharisaeus* etc.

Haec igitur satis ostendunt, quomodo Paulus dicat: *se Deo servire a progenitoribus,* et quomodo *in conscientia pura,* quam in Actis vocat *conscientiam bonam et inoffensam,* quia nimirum conscientiam, licet in multis errantem, fuerat secutus; quia secundum justitiam legis sine querela conversatus; quia denique zelator fuerat paternae religionis, etsi non secundum scientiam. Qui proinde

nunc, divina revelatione melius instructus et ad Apostolatum vocatus, vel ob pristinae conversationis integritatem ac sinceritatem dignus existimandus sit, cui fides habeatur.

Quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis. Sine intermissione, Graece *ἀδιάλειπτον,* id est *incessabilem, assiduam,* ut alii vertunt; refertur enim ad *memoriam.* Sensus autem planus hic esse videtur: Gratias ago Deo meo, quod quoties ad eum preces fundo, toties tui sum memor ac pro te oro. Hoc enim me facere, divini muneris est; ideoque dignum, de quo gratias agam. Ita diserte Ambrosianus. Alii gratiarum actionem alio referunt, scilicet ad Timotheum, ac sensum Apostoli supplent hoc aut simili modo: Gratias ago Deo pro te filio mihi carissimo, qui mihi in Evangelio tam diligenter ac sincere cooperaris; gratias, inquam, ago, significans tibi, quod vel quomodo, nam Graece non est ὅτι, sed ὡς, in precibus meis ad Deum, perpetuam habeo tui memoriam, orans, ut quod in te coepit, perficiat. Locus hic ita expositus convenit cum plerisque aliis exordiis Epistolarum Pauli. Solet enim primum gratias agere Deo de bonis in eos collatis, ad quos scribit; deinde testificari, quantum adhuc solicitus sit et precibus apud Deum agat, ut in bonis acceptis amplius proficiant. Pro exemplo sit exordium Epistolae ad Romanos ab eo loco: *Primum quidem gratias ago Deo meo.*

Nocte ac die. Hanc particulam nonnulli jungunt cum eo, quod proxime sequitur, sed magis Apostolicum est, ut afficiat partem praecedentem *in orationibus meis.* Sentit enim, non solum se, quoties orat, Timothei memorem esse, sed orare quam frequentissime, idque nocturnis ac diurnis horis. Sic 1 Thess. 3. *Nocte ac die abundantius orantes,* et 1 Tim. 5. de vidua loquens: *Instat,* inquit, *obsecrationibus et orantibus nocte et die.* Idipsum adverbio expressit in exordio Epist. ad Rom. *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.*

4. *Desiderans te videre.* Non hoc refert ad tempus, quo orabat, sed absolute significat, se cupere Timotheum habere praesentem. Unde et infra jubet semel et iterum, ut ad se festinato veniat. *Memor lacrymarum tuarum.* Non solum Pauli necessitas, sed et Timothei in ipsum pietas et amor, quem in discessu lacrymis testatus fuerat, Paulum movet, ut eum apud se esse velit. Has lacrymas quidam non male referunt ad locum Act. 20., ubi Paulo discedente a presbyteris Ecclesiae, magnus factus est omnium fletus. Nam Timotheus illorum praecipuus erat, nec ab eo tempore Paulum viderat ante scriptam hanc Epistolam. *Ut gaudio implear.* Id est, ut in his vinculis tua praesentia fruens, expleam me gaudio et consolatione. Refertur enim haec pars hyperbato quodam ad illam: *desiderans te videre.*

5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quae est in te non ficta.* Graece: *ejus, quae est in te, non simulatae fidei,* vel ut Ambrosianus legit: *sincerae fidei.* Alteram addit causam amoris sui ac desiderii erga Timotheum, scilicet fidem ejus sinceram. Quam, inquit, dum memoria volvo, non possum non vehementi tui desiderio commoveri. *Fidem non fictam,* id est fidem sinceram, sicut et in priori Epistola cap. 1. interpretati sumus, vocat eam, qua ex animo et sine hypocrisi creditur in Christum. Hoc dicit propter falsos fratres, qui inter multos fidem Christi profitebantur non sincere, sed quia sic eis pro tempore commodum erat, quales et hodie sunt inter Christianos non pauci.

Quae et habitavit primum in avia tua Loide. Illud *et* non est in Graeco. *Aviam* intelligit maternam. Patre enim gentili natus erat Timotheus, teste B. Luca Act. 16. Sed et Syrus interpres explicate reddidit: *in matre matris tuae.* In verbo *habitavit,* Hebraismus est, quo significatur stabilis inhaesio atque permansio. *Et matre tua Eunice.* Haec

cum Judaea esset, nupserat viro gentili. Fuit autem mulier Christiana. Nam Act. 16. vocatur fidelis, quod Christianorum vocabulum est. Et hic fides tam matri quam aviae adscribitur, eademque non ficta.

Significat ergo fidem Christianam transfusam ab avia in matrem, inde in filium, non propagatione, sed institutione et doctrina, quod ad magnam laudem illarum mulierum pertinet. Denique plus laudis tribuit Timotheo quam sibi: se enim dicit Deo servire a progenitoribus, Timotheum autem fide sincera Christianum esse a progenitoribus. Quod tamen non tam laudandi quam exhortandi studio facit. Movent enim vehementius ad virtutem, exempla domestica. Utrum vero Timothei mater ante baptismum, an post, viro gentili nupserit; et utrum fideli an infideli, non liquet, nisi quod infidelem fuisse apparet ex eo, quod Timotheum non a patre, sed a matre laudet Apostolus; quodque pater Timotheum puerum non fuerat passus circumcidi, quamvis ex matre Judaea susceptum.

Certus sum autem, quod et in te, scilicet habitet eadem fides non ficta. *Certus sum,* Graece πέπεισμαι, quod alii vertunt: *persuasus sum* aut *persuasum habeo.* Idem verbum habetur infra hoc eodem capite: *Certus sum, quia potens* etc. Unde discimus, vocabulum esse generale ad significandum persuasionem, qua quid ut certum habetur; sive morali, quam vocant, certitudine, sive ea, quam divina facit auctoritas, id est certitudine fidei. Nam fide certus erat Apostolus, Deum esse potentem servare depositum suum: at hoc modo non noverat fidem non fictam in Timotheo habitare, sed id longa experientia didicerat, ideoque humanitus certum tenebat. Non dissimile est, quod scribit S. Gregorius lib. 9. epist. 34., quemdam commendans: *Nullam,* inquit, *de eo dubitationem habeas, sed omnino de puritate ipsius certus esto,* videlicet ea certitudine, quae et quanta ex affirmatione tanti viri sinceritatem hominis experti, haberi poterat. Legitur idem vocabulum Rom. 8. 14. et 15. et alibi. Quibus ex locis haec generalis verbi πέπεισμαι significatio confirmatur. De qua etiam plura diximus suis locis ac praecipue ad illud Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita* etc.

6. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei.* Institutum suum aggreditur, quod erat, Timotheum admonere sui muneris. *Propter quam causam,* id est quia novi te non simulatam habere fidem, idcirco magna fiducia te commonefacio, ut resuscites etc. Sic plerique particulam illativam exponunt, tametsi potest etiam illa referri ad id, quod dixit: se sine intermissione memoriam habere Timothei in suis orationibus etc., quasi dicat: Affectus ille, quo pro te tantopere solicitus sum, movet me, ut etiam per literas te admoneam de his, quae tui sunt officii. Pro *resuscitare* Ambrosianus legit: *recreare.*

Graecum verbum ἀναζωπυρεῖν proprie significat, ignem denuo vivificare, id est ignem sopitum aut torpentem flabello seu ventulo suscitare. Quod Apostolus aptissime transfert ad resuscitationem gratiae Dei. Eam homo in se resuscitat oratione, meditatione, lectione ac studio rerum sacrarum, sancti propositi renovatione; denique ipso divinorum charismatum usu et exercitatione. Nam pro *gratia,* Graece est χάρισμα, id est *donum,* ut Ambrosianus legit. Idem vocabulum habetur 1 Tim. 4. in simili sententia, qua dixit: *Noli negligere gratiam, quae in te est* etc. Quo quidem loco ostendimus, gratiam, quam Apostolus praecipit a Timotheo non negligi, sed resuscitari, eam intelligendam esse, quae collata illi fuerat ad bene exsequendum munus episcopale. Ubi etiam explicatum a nobis est, quas officii partes haec gratia complectatur. Vocatur autem *gratia* seu *donum Dei,* quia gratis a Deo donatum.

Quae est in te per impositionem manuum mearum, qua nimirum te ordinavi Episcopum. Ordinatio vocatur *manuum impositio,* quia fit cum ceremonia impositionis manuum. Ob quam causam

etiam confirmationis Sacramentum et reconciliationis vocatur in Scriptura et a patribus manus impositio. Non quod ea ceremonia vel sola vel praecipua sit in his Sacramentis, sed quia visum fuit Apostolis, ad occultanda profanis hominibus Sacramenta Christiana, communi quodam vocabulo, quod ad multa pateret, ea designare. Sed hac de re pluribus egimus in comment. prioris Epist. Constat autem ex utroque loco, ut id obiter repetamus, ordinationem Episcopalem esse ceremoniam quandam externam et sacram, per quam ordinandis adhibitam gratia iis confertur ad suum ministerium bene sancteque exercendum: et proinde censeri debere in numero Sacramentorum novae legis. Cur autem hic dicat Apostolus: *per impositionem manuum mearum,* cum in priori Epistola dixerit: *cum impositione manuum presbyterii,* illic ratio a nobis assignata est.

7. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* Quod dicit *nobis,* quaeritur, utrum Christianis, an Episcopis? Variant enim commentarii. Pro priori sensu facere videtur locus similis Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Quod manifestum est dici Christianis in genere. Quibus iste sensus placet, dicunt Apostolum hic distinguere quibusdam effectis vetus Testamentum a novo, quod illic datum fuerit donum timoris, hic autem detur gratia, qua liberaliter Deo servitur, qualis est ea, quae per impositionem manuum confertur. Verum hic sensus parum confert ad probandum id, quod praecedit. Non enim ex dono omnibus Christianis communi docetur, quale sit donum Episcopo proprium. At neque congruit hic locus cum eo, qui est Rom. 8. Nam ibi sermo est de timore servili, de quo et Joannes 1. epist. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Qui timor effectus erat veteris legis: atque eum populus acceperat, quando lex ei promulgata fuit de monte Sina. Nam eo respicit Apostolus, cum dicit *iterum.* Hic vero timor humanus seu mundanus intelligitur, pudore pravo etiam comprehenso. Qui timor efficit, ut quis refugiat ac vereatur ea facere, quae sui sunt muneris; ut in Episcopo et pastore praedicare Evangelium, confiteri Christum, corripere peccantes, resistere malis.

Docet enim hoc loco Apostolus, qualis sit gratia, quam in ordinatione sua Timotheus acceperat, quamque accipiunt omnes Episcopi, quos denotat dicendo *nobis.* Ut sensus sit: Spiritus, quem nobis Episcopis et Evangelii ministris dedit Deus, non est spiritus timoris, cujusmodi nullus a Deo datur aut dari potest; unde nec addidit adverbium *iterum,* sicut in Epist. ad Rom., sed est spiritus virtutis, dilectionis et sobrietatis: *Spiritum* autem dicit donum, more Scripturae, quo Spiritui sancto ea, quae largitatis divinae sunt, appropriari solent. Hunc sensum confirmat vocabuli diversitas in Graeco. Nam in Epist. ad Rom. est φόβος, *timor;* hic autem δειλία, id est timiditas sive animi imbecillitas, cum quis prae ignavia detrectat periculum. Qua voce etiam Aristoteles utitur in Ethicis. Eidem Xenophon ἀνδρίαν, Apostolus autem hoc loco δύναμιν opponit, id est virtutem, robur ac fortitudinem animi, quae viros deceat. Ea virtus est, quam Christus in coelum ascensurus promisit Apostolis suis, dicens: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto,* Luc. 24. Ac rursum: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos,* Act. 1.

Igitur spiritus virtutis ac fortitudinis, qui datus est Apostolis in die Pentecostes, caeteris Ecclesiarum rectoribus ac verbi ministris datur in sui ordinatione. Timorem mundanum etiam B. Thomas hoc loco intellexit, adducens illud ex 1 Cor. 2. *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est;* addit autem et locum, quem citavimus ex Luc. ult.

Virtuti socias addidit *dilectionem et sobrietatem.* Dilectionem quidem, qua non sua quaerit Ecclesiae praefectus, sed quae Jesu Christi; quod donum in Ti-

motheo commendat ad Phil. 2. *Sobrietatem* vero, sive quae in temperato usu cibi ac potus consistit, quo dono praeditum fuisse Timotheum ex priori Epistola didicimus, sive eam, quae ad animum pertinet, qua scilicet moderate feruntur, quaecunque accidunt, tam adversa quam prospera. Nam Graece est σωφρονισμὸς, quae vox moderationem seu castigationem significat. Syrus vertit tranquillitatem. Nomen est verbale a σωφρονίζειν, quod verbum legitur Tit. 2., ubi nos habemus: *ut prudentiam doceant adolescentulas,* alii vertunt: *ut modestas reddant adolescentulas.*

Porro ex hac Apostoli sententia colligitur, non sola charismata, quae gratiae gratis datae vocantur, in ordinatione conferri, verum etiam dona, quae gratum Deo faciant. Talia sunt enim virtus, dilectio et sobrietas, sub quibus et caetera dona Episcopo necessaria comprehendi debent. Jam vero memoratum Apostoli sensum confirmat etiam id, quod sequitur:

8. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* Quoniam, inquit, non timiditatis et ignaviae, sed virtutis et constantiae spiritum a Deo accepisti; ne te pudeat professionis ac ministerii tui, quo Christum Dominum nostrum praedicas, eumque crucifixum; Judaeis scandalum, gentibus stultitiam. Cave, ne metus ignominiae vel infamiae te retrahat a suscepto munere. *Testimonium Christi* more Scripturae vocatur omnis praedicatio vel confessio, quae de Christo fit apud homines. Unde ait discipulis Joan. 15. *Et vos de me testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Et iterum Act. 1. *Vos eritis mihi testes in Jerusalem* etc. Quanquam postea illi peculiariter martyres, id est testes, dicti sunt, qui testimonium hujusmodi dabant usque ad mortis perpessionem. *Neque me vinctum ejus.* Id est neque te mei pudeat aut vinculorum meorum, ne graveris vocari discipulus Pauli hominis captivi; sum enim *vinctus Christi,* id est non ob maleficium aliquod aut scelus teneor in vinculis, sed propter nomen Christi Domini nostri.

Sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei. Graece et Syriace: *Sed simul patere mala cum Evangelio,* id est esto particeps afflictionum, quas Evangelium patitur. Est enim fictio quaedam personae in *Evangelio,* quod *laborare* dicitur et persecutionem pati, quando qui ipsum praedicant, haec ejus causa patiuntur. Itaque Timotheum monet, ut laborare et affligi cum Evangelio non reformidet, sed viriliter agat, idque *secundum virtutem,* sive potentiam *Dei.* Quod dupliciter intelligi potest: aut juxta virtutem, quae homini est a Deo; *dedit enim nobis,* inquit, *Deus spiritum virtutis:* aut per virtutem, qua Deus in homine operatur. Utroque sensu Timotheus revocatur a fiducia suarum virium, et jubetur in Deo confidere et in potentia virtutis ejus. Posteriori sensui favent sequentia:

9. *Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta.* Pronomen *sua* videtur adjectitium; nam neque in Syro textu legitur; Ambrosianus quoque non agnoscit, ut nec vetusti quidam codices Latini. Neque Graece est: *liberavit,* sed *salvavit,* adstipulante Syro et Ambrosiano, quamvis alterum ex altero intelligatur. Loquitur hic Apostolus in persona fidelium electorum, quia mox praedestinationis meminit. Et sensus est: Qui nos, cum periissemus, salvos fecit, donando fidem et poenitentiam ac remissionem peccatorum et adoptionem filiorum, quae sunt initia salutis, et ad hanc salutem vocavit nos vocatione sancta, sive qua nos sanctificat, est enim efficax vocatio Dei, sive qua nos vocavit in sanctificationem 1 Thess. 4. Haec quadam digressione dicuntur ab Apostolo, ut commemoratione et amplificatione salutis per Christum datae, Timotheum vehementius exstimulet ad liberam tanti beneficii praedicationem.

Non secundum opera nostra. Id est, *non secundum merita nostra,* ut legit Ambrosianus. Non negat Apostolus, aeternam salutem esse ex operibus, cum passim doceat, Deum redditurum unicui-

que secundum opera sua Rom. 2., 2 Cor. 5. et alibi; cumque sub finem superioris Epistolae docuerit, ex bonis operibus *apprehendi vitam aeternam,* sed totam salutem, cujus initium est a fide, negat esse ex operum merito. Cujus ratio manifesta est, quandoquidem ipsa etiam bona opera, quibus ad vitam aeternam quomodocunque provehimur, sub illa salute, quae tota a Deo est, comprehenduntur. Hinc ergo statuitur illud a Patribus sub anathemate definitum: *Gratiam Dei non dari secundum merita nostra.* Statuitur et illud huic connexum, Praedestinationem nostram non esse ex meritis, sed ex mero beneplacito gratiae Dei, prout sequitur:

Sed secundum propositum suum et gratiam. Suum, Graece *proprium,* quod emphasi non caret. Vult enim Apostolus omnem meriti nostri respectum ab salute et vocatione nostra excludi, et solum cogitari propositum et gratiam Dei. *Propositum* intelligit praeviam et aeternam Dei voluntatem seu decretum, quam alibi praedestinationem vocavit. Atque ex hoc loco perspicuum est, eos falli, qui Rom. 8., ubi dicitur: *Qui secundum propositum vocati sunt sancti; propositum* interpretantur non Dei vocantis, sed ipsorum hominum, qui vocantur. Quem intellectum ab Apostoli mente alienum esse, pluribus illic ostendimus.

Porro *gratiam* non intelligit creatam, quae in nobis est, haec enim effectus est praedestinationis, sed gratiam increatam, id est, gratuitam Dei beneficentiam, quam mox dicit: *manifestatam per adventum Christi,* quamque Tit. 3. misericordiam vocat, dicens: *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Igitur hoc nomen *gratiae,* proposito addit rationem gratuiti, quasi dicat Apostolus: secundum propositum suum, quo gratis ac praeter omne meritum nostrum constituit nos salvos facere.

Quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia. Graece *ante tempora aeterna,* tametsi recte etiam noster interpres tam hoc loco, quam ad Tit. 1. vertit *saecularia,* sed significatione diversa ab ea, qua aliis in locis scripsit: *saecularia judicia, negotia, desideria* 1 Cor. 6., 2 Tim. 2., Tit. 2. Siquidem et in Graeco vocabula diversa sunt. Igitur *aeterna* seu *saecularia tempora* vocat Apostolus perpetuam temporum seriem ab orbe condito. Quoniam autem quidquid hanc temporum seriem antecedit, proprie aeternum est, idcirco dicens: *ante tempora saecularia,* aeternitatem notavit, ut sensus sit: Quae gratia seu misericordia, quoad effectus suos, nobis per Christum data, id est intuitu meritorum Christi praeparata est ab aeterno. Hinc recte collegeris, Christum meruisse nostram praedestinationem. Quod et aliis Apostolicae Scripturae locis consentaneum est, ut Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et iterum: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.*

10. *Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Pro *illuminatione,* Graece est ἐπιφανεία, id est *apparitio,* quam alibi vertit *adventum,* ut 1 Tim. ult. Ambrosianus textus habet: *per illuminationem adventus;* forte duabus versionibus in una conflatis. Sensus Apostoli est: Ea gratia nobis ab aeterno praeparata, hoc demum tempore palam facta est per adventum Christi Salvatoris nostri, praedicantibus Apostolis mundo declaratum. Agnita quidem fuit ea gratia a patribus antiquis, qui per fidem Deo placuerunt, sed obscurius. Neque tunc mundo patefacta est, sed paucis duntaxat innotuit. De hujus gratiae manifestatione plura idem Apostolus Eph. 3.

Qui destruxit quidem mortem, videlicet morte sua. Sensus enim est, Christum passione et morte sua promeruisse nobis apud Deum perfectam nostrae mortis abolitionem. Nam Graecum verbum significat *abolere, cassum et irritum reddere.* Qua voce usus est etiam Heb. 2. in simili sententia, qua dixit: *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Quaeritur quam mor-

tem significet Apostolus, temporariam an aeternam. Respondeo utramque significari; nam per beatam resurrectionem, quam ex Christi morte exspectamus, tollitur. In eo autem, quod ait, *mortem a Christo destructam;* etiam peccatum intellige destructum et abolitum, quod est utriusque mortis causa.

Illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium. Graecum verbum φωτίζειν duo significat, *illuminare* et *in lucem proferre:* sed huic loco quadrabat posterius significatum, quod et alii interpretes reddiderunt. Nam sensus est: Vitam incorruptibilem et immortalem produxit in lucem, manifestavit, ac certam ejus spem nobis attulit per Evangelium, quod praedicari voluit. Observa utrique morti oppositam *vitam* et *incorruptionem.*

11. *In quo positus sum ego praedicator et Apostolus et Magister gentium. In quo,* Graece, *in quod,* vel *ad quod.* Itaque sensus est: Ad quod Evangelium promulgandum ego praeco constitutus sum a Christo; quodque amplius est, ipsius Christi ad eam rem Apostolus seu legatus; denique gentium Doctor; id est praecipue missus ad gentilem populum docendum. Sic enim ei repulsam a Judaeis passo dictum commemoratur Act. 22. *Vade, quoniam longe in nationes mittam te.* Unde et Gal. 2. refert peculiariter *sibi Deum cooperatum fuisse inter gentes.* Hos autem illustres titulos sibi Paulus adscribit, non quo se jactet; sed Timothei confirmandi causa, simul ut Evangelio a se praedicato majorem conciliet auctoritatem.

12. *Ob quam causam et haec patior.* Ad vincula sua respicit. *Quam ob causam,* id est, quia praeconis Evangelici fungor officio, item Apostoli, et doctoris gentium, ideo accusatus sum a Judaeis, et in haec vincula conjectus. *Sed non confundor.* Id est, non me pudet vel officii mei vel vinculorum. Proinde et tu, meo exemplo, *noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus.* Est enim in Graeco idem verbum, quod interpres hic *confundi,* superius *erubescere* vertit.

Scio enim cui credidi. Rationem addit, cur ipsum neque pudeat, neque poeniteat Evangelici ministerii. Novi enim, inquit, cui crediderim; quam ille magnus sit Dominus, quam potens, et quam verax in promissis. Verbum *credere* tam Graecis, quam Latinis ambiguum est: nam et *fidem habere* significat, et *committere.* Utraque significatio satis huic loco convenit: sed quia mox depositi facit mentionem; videtur illud ipsum hic supplendum, ut sensus sit: Novi eum, cui credidi atque commisi depositum meum servandum. Sequitur enim:

Et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. De veritate Dei tacet tanquam nimis manifesta; solamque nominat potentiam. Certus sum, inquit, de eo, cui depositum meum concredidi, et securius, quod potens sit illud custodire et servare inviolatum in diem adventus Christi filii sui; qui dies est perfectae retributionis. De Graeca voce πέπεισμαι *certus sum,* aut *certo persuasus sum,* jam dictum est superius. Nam hic procul dubio debet accipi persuasio certissima, quae habetur ex verbo Dei.

Porro *depositum* hoc loco varie exponunt interpretes. Quidam pro anima, salute et incolumitate accipiunt; ut cum illa B. Petri sententia congruat, 1 Epist. 4. *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent,* Graece *deponant, animas suas in benefactis.* Et cum eo, quod dicit Sapiens cap. 3. *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* Alii intelligunt fideles, quos Paulus Christo lucrifecerat, eidemque, ut ajunt, consignaverat, velut depositum. Unde dicit Act. 20. *Et nunc commendo* sive *appono vos Deo.*

Sunt, qui nomine depositi intelligunt officium Evangelicae praedicationis, quod Apostolus sibi servari sperat, dum pro eo fideliter et perseveranter administrato mercedem expectat a Deo. Aliis magis

placet, in universum intelligi bona opera facta cum spe retributionis aeternae, per hoc enim quasi deponuntur a nobis apud Deum, ut ea recipiamus; quod fit dum fructum eorum recipimus, scilicet praemium vitae aeternae. Tale est quod dicit Ecclesiastes cap. 9. *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei.*

Alii denique depositum interpretantur ipsam mercedem operum, quae quidem dicitur deponi apud Deum, quatenus homo non statim accipit mercedem, postquam operatus fuit, sed patienter expectat tempus retributionis; quae tandem plena reddetur in die judicii. Favet huic intellectui, quod infra cap. 4. post commemorationem bonorum operum suorum, subjungit Apostolus: *In reliquo, reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Harum quinque expositionum duae postremae sunt maxime probabiles, et in eundem fere sensum concurrunt; quemadmodum et prima. Nam tertia sub quarta comprehenditur. Secunda vero parum accommoda est, nam fideles non sunt instar depositi a Christo velut reposcendi, sed instar lucri Christo debiti. Neque enim eos Paulus sibi, sed Christo lucrabatur tanquam servus fidelis.

13. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti.* Transit ad aliam exhortationis partem, quae est de doctrina, monetque Timotheum, ut menti suae impressam habeat ac retineat imaginem, formam ac delineationem sanae, integrae et incorruptae doctrinae, quam ab ipso acceperat. Pro *forma* Graece est ὑποτύπωσις, quam vocem interpres 1 Tim. 1. vertit *informationem.* Dicit autem *verborum,* quia verbis et sermonibus Evangelii doctrina tradebatur magis quam scripto. Unde et addit, *quae a me audisti.* Quod verbum pro auctoritate traditionum non scriptarum urgent in suis commentariis Chrysostomus et Theophylactus.

In fide et in dilectione in Christo Jesu. In Graeco post *dilectione* additur articulus, ut vertendum sit, *quae est in Christo Jesu.* Sic enim eadem Graeca vertit interpres cap. 1. prioris Epistolae. Dubium est autem, utrum pars haec referenda sit ad proximum verbum, *audisti,* hoc sensu, quae a me audisti cum fide et charitate Christiana; id est non solum fidem adhibens meis sermonibus, sed et charitatis affectum adjungens, qua non quae tua sunt, sed quae Jesu Christi quaereres, ut de eo dicitur Phil. 2.: an vero pertineat ad priorem partem, hoc modo: *formam habe sanorum verborum in fide* etc., ut vel hic sit sensus: Habeto formam sanae doctrinae, quae versatur circa fidem et dilectionem Christianam. Vel iste: Formam sanae doctrinae retine cum fide et dilectione; quae praestabunt, ut ab illa forma non recedas. Medium sensum tradunt plerique, tametsi et reliqui duo probabiles sint.

14. *Bonum depositum custodi.* Depositum non idem hic intelligit, quod paulo superius, sed illud, de quo jam olim Timotheum admonuerat in priori Epistola sub finem, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* etc. Illud autem esse diximus doctrinam successori creditam et commendatam, instar depositi, ut eam integram custodiat, ac porro aliis fidelibus ministris, qualem et quantam accepit, de manu in manum tradat: quam nimirum doctrinam proxime designavit per *sana verba ex se audita.* Repetit autem idem praeceptum in hac Epistola, non solius Timothei causa, sed ut omnes disceremus quanti sit momenti, quod Apostolus tam sedulo putavit inculcandum. Unde et epitheton *deposito* addidit, vocans illud, *bonum,* Graece καλὸν, quod etiam verti potest, *pulcrum, egregium, praeclarum.* Quae omnia optime quadrant in hoc sanae doctrinae depositum.

Locus observandus contra haereticos; qui nullum exhibere possunt hujusmodi depositum, id est doctrinam inde ab Apostolis, serie per successores continuata, traditam et acceptam; nisi forte depositum hoc esse dicant scripturam sacram. Sed hoc dici non potest. Non enim scri-

turam sacram Paulus apud Timotheum deposuerat, sed doctrinam a se verbo traditam. Deinde, quale depositum, quod omnibus pene sectis haereticorum commune est? Itaque scriptura, quam et ipsam ab Apostolis traditam habemus, pars quaedam depositi est, non autem totum et integrum depositum, quod sola servat Ecclesia Catholica.

Per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Quoniam difficile est, sacrum illud depositum inter tot humanarum opinionum varietates ac Satanae fraudes integrum et illibatum custodire; propterea modum adjicit, quo id faciat, quasi dicat: Non id humanae facultatis est, sed Spiritus sanctus per gratiam suam praestabit, ut facias. Simile enim est cum eo, quod dicit cap. sequenti: *Intellige, quae dico; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Jam quod additur, *qui habitat in nobis,* vel ad totam Ecclesiam referri potest, quam inhabitans Spiritus sanctus efficit, ut depositum in ea servetur; vel potius ad Ecclesiae praefectos, quorum ministerio idem depositum per Spiritum sanctum, eis promissum, in Ecclesia conservatur; ut pronomine *nobis* iidem significentur, qui superius, ubi dictum est: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis* etc.

15. *Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt.* Graece, *aversati sunt me,* quemadmodum et Ambrosianus legit. Commemorat Paulus hanc multorum a se defectionem, ut carissimum discipulum, qui ea re audita turbari poterat, animumque demittere, corroboret et consoletur. Id enim facit initio sequentis capitis, dicens: *Tu ergo fili mi confortare.* Loquitur autem Apostolus de Judaeis, qui crediderant, non de gentilibus. Nam et Act. 21. in tumultu Jerosolymis adversus Paulum concitato nominantur, qui de Asia erant Judaei. Asiam utrobique intellige minorem. Porro secundum Graecorum expositionem non est sermo de iis, qui Paulo haec scribente in Asia erant, sed qui ex Asia Romam venerant. Volunt enim, praepositionem *in* pro *ex* positam esse.

Sed quia violentum id videtur, alii sic exponunt: *Aversati sunt me omnes, qui erant in Asia.* Dicunt enim, Apostolum loqui de iis, qui in Asia quidem ipsi adhaerere coeperant; sed cum Romam venissent, ipsumque in vincula conjectum et periclitantem viderent, tanquam ignotum spreverunt: nam in Graeco non exprimitur verbum *sunt;* ut liberum sit praeteriti temporis verbum supplere. Sensus hic apud Erasmum est in paraphrasi. Alii denique de iis, qui tum temporis in Asia erant, Apostolum loqui existimant; ideoque dicere: *Scis hoc.* Nam Timotheus in Asia versabatur, et proinde, quae in Asia fiebant, scire poterat, non quae Romae.

Sed facile respondetur, hoc sensu illud dictum esse: Jam ex iis, quae hinc ad vos perferuntur, ignorare non potes, omnes Asianos, qui Romae sunt, me esse aversatos. Qui profecto sensus maxime convenit. Nam confirmat Apostolus rumorem ad aures Timothei forte perlatum. Quomodo autem aversi sint aut aversati: deserendo fidem, an solam personam, non expressit. Ac verisimile est, tantum velle dicere, quod aversati sunt ipsum, metuentes consortium periculi, aut etiam Paulo detrahentes, quod sua culpa ac temeritate in periculum incidisset. Tametsi fidei defectus hanc tentationem facile consequi solet; juxta id quod Dominus dicit de iis, qui radices non habent, quod *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8.

Ex quibus est Phygelus et Hermogenes. Graece et Syriace *Phygellus,* litera l geminata. Non hos duos nominatim Paulus notaret, nisi prae caeteris in ipsum asperi fuissent et calumniosi. An autem alicujus peregrini dogmatis auctores fuerint, non liquet. Tantum in Apocryphis Apostolorum passionibus, quibus non est habenda fides, legitur, eos aliquando maleficos fuisse, et opera Jacobi majoris conversos ad fidem. Multo minus illud recipiendum, quod Metaphrastes refert in

serm. de Petro et Paulo Apost., Phygellum a Petro datum Episcopum Ephesiis, postea Judaeos credentes a fide avertisse. Scribit quidem adversus Hermogenem quendam haereticum Tertullianus, sed eum ab hoc diversum esse plane constat ex initio libri, quo testatur Hermogenis illius doctrinam novellam esse, ipsumque hominem adhuc in saeculo superesse. Sed apertissime ex his verbis ibidem subjunctis: *Nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseveravit;* Apostolicum enim Hermogenem vocat eum, cujus in hac epist. Apostolus meminit: quem dum in regula perseverasse negat, utique de fidei regula loquens, satis innuit, eum a recta fide defecisse, et ad haeresim aliquam deflexisse. Quod et significat in lib. de praescript. adv. haer. cap. 3., dum eundem Hermogenem una cum Phygello annumerat Ecclesiae desertoribus.

16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.* Exceptio est ab eo, quod dixit, *omnes qui in Asia sunt.* Nam Onesiphorus Asianus erat, quemadmodum satis colligitur ex fine hujus Epistolae, ubi dicitur: *Saluta Onesiphori domum.* Siquidem Timotheus, cui hoc scribitur, in Asia versabatur. Imo putatur Ephesius fuisse, propter illud quod ibidem statim sequitur: *Et quanta Ephesi ministravit.* Idem Onesiphorus Romae erat, quo tempore Paulus illic in vinculis tenebatur, ut ex sequentibus manifestum est. Unde etiam ex hac exceptione probabile fit, Apostolum in verbis superioribus locutum fuisse de Asianis Romae agentibus. Precatur autem a Christo *Domino misericordiam domui,* id est universae familiae Onesiphori, a quo uno beneficium acceperat; sive quod Deus propter unum soleat multis benefacere, sive quod tota familia particeps fuerit bonorum ejus operum, saltem eorum, quae Ephesi exercebat, de quo infra. Porro de qua misericordia loquatur, paulo post exponemus.

Quia saepe me refrigeravit. Id est refocillavit, recreavit, in hoc aestu mearum afflictionum; solatio et subsidio mihi fuit in his vinculis. *Et catenam meam non erubuit.* Id est non puduit illum vinculorum meorum, sicut caeteros Asianos. Nec periculum metuit, nec infamiam, ut me juvaret. Ita laudat Onesiphorum, ut rursus oblique Timotheo animum et audaciam addat, cui jam ante dixerat: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus.*

17. *Sed cum Romam venisset, solicite me quaesivit et invenit.* Graece: *Sed cum esset Romae, studiosius quaesivit me et invenit.* Usque adeo, inquit, de catena mea non erubuit, ut quum hic Romae esset, et captivum me pro Christi nomine teneri intelligeret; sua sponte et perquam studiose me quaereret, nec conquiesceret, donec invenisset. Diligenter quaesitum se dicit, quamvis captivum: quia non unus erat carcer eorum, qui sistendi essent ad tribunal Caesaris, sed complures; et, ut dicitur Act. ult., permissum fuit Paulo, *ut maneret solus cum custodiente se milite.*

18. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die.* Erasmus vertendum putavit, *apud Dominum;* sicut Luc. 1. legitur: *Invenisti gratiam apud Deum.* Sed perspicuum est, eum falli. Nam illic in Graeco dativus est casus; hic autem genitivus, sicut et mox sequenti capite, *quae audisti a me.* Quomodo etiam legitur apud interpretes LXX. Gen. 19. *Pluit Dominus a Domino,* non *apud Dominum.* Quo etiam exemplo declaratur Hebraismus, quo Paulus hic utitur, dicens: *Det illi Dominus a Domino,* id est a seipso misericordiam inveniri. Nam Hebraei antecedens repetere solent loco pronominis reciproci. Simile est illud Jes. 8. *Ecce ego et pueri, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum a Domino.*

Quocirca nihil est necesse hic recurrere ad distinctionem personarum; quasi sensus sit: Det illi Dominus pater invenire misericordiam a Domino filio, sicut exponit Ambrosianus, aut contra, Dominus filius a Domino patre: quandoquidem juxta phrasim memoratam potest unus et

idem indistincte significari. Nec improbabile est, Christum *Dominum* intelligi, quem plerumque *Domini* vocabulo solet Apostolus designare. Notanda quoque est allusio in verbo *inveniendi* repetito; tanquam dicat: Sicut ille me solicite quaesivit et invenit, ut misericordiam exhiberet; ita det ei Dominus, misericordiam, quam optavit, ab ipso vicissim invenire, juxta illam Domini promissionem: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quod addit, *in illa die,* more suo diem judicii significat, quam alibi vocat, *diem Domini.*

Sed quomodo in illa die, qua quisque recipiet secundum opera sua, quidam inventuri sint a Domino misericordiam, quaeri potest. Chrysostomus et Theophylactus annotant, Apostolum precari Onesiphoro misericordiam a Deo in die illa tremenda; quoniam, ut ajunt, multa misericordia opus erit etiam omnibus sanctis, et nemo nisi per misericordiam salvabitur. Quo pertinet, quod scribit Augustinus lib. de corrept. et gratia cap. 13., in illo judicio sanctis a Deo coronandis necessariam fore misericordiam. Atque haec nonnulli referunt ad remissionem peccatorum illam, quae, etiam post hanc vitam, usque ad extremi judicii diem praestatur iis, qui cum pietate obdormierunt. Nam toto illo tempore judicium exercetur occultum, sed cum misericordia erga eos, qui misericordiam fecerunt, dum peccata eorum per ignem purgantur.

Verum huic sensui videtur obstare, quod Apostolus homini adhuc viventi potius optare debuisset remissionem peccatorum in hac vita, quam eam, quae, poenis purgatoriis intervenientibus, datur post mortem. Hanc enim remissionem defunctis optare solemus, non viventibus. Adde quod nec verum est, omnes sanctos post hanc vitam indigere purgatione peccatorum per ignem perficienda: cum Ecclesia constanter teneat martyres ipsa morte, quam pro Christi confessione subeunt, ita plene purgari, ut sine mora ad coronas evolent. Certe recens baptizatos quod nihil ab ingressu coeli remoretur, Concilium Tridentinum docet sess. 5. in explicatione Anathematismi quinti verbis B. Augustini de pecc. mer. lib. 2. cap. 28. ad fin. Non aliud ergo patres supradicti volunt, quam retributionem aeternae vitae, quae dabitur sanctis in die judicii, misericordiam ideo recte vocari, quia non dabitur sine praevia multorum peccatorum remissione, sive in hoc saeculo facta, sive, quod in plurimis contingit, etiam in futuro.

Hanc ergo misericordiam a Domino exoptat Apostolus Onesiphoro in die judicii. Mater septem illorum fratrum, 2 Machab. 7. cum diceret: *Ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam,* non de remissione peccatorum in altero saeculo obtinenda putanda est locuta fuisse, sed de ipsa vita aeterna, quae misericordiae effectus est, ut dixi. Cui misericordiae non repugnat justitia, qua redditurus est Dominus unicuique secundum opera sua; quia tunc, ut ait priore loco Augustinus, pro bonorum operum meritis justo judicio etiam ipsa misericordia tribuetur.

Potest autem misericordia etiam in eo intelligi, quod in die judicii per beatam resurrectionem omnes electi liberabuntur a miseria mortalitatis et corruptionis. Quo sensu accepit Tertull. de resurr. carnis cap. 23. Quod si misericordiam generaliter accipiamus pro beneficentia gratuita, sicut in multis Scripturae locis accipitur; facilior erit hujus loci intellectus. Ex quo simul discamus, vitam aeternam ita pro meritis bonorum operum retribui, ut tamen misericorditer et gratuito detur; quandoquidem ipsa bona opera, quibus redditur, a fonte gratiae promanant. Unde et qui per agonem martyrii coronam vitae sperabant, misericordiam se exspectare profitebantur. Ita mater illa septem martyrum, de qua jam locuti sumus, dicebat ad unum ex eis 2 Macchab. 7. *Ut in illa miseratione cum fratribus te recipiam.* Et B. Agatha jam superatis carnificum tormentis, sic Deum orasse legitur: *Jube me ad tuam misericordiam pervenire.*

Porro quod ad Onesiphorum attinet, sciendum est, bonam hanc Apostoli pro eo precationem effectu non caruisse. Nam ut refertur in martyrologiis tam Graecis quam Latinis, Onesiphorus tandem in Hellesponto pro Christi martyrio coronatus est: si tamen est idem, quem illa commemorant. Nam profecto probabiliter dici potest, Onesiphorum, de quo Apostolus loquitur, jam tum fuisse defunctum. Non enim dicit priore loco: *Det misericordiam Dominus* Onesiphoro, sed *Onesiphori domui.* Posteriore vero loco de ipso sic dicit: *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die,* scilicet illi optans, quod Christiani solent optare fidelibus defunctis, requiem et misericordiam. Huc accedit, quod in fine Epistolae jubet salutari Onesiphori domum, non Onesiphorum; quasi si jam non superesset. Nam alioqui dicturus fuerat simile illi, quod ad Col. 4. Salutate Nympham, et quae in domo ejus est Ecclesiam.

Dices, fortassis Apostolum sic loqui etiam de viventibus Rom. 16. Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli, salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, et 1 Cor. 16. Nostis domum Stephanae et Fortunati, ut et vos subjecti sitis hujusmodi. Respondeo, non liquere, quod Aristobulus et Narcissus tunc vixerint. Fieri etiam potest, ut Apostolus sciverit, eos Romae non esse, tunc quando ista scripsit ad Romanos. Deinde forma sermonis non est omnino similis illi, quae hoc loco ad Timotheum. De Stephana autem et Fortunato certum est, eos Corinthi non fuisse, quum Corinthiis priorem Epistolam Apostolus scripsit, sed Romae apud ipsum. Infra enim eodem cap. 16. dicit: *Gaudeo in praesentia Stephanae et Fortunati.* Quod si Onesiphoro jam vita functo hoc precatur Apostolus: *ut a Domino misericordiam inveniat,* validissime ex hoc loco confirmatur oratio pro fidelibus defunctis.

Additiuncula Censoris.

Sane Philippus presbyter, S. Hieronymi discipulus, hunc Apostoli locum istuc valere intellexit, scribens in cap. 12. lib. Job, ubi postquam verba Domini, quae sunt Matth. 12. de blasphemia Spiritus non remittenda neque in hoc saeculo, neque in futuro, expendisset; haec adjunxit: Non enim diceret Dominus, hoc peccatum illic non remittetur, si nec alia peccata illic remitterentur; et mox: Secundum hunc sensum est et illud, quod Apostolus de Onesiphoro ait: *Det illi Dominus invenire misericordiam a Deo in illo die.*

Et quanta Ephesi ministravit, tu melius nosti. Quanta, id est quam multa subministraverit Ephesi. Ita quidam. Sed rectius alii, in quam multis rebus Ephesi ministraverit, id est quam fuerit in ministerio officiosus. Quidam addunt *mihi,* sed praeter fidem omnium probatorum exemplarium. Si enim Paulus adscripsisset *mihi,* non diceret Timotheo: *Tu melius nosti.* Nam consentaneum erat, ipsum maxime nosse beneficia sibimet impensa. Tale igitur est, quod dicit: Non solum mihi nunc Romae, sed et antea Ephesi, fidelibus Evangelii ministris multa impendit officia charitatis, quemadmodum tu melius nosti, qui Ephesiorum Episcopus es, et partem obsequiorum ejus percepisti.

CAPUT SECUNDUM.

Tu ergo fili mi confortare in gratia, quae est in Christo Jesu: 2. et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. 3. Labora [1]) sicut bonus

---

[1]) Cap. 1, 8. 12.

miles Christi Jesu. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit. 5. Nam et qui certat in agone, non coronatur[1]), nisi legitime certaverit. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere[2]). 7. Intellige, quae dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. 8. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David[3]), secundum Evangelium meum[4]), 9. in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum[5]). 10. Ideo omnia sustineo propter electos[6]), ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu, cum gloria coelesti. 11. Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, et convivemus[7]): 12. si sustinebimus et conregnabimus[8]): si negaverimus, et ille negabit nos[9]): 13. si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest[10]). 14. Haec commone testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium[11]). 15. Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 16. Profana autem, et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: 17. et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenaeus[12]) et Philetus, 18. qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem. 19. Sed firmum fundamentum[13]) Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus[14]); et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini[15]). 20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia[16]): et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. 21. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino[17]), ad omne opus bonum paratum. 22. Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, charitatem et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 23. Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita[18]): sciens, quia generant lites. 24. Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem[19]), 25. cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; ne quando Deus det illis poenitentiam[20]) ad cognoscendam veritatem, 26. et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem[21]).

---

[1]) 1 Cor. 9, 24.—27. [2]) 1 Tim. 4, 16. [3]) Rom. 1, 3. [4]) Phil. 2, 8. 9. [5]) Phil. 1, 12.—14. [6]) Col. 1, 24. [7]) Rom. 6, 4. seq. [8]) Rom. 8, 17. [9]) Matth. 10, 32. seq. [10]) Rom. 3, 3. seq. [11]) 1 Tim. 6, 4. 5. [12]) 1 Tim. 1, 19. [13]) 1 Tim. 3. 15. [14]) Joan. 10, 14. [15]) Matth. 7, 23. [16]) Matth. 13, 24.—30. 47.—49. [17]) 2 Cor. 6, 17. [18]) 1 Tim. 1, 4. [19] Tit. 1, 7. [20]) Matth. 19, 26. [21]) Eph. 2, 2.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Hortatur Timotheum, ut diligenter laboret in Evangelio, ut contentiones vitet. In magna Dei domo esse diversi generis vasa. Deinde, quae fugere debeat, et quae sectari.

1. *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu.* Ex superioribus occasionem repetit exhortandi Timothei ad officium viriliter exercendum; velut ex suis vinculis, quae pro Evangelio patiebatur, atque ab exemplo Onesiphori, qui catenam Pauli non erubuit: sed maxime respicere videtur ad id quod dixerat: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis,* id est fortitudinis. Nam Graecum verbum ἐνδυναμοῦ *confortare, fortis esto, fortitudinem cape,* ut legit Ambrosianus, deductum et compositum est a nomine δύναμις illic posito. Adhortatur ergo Timotheum, ut abjecta omni timiditate et pudore, fortiter agat ac persistat in suscepto munere; idque faciat innixus auxilio gratiae Dei, quae datur per Christum. Hoc addit, ne in re tanta sibi fidat aut suis viribus; cum dicat Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Pathethicum vero est et vim addens exhortationi, quod dicit: *Fili mi,* Graece τέκνον μου. Cujus appellationis rationem alibi dedimus. Quoniam autem non sola fortitudine opus erat Timotheo, verum etiam diligentia ac fide in conservanda puritate et integritate doctrinae, quam acceperat, idcirco subjungit:

2. *Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus.* Explicat hoc loco, quod paulo superius et in priori epistola vocavit *depositum;* id est doctrinam Christianam a se traditam et concreditam Timotheo, atque ab eo aliis porro commendandam. Doctrinam, inquit, quam *per multos testes,* vel ut alii vertunt, *inter multos testes,* id est in praesentia multorum, qui testes esse possunt, me docente audivisti, tu fac, docendo tradas et commendes aliis hominibus, pari fide depositum hoc tractaturis. Voluit Apostolus coram multis Timotheum instituere; tum ut ad multos doctrinae fructus perveniret, tum vero, ne, si Timotheum aliqui calumniari vellent, quod non traderet rectam doctrinam, testes ei non deessent ad probandum se non aliud docere quam quod a Paulo acceperat. Hic rursus observa, Apostolum dicere: *quae audisti a me,* non, quae scripto tradidi, aut literis consignavi; ut intelligamus, sanam doctrinam verbo magis quam scripto tradi solitam ab Apostolis: quod non leve est argumentum pro traditionibus non scriptis.

Qui idonei erunt et alios docere. Quia depositum hoc non celandum erat, sed communicandum et ita quidem, ut per manus transire debeat etiam ad successores; ideo non quibuscunque fidelibus hominibus illud praecipit commendari, sed iis, qui sint idonei, ut alios quoque doceant. Hoc autem Episcoporum et presbyterorum est officium, non laicorum, ut bene Theophylactus annotat.

3. *Labora, sicut bonus miles Christi Jesu.* Graecum verbum sonat *malorum tolerantiam,* de quo diximus ad illud capitis praecedentis, *collabora Evangelio.* Diversum est autem ab eo, quod infra habetur: *laborantem agricolam.* Itaque sensus est: Quicquid Evangelii causa laborum, molestiarum ac periculorum occurret, forti feras animo tanquam bonus ac strenuus miles sub imperatore Christo, qui te castris suis praefecit. Hujus militiae jam ante meminit in priori Epistola cap. 1. Ut *milites,* inquit, *bonam militiam.*

4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Graece: *Nemo militans implicatur vitae negotiis.* Unde quod quidam annotant, Apostolum non dicere *implicatur,* sed *implicat se;* originali textui contrarium est. Vocula *Deo* non solum in Graecis et Syris codicibus abest, verum nec in omnibus est Latinis, nec omnino huc pertinet; quemadmodum post alios docte annotavit Robertus Bellarminus lib. 5. de Romano Pontif. cap.

ult. Et quamvis apud Ambrosianum, Pelagium, Primasium et Sedulium in textu scripta reperiatur, ex ipsorum tamen commentariis satis apparet, ab iis agnitam non fuisse.

Communiter enim docent, Apostolum hic uti comparatione eorum, qui adscripti sunt in militiam corporalem, quos opportet expeditos esse a negotiis saeculi, ut perfecte placeant regi terreno, cui militant. Et recte quidem id docent. Adfert enim Apostolus ad exstimulandum Timotheum tria similia: primum, a militia; secundum ab athleta; tertium ab agricola. Valde igitur probabile est, dativum *Deo* additum fuisse, non ab interprete, qui in Graeco non legit, sed ab aliis, qui putarent ad integritatem sensus desiderari; non animadvertentes, Apostolum hanc sententiam adferre, quemadmodum et duas sequentes, non ut praecepta, sed velut parabolas, ex quibus praecepta caperentur. Hoc enim est, quod post eas statim subjungit: *Intellige, quae dico.*

Hujus igitur partis sensus est: Eam esse militum legem et conditionem, ut simul atque militiae nomen dederunt, omnes alias actiones, quibus antea sese occupabant, abjiciant ac seponant: exempli gratia, familiae administrationem, mercaturam, agriculturam, opus mechanicum; nec aliud jam quam bellum, arma, victoriam, stipendia cogitent. Juvat hunc sensum Graeca dictio βίου, id est *vitae.* Nam βίος plerumque significat vitam, quatenus ad eam sustentandam victus opere aliquo quaeritur; ut *negotia vitae* sint, quae quis exercet, ut habeat, unde vivat. Et huc allusisse videtur Ambrosius, quando dixit lib. 7. in Luc. 12. *Indecorum est homines curare de cibo, qui militant regno.* Quod autem dixi militum eam esse legem, etiam B. Thomas affirmat 2. sec. q. 40. art. 2. *Secundum leges,* inquit, *humanas militibus, qui deputantur ad exercitia bellica, negotiationes interdicuntur.*

Ut ei placeat, cui se probavit. Ex Graeco videri potest interpretem vertisse, *qui se probavit,* id est qui ipsum in militem delegit. Sic enim alii clarius verterunt participum Graecum, στρατολογήσαντι. Sensus est: militem, ut operam suam probet imperaratori, a quo delectus est et adscriptus in militiam, utque ei placeat, omnia negotia ab officio militari aliena procul a se removere. Unde Timotheo colligendum relinquit, quid ipsum facere oporteat, quem appellaverat militem Christi; nec ipsum modo, sed in universum Epicopos ac Presbyteros; qui omnes peculiari ratione prae vulgo fidelium milites sunt Christi, quatenus ad hoc ordinati sunt, ut in Evangelii praedicatione et dispensandis ecclesiae Sacramentis, ad populi salutem, Christo Domino subserviant. Qui proinde illud unum agere et cogitare debent, omnibus negotiis, quae ab hoc scopo sunt aliena, dimissis.

Itaque ex hoc loco recte probant sacri canones, non debere clericos exercere mercaturam seu negotiationem et quicquid est hujusmodi: quia per haec plurimum impediuntur a militia sua spirituali et ecclesiastica, cui se totos impendere debent. Ex eadem hac comparatione et doctrina Apostoli, consequens prima fronte apparet, non admodum congruere, nec expedire, ut ecclesiarum praelati sint principes ac domini saeculares urbium ac provinciarum: quia fieri non potest, quin per hujusmodi potestatem ac jurisdictionem, quantumvis per alios eam exerceant, aliquatenus avocentur a debito exercitio potestatis ac militiae spiritualis. Sed non negamus, quin necessitas retinendae et conservandae potestatis a majoribus acceptae excusare eos possit: ac multo magis ipsius fidei catholicae conservandae et tuendae opportunitas, aliaeque circumstantiae concurrentes.

5. *Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Illud, *in agone,* redundat. Nam Graece et Syriace sic legitur: *Si autem et certet aliquis, non coronatur* etc. Consonat Ambrosianus textus. At nec Pelagius, Primasius, Sedulius in suis scholiis *agonis* meminerunt. Graecum verbum, ἀθλεῖν,

unde athletae, significat certare quocunque certandi genere, quod corpore exercetur; velut lucta, cursu, pugnis, disco, saltu. Hoc igitur alterum est simile, quo Timotheum exhortatur Apostolus. Id etiam, inquit, considera, non coronari nec praemio donari athletam, nisi leges omnes certaminis suscepti servaverit. Neque enim satis est quomodocunque certasse, sed *legitime* certandum, ut victoriam et coronam speres. Ita et tu ne tibi satis esse putes, quod Episcopum agas quocunque modo. Nisi enim *legitime*, id est secundum leges a Deo praescriptas et a me dudum tibi propositas, eo certamine perfunctus fueris; coronam immortalitatis adipisci non poteris. Episcopale munus athletico certamini comparat, quia sicut athletis multa non solum agenda, sed et perferenda sunt; sic et Episcopis. Sequitur tertium paradigma:

6. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Bifariam hoc intelligi potest juxta diversam constructionem. Obvia structura sensum hunc facit: Oportet agricolam laborantem, id est eum, qui non segnis fuerit, sed in opere terrae colendae assiduus, esse primum in percipiendis agri sui fructibus: idque lege quadam naturae, qua primi fructus debentur cultori. Sic et Episcopus, inquit, si diligenter et fideliter in cultura agri Dominici laboraverit; in praemio percipiendo primus ac praecipuus erit, et quasdam fructuum laboris sui primitias a Deo recipiet. Hanc constructionem secutus est Syrus interpres, dum ita vertit: Agricolae, qui laborat, convenit, ut primum de fructibus suis cibetur.

Alii sententiam ordinant hoc modo: Oportet agricolam primum laborantem de fructibus percipere. Id est: Oportet eum prius laborare, ac postea fructum capere. Quod nihilo minus episcopo adaptatur; qui prius laborare debet, quam fructum operis a Deo percipiat. Uterque sensus valet ad exhortationem; sed prior amplius. Nam secunda constructio coactior etiam est ac pene violenta. Notandum etiam est, particulam *primum*, tam in Graeco quam in Latino, vel ut nomen accipi posse, vel ut adverbium. Prior acceptio priori constructioni magis quadrat; posterior posteriori.

Porro sunt, qui putent, eo spectare hanc de agricola similitudinem, ut intelligat Timotheus, sibi laboranti non defuturum fructum necessariae sustentationis, utpote ex Evangelio debitum, etiamsi manibus non operetur; ut conveniat hic locus cum illo 1 Cor. 9. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Sed id praeter mentem Apostoli, cujus institutum hoc loco est. Timotheum spe coelestium praemiorum animare ad labores.

7. *Intellige, quae dico.* Quoniam in parabolis locutus est, revocat eum ad intelligentiam et diligentem considerationem dictorum. Nam verti etiam potest: *Cogita, considera, quae dico. Dabit enim tibi Dominum in omnibus intellectum.* Graece modo precativo: *Det* enim. Syriaca lectio ad utrumque ambigua est: neque multum refert ad sensum, utro modo legatur. Secundum Graecos imprecatur Apostolus Timotheo, ut Dominus faciat eum intelligere non ea solum, quae dixit; verum etiam alia quaecunque cognitu necessaria. Secundum nostram lectionem promittit Dominum id ei praestiturum: sed intellige, petenti; quia scriptum est: *Petite et accipietis.* Sic enim David precatus est: *Da mihi intellectum* Psalm. 118. et audivit: *Intellectum tibi dabo,* Psalm. 31.

Hic autem observa, quemadmodum sibi respondeant praeceptum et gratia, praeceptum enim est: *Intellige;* gratiam significant haec verba: *Dabit tibi Dominus intellectum:* ne videlicet aliunde quis speret, se praeceptum, sicut opportet, impleturum, nisi ex dono Dei. Unde Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pel. cap. 10. *Nihil, inquit, in scripturis sanctis homini jubetur a Deo, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate vel posci, propter adjutorium gratiae demonstrandum.* Sane hoc ipsum

est quod petimus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua,* id est: Fac nos facere, quod praecipis.

8. *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse ex mortuis. Dominum,* Graeca et Syra non habent: Latini quoque codices et commentarii vetustiores non agnoscunt. Ab exhortatione transit Apostolus ad doctrinam fidei, idque propter haereticos, qui inter alia dogmata resurrectioni mortuorum detrahebant, dicentes resurrectionem esse jam factam, quemadmodum infra declarat. Cum enim hic fidei articulus ab humano sensu et ab omni priscorum Philosophia prorsus esset alienus; factum est, ut statim in ipsis exordiis Ecclesiae contradictores quosdam haereticos pateretur, qui vel simpliciter eum negarent, adversus quos late disserit Apostolus 1 Corinth. 15. vel, more Platonico, ad allegoricum sensum detorquerent; ut ii, contra quos hic agitur. Eam vero fidem Apostolus ut stabiliat, studiosissime tam hoc loco quam ad Corinthios inculcat veritatem resurrectionis Jesu Christi, ut per eam, velut exemplar, ostendat etiam omnium nostrum, qui Christi membra sumus, futuram aliquando resurrectionem. Sicut enim nobis natus est Christus et nobis mortuus: ita et nobis resurrexit. Dicit ergo Timotheo Paulus: Etsi in universa fidei doctrina a me probe es institutus; illud tamen peculiariter monendus es, propter quosdam fidei corruptores, ut memineris ac diligenter animo verses atque fidelibus tradas hanc veritatem, scilicet Christum Dominum a morte ad vitam resurrexisse.

Ex semine David. Refertur hoc non ad verbum *resurrexisse,* sed hyperbato quodam ad Jesum Christum; ut sensus sit: Memento Christum vere ex progenie David hominem factum, vere resurrexisse a mortuis. Innuit Apostolus, non solum fuisse, qui de resurrectione mortuorum, in qua complementum est nostrae salutis, perversa docerent; verum etiam, qui fidem incarnationis Dominicae, a qua ejusdem salutis initium est, pravis opinionibus subruerent. Constat autem, non tantum ex antiquitatis historia atque ex iis, quae scribunt Epiphanius et Augustinus de haeresibus, verum etiam ex epistolis Joannis Apostoli, multos jam tum *seductores extitisse, qui Jesum solverent, negantes eum in carne venisse;* quorum alii corpus ei coeleste tribuebant, alii carnem phantasticam affingebant. Unde nec vere passum fuisse dicebant, nec vere mortuum, nec vere a morte resurrexisse. Forte etiam respicit Apostolus ad quorundam Judaeorum calumniam, qui Christi Domini genealogiam impugnabant, tamquam non ex Davide, sed ex alia quapiam tribu aut stirpe natus esset. Qui quidem pessimus error est, fidem Christianam plane destruens. Si enim Jesus non est ortus ex Davide; non igitur est Messias ille seu Christus in lege promissus, idemque mundi Salvator, quem ex semine David nasciturum scripturae Propheticae palam docent.

Secundum Evangelium meum. Id est secundum Evangelium, quod praedico. Sic enim loquitur 1 Cor. 15. de eadem mortuorum agens resurrectione: *Notum vobis,* inquit, *facio Evangelium, quod praedicavi vobis.* Et iterum: *Tradidi enim vobis, quod et accepi* etc. Ex quibus et aliis locis satis liquet, eos falli, qui dicunt Paulum, quoties Evangelii sui meminit, de eo, quod a Luca scriptum est sentire. Quam opinionem commemorat, non autem probat Hieronymus in catalogo in Luca. Refertur autem haec pars ad utrumque praecedens, scilicet *ex semine David* et *Christum resurrexisse.* Utrumque enim Paulus constanter praedicabat. Quanquam videri potest ad resurrectionem proprie referendum: nam et 1 Corinth. 15., quum dixisset Christum resurrexisse tertia die, addidit: *secundum scripturas.* Id ipsum patres additum voluerunt in symbolo Constantinopolitano. Confert enim hujusmodi adjectio ad confirmandam fidem articuli crediti summopere necessarii. Nam ut ait eodem loco ad Cor. *Si Christus non resurrexit; inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.*

9. *In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans.* In Graecis vocabulis κακοπαθῶ et κακοῦργος, quae noster interpres vertit *laboro* et *male operans,* elegans allusio est, quae sic Latine reddi potest: mala patior tanquam malefactor. Nam lege naturae mala malis demum reddenda sunt, et poena peccanti debetur. Itaque sensus est: Cujus Evangelii causa patior afflictiones et persecutiones usque ad carcerem et vincula; quasi maleficus quispiam ac facinorosus. Hoc dicit, ut ex suis afflictionibus etiam cum infamia conjunctis, ampliorem fidem Evangelio suo conciliet. Nemo enim prudens pro re vana et incerta sustineat affligi, vitaeque ac famae periculum subire.

Sed verbum Dei non est alligatum. Graece *ligatum, vinctum.* Est enim hic altera non minus jucunda allusio in vocabulis, *vincula* et *vinctum,* quasi dicat: Ego quidem vincula patior, sed verbum Dei vinculis non astringitur. Corpus meum ligatum est; sed lingua, qua Evangelium praedico, non est ligata. Significat, se etiam in carcere non deesse officio propagandi Evangelii, seu lingua, seu calamo: et, ut ipse impediatur, per alios tamen praedicari Christum, de quo gaudere se testatur ad Phil. 1.

10. *Ideo omnia sustineo propter electos. Ideo,* Graece *propter hoc,* id est ut Evangelium disseminetur, ut verbum Dei currat et clarificetur; omnia dura suffero, nullum refugio laborem, idque *propter electos,* id est eos, qui ad salutem ab aeterno sunt a Deo praedestinati. Quamvis enim reprobi sint electis in hoc mundo permixti, et eadem officia per Ecclesiae ministros impendantur reprobis, ut doctrina, oratio, exhortatio, correptio, sacramentorum administratio; non tamen haec propter reprobos fiunt, sed propter electos. Etenim si sciret Ecclesia, qui sint reprobi; non magis pro iis oraret, quam pro diabolo, ait Augustinus lib. 21. de civ. Dei cap. 24., et idem judicium de doctrina ac caeteris officiis memoratis.

Porro si Paulus non sustinet nisi propter electos: igitur nec Christus proprie passus nisi propter electos; idque eo magis, quia Christus patiens perfectissime sciebat, qui essent reprobi: *Ego scio,* inquit, *quos elegerim.* Joan. 13. Nec magis dicendum, quod pro reprobis patiebatur, quam quod pro illis orabat. *Non pro mundo rogo,* inquit, *sed pro his, quos dedisti mihi de mundo.* Joan. 17.

Jam ex eo, quod dicit: *propter electos,* discimus, certam Dei electionem, qua nos ad salutem infallibiliter elegit, adeo non excludere necessitatem bonorum operum, ut etiam ea statuat tanquam media quaedam ad ipsam implendam a Deo ordinata; sicut eandem electionem implet per actiones et passiones ministrorum suorum. Quos utique oportet, cum Paulo, hoc ipsum intendere in universo suo ministerio, ut qui electi sunt salvi fiant. Id enim est, quod sequitur:

Ut et ipsi salutem consequantur. Exponit, quod dixit, *propter electos.* Vult enim sensum esse, propter electorum aeternam salutem. Hujus enim respectu proprie electi vocantur. Nihil ergo vetat, quo minus etium propter reprobos quaedam fiant a sanctis, ad hoc nimirum, ut dona quaedam temporaria gratiae Dei percipiant, velut fidem, poenitentiam, justitiam; utque saltem ad tempus in bonis operibus exerceantur. Nam et haec bona Christus illis sua passione promeruit, eademque per suam gratiam largitur. Sed nihil horum aut Christus fecit aut nos facere debemus, ut illi salutem consequantur: quin potius ea omnia, sicut in salutem electorum cedunt, ita ad eam a nobis destinari debent. Conjunctio *et* aut redundat, quod non est infrequens in Epistolis Paulinis, aut alios Paulo conjungit, quasi dicat: Omnia sustineo, non solum meae seu nostrae salutis causa, qui jam fideles sumus; sed et aliorum electorum, nominatim eorum, qui adhuc adducendi sunt ad ovile Christi, non sine nostris laboribus et periculis; ut et ipsi nobiscum salvi fiant.

Quae est in Christo Jesu. Id est quae salus est per Christum Jesum. *Cum gloria coelesti.* Graece et Syriace, *cum glo-*

ria aeterna. Quid vero Ambrosianus legerit, ex ejus comment. non liquet. Haec clausula non ad partem proxime praecedentem referenda est, sed ad superiorem. Explicat enim salutem electorum, quasi dicat: ut salutem consequantur non qualemcunque, sed quae conjuncta est cum aeterna ac coelesti gloria beatae immortalitatis, cujus una cum Christo participes erunt. Hic rursus innuit resurrectionem tam Christi, quam nostram, in qua beatorum gloria consummatur.

11. *Fidelis sermo.* Hoc, inquit, quod dico de salute electorum, deque participatione gloriae coelestis, etsi multis incredibile videatur, ac iis nominatim, qui resurrectioni mortuorum contradicunt: res tamen indubitata est ac certissima. *Nam si commortui sumus, et convivemus.* Assertionem explicat et confirmat, docens modum consequendae salutis et gloriae promissae. Docet id autem duabus sententiis, quarum prior salutem et vitam ostendit; posterior regnum et gloriam. *Nam si,* inquit, *commortui sumus* Christo in hoc saeculo: procul dubio cum illo etiam vivemus in futuro; non spiritu solum, sed et corpore per resurrectionem, sicut et ille resurrexit.

Quo sensu dicat: *nos commori Christo,* non omnino clarum est. Ambrosianus aliique nonnulli sic intelligunt: Si moriamur peccato, quemadmodum Christus mortuus est in similitudine carnis peccati, si mortificemus membra nostra, quae super terram sunt, etiam vivemus cum illo. Hic sensus accipit probabilitatem ex aliis locis apud Apostolum, maxime ex illo Rom. 6. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etim vivemus cum Christo.* Ubi constat intelligi mortuos peccato. Chrysostomus autem ejusque sequaces interpretantur, nos Christo commori, dum adversa, dura et tristia, mortem denique ipsam, si opus sit, pro Christi nomine perferentes, Christo patienti et morienti conformamur. Quod genus mortis seu mortificationis describitur ab Apostolo 2 Cor. 4., cum inter alia dicit: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Huic Graecorum commentario favet circumstantia loci praesentis, ac plane respondet, quod sequitur:

12. *Si sustinebimus, et conregnabimus.* Graece et Syriace in praesenti: *si sustinemus,* adstipulantibus etiam codice MSS. Laudensi, expositore Ambrosiano et Pelagio. Quam lectionem sensus quoque Apostoli requirit. Si, inquit, in hac vita cum Christo toleramus afflictiones, contumelias, cruces, mortes; certissime futurum est, ut cum illo in futura vita regnemus, gloriae ejus coelestis facti participes. Est enim idem cum eo, quod dicit Rom. 8. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Si negaverimus, et ille negabit nos. Dixit, ad quos promissio gloriae coelestis pertineat; nunc docet, qui sint ab ea alieni. Sensus est: Si metu mortis aut terrore persecutionis Christum abnegamus, si confessionem nominis ejus abjicimus, idque verbo aut facto aut etiam silentio; ipse vicissim nos abnegabit, id est non agnoscet pro suis, dicturus illud: *Nescio vos,* Matth. 25. Respicere videtur Apostolus ad illam Domini sententiam: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo et coram Angelis ejus* Matth. 10. Luc. 12.

13. *Si non credimus, ille fidelis permanet.* Alii vertunt: *Si increduli sumus.* Nam Graeco verbo ἀπιστοῦμεν infidelitas positiva significatur; quae est eorum, qui veritatem auditam recipere nolunt, aut semel receptam deserunt. Quod si, inquit, fecerimus: *ille* nihilominus *fidelis,* id est verax et constans in promissis, *permanebit. Neque* enim *quorumdam incredulitas fidem Dei poterit evacuare,* Rom. 3. Promisit Deus salutem credentibus et perseverantibus usque in finem, qui sunt omnes et soli electi; hanc illis omnibus sine dubio praestabit.

Negare seipsum non potest. Id est non potest recedere ab eo, quod semel promisit aut statuit, non potest retractare sententiam. Hoc enim Deo esset *negare*

seipsum, cujus natura est veritas. Quaeres: si hoc non potest, quomodo est omnipotens? Resp. sicut posse peccare, non est posse, sed potentiae defectus, ita et posse negare seipsum, et omnino in deterius posse mutari. Certe fallere fidem promissi non est sine mendacio, quod in primam veritatem cadere non potest. Cum autem Apostolus de Christo loquatur, ut ex contextu patet, hinc etiam consequitur, Christum impeccabilem esse.

14. *Haec commone.* Id est, de his, quae jam dixi, frequenter admone fideles tibi commissos, et maxime tuos Evangelii cooperarios, scilicet nos victuros et regnaturos cum Christo, si commortui ei fuerimus et adversa cum eo sustinuerimus. Ipsum vero nos abnegaturum, si nos ab ejus confessione et fide recesserimus. Ostendit hoc Apostoli praeceptum, non tam causa Timothei, quam aliorum, qui ab illo admonendi essent, superiorem exhortationem scriptam fuisse.

Testificans coram Domino, vel *contestans,* ut legit Ambrosianus. Haec contestatio valet ad terrendum eos, quibus fit. Et secundum nostram lectionem jungitur parti praecedenti, ut sensus sit: De his admone fratres, cum obtestatione, quam facias coram Domino, hoc est, declarans te haec eos commonefacere coram Christo Domino, qui in judicio testis esse poterit facti a te officii et vindex admonitionis contemptae. At vero secundum Graecum et Syriacam textum multo aptius cohaeret sequentibus.

Noli contendere verbis. Graece μὴ λογομαχεῖν, id est *non contendere verbis, non pugnare verbis.* Sic enim in priori Epistola cap. 6., ubi nomen est huic verbo respondens, vertit: *pugnas verborum.* Apulejus uno vocabulo dixit: *verbigerari.* Porro secundum id, quod nos legimus, ipsum Timotheum monet Apostolus, ut a pugnis verborum et contentionibus abstineat, ut ne utatur ratione disputandi contentiosa et litigiosa. Juxta Graecam vero lectionem praecipitur Timotheo, quid alios admonere debeat, ut haec pars connexa superiori sensum habeat hujusmodi: Contestans eos coram Domino, ne verbis pugnent ac digladientur, ne contentiose disputent. Quod tum maxime fit, cum disputando victoria quaeritur, non veritas. Verbis enim contendere, est non curare, quomodo error veritate convincatur, sed quomodo tua dictio dictioni praeferatur alterius. S. Augustinus lib. 4. de doct. Christ. cap. 28.

Huic Graecae lectioni et sensui favet locus, quem diximus Epistolae prioris, ubi non ipse Timotheus admonetur, ne pugnas verborum exerceat, sed alii circa quaestiones et pugnas verborum languentes reprehenduntur. Quin et verisimile est, nostrum interpretem ita vertisse: *non verbis contendere.* Nam hic est verborum ordo in omnibus MSS., minimum enim differunt in vetere scribendi modo *non* et *noli,* ut facile invicem commutentur.

Quod autem speculativa Scholasticorum Theologia non sit pugnax et litigiosa scientia, quemadmodum haeretici calumniantur, ex eo liquet, quod argumentis ac rationibus diligenter collatis atque expensis, studet inveniendae atque in lucem proferendae veritati. Quae sane vera est ac legitima disputandi discendique ratio. A qua quidem longissime absunt haereticorum contentiosa scripta, strophis, conviciis et contumeliis referta.

Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Graeca lectio sic habet: *Ad nihil utile ad subversionem audientium.* Itaque secundum hanc lectionem, tres voculae *enim, est, nisi* redundant. Graecis Syra consentiunt. Latinorum autem codicum magna varietas est. Multi et praestantissimi omittunt causalem conjunctionem; nonnulli etiam carent exceptiva particula, ut non sit probabile, interpretem omnino ita vertisse, quemadmodum nunc legimus. Sciendum est autem, priorem partem e Graeco posse etiam hoc modo verti: *Ad nullum utile,* id est *ad nullam utilitatem,* quomodo verterunt Erasmus et Hentenius. Nostra quidem lectio planum habet sensum. At secundum eos codices, qui Graecae lectioni

accedunt, ita sermo ordinari et suppleri potest: *Ne contendant verbis (quod ad nihil utile est) ad subversionem audientium,* ut subversio audientium subjungatur tanquam effectus contentionis, per parenthesim autem interponatur: *ad nihil utile.* Quanquam Graeca sine parenthesi possunt sic accipi: *Ne verborum pugnas sequantur ad nullam utilitatem, sed ad subversionem eorum, qui audiunt.* Planius eundem sensum dedit Latinus interpres ex Syro: *Ne contendant sermonibus ad subversionem eorum, qui audiunt eos.*

In summa, sentit Apostolus, λογομαχίαν seu verborum pugnam non solum esse inutilem et fructu carere in eo, cum quo disputatur, verum etiam vehementer nocere auditoribus. Turbantur enim ex contentione magistrorum, et vel haesitare incipiunt de iis, quae jam tenebant et recte credebant, et per hoc subvertitur eorum fides, vel studia partium inter eos excitantur, et accidit illud, quod de hujusmodi pugnis verborum idem Apostolus scribit in prima Epistola, dicens: *Ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae* etc.

Porro manifestum est, Apostolum non simpliciter prohibere disputationem cum haeretico, ut visum est nonnullis. Non enim idem est, disputare, quod *contendere;* sed *contentio* vitium est disputantis, ut supra dictum est. Contendit enim, qui posthabito veritatis studio suam ex disputatione victoriam et ex victoria gloriam quaerit. Unde Graeci contentionem φιλονεικίαν vocant, id est, amorem victoriae. Huic autem vitio plerumque et alterum cohaeret, videlicet disputandi modus perturbatus, clamor, jactantia, convicia, animorum acerbitas; quae omnia ex improbo vincendi studio proficiscuntur. Itaque, remotis hujusmodi vitiis, disputatio etiam cum haeretico prudenter et cum fructu poterit institui, sicut B. Augustinum aliosque patres interdum fecisse legimus. Qua de re vide B. Thomam in commentario quaerentem, an submota contentione, licitum sit coram populo disputare de fide; et respondentem cum distinctione tam ex parte audientium, quam ex parte disputantis.

15. *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo.* Graece: *Stude teipsum probatum exhibere Deo.* Ipsum jam Timotheum admonet, quemadmodum in ministerio suo versari debeat: ac primum, ut se suumque ministerium Deo probare, eique in omnibus placere studeat. *Operarium inconfusibilem.* Graecum vocabulum, quod interpres vertit: *inconfusibilem*, ambiguum est ad activam et passivam significationem, ut verti possit, *non erubescentem,* aut *non erubescendum.* Priori modo sensus est: cura, ut te talem exhibeas operarium, quem ab opere nullus pudor impediat; qui libere et profitearis et praedices crucem Christi, cui nec vincula mea pudori sint. Ita Graeci exponunt, et quidem congruenter cum eo, quod supra monuit Apostolus: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus.* Consentit et Syrus interpres, dum vertit, *operarium sine erubescentia.* Quin et Augustinus contr. Crescon. lib. 1. cap. 2. legit *non erubescentem.* Atque ea vocabuli Graeci significatio magis est usitata: quam et noster interpres magis attendisse videtur, dum reddit, *inconfusibilem,* juxta eum loquendi morem, qui est locis infinitis nostrae Latinae versionis, ubi *confundi,* pro *erubescere* ponitur, veluti Eccles. 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum: et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Quae Sapientis sententia cum hoc Apostoli sensu convenit. Quanquam et passivus sensus haud ineptus est, ut operarius non erubescendus dicatur, qui tam diligens, fidelis et industrius in opere est, ut dominum suum ejus non pudeat, sed in eo sibi placeat; ut eum non neget, sed suum agnoscat. Nam, ut superius dixit: *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Hoc posteriori modo vertit, et in paraphrasi exponit Erasmus.

Recte tractantem verbum veritatis.

Graece ὀρθοτομοῦντα, id est *recte secantem:* atque ita recentiores vertunt. Ejus vocabuli significationem alii aliter explicant. Theophylactus et Oecumenius Chrysostomum secuti metaphoram deducunt a coriariis, qui superflua resecant a pellibus, quas ad usum parant. Ita ajunt, Timotheum, et in eo unumquemque verbi ministrum, moneri, ut in tradenda doctrina veritatis amputet et abjiciat quicquid superfluum, falsum et adulterinum est. Verum hujusmodi resectio minus apte refertur ad verbum veritatis, in quo nihil est falsum aut adulterinum, nihil etiam superfluum: nisi hoc ipsum ad ejus expositionem referatur, ut significetur, ab expositione Scripturae sacrae falsos et adulterinos sensus esse resecandos. Quanquam nec ea quadrat explicatio. Non enim de scriptura sacra loquitur Apostolus, sed de *verbo veritatis,* id est, de vera fidei doctrina verbo tradenda. Alii proinde metaphoram sumptam volunt a coquis, quorum est recte dividere cibos; aut a patre, qui panem alendis filiis in frusta dividit, quantum cuique convenit; ac si diceret Paulus: Studiose cura, ut auditoribus pro cujusque captu et conditione panem verbi divini distribuas. Id quod alibi seipsum fecisse testatur Apostolus, ut 1 Cor. 2. et 3. *Sapientiam,* inquit, *loquimur inter perfectos,* et iterum: *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis,* et Heb. 5. *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

Praeter hunc sensum, etsi percommodum, est et alius, fortasse germanior, quem indicat Theodoretus, ita breviter commentans in hunc locum: Laudamus agricolas, qui rectos sulcos proscindunt; ita etiam magister est laude dignus, qui sequitur regulam divinorum eloquiorum. Sentit ergo, eum *recte secare* seu *tractare verbum veritatis,* qui doctrinam Christianam, quae doctrina veritatis est, ea fide tradit auditoribus, ut nusquam deviet a recto tramite regulae sibi praescriptae, quae est regula verbi divini. Pro hoc sensu facit, quod eodem Graeco vocabulo usi sunt LXX. interpretes ad rectitudinem viae significandam, ut Prov. 11. ubi nos habemus: *Justitia simplicis diriget,* id est rectam faciet, *viam ejus;* item quod Paulus Gal. 2. dicens, quosdam non recte ambulasse ad veritatem Evangelii, verbum ejusdem compositionis usurpavit, ὀρθοποδεῖν, id est *recto pede incedere.* Et quidem juxta hunc sensum bene vertit tam noster interpres, quam Ambrosianus, *recte tractantem;* quemadmodum et Syrus, *recte praedicantem.* Denique huic intellectui congruit, quod sequitur.

16. *Profana autem et inaniloquia devita.* Conjunctionem *et,* Graecus, Syrus et Ambrosianus textus non habent; ac superfluam esse, licet in omnes pene codices Latinos irrepserit, satis liquet ex ult. cap. prioris epist., ubi eadem prorsus admonitio est, his interpretis nostri verbis: *Devitans profanas vocum novitates.* Nam, verbo excepto, quod hic alii vertunt *praetermitte,* alii *fuge,* Graeca eadem sunt. Unde et Ambrosianus ita legit hoc loco: *profanas autem vocum novitates devita.* Adde quod Graeca non admittunt interpositam conjunctionem, ut si Latine dicas: *profanas et vaniloquentias devita.* Cur autem noster interpres in priori Epistola: *vocum novitates;* hic autem, *inaniloquia,* verterit; illic rationem dedimus, quia nimirum Graecam vocem reperit una literula mutatam; quae mutatio diversam hanc efficit significationem. Et eo quidem loco diximus veriorem videri lectionem, καινοφωνίας, id est *novitates vocum,* quam et Chrysostomus Theophylacto teste utrobique secutus est, ut et Oecumenius. Sed quia complures Graeci codices habent κενοφωνίας, id est *inanitates vocum,* vel uno vocabulo, *inaniloquia;* idcirco nec istam lectionem repudiamus. Juxta quam sensus erit, inanem et clamosam loquacitatem doctori Evangelico vitandam et profligandam esse; maxime quae profanos et a vera pietate remotos sensus habeat admixtos.

Multum enim proficiunt ad impietatem. Graece et Syriace, *proficient.* Quae

et Ambrosiani ac multorum codicum Latinorum lectio est. Graeca sic habent: *Ad amplius enim procedent impietatis.* Quod ita vertunt: *Ad majorem enim proficient impietatem.* Dubium est autem, ad res an ad personas referendum sit verbum *proficient.* Cum enim nihil de personis praecesserit, videri potest de rebus accipiendum, hoc modo: Profana inaniloquia devitanda praecepi, quoniam ipsa dum paulatim irrepunt in animos auditorum, fomentum addunt ad impietatem, semperque majora capiunt incrementa. Sic plerique.

Caeterum Chrysostomus videtur referre ad personas, dum hunc locum exponens dicit: Amplius enim proficient impii. Et mox subjungit: Per haec ostendit, eos emendari corrigique non posse, qui sponte a veritate aberrarunt. Hanc vero expositionem veriorem esse, multa probant. Primum quia de personis continuo sequitur: *Et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus* etc. Deinde quia sermo Graecus: *Ad majorem progredi impietatem,* magis hominum est quam verborum. Accedit quod sequenti capite bis idem verbum de personis dicitur: *Sed ultra non proficient,* et: *Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.* Quae quidem posterior sententia vice commentarii esse potest ad intelligendum locum praesentem.

Nec obstat, quod expressa mentio de personis nulla praecesserit. Nam tacite continebatur in *profanis inaniloquiis.* Sensus enim erat: Tu recte et ad normam fidei tracta verbum veritatis; si qui vero profanas vocum sive novitates, sive inanitates proferant, eos ne audias, neque admittas; sed hujusmodi eorum sermones procul abjice et repelle. Jam enim, sub finem epist. superioris, indicavimus, non tam moneri Timotheum ne ipse profana dogmata sequatur ac doceat; quam ne alios talia docentes aut proferentes toleret; sed ut totum hoc genus devitet et a grege suo depellat. Cujus hic ratio redditur ex illorum malitia et nocumento; quia nimirum seductores illi ac perversorum dogmatum magistri semper ad ulteriorem proficient impietatem, tam in se quam in auditoribus; videlicet *errantes et in errorem mittentes.*

17. *Et sermo eorum ut cancer serpit.* Multi codices *serpet,* in futuro, legunt, scilicet iidem, qui *proficient,* in parte praecedenti. In Graeco duae voces sunt νομὴν ἕξει, *pastionem habebit.* Similiter in Syriaco: *pastionem apprehendet.* Id noster interpres non ineleganter extulit uno vocabulo *serpet.* Porro *cancer* hoc loco non animalis retrogradi, sed morbi nomen est, qui carnem quam occupavit continuo depascens, semper longius serpit, donec mortem adferat. Graece γάγγραινα dicitur: tametsi gangraena proprie non idem est quod cancer; sed, ut medici tradunt, causa et celeritate nocendi et periculi magnitudine a cancro differt.

Unde recentiores quidam interpretes non cancerem, sed gangraenam hoc loco vertendum putarunt. Quanquam videri potest Apostolus speciem pro genere posuisse, id est *gangraenam* pro morbo in morem canceris serpente, et vicina corporis membra depascente, usque dum ipsum hominem extinguat. Certe veteres omnes Latini *cancerem* legunt: nec Graeci commentatores vocabulum peculiariter urgent. Interpres quoque Syrus *cancerem* reddidit. Constat autem hoc velle Apostolum, sermonem haereticorum profana et adulterina docentium, instar canceris aut gangraenae serpere; id est, vim sui veneni inter fideles semper longius diffundere, donec universum alicujus Ecclesiae corpus, ut civitatem aut populum, contagio pervaserit, nisi vigilantia pastorum grassanti malo prudenter et celeriter occurrat. Res miserabili experimento notior, quam ut pluribus verbis declarari debeat.

Ex quibus est Hymenaeus et Philetus. Duorum nomina prodit, qui praecipui erant; quo sibi ab illis caveant fideles. De Phileto quidem nihil alibi habemus: Hymenaeum vero scribit Apostolus in priori Epistola cap. 1., a se fuisse traditum Satanae, simul cum Alexandro; quod

pravis sermonibus fidem corrumperent, non sine blasphemia et maledictis: licet eo loco doctrinam eorum non aperiat.

18. *Qui a veritate exciderunt.* Graece: *Qui circa veritatem aberrarunt,* quemadmodum et legit Augustinus Epist. 119. ad Jan. cap. 3. Ambrosianus autem: *Qui deerraverunt a veritate.* Significat Apostolus, eos a scopo Christianae veritatis, ad quam collimare debebant, aberrasse. Tale quid enim Graeci verbi proprietas habet, uti diximus ad illud 1 Epist. 1. *A quibus quidam aberrantes,* ac rursus, ad illud extremum capitis sexti, *circa fidem exciderunt.* Nam in Graeco semper idem verbum est.

Dicentes resurrectionem esse jam factam. Non expresse et aperte mortuorum resurrectionem negabant, veriti ne statim deprehenderentur: sed oblique et insidiose, sicut haereticis mos est, id faciebant; dicentes resurrectionem mortuorum, quam credere nos profitemur, jam factam esse. Ex quo utique sequebatur, eam non esse futuram in fine saeculi, sicut Ecclesia credit. Procedebat hic error ex philosophia gentili, quae resurrectionem corporum assequi nulla ratione valuit. Atque hujus unius erroris exemplo declarant Graeci interpretes, quam verum sit, quod modo dixit Apostolus, haereticos per sua profana dogmata semper ad majorem progredi impietatem. Nam sublata fide resurrectionis mortuorum, simul universa religio Christiana subvertitur. Si enim mortui non resurgunt: igitur neque Christus resurrexit, neque restat judicium, neque expectatio vitae futurae; sed quotquot dormierunt in Christo, perierunt; et alia sequuntur absurda, quae Paulus enumerat 1 Cor. 15.

Quaeritur, quo sensu dixerint resurrectionem jam factam esse. Multi dicunt, eos docuisse non aliam nobis exspectandam resurrectionem, quam qua quotidie per liberorum procreationem homines renascuntur et quodammodo reviviscunt in filiis. Hanc enim et non aliam resurrectionem agnoverunt Sadducaei, nec non qui multo post secuti sunt haeretici, Seleuciani: de quibus Augustinus haer. 59. *Resurrectionem,* inquit, *non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum.* Alii factam seu completam ex mente istorum interpretantur resurrectionem, in quotidiana animorum renovatione ac regeneratione a morte peccati ad vitam justitiae; ad quam resurrectionem ipse Apostolus passim fideles hortatur. Sic Augustinus intellexit epist. jam memorata ad Jan. 119. A quo sensu non multum absunt, qui in baptismo cujusque factam resurrectionem exponunt. In eo namque, juxta ipsius Apostoli doctrinam Rom. 6., Christo commorimur, ut cum eo resurgamus in novitatem vitae. Unde baptismus vocatur etiam lavacrum regenerationis Tit. 3. et de eo dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu,* Joan. 3.

Refert autem Tertull. lib. de resurr. carnis cap. 19. nec suo tempore defuisse, qui resurrectionem mortuorum manifeste annunciatam, in imaginariam, ut ait, resurrectionem distorquerent, dicentes exinde homines resurrectionem fide consecutos cum Domino esse, quum baptisma induerint. Ac de iisdem ita subjicit: Hoc denique ingenio, etiam in colloquiis, saepe nostros decipere consueverunt, quasi et ipsi resurrectionem carnis admittant. Quin et Divus Thomas in comment. testatur, etiam sua aetate quosdam haereticos exstitisse, qui omnia, quae dicuntur in Scripturis de resurrectione mortuorum, referrent ad resurrectionem animarum jam in nobis factam, secundum illud Apostoli Col. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite.* Quam videlicet Joannes in Apoc. 20. vocat *primam resurrectionem.* Ad hanc igitur allegoricam resurrectionem revocasse videntur Hymenaeus et Philetus intentionem fidelium; ut, quodam praetextu pietatis, a fide verae resurrectionis eos alienarent: haud multo secus, quam Origenes allegorica scripturarum interpretatione simplicem historiam in multis sustulit.

Sunt autem et aliae expositiones erroris de resurrectione jam facta, apud Pelagium, Primasium et Sedulium; etsi mi-

nus probabiles. Una, quod factam dixerint, quando restituta est captivitas Babylonica. De hac enim sub typo resuscitationis ossium aridorum prophetaverat Ezech. cap. 37. Altera, quod completam in Christo, et illis dumtaxat, de quibus dicitur in Evangelio: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt.* Matth. 27. Tertia, quod compleri quotidie dixerint in palingenesia Pythagoraea, dum scilicet animae morientium in alia semper corpora migrant, ut quidem Pythagorici tradunt.

Et subverterunt quorundam fidem. Graece et Syriace, *subvertunt,* in praesenti. Atque ita legit inter Latinos Primasius, et ante eum Augustinus lib. 4. contra Faustum cap. 2. Eadem lectio est in MSS. Laudensi. Significat enim Apostolus, illos adhuc persistere in perverso studio disseminandi erroris, non sine successu. Utitur autem vocabulo *subvertendi,* quia sublata fide resurrectionis, velut subtracto fundamento, mox reliquum aedificium Christianae religionis corruit, ut supra declaratum est.

19. *Sed firmum fundamentum Dei stat.* Occupatione praevertit objectionem hujusmodi: Si a veritate exciderunt Hymenaeus et Philetus, et aliorum fidem subverterunt, nec subvertere desinunt, metuendum, ne tandem deficiat Christianorum fides et religio. *Quamvis,* inquit, *quorundam subvertatur fides:* non tamen *fundamentum Dei* subvertitur, sed perpetuo firmum ac solidum consistit. *Fundamentum hoc* varie exponitur. Nonnulli intelligunt decretum divinae praedestinationis, sive aeternum Dei consilium de salute electorum. Alii librum vitae. Alii promissiones ac testimonia in Scripturis posita, quibus illud Dei consilium nobis annunciatur et confirmatur. Ambrosianus refert ad fidem promissorum Dei. Sed his expositionibus, quae pene coincidunt, obstat, quod statim adjicit Apostolus, hujus fundamenti signaculum esse: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus,* id est, decretum electionis divinae. Signaculum autem a re consignata diversum esse oportet.

Rectius igitur alii: qui vel Ecclesiam in suis electis, quibus gratia datur immobiliter standi, quemadmodum S. Thomas exponit; vel fidem electorum intelligunt per fundamentum Dei; quemadmodum Graeci. Pro quibus facit, quod dixerat de fide quorundam subversa; quasi dicat: Etiamsi quorundam fides subvertatur: attamen electorum fides, quae est firmum Dei fundamentum, persistit. Ipsa quoque Ecclesia rectissime firmum ac solidum Dei fundamentum vocatur, quia super petram, id est Christum, a Deo firmiter fundata, nullis aut Satanae machinis aut tentationum fluctibus, subverti potest aut labefactari: nam etsi quidam ab ea deficiunt; ipsa tamen in suis electis perseverat usque in finem. Unde Joannes 1 Epist. 2. loquens in persona electorum: *Ex nobis,* inquit, *prodierunt; sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis; permansissent utique nobiscum.* Sed et alibi passim electis tribuitur stabilitas ac deficiendi impossibilitas. Matth. 24. *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Joan. 10. *Oves meae non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea,* et iterum: *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Item Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Christi?* et infra: *Certus sum quia neque mors neque vita* etc. *poterit nos separare a charitate Dei.* Ex his admodum fit verisimile, firmum Dei fundamentum intelligi fideles electos; sive, quod idem est, Ecclesiam in electis. Nam et de iis jam superius dixerat hoc eodem capite, *se omnia sustinere propter electos, ut et ipsi salutem consequantur.*

Habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus. Latinius diceretur per reciprocum: *qui sunt sui,* quomodo citat Hieronymus in comment. super Zach., aut *qui sunt ipsius,* ut legit Ambrosianus. Rationem adjungit Apostolus ejus, quod dixit: *Firmum Dei fundamentum stare,* quia scilicet impressum

habet hoc signaculum sive sigillum: *Cognovit Dominus, qui sunt sui.* Testimonium hoc e Deuter. sumptum putat Chrysostomus, sed verius est ex Num. 16. citari. Nam pro eo, quod ibi Hieronymus ex Hebraeo vertit: *Notum faciet Dominus, qui ad se pertineant;* LXX. sic habent: *Cognovit Deus eos, qui sui sunt.* Quae verba a Mose ad seditiosos dicta pro se et Aarone, tanquam electis divinitus ad populi regimen et sacerdotium, Apostolus suo accommodat instituto, quo agit de electis ad vitam aeternam. Hos docet firmitatem standi accipere a divina praedestinatione, significata his verbis: *Cognovit Dominus, qui sunt ipsius.* Cum enim decretum Dei firmum sit atque immobile: stare eos necesse est, quos Deus aeterno praedestinationis suae decreto stare voluit, id est electos, attestante Domino Joan. 6. *Haec est enim voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.*

Vocatur autem hoc decretum *cognitio Dei,* non quod sit nuda notitia futurorum, aut quod praenotionem operis aut consensus alicujus ex parte electorum praesupponat, sed more Scripturae notitia amoris et approbationis intelligitur. Sic enim et Christus de ovibus suis, id est electis loquitur Joan. 10. *Et cognosco meas, et cognoscunt me meae.* Qui reprobis e contrario dicturus est: *Non novi vos,* Matth. 7. et 25.

Porro decretum hoc Apostolo vocatur *sigillum* electis impressum, vel propter arcanum electionis divinae, quasi sub sigillo clausum et ab oculis humanis remotum, quia quamdiu hic vivimus, certo scire non possumus, qui ad numerum electorum pertineant: vel potius ad significandum robur et firmitatem ejusdem electionis. Ad hoc enim pacta et promissa conscribi, et impresso vel appenso sigillo communiri solent, ut perpetuo rata maneant, nec cuiquam fas sit ea violare.

Et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. Graece *Christi,* ut nunc quidem plerique codices habent. Nam veterum Graecorum commentarii testantur eos legisse: *Domini,* quemadmodum et praeter alios nonnullos libros Graecos habet editio Complutensis et translatio Syriaca. Quod vero pro *nominat,* in quibusdam Latinis *invocat* legitur, non germana lectio est, sed ejus expositio quaedam. Loquitur ad eumdem modum Lucas Act. 19, 13., licet ibi Latine legatur: *invocare nomen Domini.* Haec Apostoli sententia velut alterum fundamenti Dei signaculum a multis accipitur. S. Thomas et Cajetanus faciunt alteram signaculi partem. Pro utrisque facit, quod hac etiam parte Paulus allusisse videtur ad Scripturam ejusdem loci Num. 16., nimirum ad id, quod Moses dicit populo: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.* Hoc modo sensus est, ad idem sigillum divini fundamenti referendam esse observationem hujus praecepti: *Quicunque nominat nomen Domini,* id est, quicunque Christi se esse dicit, et Christianum se profitetur, recedat ab injustitia. Quod quidem si perseveranter faciat, certissima nota est, eum esse de numero praedestinatorum, et ad firmum ac stabile Dei fundamentum pertinere.

Alii significari putant effectum signaculi, id est aeterni decreti praedestinationis divinae. Per hanc enim efficaciter fit, ut homo libera sua voluntate discedat ab iniquitate, et in sancta conversatione perseveret. Verum nihil prohibet, unum signaculum esse alterius effectum. *Iniquitatis* nomine quidam falsitatem intelligunt, adducentes illud simile Rom. 2. *Qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati,* id est falsis doctrinis. Sunt, qui referunt ad vitae turpitudinem, quasi respiciat Apostolus ad scholam Simonis, quae praeter absurditatem dogmatum exercebat infandas libidines. Sed cum significatio vocabuli Graeci ἀδικία Scripturarum usu pateat ad omne genus peccati, non videtur hoc loco ad certam speciem coarctanda, maxime quod Apostolus hanc partem assignet pro certo

electionis argumento, quale non est ab uno aliquo peccati genere discedere, sed ab omni. Caute sunt legenda, quae hic et alibi comminiscitur Catharinus de duplici genere salvandorum, quorumdam ex praedestinatione, aliorum ex libero arbitrio. Est enim hoc ejus dogma unum ex audacter ab illo pronuntiatis et nove excogitatis. Notanter autem dixit *ab iniquitate* non *ab iniquis*, quamdiu enim in hoc saeculo velut in medio Babylonis, captivi tenemur, ab iniquis hominibus omnino separari non possumus. Quod et apertius sequentia declarant:

20. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.* Sermo parabolicus est, quemadmodum et superiores de milite, athleta et agricola, ut hic etiam locum habeat id, quod supra monuit: *Intellige, quae dico.* Caeterum eo spectat ista similitudo, ne miretur aut conturbetur Timotheus, si videat in Ecclesia non solum bonos esse, sed quosdam etiam malos, imo et nonnullos perversa docentes. Id enim usque adeo mirandum non esse, ut potius scire debeat ad ordinem divinae providentiae pertinere, quod malos sinat bonis in Ecclesia permisceri, videlicet certis usibus adaptandos, sicut magni cujuspiam patrisfamilias est, omni genere supellectilis ad varios usus domum suam instruere. Nam *vasa*, supellectilem et instrumenta Hebraea phrasi significant. Dicit ergo: *In magna domo,* cujus scilicet ampla sit familia: *non solum sunt aurea et argentea vasa,* id est preciosa, verum etiam lignea et fictilia, sive ut Graece est, testacea, id est vilia.

Et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Contumeliam, pro ignominia posuit interpres. Est autem in Graeco vocum affinitas τιμὴν, ἀτιμίαν, quam alii Latine reddunt hoc modo: *et alia quidem ad decus, alia vero ad dedecus*, id est alia ad honestos usus accommodata, alia vero ad usus inhonestos, sordidos ac pudendos. Hoc multi ita putant accipiendum, ut prior pars hujus membri ad priorem partem prioris membri referatur, posterior autem ad posteriorem, id est ut vasa in honorem, intelligantur aurea et argentea; vasa vero in contumeliam lignea et fictilia. At certe non ita perpetuo res habet in magna et opulenta domo; fit enim saepe, ut a divitibus pretiosa vasa sumantur ad usus parum honestos. Qua de re festivum exstat epigramma Martialis in Bassam e vitro bibentem et ventris onus auro excipientem. Frequentissimum est autem et quotidianum, ut fictilia adhibeantur ad usus praecipuos, edendi scilicet ac bibendi. Quocirca partes posterioris membri promiscue videntur referendae ad partes prioris, ut sensus sit ex utroque genere, tam pretiosorum quam vilium vasorum, alia quidem ad usus honestos, alia vero ad sordidos adhiberi. Atque ea sententia est Augustini locis infra citandis et B. Thomae in comment. Idque magis etiam patebit ex accommodatione similitudinis ad rem institutam.

Ubi statim quaeritur, quid per magnam domum voluerit Apostolus significare. Chrysostomus et ejus sequaces mundum intelligunt, in quo boni sunt et mali, quemadmodum et in Evangelio per agrum, in quo zizania sunt tritico permixta, mundus intelligitur ipso Domino interpretante Matth. 13. Ecclesiam vero posse intelligi Chrysostomus et Theophylactus negant, quod in Ecclesia nullum sit vas in contumeliam, sed omnia pretiosa, quodque Ecclesia sit virgo casta, non habens maculam aut rugam. Eam rem alii probant hoc argumento. Sequeretur enim, haereticos esse in Ecclesia, quales erant Hymenaeus et Philetus et alii per eos seducti, quorum occasione haec ab Apostolo dicuntur de vasis aliis in honorem, aliis in contumeliam.

Verumtamen Ecclesiam hic intellexerunt Cyprian. lib. 3. epist. 3. et lib. 4. epist. 2., alias epist. 51. et 52., Augustinus Cypriani auctoritate permotus lib. 3. de bapt. contra Donat. cap. 18. et 19. et lib. 4. cap. 12. et lib. 7. cap. 51.

Quod et confirmat lib. 2. cap. 12. et 18. Commentator etiam Ambrosii titulo vult Ecclesiam significari, non mundum; sed Ecclesiam intelligit largo quodam modo, prout eos omnes complectitur, qui Christi nomen profitentur, sive Catholici sint sive haeretici aut schismatici, quomodo Pagani dicere solent, inter Christianos multas esse sectas diversarum opinionum. Sed haec acceptio Ecclesiae non est consentanea Scripturis. Porro de mundo expositio minus placet, quod ea non faciat ad institutum Apostoli. Nemo enim miratur aut turbatur, quod in mundo sint homines mali, sed quod in Ecclesia, adeo ut per malitiam multi eam deserant. Et quidem de hujusmodi agebatur in praecedentibus.

Igitur Apostolum per magnam domum Ecclesiam voluisse significare, satis manifestum est. Nam et in 1. Epist. cap. 3. eam appellavit *domum Dei*. Sunt autem in ea non solum vasa aurea et argentea, ut homines ingeniosi, eloquentes, egregie docti, variisque Spiritus sancti donis, quae charismata vocantur, ornati: item episcopi, presbyteri, diaconi: verum etiam lignea et fictilia, id est homines inferioris ordinis et gradus, quique donorum istiusmodi parum aut nihil habent, ut est vulgus Christianorum. Denique horum omnium alii coram Deo sunt vasa in honorem, alii in contumeliam: id est alii electi ad gloriam, alii reprobati ad opprobrium sempiternum.

Hunc intellectum quoad prius membrum, quod est de vasis pretiosis et vilibus, adjuvat locus 1 Cor. 12., ubi eadem Ecclesia depingitur velut corpus variis membris constans; quorum alia praestantiora et digniora sunt aliis, secundum varias functiones, quas habent in corpore. Posterioris autem membri sensum aperit nobis alius locus, qui est Rom. 9., ubi Deus alios eligens, alios reprobans, comparatur figulo, qui ex eadem luti massa facit aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.

Juxta hanc valde probabilem expositionem, refelluntur ex hoc loco tam veterum quam novorum haereticorum errores, qui vel malos vel reprobos ullos in Ecclesia esse negant. Quanquam et ex Evangelicis parabolis aperte revincantur: cujusmodi sunt de zizaniis tritico permixtis, et de sagena missa in mare Matth. 13., deque decem virginibus Matth. 25. et de palmite Joan. 15. Nec vero putandum est, Chrysostomum illis suffragari, cum dicit, in Ecclesia nihil esse reprobum aut vile, sed omnia pretiosa. Respicit enim Chrysostomus, perinde ut quibusdam locis similiter loquens Augustinus, ad eam Ecclesiae portionem, cui merito competit Ecclesiae nomen; id est, ad eos, qui viva sunt Ecclesiae membra, partesque ejus honorabiles, et, ut ita dicam, per se ad ipsam pertinentes. Mali enim, nisi in bonos convertantur, tandem ab ea separandi sunt.

Porro ad objectionem, quae de haereticis movebatur, respondeo, nihil absurdi esse, si fateamur, haereticos, quamdiu vel omnino occulti sunt, vel non ita manifesti, quin adhuc in coetu fidelium tolerentur, secundum quid, nempe secundum externam professionem, in Ecclesia esse. Quod ut dicatur, ipsa ratio cogit. Contingit enim, haereticos Ecclesiarum esse praelatos et capita; ac proinde quadam saltem ratione membra. Nec sane jurisdictionem exercere possent in Ecclesia, nisi saltem externa professione in ea essent.

At dices, Apostolum loqui de Hymenaeo et Phileto, quorum Hymenaeus jam dudum erat propter haeresim excommunicatus, utpote ab ipso Paulo Satanae traditus 1 Tim. 1. Respondeo, Pauli hanc esse sententiam: Hymenaeum et Philetum, quo tempore adhuc occulti erant haeretici, in Ecclesia quodammodo fuisse, velut in magna domo vasa contumeliae, donec per manifestam haeresim inde recederent, aut excommunicatione pellerentur: ac de ea re, quod nimirum mali, imo et haeretici quidam sint in Ecclesia, nos mirari non debere. Potest etiam responderi, non tam propter Hymenaeum et Philetum adductam ab Apostolo similitu-

dinem magnae domus; quam propter alios, quorum fidem ab illis subversam dixit. Hi enim aut spe correctionis, si non essent pertinaces, aut quod nondum essent satis manifesti, poterant adhuc in Ecclesia tolerari.

21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem. Ab istis,* quo referendum sit, variant interpretes. Graeci referunt ad vasa lignea et testacea; confundentes ea, quemadmodum supra dictum est, cum vasis quae sunt in contumeliam; ut sit sensus: Si quis a malis hominibus, id est ab eorum vitiis, velut sordibus quibusdam, sese purgaverit; erit vas in Ecclesia preciosum et honorificum. Sed notandum est, non dicere Apostolum, erit vas aureum et argenteum; sed vas in honorem: ut vel hinc conjicias, ista Apostolo non esse eadem. Alii pronomen, *istis,* ad haereticos referunt, quales erant Hymenaeus et Philetus, quorum sermonem dixit ut cancerem serpere, ut hoc etiam loco videatur Apostolus alludere ad historiam Num. 16., ubi praecipitur universo populo, ut separetur a tabernaculis impiorum.

Atqui Cajetanus ad profana inaniloquia refert: quod certe verisimilius est. Vix enim usus loquendi patitur, ut quis ab hominibus expurgare se dicatur: usitatissimus autem sermo, a vitiis sese emundare. Quare sensus est: Quicunque purum sese praestiterit a profanis haereticorum doctrinis caeterisque vitiis; nam in specie genus intelligitur, idque perseveranter fecerit: *erit vas in honorem,* id est, assumetur ad usum honorificum, quia consequetur honorem gloriae coelestis, ad quam erat praedestinatus. Hac enim parte Apostolus praedestinationem, per *vas honoris* significatam, pro effectu posuit, eoque praecipuo, id est vita aeterna; quam et Rom. 2. nomine *gloriae et honoris* expressit. Qua metonymia utitur etiam Ecclesia, quando Deum orat, ut *nos in electorum suorum jubeat grege numerari;* utque *nomina omnium fidelium beatae praedestinationis liber adscripta retineat.* Petit enim, ut ad salutem aeternam perducantur; quae praedestinationis est effectus. Unde male ex hoc loco nonnulli probare nituntur, praedestinationem esse ex operum praevisione. Non enim aliud hic innuitur, quam praedestinationis effectus ita inter se esse coordinatos, ut prior posterioris sit meritum, et posterior merces prioris.

Sanctificatum et utile Domino. Quidam continuo legunt, *erit vas in honorem sanctificatum,* minus recte. Nam Apostolus hic et alibi absolute nominat vasa in honorem et in contumeliam. Igitur post illud, *honorem,* hypostigme ponenda; quasi dicat, *erit vas in honorem,* utpote *sanctificatum et utile Domino.* Videtur enim dativus *Domino,* referendus ad utrumque nominativum praecedentem. *Sanctificatum Domino,* quia expurgatum a sordibus vitiorum et per hoc Deo consecratum. *Utile autem Domino,* non quod Deo proprie utilitatem aliquam adferat (neque enim boni quicquam Deo potest accedere), sed quia *usibus Domini sit accommodum.* Sic enim ex Graeco vertunt alii. *Dominum,* videtur Christum intelligere. Is enim est Dominus ac herus (δεσπότῃ est Graece) hujus magnae domus; cujus omnia vasa usibus ejus serviunt. Quanquam hac parte quod ait, *utile Domino,* id est accommodum usibus Domini, non quomodocunque vult intelligi (siquidem Deus etiam malis utitur), sed per opera bona, quibus et suae et aliorum saluti ac necessitati ad Dei gloriam subserviant. Hoc enim sequitur.

Ad omne opus bonum paratum. Alii vertunt, *praeparatum.* Non quod in Graeco sit praepositio; sed ut liqueat, *paratum* non esse nomen, sed participium, nec significari promptum, sed a Domino paratum et adornatum in hunc usum. *Paeparat* autem *Dominus hominem ad omne opus bonum,* id est ad sanctam in operibus bonis conversationem: praeparat, inquam, vel per gratiam singula bona opera praevenientem: *Quid enim habes quod non accepisti?* 1 Cor. 4., vel, quod magis habet apostolica

phrasis, per aeternam praedestinationem. *Creati*, inquit, *in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Ephes. 2. Quo sensu etiam Rom. 9. dicitur vasa misericordiae praeparasse in gloriam, scilicet ab aeterno. Sicut enim gratiam et gloriam dat in tempore, juxta illud Psal. 83. *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* ita utramque dandam ab aeterno praeparavit. Ex his autem facile potest intelligi, quomodo locus hic non adversetur praecepto Salvatoris jubentis, ut *etiam postquam fecerimus omnia, quae praecepta nobis sunt,* dicamus: *Servi inutiles sumus* Luc. 17. Nam utique ex nobis ipsis inutiles sumus, idque semper agnoscere debemus; sed utiles per gratiam Dei nos ad omne opus bonum praeparantis.

22. *Juvenilia autem desideria fuge.* Redit ad exhortationem Timothei, monetque eum tanquam juvenem, ut juveniles concupiscentias atque affectus fugiat. Quod praeceptum etsi generale sit ac videri possit ad desideria libidinum ac voluptatum carnis fugienda potissimum spectare, quod iis aetas juvenilis ut plurimum esse soleat obnoxia: si tamen et personam Timothei, qui abstinentissimus erat et praesentis loci circumstantiam attendamus; magis apparebit, Apostolum respicere ad vitia quaedam animi, velut superbiam, animositatem, contentionem, inanem gloriam, temeritatem atque immodestiam; quibus laborare solent juvenes, qui aut praesunt aliis, aut docendi ac disputandi munus susceperunt; qualis erat Timotheus episcopus. Id etiam apparet ex subjunctis virtutibus, quas juvenilibus desideriis opponit.

Sectare vero justitiam, fidem, charitatem. Justitiam, quae neminem laedit, sed unicuique quod suum est tribuit. *Fidem*, quae sine curiosa disquisitione recipit mysteria a Deo revelata. *Charitatem*, quae non aemulatur, non inflatur, non est ambitiosa, nec quae sua sunt quaerit, sed quae aliorum.

Et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. Id est cum veris Dei cultoribus. Nam Deum invocare cum puritate et sinceritate animi, praecipua pars est cultus divini. Non, inquit, moneo, ut cum Hymenaeo et Phileto et id genus hominibus amicitiam jungas, aut pacem habeas. Debent enim, qui tales sunt, episcopum sentire moribus ac doctrinis suis adversarium: sed iis amicum et pacatum te praesta, qui Deum pure colunt. Hic objiciet aliquis illud Psal. 119. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus,* et illud Apostoli Hebr. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.* Verum nulla est repugnantia. Nam hujusmodi generales sententiae ex alio loco Apostoli exponendae sunt, hoc modo: *quantum in me* et *quantum in vobis.* Ita enim scribit ad Rom. 12. *Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Sciendum quoque, sicut admonent B. Thomas et Cajetanus, hanc partem, *cum iis qui invocant* etc. construi posse cum verbo, *sectare;* ut hic sit sensus: Tu virtutes istas sectare cum iis, qui sincere Deum invocant. Sunt enim virtutes omnibus piis communes. Haec constructio probabilis est et secundum eam cessat objectio allata.

23. *Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita.* Graece, *rejice.* Quodque interpres vertit, *sine disciplina,* Graece est, *indisciplinatas,* quod Latinius apud Ambrosianum legitur, *ineruditas.* Vocat autem Apostolus *stultas et ineruditas quaestiones,* ex quibus ad veram sapientiam et Christianam doctrinam nulla fit accessio. Quas proinde velut inutiles, ineptas et frivolas respui vult ab episcopo, ut eas neque ipse agitet, neque ab aliis agitari sinat. Quamquam videri potest Apostolus etiam ad insanas et monstrosas quaestiones respicere, quas plurimas parturiebat schola Simonis.

Sciens quia generant lites. Graece μάχας, *pugnas,* scilicet verborum, quas nimirum cap. 6. prioris epist. composita dictione λογομαχίας appellavit. Una quidem causa fugiendi stultas et indiscipli-

natas quaestiones, quod sint inutiles. Sed altera gravior, quod rixas et contentiones pariant, non sine dispendio pacis et charitatis Christianae. Sic enim fere comparatum est, ut majoribus animis et ardentiori studio digladientur homines de iis, quae minus ad pietatem habent momenti.

24. *Servum autem Domini non oportet litigare.* Graece, *pugnare.* Sed sensum expressit interpres. Qui enim litigat, verbis pugnat. Non hic disputatio dialectica damnatur; sed vitia male et non dialectice disputantium corriguntur, ut sunt rixae, contentiones, maledicta. Alioquin ipse Paulus saepe cum Judaeis et gentilibus disputavit, ut ex Actis et Epistolis ejus manifestum est. Quin et in praesenti instructione Timothei valde dialectice procedit. Sic enim argumentatur: Stultae et indisciplinatae quaestiones pariunt lites; at servum Domini non oportet litigare; ergo tibi servo Domini fugiendum est id genus quaestionum. Et propositionem quidem ab experientia manifestam relinquit. Assumptio vero tacitam sui probationem includit, eamque hujusmodi: Servum oportet imitari Dominum suum. Atqui Dominus non est dissensionis Deus, sed pacis 1 Cor. 14., ergo servum ejus alienum esse oportet a dissidiis, pugnisque verborum. Per *Dominum* hic et in superioribus nihil vetat Christum intelligi; quem apostolicae scripturae passim *Dominum nostrum* vocitant, ut et nos ejus servos, videlicet jure redemptionis; tametsi Timotheum servum Domini vocat Apostolus non ea generali significatione, sed quod esset Christi minister in tradenda Evangelii doctrina et mysteriis dispensandis. Quod episcopis et pastoribus proprium est; secundum illud 1 Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Patet hoc ipsum ex iis conditionibus seu virtutibus, quas consequenter a servo Domini exigit.

Sed mansuetum esse ad omnes. Graece, ἤπιον, id est *lenem, placidum, humanum erga omnes.* Convenit hoc cum eo, quod posuit inter virtutes episcopi, 1 Tim. 3. *Non percussorem, non litigiosum, sed modestum.* Quod ait, *ad omnes,* intellige quantum ad animi praeparationem attinet. Nam etsi mansuetudo semper animo retinenda est; non semper tamen et ubique opere declaranda; sed tempore et loco opportunis. Est enim, cum episcopus arguere quosdam debet cum imperio et dure increpare Tit. 1. et 2., idque exemplo Christi ac Prophetarum et Apostolorum ejus, qui in homines criminosos et hypocritas interdum acerbissimis sermonibus invecti leguntur.

Docibilem. Graece διδακτικόν, id est idoneum ac promptum ad docendum, quique docere malit quam cogere. Vox eadem, quam 1 Tim. 3. vertit doctorem. Quare qui docibilem passive interpretantur, id est, eum qui doceri paratus est, sive quemadmodum Cyprianus exponit in epist. ad Pompejanum, qui est ad discendi patientiam lenis et mitis, manifeste falluntur. Quanquam oportet, ut ibidem bene monet Cyprianus, *episcopum non tantum docere, sed et discere: quia et ille melius docet, qui quotidie crescit et proficit, discendo meliora.* Quod et Augustinus ex Cypriano commemorat, laudatque lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 26.

Patientem. Graece ἀνεξίκακον, id est tolerantem malorum, quod aliqui de rebus interpretantur, ut scilicet adversitates et persecutiones patienter ac forti animo ferat. Alii ad personas referunt, hoc modo: tolerantem homines malos et improbos; non ita quidem, ut eorum vitia palpet episcopus aut dissimulet; laudatur enim angelus Ephesi, quod malos sustinere non posset Apoc. 2.; sed ut eos, quamvis a veritate aversos ac protervos, mansuetudine vincat, si qua spes sit eorum salutis. Huic sensui plane congruunt sequentia.

25. *Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Dativus, *veritati,* additus est vel ab interprete, vel potius a scribis, quod videretur aliquid tale deesse, aut certe assutus ex capite sequenti, ubi dicitur: *ita et hi resistunt*

veritati. Nam Graeca et Syriaca non agnoscunt, uti nec Graeci commentatores et inter Latinos Ambrosii titulum habens, aliique nonnulli. In multis etiam MSS. Bibliorum codicibus non legitur. Ambrosianus ita legit: *Modeste corrigentem eos, qui diversa sentiunt.* Similiter et Augustinus indicat se legisse libr. de corrept. et gratia cap. 5. Verus Ambrosius libr. 2. de Abraham cap. 6. *Cum modestia corrigentem eos qui resistunt: ne quando* etc. Graeca sic ad verbum: *In mansuetudine erudientem* sive *corripientem* (nam utrumque significat verbum Graecum) *eos, qui contrario affecti sunt animo.* Videtur autem huic loco potius quadrare, *erudientem.* Prius enim docendus est et errati convincendus, qui veritatem adhuc ignorat, quam corripiendus, ut poenitentiam agat. Vult ergo Apostolus episcopum esse talem, qui doctrinae ipsius adversantes aut diversa sentientes non statim repellat, aut asperioribus verbis excipiat; sed cum mansuetudine doctrinam impendat iis salutarem, adhibita etiam correptione paterna; ex qua intelligant, episcopum ex animo studere ipsorum emendationi et saluti.

Ne quando det illis Dominus poenitentiam. Pro, *ne quando*, melius diceretur, *si quando;* quemadmodum habet textus comment. Ambrosiani. Siquidem eam vim nonnunquam habet Graecum μήποτε. Et huic quidem loco negatio prorsus non convenit. Vult enim Apostolus eos, qui resistunt, cum modestia corripi, ob spem conversionis eorum, tametsi non admodum adhuc apparentis. Hoc est quod ait: *Si quando,* vel *si forte det iis Deus poenitentiam,* quasi dicat: Etsi vix sperari potest eorum conversio, propterea quod in errore videantur obfirmati: tentandum est tamen, si forte per doctrinam et correptionem adhibitam foris sicut oportet, Deus in cordibus eorum operari dignetur, fidem ac poenitentiam inspirando.

Primum hinc ostenditur, poenitentiam seu conversionem peccatoris esse donum et opus Dei. Quod quidem a Graecis expositoribus Chrysostomo, Theophylacto et Oecumenio diligenter annotatum est. Deinde docet hic locus, Deum ad convertendum peccatores uti velle opera hominum, qui externum adhibeant ministerium correptionis et doctrinae, quod totum tamen, quantumcunque docte et commode fiat, frustra fit et sine fructu, si Deus per gratiam suam intus non operetur: ut pulcre docet Augustinus loco citato de correptione et gratia, cap. 5.

Ad cognoscendam veritatem. Graece, *ad agnitionem veritatis.* Non hoc dicit, quasi poenitentia praecedat agnitionem veritatis; prior est enim in hominis justificatione fides quam poenitentia: sed sensus est: Siquando det illis Deus, ut agant poenitentiam cognita veritate. Poenitentiam intellige de errore et infidelitate, qua detinebantur.

26. *Et resipiscant a diaboli laqueis.* Verbum Graecum proprie significat: *redire ad sobrietatem,* verum frequenter ad animum transfertur, ut idem sit quod *ad sanam mentem redire;* quemadmodum vertit Hentenius. Haec pars ex praecedenti certissime consequitur, argumento a relatis. Nam sicut fieri non potest, ut Deo movente, res non moveatur; ita nec fieri potest, ut Deo dante poenitentiam, homo eam non accipiat. Id autem est *resipiscere.* Quod vero addit, *a diaboli laqueo:* vel ut in Graeco est, *e diaboli laqueo;* significat hominem in potestate diaboli teneri, donec Deo poenitentiam dante resipiscat. Unde sequitur:

A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Quidam codices habent *capti.* Quibus adstipulantur Ambrosianus et Primasius. Idque Graeco textui consentaneum est, qui sic habet: *Capti ab eo ad illius voluntatem.* Sed sciendum est, Graecum participium non simpliciter significare *captos,* sed *vivos captos,* ac proprie dici de feris, quae venatu coguntur in laqueos aut retia, ut vivae in manus veniant: ita diabolus suarum tentationum laqueis homines vivos capit, neque enim occidere permittitur, et captivos tenet sub sua potestate, quia: *qui facit*

peccatum servus est peccati, cujus regnum penes diabolum est. Neque potest ab ea captivitate liberari, nisi fortior superveniens, id est Christus Dominus, per suam gratiam solvat eum, et eripiat.

Sed dicet aliquis: Si captivi tenentur peccatores ad voluntatem diaboli, quomodo contra ejus voluntatem solvuntur a Christo? Item, si ad voluntatem diaboli in peccato tenentur, quomodo remanet in eis liberum arbitrium? Denique, quomodo non in omni opere peccant, cum diaboli voluntas non sit nisi ad peccatum? Responderi potest, eos, de quibus Apostolus loquitur, non ita captivos a diabolo teneri ad ejus voluntatem, ut quidquid vult, faciant et eo renitente liberari non possint, sed quia dum captivi sunt, ejus voluntati obsequuntur proficiendo de peccato in peccatum, licet ei non obsequantur in omnibus; quandoquidem nec qui Deo serviunt, omnia faciunt ad ejus voluntatem. Nam *in multis offendimus omnes.* Caeterum verior et expeditior responsio, in verbis Apostoli non diaboli, sed Dei voluntatem intelligi. Sensus enim est: illos veritatis adversarios a diabolo teneri captivos, ad Dei voluntatem, id est quamdiu Deus voluerit, cujus voluntati nec diabolus resistere potest: ideoque cum modestia corripiendos esse, si forte Deus misereatur et poenitentiam illis inspiret ac vinculum durae captivitatis solvat. Hunc sensum plane confirmat, quod in Graeco non est αὐτοῦ, *ipsius,* sed ἐκείνου, *illius,* quae demonstratio non ad proximum referenda est, sed ad remotum, maxime ex usu Graeci pronominis. Atque ita Theophylactus exponit, licet etiam alterius sensus meminerit. In eandem sententiam citat hunc Apostoli locum Gelasius Papa in Epistola ad episcopos Picenos scripta, dum loco ejus: *ad ipsius voluntatem,* ponit haec verba: *sententia divini judicii.* Pertinet enim ad justum Dei judicium, quod peccatores sive ad tempus sive in perpetuum captivi relinquantur sub potestate diaboli.

CAPUT TERTIUM.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa [1]): 2. erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti [2]), 3. sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, 4. proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quam Dei; 5. habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes [3]). Et hos devita: 6. ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis: 7. semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes [4]). 8. Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Mosi [5]): ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, 9. sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit [6]). 10. Tu autem assecutus es [7]) meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11. persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiae [8]), Iconii [9]), et

---

[1]) 1 Tim. 4, 1. [2]) Vers. 3.—5. Luc. 17, 26.—30. [3]) 1 Tim. 1, 5. [4]) 1 Cor. 8, 2. 3. [5]) 2 Mos. 7, 11. 22. [6]) 2 Mos. 9, 18. [7]) Hebr. 13, 7. [8]) Act. 13, 14. 45. 50. [9]) Act. 14, 1. 5.

Lystris[1]): quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. 12. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur[2]). 13. Mali autem homines, et seductores, proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes. 14. Tu vero permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi: sciens, a quo[3]) didiceris. 15. Et quia ab infantia[4]) sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu. 16. Omnis scriptura divinitus inspirata[5]) utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: 17. ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Praedicit exorituros falsos et impios Doctores, a quibus admonet cavendum. Hortatur Timotheum, ut quam ipse ei tradiderat doctrinam servet, et ut sacris literis det operam.

1. *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Prophetia est apostolica, spectans eodem quo superiora. Nam ne Timotheus seu quisquam alius miretur aut offendatur, quod in Ecclesia mali, improbi, hypocritae multiplicentur, praemonet hoc ipsum futurum. Non enim de iis, qui plane foris sunt, loquitur, sed de iis, qui saltem externa professione in ipsa Ecclesia sint futuri, ut ex sequentibus est manifestum. *Dies novissimos,* sive ut alii vertunt *extremos,* Hebraea phrasi vocat non eos solum, qui futuri sunt in fine saeculi, sed in genere tempus futurum, sive brevi, sive in longinquum. Nam quod hic praedicitur, etiam ad Pauli et Timothei tempora pertinet, dicit enim Timotheo: *et hos devita.* Sed et alia subjicit, quae probant, dies illos non longe abesse. Qua de re nonnulla jam diximus ad illud 1. epist. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam a fide.* Ut autem Hebraismum subesse intelligas, ita Jacob ad filios suos Genes. 49. *Congregamini,* inquit, *ut annuntiem, quae ventura sunt vobis in diebus novissimis;* ubi tamen multa praedicat, quae longe ante Christi adventum impleta sunt. Item Daniel ad regem Nabuchodonosor: *Est,* inquit, *Deus in coelo revelans mysteria, qui indicavit tibi, quae ventura sunt in novissimis temporibus,* Dan. 2. Quod tandem repetit his verbis: *Deus magnus ostendit regi, quae ventura sunt postea.* Ita Luc. 14. *Incipies cum rubore novissimum locum tenere.* Vide, quae diximus ad illud 1 Cor. 15. *Novissimus Adam in spiritum vivificantem.*

Tempora periculosa Graece καιροὶ χαλεποὶ, *tempora dura, acerba, difficilia.* His enim modis vertunt alii interpretes. Tribuuntur autem tempori istiusmodi epitheta metonymice propter ea, quae in tempore contingunt, maxime propter hominum mores ac studia. Sensus est: Ut ne turberis, quum vides errorum magistros, qualesHymenaeus et Philetus, suboriri in Ecclesia, in universum scire te volo, periculosa et pessima tempora instare. Id declarat verbis sequentibus, quibus corruptissimos hominum quorumdam in Ecclesia mores futuros describit, eo quidem ordine, ut prius agat de malis in genere, deinde de falsis doctoribus.

2. *Et erunt homines seipsos amantes.* Graece: *Erunt enim homines,* φίλαυτοι, id est *amantes sui.* Hoc vitium primo

---

[1]) Act. 14, 6. 7. 19. [2]) Act. 14, 22. [3]) Cap. 1, 13. 2, 2. [4]) Cap. 1, 5. [5]) 2 Pet. 1, 19.—21.

loco ponit, quia caeterorum fons est et origo. Quod non solum Augustinus in opere de civitate Dei graviter testatum reliquit, statim in principio, verum etiam Plato philosophus censuit. Non quidem simpliciter vituperabile est seipsum amare, quin vero jubetur quisque diligere proximum sicut seipsum. Amat enim, qui bene cuiquam vult et bene facit; hoc inprimis sibi quisque debet, deinde proximo. Sed *sui amantes* hic dicuntur, quos alibi vocat quaerentes, quae sua sunt, id est eos, qui privatis student commodis, posthabita salute et utilitate aliorum. Unde Ambrosianus legit cum exclusione: *sui tantum amatores.*

Quidam exponunt de amantibus seipsos secundum exteriorem hominem, id est secundum vitam sensitivam, sed praeter mentem Scripturae, quae amantes seipsos et quaerentes, quae sua sunt, opponit quaerentibus ea, quae sunt aliorum et quae Jesu Christi. Quare phrasis haec exponenda est, sicut dixi, de amore inordinato, quo bona privata communibus anteponuntur, quemadmodum et Augustinus in regula exponit illud 1 Cor. 13. *Charitas non quaerit, quae sua sunt.* Adde, quod amor iste perversus saepe non est secundum vitam sensitivam, ut in diabolo, qui propriam gloriam quaerit, et in homine, quatenus hac in re diabolum imitatur. Nam superbiae vitium completur in interiori homine. Denique, seipsum amare secundum vitam sensitivam non est malum, nisi fiat inordinate.

Cupidi. Graece φιλάργυροι, id est amantes pecuniarum, uno vocabulo *avari. Elati, superbi.* Pro *elatis* Ambrosianus *insolentes* legit. Graeca vox significat fastuosos, arrogantes, jactabundos. Itaque differunt haec duo, quae Apostolus conjunxit tam hoc loco quam Rom. 1., quod alterum sit alterius causa. Nam a superbia latente in animo, procedit fastus et arrogantia in verbis et moribus externis. *Blasphemi,* Latine *maledici* seu *contumeliosi.* Hoc quamvis multi exponant de maledictis in Deum prolatis, Graeci tamen vocabuli significatum generale est, etiam in Scripturis, quod et alibi admonuimus. Nota sunt autem haereticorum insana maledicta et contumeliae in Catholicos.

Parentibus non obedientes. Graece ἀπειθεῖς, *insuasibiles.* Quod hoc loco recte vertunt: *inobedientes, immorigeri.* Interim ex specie genus colligendum est. Huc enim pertinent quicunque praefectis suis qualibuscunque, modo veris, obedire detrectant. Id quod Syriaca versio significat: *Hominibus suis non obtemperantes.* Idem vitium habes inter ea, quae commemorantur Rom. 1.

Ingrati. Vel hinc conjicere licet, quam grave sit vitium ingratitudo, quod eam Paulus annumeret iis peccatis, quae reddunt tempora periculosa.

Scelesti. Graece ἀνόσιοι, id est *profani, nefarii,* sive ut habet Ambrosianus *impii.* Ita Graecis vocantur, qui recti et sancti nullam habent rationem, quo minus audeant quaelibet mala perpetrare.

3. *Sine affectione, sine pace.* Haec duo quoque vitia ad Rom. 1. recenset Apostolus et conjungit. *Sine affectione,* Graece ἄστοργοι, qui nullo tanguntur affectu amoris ergo proximos, ne eos quidem, ad quos amandos maxime natura solet incitare, ut parentes, liberos, uxorem, cognatos. *Sine pace,* Graece ἄσπονδοι, quod ad Rom. dixit interpres *sine foedere,* vel ii dicuntur, qui pacta non servant, id est foedifragi, perfidi; unde Ambrosianus legit *sine fide;* vel qui sunt implacabiles, nec reconciliationem admittunt. Utrumque vox Graeca significat.

Criminatores. Graece διάβολοι, id est *calumniatores,* qui mendaciis et confictis criminibus aliorum innocentiam vexant. Ab hoc vitio cacodaemonum princeps nomen accepit.

Incontinentes. Alii vertunt *intemperantes.* Verum Aristoteles lib. 7. Moral. cap. 1. et sequentibus inter incontinentem et intemperantem, quod ad Graeca vocabula attinet, distinguit; quod incontinens vincitur a vehementia passionum, intemperans peccat ex habitu, ideoque pejor est incontinente. Sed cum Philosophus

ipse fateatur, illa duo saepe confundi: recte cum Chrysostomo eos hic intelligimus generatim significari, qui in quodcunque genus carnalium voluptatum sese effundunt, sive consuetudine id faciant, sive a passionibus superati.

Immites. Graeca vox etiam significat inhumanos et feros, bestiarum more. *Sine benignitate,* Graece ἀφιλάγαθοι, quasi dicat: non amici bonis; pro quo Ambrosianus *bonorum inimici.* Syrus *bonorum osores.* Quibusdam placet per liptoten significari omnium bonorum hostes, sive ad personas referatur, quod noster fecit interpres, sive ad res et opera, juxta illud Tit. 1. *ad omne bonum opus reprobi.* Tametsi de personis probabilius accipitur, ut ii significentur, qui ob morum discrepantiam abhorrent ab amicitia bonorum eosque oderunt. Vide, quae dicimus in illud Tit. 1. *Benignum,* Graece φιλάγαθον.

4. *Proditores.* Graeci interpretantur *amicitiae desertores.* Quo in genere pessimi sunt, qui instar Judae proditoris amicos ac bene meritos periculis vitae objiciunt.

Protervi. Graece προπετεῖς, *praecipites* sive *temerarii,* qui feruntur, quocunque rapit impetus cupiditatum. Quanquam etiam protervi Graeco vocabulo significantur. *Tumidi,* id est *inflati prae superbia.* Significantur ii, qui sibi placent et alios despiciunt, propter opinionem excellentiae, quam de seipsis animo conceperunt.

Et voluptatum amatores magis quam Dei. Graeca jucundius sonant, propter respondentes sibi compositas dictiones. Erasmus ita reddit: *Et voluptatum amantes potius quam amantes Dei.* Faciunt id, quicunque suis voluptatibus Dei voluntatem et praecepta postponunt. Peculiariter autem id quadrat in familiam Simonis, turpitudine voluptatum infamem. Certe Epiphanius in haeresi 26. affirmat haec ab Apostolo dicta propter Gnosticos. Nam ii quamvis hoc nomen postea sibi imposuerunt, tamen similia cum Simone docuerunt. Incipit enim nunc Apostolus descendere ad depingendos eorum mores, qui falsa docturi erant.

5. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Graece *inficiati.* Est enim praeteriti temporis participium. Alii sic vertunt: *Sed qui virtutem ejus abnegarint. Virtutem* autem seu *vim* dixit pro veritate. Nam veritas naturae rei cujusque ex vi et operatione deprehenditur. Porro quod nos habemus: *speciem,* Graece est μόρφωσιν, *formationem.* Ambrosianus legit *formam.* Quod quidem plerique, tam Graeci quam Latini, de specie, imagine, similitudine pietatis velut contra hypocritas dictum interpretantur, prout nostra versio sonat, ut sensus sit: Verbis et cultu prae se ferunt pietatem, quam in veritate non habent, imo a qua sunt usque adeo alieni, ut abnegasse eam et abjurasse videantur; haud secus atque statua lignea aut lapidea figuram habet hominis aut leonis, cum reipsa nihil sit minus quam verum animal.

At vero, si Graecam vocem pressius urgeamus, quae non *figuram* aut *speciem,* sed ut dixi, *formationem* significat; videbitur Apostolus eos notare, qui quid factu opus sit, pulcre aliis praescribunt, cum ipsi minime ea praestent juxta id, quod Dominus dicit de Scribis et Parisaeis Matth. 23. *Dicunt et non faciunt.* Et iterum: *Digito autem suo nolunt ea movere.* Nam μόρφωσις apud Graecos significat instituendi formandique rationem, ut quum praeceptor discipulo praescribit, quemadmodum loqui aut gerere se debeat. Qua significatione idem Apostolus eam vocem usurpavit Rom. 2., sic Judaeum legisperitum compellans: *Confidis teipsum esse eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege.* Hanc enim Scripturam etiam Chrysostomus et Theophylactus huc adducunt, ut eam, quam dixi, probent illius vocabuli significationem, licet eam putent praesenti loco non convenire.

Et hos devita. Graece ἀποτρέπου, id est, *aversare;* verbum diversum ab eo,

quod alibi vertit *devita*, tametsi vicinae significationis. Ostendit haec admonitio, Paulum ita loqui de futuris temporibus, ut tamen jam tum ipsius aetate genus hoc hominum, quale depingit, non omnino defuturum, imo nec deesse, ostendat. Alioqui nihil attinebat Timotheo praecipere, ut eos aversaretur. Quaeres, quomodo praeceptum hoc non pugnet cum doctrina superioris capitis, ubi servum Dei vult esse διδακτικὸν, et *cum modestia corripientem etiam eos, qui resistunt*. Id enim, qui facit, non aversatur. Respondeo, Paulum hoc praecepto non excludere correptionem praeviam; est enim hic locus ex alio interpretandus, ubi ait: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita,* Tit. 3. Ubi et rationem praecepti subjungit: *Sciens,* inquit, *quia subversus est* etc. Quae ratio etiam huc transferenda est. Neque enim existimaverim idcirco praeceptum hoc dari Timotheo, ne colloquiis eorum inficeretur, sed ob causam cum Tito communem, quam dixi.

6. *Ex his enim sunt, qui penetrant domos.* Graece: *Qui subeunt domos* seu *familias.* Ambrosianus: *Qui irrepunt in domos.* Notatur eorum impudentia, qui callide sese insinuant et ingerunt in alienas familias ventris causa, quos et ad Tit. 1. designavit his verbis: *Qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.* Erant autem ii potissimum ex Judaeis, ut ibidem dicitur. Est et hic notandum, de re praesenti loqui Apostolum: *sunt, qui penetrant.* Idem ex sequentibus patet.

Et captivas ducunt mulierculas. Id est, doctrinis suis faciunt eas sibi tam obnoxias, ut velut captivas quolibet ducere videantur. Nam se eis venditant, ut doctores; quo titulo, simul et verborum blanditiis ac lenociniis, facile sibi auctoritatem parant apud sexum judicio ac ratione minus valentem. Qua quidem in re serpentis antiqui sunt imitatores; qui tentationis initium fecit a muliere, nec tamen dicit *mulieres;* sed diminutive, *mulierculas;* ut de iis se loqui significet, quae in genere mulierum leviores sunt et inconstantiores. Confer sanctum Irenaeum lib. 1. cap. 9.

Oneratas peccatis. Graece, *cumulatas peccatis,* quemadmodum vertit Theophylacti interpres, hoc est, magno peccatorum acervo gravatas ac depressas. Latere videtur Hebraismus, quo multitudo peccatorum, velut in fascem colligata et cervici imposita, dicitur hominem deprimere; propter gravitatem poenae imminentis a Deo. Sic Threnorum 1. loquitur Jerusalem: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu Dei convolutae sunt, et impositae collo meo.* Caeterum *peccatis oneratas* intellige, vel ab ipsis errorum magistris, quod scilicet eas doctrina sua et consuetudine corruperint, uti Cajetanus exponit: vel a seipsis, quod nimirum jam ante, tametsi Christum professae, vitam egissent inquietam et inhonestam, multisque peccatis, praesertim carnalibus, inquinatam; et per hoc opportunas sese reddidissent imposturis haereticorum. Nam a mala conscientia ad fidei naufragium proclivis est gradus, 1 Tim. 1. et, ut ait S. Thomas, peccata viam parant seductioni. Quae res etiam hodie nimium multis exemplis comprobatur. Hunc posteriorem sensum Chrysostomus ejusque sequaces tradunt; quasi dicat Apostolus: Mulieres peccatis onustas adeo non exonerant et a peccatis liberant, quamvis id promittant; ut etiam captivas ducant, ac majori servitute gravent.

Quae ducuntur variis desideriis. Quae ducuntur, Graece ἀγόμενα, *quae aguntur.* Annotant enim Graeci interpretes, Apostolum uti verbo agendi, tanquam loquatur de brutis animalibus, quae ratione carent, et proinde aguntur potius quam agunt. Sic enim mulierculas variis affectibus, quos moderari nequeunt, impelli ad varia peccata.

7. *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Graece, *venire valentes.* Liquet autem ex Graeco, partem hanc non ad magistros, ut Latini quidam exponunt, sed ad mulierculas, esse referendam: quas dicit semper

discere, nec tamen unquam veritatis notitiam assequi posse: quia hoc demum discebant quod docebantur, magistri vero earum non vera docebant sed falsa, superstitiosa et impia. Quare ipsae eorum discipulae non veritatem hauriebant, sed errores. Aut certe significat, eas, quamvis semper discendi cupidas, idcirco non pertingere ad notitiam veritatis, quae ad salutem ducit; quod non contentae doctrina ab Apostolis accepta, prae curiositate et instabilitate animi semper nova quaererent, eaque suis desideriis accommoda: videlicet facientes id, quod sequenti capite de similibus dicitur: *Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Eos enim, qui tali modo sunt affecti, quantumvis discere velle videantur, impossibile est ad scientiam salutiferae veritatis pervenire.

8. *Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Mosi.* In Graeco et Syro non *Mambres,* sed *Jambres* legitur. At nostrae lectioni suffragatur Thalmud Hebraeorum in tract. de oblationibus, et ex Hebraeorum Rabbinis R. Nathan, Genebrardo citante lib. 1. Chronologiae. Apud Hieronymum vero in Hebraicorum nominum interpretatione, legimus utrumque expositum, *Jambres* et *Mambres:* et quidem eodem modo, quasi inter haec nomina nihil interesset. Porro Jannes et Mambres magi fuerunt Pharaonis, iidemque magorum principes; et quidem fratres, ut opinatur Ambrosianus; qui Mosi et Aaroni fratribus admirabilia signa coram Pharaone edentibus restiterunt, similia quaedam arte magica patrantes: donec in tertio signo victi succumberent: ut scribitur Exod. 7. et 8. Horum magorum nomina cum non inveniantur sacris literis prodita; non aliunde quam ex traditione Paulus accepisse putandus est. Quod enim dicunt quidam, Apostolum ea ex Spiritu sancto revelante habuisse; non est probabile, cum non magnopere referret magorum nomina nosse. Sed ea recitanda putavit; quia Timotheo scribebat Judaeo, qui cum sacris literis etiam traditiones non scriptas Hebraeorum didicerat.

Docet igitur hic locus, etiam antiquitus apud Judaeos exstitisse, extra scripturam sacram, veras quasdam et a piis agnitas atque receptas traditiones. Quo magis Ecclesiae fides habenda est, dum a Christo vel Apostolis acceptas traditiones in medium profert. Quod vero de his duobus magis narrat Palladius in Lausiaca sua historia, in vita S. Macarii Abbatis, eos sibi in Aegypto sumptuosum et mirabile sepulcrum exstruxisse, ad quod videndum S. Macarius Alexandrinus itinere longissimo ac difficillimo, daemonibus invitis, aliquando accesserit: fabulosum arbitramur, ut alia nonnulla ejusdem historiae. Repetit autem Apostolus ab antiquitate exemplum; ut doceat non esse mirandum, si nunc contradictores patiantur veri doctores veritatis, cum etiam Moses et prophetae quondam suos passi fuerint adversarios. Idipsum et Petrus admonet 2 Epist. 2. *Fuerunt,* inquit, *et pseudoprophetae in populo: sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.*

Ita et hi resistunt veritati. Non dicit, *resistunt nobis;* quamvis dixisset, *restiterunt Mosi,* sed *resistunt veritati,* scilicet Evangelicae; quia resistentia eorum et pugna non tam est contra homines veritatem praedicantes, quam contra veritatem ipsam, quam ii praedicant: et proinde contra Deum, quo revelante et jubente praedicatur. Unde et Moses populo murmuranti dicebat: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Exod. 16. Obiter adverte, Graecum verbum, quod hoc loco propriissime vertit interpres, *restiterunt* et *resistunt,* diversum esse ab eo, quo usus est Apostolus sub finem capitis praecedentis, ubi legebamus, *corripientem eos, qui resistunt.* Nam quod hoc loco legitur, vehementius est.

Homines corrupti mente. Id est, qui mentis judicium vitiosis affectibus corruptum habent ac depravatum. Sic in priori epist. cap. 6. dixit conflictiones hominum mente corruptorum.

Reprobi circa fidem. Ita vocantur eo quod viam ad fidem rectam et sanam corrupto mentis judicio et animi obstinatione sibi praecluserint: quomodo Tit. 1. quidam dicuntur: *ad omne opus bonum reprobi.* Nam et de mulierculis superius dixit ob similem causam, eas *ad scientiam veritatis nunquam posse pervenire.*

9. *Sed ultra non proficient.* Consolatio est Timothei et omnium veritatis praeconum; ne despondeant animum, quod tam graves patiantur adversarios. Non enim, inquit, proficient amplius, sed futurum est, ut eorum amentia, magno cum ipsorum pudore, manifesta fiat omnibus.

Hic statim quaestio occurrit. Nam superiori capite dixit, profanorum dogmatum auctores *multum profecturos ad impietatem,* utpote quorum sermo serpat ut cancer: et hic rursum paulo inferius: *Mali homines,* inquit, *et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes:* quomodo igitur id negat hoc loco, dicens: quod *non proficient ultra?* Sunt qui respondeant, ipsos quidem seductores in dies fore deteriores; non amplius tamen aliis nocituros: quod eorum insipientia sit omnibus manifestanda. Sed hanc solutionem Apostoli verba respuunt. Diserte enim addit, *et in errorem mittentes.* Alia responsio est, haec verba: *Sed ultra non proficient,* et quae sequuntur, ad diem judicii pertinere: tunc enim adeo non poterunt ultra proficere, ut etiam toti mundo eorum impietas patefiat; quando et Antichristum eorum principem Christus interfecturus est *spiritu oris sui,* 2 Thess. 2. Hanc solutionem B. Thomas indicat. Verum nec ea satis convenit; cum sit supervacaneum, dicere de malis magistris, quod tunc ultra non proficient, quando nec boni amplius proficere poterunt: erit enim illud retributionis tempus, non operis aut profectus. Cajetanus ita exponit: Sed non proficient amplius quam seducendo mulierculas; nam ad mulieres cordatas et ad viros malum hoc non progredietur. Alius quidam sic: Ultra non proficient in bonum, sed ibunt de errore in errorem. In quibus expositionibus refellendis nihil opus est immorari. Probabile est, Apostolum hac sententia non excludere omnem ulteriorem profectum decipiendi seu viros seu mulieres; sed significare velle, quod non ita proficient, quin a sinceris fidei doctoribus illorum errores et fraudes ita detegantur, ut passim et palam eorum insipientia traducatur; ac multi ab eis seducti agnito errore resipiscant; quantumvis interim alios atque alios veneno suae doctrinae pergant inficere. Haec responsio consentanea est Graecorum commentariis, atque ipsi experientiae.

Eodem ferme recidit, si dicamus, quod proficient quidem ratione contagii serpentis, ita nimirum ut multos seducant; non tamen adeo proficient, ut Ecclesiam evertant, ejusve regnum obscurent, et haereditatem Christi evacuent; quia *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Valent enim, sed non praevalent; premunt, sed non opprimunt; oppugnant, sed non expugnant. Itaque seductores proficiunt quidem, sed non ultra. Quamvis enim ea canceris sit natura, cui sermo haereticorum comparatur, ut semper ultra proserpat, donec totum corpus absumat; vis tamen illa canceris spiritualis divina virtute, quae ex promissione Christi assistit Ecclesiae usque ad consummationem saeculi, cohibetur, ne totum ejus corpus pervadat atque corrumpat. S. Cyprianus in lib. de Unit. Eccles. ita allegat: *Sed non proficient plurimum;* exprimens quod Graece legitur.

Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Graece ἄνοια, id est *amentia,* seu *dementia.* Sensum jam diximus; scilicet futurum, ut eorum errores et imposturae statim proferantur in apertum, et quam plurimis innotescant, non sine gravi eorum ignominia.

Sicut et illorum fuit. Scilicet magorum Jannae et Mambrae. Hi enim amentiae et imbecillitatis ter manifeste convicti leguntur. Primum quando virga Aaron devoravit virgas eorum. Exod. 7. Deinde, quando in tertio signo deficientes, compulsi sunt dicere: *Digitus Dei*

est hic. Ibidem cap. 8. Tertio, quando ad sextum signum stare non poterant coram Mose propter ulcera, quae in ipsis erant. Ibidem cap. 9.

10. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum.* Corruptis haereticorum doctrinis et moribus suum objicit exemplum, eoque proposito Timotheum excitat animatque ad peragendum constanter officium. Pro *assecutus es,* alii vertunt, *affectatus es.* Non enim sensus est Timotheum *assecutum,* id est *adeptum esse* Pauli doctrinam, institutionem etc. Nam quae deinceps commemorat, *persecutiones, passiones,* huic intelligentiae non possunt aptari. Quare nec iste sensus congruit: Studio et ingenio assecutus es me docentem, tanquam discipulus praeceptorem: sed, assectatus es doctrinam meam, et caetera quae sequuntur; id est, ita mihi fuisti perpetuus comes et actionum socius, ut omnia mea tibi perspecta sint: ac proinde in me habeas, quod sequaris et imitandum sumas. Nosti quae mea fuerit *doctrina,* quam integra et sincera. *Nosti meam institutionem,* id est, vivendi modum ac rationem, id enim vox Graeca ἀγωγὴ significat, licet alii instituendi rationem interpretentur. Nosti etiam *propositum meum,* id est, quid in munere meo Apostolico et in omni actione spectaverim ac spectem, scilicet non privata mea commoda, sed gloriam Dei per Christum: *non quaerens, quod mihi utile est; sed quod multis.* 1 Cor. 10. Denique *omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.* Ibidem cap. 9. De verbo Graeco dictum est nonnihil ad illud 1 Epist. 4. *Enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es.*

Fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam. Nosti insuper, inquit, *fidem meam,* id est, animi constantiam ac fiduciam in rebus agendis. Item *longanimitatem* seu lenitatem erga persecutores et veritatis adversarios: *charitatem* erga quoscunque: *patientiam* in tolerandis adversis, de quibus subjungit:

11. *Persecutiones, passiones.* Inter alia, persecutiones et afflictiones suas, quas Evangelii causa passus fuerat, Timotheo ad memoriam revocat; quo discipulum ad similia perferenda suo exemplo reddat alacriorem.

Qualia mihi facta sunt Antiochiae, Iconii, Lystris. Graecum οἷα quod interpres vertit, *qualia,* potest specialiter ad passiones referri, quae Graecis neutri sunt generis, παθήματα. Atque ita vertendum esset, *quales,* vel ut aliis placet, *quae mihi acciderunt Antiochiae* etc. Non semper enim qualitatis aut emphasis nota est, sed saepe pro relativo ponitur. Tametsi, *quales,* hic non male quadrat; ut sensus sit, quam graves afflictiones mihi fuerint illatae.

Nominat autem tres civitates suarum passionum conscias: Antiochiam, quam Pisidiae, non Syriae constat intelligi, Iconium et Lystram; non quod hae solae essent: nam et in aliis multis urbibus multa passus fuerat, ut ex Actis apostolicis liquet: sed harum meminit, vel quod notiora Timotheo essent, quae illis in locis passus fuerat Paulus, erat enim Timotheus ex Lystris oriundus, urbe reliquis duabus vicina; quam rationem Theodoretus et Theophylactus adferunt: vel quod horum locorum persecutiones peculiariter a Judaeis fuerint in ipsum concitatae; quemadmodum patet legenti Apostolorum Acta cap. 13. et 14. Erant autem Judaei in Paulo persequendo gentilibus longe vehementiores.

Quales persecutiones sustinui. Alii malunt relativum *quas;* de qua re jam diximus. An autem respiciat ad persecutiones in memoratis urbibus toleratas, an vero ad alias quoque, non liquet. Certe Timotheus multas alias Pauli persecutiones viderat, et quarundam etiam particeps fuerat.

Et ex omnibus eripuit me Dominus. Hoc addit, ut Timotheum ad similia fortiter ferenda cohortetur. Nam etsi Deus non semper eripiat suos a manibus persecutorum: dum tamen saepenumero, atque interdum mirabiliter, eripit; ostendit, sibi curae esse eorum salutem, nec se

passurum, ut occidantur, nisi id majori bono compenset.

12. *Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Si, inquit, talia quoque tibi accidant, non est, quod mireris. Est enim id commune omnibus piis et bonis, ut persecutionem patiantur a malis, licet alii aliis graviorem. Addit autem *in Christo Jesu,* non quod aliqui sint *pie viventes* non in Christo Jesu, sed potius, ut modum exponat, sine quo non contingit pie vivere. Nam *pie vivunt in Christo,* qui Deo serviunt in fide Christi. Quae quidem sola inter omnes hominum credulitates est vera pietas. Dicit autem: *volunt,* ut omnis, qui vitam hanc Christianam aggreditur, intelligat, persecutiones sibi esse exspectandas.

Sed dices: An ergo, qui persecutionem non patitur, sed tranquillam et placidam agit vitam, vel solitarius, vel cum paucis aliis iisque bonis, non pie vivit in Christo? Respondeo, duplicem esse persecutionem, aliam manifestam, aliam occultam. Manifesta persecutio non ad omnes pertinet, qui pie vivunt, sed ad paucos caeterorum comparatione. Occulta persecutio piis omnibus est communis, non solum propter occultam pugnam carnis adversus spiritum, et perpetuam omnium piorum colluctationem adversus *spiritualia nequitiae;* verum etiam propter societatem hominum malorum, inter quos quisque justus cogitur non sine dolore et molestia conversari; quantumvis ab iis abstrahere se conetur. Hinc ait Psalmista: *Vidi praevaricantes et tabescebam.* Et Petrus Apostolus de Lot apud Sodomitas morante 2 epist. 2. *Qui,* inquit, *de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Nemo autem vere pius est, qui non tale quid patiatur. Ad hoc genus persecutionis extendit Apostoli sententiam Augustinus et alii nonnulli, ut persecutionem pati sit inquietari ac molestia affici, a quocunque sive palam sive occulte. Nam et boni bonis per infirmitatem aut ignorantiam aliquando molestiam exhibent. Augustini loca sunt epist. 145., lib. 2. contra Gaudent. cap. 13. et 14. et de civit. Dei lib. 18. cap. 51. Eundem sensum pulcre explicat Leo serm. 9. de quadrag., ubi et hanc eodem adducit Domini sententiam: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus,* Matth. 10.

Quanquam verisimilius est, Apostolum non ita generaliter de persecutione loqui, sed duntaxat de ea, qua mali bonos afficiunt cum voluntate nocendi. Nam de tali loquebatur in superioribus, atque ea passim in Scripturis nomine *persecutionis* significari solet, ita tamen, ut odia, criminationes, calumnias, detractiones et id genus injurias comprehendat. Qui sensus universalem nihilominus habet veritatem. Cum enim mali nusquam desint, nusquam profecto piis hujusmodi persecutionis materia deficit. Nam et Abel in tanta hominum paucitate sine persecutione non fuit, invidiam et caedem passus a fratre malo, de quo Joan. 1. epist. 3. *Propter quid occidit eum? Quoniam,* inquit, *opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa.* Quae ratio communis est omnibus bonis viventibus inter malos.

Porro non inepte quidam, quamvis praeter mentem Pauli, propterea dicunt neminem piorum a persecutione liberum esse, quia nunquam Ecclesia sine persecutionibus est, pius autem matris Ecclesiae persecutiones tanquam suas reputat. Hoc, inquam, praeter Apostoli mentem, qui de persecutionibus agit proprie ad unumquemque pertinentibus.

13. *Mali autem homines et seductores proficient in pejus. Seductores,* Graece γόητες, quae vox proprie significat *incantatores* seu *praestigiatores,* quamvis etiam generalius usurpari soleat, ut verti possit *impostores,* aut ut Ambrosianus legit *deceptores.* Porro tale est, quod dicit: Nec vero sperandum nobis est, ut persecutiones, quas mali piis inferunt, hac vita durante aliquando cessent: nam mali ac pravi homines et seductores, nisi si quos eorum divina bonitas singulari beneficentia ab errore revocet, in

pejus semper proficient, quae causa erit, ut odia et persecutiones in pios nunquam finiantur. Quomodo autem profecturi sint in pejus, explicat sequentibus verbis:

Errantes, et in errorem mittentes. Participia sunt transposita ab interprete. Nam Graece est: *errare facientes et errantes,* quod ita verti potest: *Seducentes et seducti.* Erasmus periphrasi reddidit haud inepte: *dum et in errorem inducunt,* scilicet alios, *et errant ipsi.* Videtur autem figura, quam vocant ὕστερον πρότερον. Prius enim est errare, quam alios in errorem inducere. Atque ea res fortasse movit Latinos, ut ordinem commutarent, nisi sic intelligas: Dum alios seducunt, ipsi justo Dei judicio hoc patiuntur, ut subinde in graviores incidant errores. Sicut autem dupliciter proficiunt errando et seducendo, ita duplici nomine poenas dabunt, et quod ipsi non acquieverunt veritati, et quod alios ab ea retraxerunt.

14. *Tu vero permane in iis, quae didicisti.* Quasi dicat: Nihil te moveat illorum, quos dixi, successus et profectus in malo. Tu permane ac persiste in iis, quae semel edoctus es. Nulla vis tentationis tibi ea extorqueat. Noli aemulari in malignantibus etc.

Et credita sunt tibi. Nonnulli sic exponunt, quae credita sunt a te, id est, quae credidisti ac plena fide suscepisti. Sed rectius alii, quae concredita tibi sunt et commendata. Sic ad Gal. 2. *Cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii.* Et 1 Tim. 1. *Secundum Evangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.* Monet igitur Timotheum, ut custodiat depositum sibi concreditum, de quo jam ante semel et iterum eum admonuerat, scilicet 1. epist. 6. et hujus epist. cap. 1., ex quo licet animadvertere, quantopere solicitus fuerit Apostolus pro ejus depositi conservatione. Quod autem sit illud depositum, ad eadem loca a nobis explicatum est.

Sciens, a quo didiceris. Duas adfert causas, cur Timotheo permanendum sit in doctrina accepta, quarum prior principalis est et fundamentum posterioris. Constanter, inquit, retine ea, quae didicisti, cum scias, a quo magistro didiceris, videlicet a me Christi Apostolo, quod perinde tibi esse debet, atque si Christo ipso magistro usus fuisses. En quomodo necessaria est auctoritas magistri! Alioqui dicere poterat Timotheus: Quid refert, a quo didicerim, quando Scripturas habeo, ex quibus discere possim, magistrum habens Spiritum sanctum? Sicut hodie superbi haeretici loquuntur, dum sua proferunt sine magistro somnia. Nam Timotheum fuisse sacrarum literarum studiosum, probant sequentia.

15. *Et quia ab infantia sacras literas nosti.* Haec altera est causa, sed accessoria, cur Timotheo non sit a doctrina semel accepta recedendum. Cum et istud, scias, hoc est, apud te cogitare debeas, quod non leviter imbutus es scientia Scripturarum, quandoquidem a prima aetate discere eas coepisti. Qui enim in aliqua disciplina totam aetatem trivit, non facile admissurus est magistrum novos sensus et placita adferentem, praesertim si ipse praestantium magistrorum auctoritate fulciatur. Imo potius habebit, unde diversa dogmata refellat. In phrasi *ab infantia,* nonnulla hyperbole subesse videtur. Quas vocet *sacras literas* paulo post ipse explicat, nempe scripturam divinitus inspiratam. Loquitur autem de scriptura veteris instrumenti: nam scripta apostolica nondum erant in canonem scripturarum relata: imo multa eorum necdum extabant Timotheo juvene.

Porro locus hic docet, nec pueros arcendos esse a lectione Scripturae sacrae. Quin ex eo quod Timotheus non a patre fuerit institutus in sacris literis, utpote qui gentilis erat, nec passus fuerat eum circumcidi, sed, ut verisimile est, a matre et avia; quarum fidei sinceritatem laudavit Apostolus cap. 1., colligitur, nec mulieres a lectione Scripturae sacrae prohibendas esse. Quod tamen ita intellige, modo secundum regulam ecclesiasticam tales sint personae, quae cognoscantur ex hujusmodi lectione non damnum, sed

fidei atque pietatis augmentum capere posse: quemadmodum praescribit Pontifex regul. 4. Indici lib. prohibit. praefixa. Si dicas, Timotheum ex matre Judaea natum pro more gentis a magistro quopiam legisperito institutum fuisse; quomodo Paulus secus pedes Gamalielis eruditum se refert Act. 22., respondeo, non pugnare quominus accesserit aut etiam antecesserit institutio quaedam domestica parentum, tunc ei adhibita, quando per aetatem puerilem nondum aptus esset, qui magistro traderetur.

Quae te possunt instruere ad salutem. Instruere, Graece, σοφίσαι, id est *sapientem* seu *doctum reddere.* Ne putet Timotheus, sibi sufficere scientiam scripturarum, quam perceperat: tacite eum adhuc ad studium earum hortatur. Non enim dicit: *Quae te satis instruxerunt ad salutem;* sed, *quae te possunt instruere,* scilicet amplius; modo pergas incumbere earum lectioni; sicut aperte ei praecipit in 1 Epist. cap. 4. *Dum venio, attende lectioni.* Dicens autem, *ad salutem;* ostendit scopum lectionis et studii scripturarum. Quem quidem plenius expressit loco memorato, cum ait: *Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.* Hic observa, non solum parochis ecclesiarum, verum etiam episcopis, quantumcunque doctis, adhuc opus esse studio sacrarum literarum.

Per fidem, quae est in Christo Jesu. Id est per fidem, qua in Christum creditur. Hoc addit, vel ut doceat contra Judaizantes, scientiam legis sine fide Christi nihil valere ad salutem; vel ut significet, ex scripturis sacris, cum ob earum obscuritatem, tum ob intellectus nostri coecitatem et hebetudinem, atque affectuum, quibus laboramus, pravitatem, non posse quenquam haurire doctrinam sanam et incorruptam, nisi fide Christi praemunitus sit, eaque ductrice ad illas intelligendas utatur. Ita demum futurum, ut lectio scripturarum et fidem ei augeat et salutem adferat. Confer quae diximus ad illud Rom. 12. *Sive prophetiam, secundum rationem fidei.*

16. *Omnis scriptura, divinitus inspirata, utilis est.* Quoniam ad Scripturae sacrae lectionem hortabatur; nunc eam insigni encomio commendat: primum ab auctoritate, mox ab utilitate, quae ex ea provenit. Quod expressius apparet in Graeco: *Omnis scriptura divinitus inspirata, et utilis.* Subaudi *est.* Itaque duo affirmantur, omnem scripturam esse divinitus inspiratam, et eandem esse utilem ad ea, quae sequuntur. *Scripturam,* intelligit sacram, de qua dixerat: *Sacras literas nosti:* nam Scripturae nomine passim in bibliis sacra Scriptura per antonomasiam significatur, ut Matth. 22. *Erratis nescientes Scripturas.* Joan. 5. *Scrutamini Scripturas,* et 10. *Non potest solvi Scriptura.* Recte igitur, et verissime, ex hoc loco statuitur, omnem scripturam sacram et canonicam Spiritu sancto dictante esse conscriptam; ita nimirum, ut non solum sententiae, sed et verba singula, et verborum ordo, ac tota dispositio sit a Deo, tanquam per semetipsum loquente, aut scribente. Hoc enim est *Scripturam esse divinitus inspiratam.* Utilitatem vero deinceps explicat.

Ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia. Pro gerundiis in Graeco sunt nomina; *ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quae est in justitia.* Significantur quatuor praecipua officia pastoris et doctoris ecclesiastici: quorum primum est docere veritatem fidei Christianae. Secundum, refellere errores ei contrarios. Tertium, corrigere mores depravatos, quod potissimum fit admonitionibus, increpationibus, et correptionibus, tametsi non est hic legendum, *ad corripiendum,* ut quidam codices habent, sed *ad corrigendum.* Nam Graece non est, ad correptionem, sed, ut dixi, *ad correctionem,* vel ut Ambrosianus legit, *ad redintegrationem.* Quod etiam referri potest ad restituendum verum ac sincerum Dei cultum, sicubi per negligentiam collapsus fuerit. Quartum, instituere ad justitiam, id est, ad justam et sanctam vitae con-

versationem. Neque enim astipulamur Cajetano, particulam, *in justitia,* repetenti post singula superiora membra: *ad docendum in justitia, ad arguendum in justitia, ad corrigendum in justitia:* qui sermo partim incommodus est, partim nimium restrictus, atque adeo membra confundit, maxime primum et ultimum. Tantum igitur ea particula postremum membrum, cui subjungitur, afficit. Atque id sane exigit Graecus articulus ei praefixus, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ.

Porro cum non dicat Apostolus, scripturam ad haec omnia sufficere, sed *utilem esse;* nihil agunt adversarii, quum ex hoc loco moliuntur efficere, quod Scriptura sacra per se sufficiat ad omnem plenitudinem doctrinae fidei, ita ut traditionibus non scriptis nihil sit opus. Ac certe si consequens id esset: sequeretur, solam veteris instrumenti scripturam sufficere, nec opus esse quatuor Evangeliis, nec reliquis novi testamenti libris. Nam de Scriptura veteris testamenti Paulum hic loqui constat, tum quia novi testamenti Scriptura nondum agglutinata erat canoni sacrorum librorum, imo quadam etiam ex parte nondum erat conscripta; tum ex eo quod praecedit: *ab infantia sacras literas nosti.* Non enim potuit Timotheus ab infantia nosse libros novi testamenti, qui eo infante, aut puero, nondum exstabant. Denique notandum, non id velle Apostolum, quod unaquaeque pars scripturae sacrae sit utilis ad ista quatuor, hic enim sensus liquido falsus est: sed quod in universa scriptura hae quatuor utilitates reperiantur, ita nimirum, ut alia Scripturae pars aliam adferat utilitatem, quodque nulla sit Scriptura, quae non ad aliquid istorum valeat.

17. *Ut perfectus sit homo Dei.* Quem vocet *hominem Dei,* jam diximus in priori epist. cap. 6., scilicet eum, qui Dei nomine, et in his, quae Dei sunt, populo praeest, maxime si mores et actiones officio respondeant. Ejusmodi sunt imprimis episcopi, quos hic instruit Apostolus; deinde omnes animarum curatores. Minus recte Cajetanus *hominem Dei* interpretatur eum, qui totum seipsum Deo dat. Hoc enim etiam laicis et idiotis multis convenit, de quibus hic non agitur. *Perfectum* autem, sive *integrum,* quod Graece est ἄρτιον, appellat eum, qui tenet omnes partes sui officii. Integrum enim est, quod omnibus partibus constat. Hic sensus explicatur per id quod sequitur:

Ad omne opus bonum instructus. Sive ut alii vertunt: *apparatus.* Id enim proprie significat participium Graecum, tametsi Theophylactus et Oecumenius ἐξηρτισμένον exponunt per ἀπηρτισμένον, id est perfectum et absolutum. Quod tamen haud videtur quadrare. Nam sicuti inepte quis dicitur absolutus aut perfectus ad aliquam artem aut scientiam; dicendum enim erat in arte aut scientia, verbi gratia, medica aut mathematica: ita nec commode dicitur ad omne opus bonum absolutus aut perfectus. Sentit igitur Apostolus, hominem Dei, id est Episcopum studio Scripturae sacrae id consequi, ut ad omne opus bonum, id est, ad omnem partem officii sui probe comparatus sit atque instructus. Nam *opus bonum* ad hominem Dei, id est Episcopum refertur, tanquam opus ab Episcopo, pastore et doctore, quatenus est ejusmodi, faciendum. Hoc autem est officium.

Verum hic quoque insurgunt haeretici. Si enim, inquiunt, Scriptura sacra praestat, ut perfectus sit homo Dei, et ad omnem officii sui partem instructus, ergo quidquid populum docere debet, sacris literis est comprehensum, nec quidquam opus ei est doctrinis aut traditionibus non scriptis. Respondeo, Apostolum dicentem: *ad omne opus bonum,* eo signo universali non velle comprehendere singula, sed genera singulorum, ut loquuntur. Id quod ex praecedentibus est manifestum, ubi genera duntaxat boni operis, id est, officii episcopalis enumeravit. Hoc igitur est, quod dicit: Cum Scriptura sit utilis, partim ad docendum, partim ad redarguendum, partim ad corrigendum, denique partim ad erudiendum in justitia: quorum primum ad doctrinam et confirmationem fidei Christianae pertinet, se-

cundum ad refellendos et exstirpandos errores, tertium ad vitia corrigenda, quartum ad doctrinam vitae secundum Dei legem instituendae: cumque ad haec quatuor genera facile caetera omnia hominis Dei officia revocentur: consequens est, ut homo Dei lectione et studio Scripturae sacrae perfectus quoad officium suum evadat; utpote ad omne genus officii instructus. Cujusmodi genera sunt quatuor jam enumerata. Non posse autem Apostoli verba in eam sententiam trahi, quam volunt adversarii; rursus evidenti hoc argumento constat, quia, sicut ante dictum est, de sola loquitur Scriptura veteris instrumenti. Eam autem solam ad universa fidei dogmata stabilienda sufficere, sic ut Evangelicis et Apostolicis literis non sit opus, nec ipsi haeretici dicere audent.

CAPUT QUARTUM.

Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos [1], per adventum ipsius et regnum ejus: 2. praedica verbum, insta opportune, importune [2], argue, obsecra, increpa in omni patientia [3] et doctrina. 3. Erit enim tempus [4], cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: 4. et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 5. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae [5], ministerium tuum imple. Sobrius esto. 6. Ego enim jam delibor [6], et tempus resolutionis meae instat. 7. Bonum certamen certavi [7], cursum consummavi, fidem servavi. 8. In reliquo reposita est mihi corona justitiae [8], quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus [9]. Festina ad me venire cito. 9. Demas [10] enim me reliquit, diligens hoc saeculum, et abiit Thessalonicam. 10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. 11. Lucas [11] est mecum solus. Marcum [12] assume, et adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. 12. Tychicum [13] autem misi Ephesum. 13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. 14. Alexander [14] aerarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus [15]: 15. quem et tu devita: valde enim restitit verbis nostris. 16. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt [16]: non illis imputetur [17]. 17. Dominus autem mihi astitit [18], et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes Gentes: et liberatus sum de ore leonis [19]. 18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo: et salvum faciet in regnum suum coeleste, cui

---

[1]) Matth. 25, 31. [2]) Act. 24, 25. [3]) Cap. 2, 25. [4]) Cap. 3, 1.—5. [5]) Cap. 2, 22. 24. 25. 3, 10. [6]) Phil. 2, 17. [7]) Cap. 2, 3.—5. Act. 20, 24. [8]) Jac. 1, 12. [9]) 1 Joan. 4, 17. [10]) Philem. 24. [11]) Philem. 24. [12]) Act. 12, 12. 15, 37. Col. 4, 10. [13]) Act. 20, 4. Col. 4, 7. [14]) Act. 19, 33. seq. 1 Tim. 1, 19. [15]) 1 Cor. 5, 5. [16]) Cap. 1, 15. Phil. 2, 21. [17]) Act. 7, 60. [18]) Joan. 16, 32. [19]) Dan. 6, 22

gloria in saecula saeculorum. Amen. 19. Saluta Priscam, et Aquilam[1]) et Onesiphori domum[2]). 20. Erastus[3]) remansit Corinthi. Trophimum[4]) autem reliqui infirmum Mileti. 21. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes. 22. Dominus Jesus Christus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS QUARTI.

Hortatur, ut in verbi praedicatione sit assiduus propter emergentes falsos magistros. Obitum suum praedicit et coronam sibi repositam apud fidelem judicem. Rogat Timotheum, ut ad se veniat. In prima defensione solum Dominum sib' astitisse. Denique adjicit salutationes.

1. *Testificor coram Deo et Jesu Christo.* Plenior est oratio Graeca: *Obtestor igitur ego coram Deo et Domino Jesu Christo.* Jam tertium Timotheo cum obtestatione praecipit; bis enim id fecit in priori Epistola cap. 5. et 6. Sensus est: *Igitur ego* Paulus de his, quae statim dicturus sum, *te obtestor,* id est ea tibi dico et praecipio coram testibus omnium maximis ac metuendis, ne qua parte desis officio, scilicet *coram Deo Patre et Filio ejus Jesu Christo Domino nostro,* qui non solum testes esse poterunt praecepti dati, sed et judices ejusdem violati. Unde subjungit mentionem judicii. *Qui judicaturus est vivos et mortuos.* Nimirum accepta universalis judicii potestate a Patre, quemadmodum B. Petrus affirmat Act 10.: *Quoniam ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum,* haud dubie secundum humanam naturam. Idem Petrus 1. epist. 4. *Qui reddent,* inquit, *rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.* Eodem modo loquuntur symbola, Apostolicum, Constantinopolitanum et Athanasii.

Quaeritur ergo, quo sensu dicatur: *judicaturus vivos et mortuos,* cum judicium universale non sit exercendum, nisi post universalem omnium resurrectionem, quando omnes quidem viventes erunt, sed iidem prius mortui, hic autem sermo manifeste distinguat inter vivos et mortuos, tanquam diversos. Fuere, qui vivos et mortuos intelligerent animas et corpora, quemadmodum refert Theophylactus. Nam animae semper vivunt, corpora sunt in morte, donec resurgant. Sed id facile refellitur; nam de personis judicandis loquitur Apostolus, non de partibus ejusdem personae. Quidam vivos interpretantur justos, mortuos, peccatores.

At vero Graeci commentatores vivos intelligunt eos, qui Domino ad judicium veniente vivi reperientur, ut resurrectione a mortuis opus non habeant; mortuos vero, quos adventus ille mortuos reperiet, ideoque ad vitam suscitandos. Huic commentario Cajetanus subscribit, eumque confirmat ex 1 Thess. 4., ubi de adventu Domini disserens Apostolus, inter mortuos et vivos distinguit his verbis: *Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo* etc. Addit Cajetanus, ex praesenti loco haberi, quod non solum electi, de quibus ad Thessalonicenses erat sermo, verum etiam reprobi, quicunque tunc vivi reperientur nulla morte intercedente vivi judicabuntur.

Hic sensus, quia multos homines, etiam malos, a morte eximit, a plerisque Latinorum non recipitur, quandoquidem Scri-

---

[1]) Act. 18, 2. 18. 19. Rom. 16, 3. [2]) Cap. 1, 16. [3]) Act. 19, 22. Rom. 16, 23. [4]) Act. 20, 4. 21, 29.

ptura sacra passim moriendi necessitatem omnibus hominibus communem praedicat. Quocirca *mortuos* quidem intelligunt, quos adventus Domini mortuos inveniet; *vivos* autem, quos viventes deprehendet, ita tamen, ut hi celeri morte, quam ignis conflagratorius iis inferet occupati, mox una cum aliis olim mortuis resurgant, ad tribunal judicis sistendi. Quae expositio caeteris praeferenda nobis videtur. Quod enim omnes sine exceptione morituri sint et a morte resurrecturi, late ostendimus ad distinct. 43. lib. 4. Sent., refutatis etiam, quae in diversum adferebantur argumentis. Quo faciunt et ea, quae in Apostolum 1 Cor. 15. et 1 Thess. 4. commentati sumus.

Per adventum ipsius et regnum ejus. De secundo Christi adventu loquitur, et de regno ejus tunc manifestando; et quidem juxta nostram lectionem videtur haec pars referenda ad verbum: *testificor* sive obtestor; ut sit obtestatio per adventum et regnum Christi, velut rem omnibus fidelibus summopere desideratam, quomodo Rom. 12. obsecrat per misericordiam Dei et 1 Cor. 1. per nomen Domini nostri *Jesu Christi.* Atque ita fere Latini. Sed sciendum, in Graeco non esse praepositionem διὰ, quae solet ad obtestationes adhiberi; sed κατὰ, quae accusativo juncta frequenter tempori subservit, nunquam obtestationi, aut obsecrationi. Adde, quod Graeca non habent conjunctionem praepositam, sed sonant hoc modo: *Secundum apparitionem ipsius et regnum ipsius,* id est in apparitione sua et regno, uti vertunt recentiores. Jungendum autem erit cum eo, quod proxime praecessit, ut sensus sit: Qui Christus vivos et mortuos judicaturus est, tunc quando manifestus ad judicium veniet palam et gloriose regnaturus, omnibus jam ei subjectis; sicut dicitur 1 Corinth. 15. Haec Graecorum est expositio, cui et Syriaca versio favet: *In apparitione regni sui.*

2. *Praedica verbum.* Huc pertinet illa terribilis obtestatio, scilicet ut officium praedicationis ac caetera, quae sunt hominis Dei munia, diligenter et constanter exsequatur. Ostendunt haec non tam Timothei in officio tarditatem, aut negligentiam, quam Pauli pro Ecclesia curam et solicitudinem; tametsi in Timotheo omnes Episcopos et Pastores officii sui commonitos esse voluit Spiritus sanctus, qui in Paulo loquebatur. *Verbum,* antonomastice pro sermone doctrinae Evangelicae positum est, ut saepe alibi. Porro *praedicationem verbi* primo loco nominavit; quod id sit praecipuum Episcopi munus, teste etiam Synodo Tridentina, sess. 5. cap. 2. de reformat. et sess. 24. cap. reform. 4.

Insta opportune, importune. Insta, id est incumbe operi, instanter age, quod agendum est. Non enim tantum ad praedicationem refertur, sed ad caetera, quae sequuntur. *Opportune, importune.* Graece εὐκαίρως, ἀκαίρως, id est *tempestive, intempestive,* ut alii verterunt. Sed quomodo etiam importune et intempestive? cum teste Salomone Proverb. 15. *Sermo opportunus sit optimus,* et ab eodem laudetur, *qui profert verbum in tempore suo,* Proverb. 25., et juxta eundem omnia suum tempus habeant, Ecclesiast. 3.? Unde et ipse Paulus Coloss. 4. petit orari pro se, ut quomodo oportet, mysterium Christi eloquatur. Respondeo, semper opportune fieri, quod fit utiliter ad salutem: licet alia consideratione fiat importune, spectato nimirum homine exteriore et affectu sensuali, sive ejus qui agit, sive ejus circa quem agitur. Nam ad utrumque referri potest, quod ait: *Opportune, importune.*

Priori modo sensus est: Insta operi, sive tibi sit opportunum et commodum, sive sit importunum, intempestivum et incommodum; adeo ut etiam tempus somni et refectionis intermittas, quo saluti proximorum consulas. Quomodo Tobias intempestive, quantum ad seipsum, exercuit opus sepulturae, quando alias nocte, alias relicto prandio abiit ad mortuos sepeliendos. Quomodo et Christus cum discipulis suis importune praedicavit et beneficia sanitatum impendit turbis ad se concurrentibus; quando nec spatium

habebant panem manducandi. Marc. 3. et 6. Rursus hoc modo importune praedicat, qui non solum tempore pacis Ecclesiae, verum etiam tempore persecutionis et periculi imminentis, praedicat populo Christianam et Catholicam veritatem. Atque hunc sensum Graeci interpretes adferunt.

Quanquam non minus commode et ad eum, cui fit praedicatio, praeceptum Apostoli refertur. Praedicat enim pastor alicui opportune, importune; cum praedicat, monet, corripit, quandocunque accessum ad eum habere potest, etiamsi parum tempestivum, dummodo opportunis ad persuadendum verbis utatur, et spes sit etiam tunc aliquid proficiendi. Sic in Evangelio nocturnus pulsator et vidua injuriam passa sua importunitate extorserunt, ille ab amico tres panes, ista ab impio judice, ut de adversario vindicaretur. Videatur Lucae 11. et 18. Ea namque illis erat importunitas opportuna; ut sine qua non obtinuissent quod petebant. Ita vulgo dicimus, importune solicitandum esse apud magnates, si quid impetratum volumus. Hunc sensum breviter indicat Augustinus in enarrat. Psalm. 128. dicens: Sonet verbum Dei; volentibus, opportune; nolentibus, importune. Sunt qui putent proverbialem esse sermonem, quo significetur, assidue et incessanter incumbendum esse operi. Qui tamen sensus per superiora recte explicatur.

Argue, obsecra, increpa. In Graeco hic est ordo: *Argue, increpa, obsecra.* Quod postremum etiam verti potest, *hortare;* quemadmodum Ambrosianus legit. Sensus est: Argue, seu redargue falsam doctrinam, falsosque doctores; increpando corrige malos mores; obsecra et exhortare, ut juste vivant et moribus sint incorruptis. Igitur repetit Apostolus hoc praecepto quatuor partes Episcopalis officii supra commemoratas: et quidem eodem servato ordine secundum Graecam lectionem, cum dicit: *Praedica, argue, increpa, exhortare.*

In omni patientia et doctrina. Monet, ut cum omni patientia de doctrina faciat ea, quae modo praecepit, nam ad omnia praedicta vult hanc partem referri Theophylactus, *cum patientia* quidem, aut ut Graece est *longanimitate* seu *lenitate,* quia plerumque redargutiones, increpationes, exhortationes nihil, aut parum proficiunt, nisi ab animo patiente ac mansueto proficisci intelligantur. *Cum doctrina* vero, ut qui aberrant aut peccant, doctrina et ratione convicti, facilius sanentur. Convenit cum hoc loco, quod supra cap. 2. scripsit, oportere servum Domini mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt. Et ex hoc Apostoli loco salutarem Episcopis monitionem tradit synodus Trid. sess. 13. cap. reform. 1.

3. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt.* Haec, inquit, causa est, cur tantopere te excitem ad officium gnaviter exercendum. Nam prospicio futurum et quidem brevi, ut multi eorum, qui Christum professi sunt, a sinceritate fidei recedant, imo sanam doctrinam audire non sustineant. Itaque ne malum hoc tuae negligentiae imputetur, utque ab eo, quantum fieri potest, gregem tuum conserves; quam diligentissime tuo incumbe officio. Differt haec praedictio ab illa superioris capitis: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa* etc., quod illa magis proprie respiciat falsos magistros, haec vero ad auditores ac discipulos pertineat. Nisi enim essent, qui ejusmodi magistros libenter audirent et obsequiis foverent: statim elanguesceret eorum studium nova dogmata disseminandi.

Sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros. Id est, uno et altero magistro non contenti, alios super alios inducent, velut acervum magistrorum sibi impositurі; idque pro suis pravis desideriis seu concupiscentiis et corruptis affectibus; quia nimirum carnalibus cupiditatibus libidinis ac gulae dediti, magistros quaerent, qui istiusmodi moribus consentanea doceant. Tales imprimis fuere quicunque prodierunt ex schola Simonis. Tales sunt et nostro saeculo

Lutherani et quotquot fere post Lutherum novi doctores emerserunt; utpote, qui uno ore praescripta ecclesiae jejunia, vota monastica et quicquid est piarum observationum ac legum ecclesiasticarum contemnunt. Hoc loco studiose annotant Graeci, quam sit ecclesiae perniciosum, episcopos et pastores plebis ac vulgi suffragiis eligi. Vulgus enim, ait Theophylactus, nihil pro ratione facit; sed eos, qui cupiditatibus ipsius consentiant, evehit; quique ad voluptatem et gratiam omnia et dicant et agant, hos eligit ac promovet. Haec ille.

Prurientes auribus. Participium est nominativi casus, ut liquet ex Graeco: proinde pendet a fronte verbi, *coacervabunt.* Eleganti metaphora significatur altera causa, cur magistros sibi coacervaturi sint; quia scilicet ad audiendum semper aliquid novi curiositas eos incitabit. Quo vitio notati sunt a Luca Athenienses Actor. 17. Quanquam alii metaphoram pertinere putant non tam ad curiositatis vitium, quam ad voluptatem audiendi, quae grata sunt et jucunda; ut sensus sit, homines tam delicatis auribus futuros, ut veritatis cura posthabita, magistros sibi adsciscant, qui placentia loquendo, prurientes eis aures suaviter scalpant ac demulceant. Utrique intellectui satis quadrat, quod sequitur.

4. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Id est, ab integritate sanae doctrinae, quae voluplates et carnalia desideria castigat, aures avertent; offendit enim et talium hominum auribus molesta est hujusmodi veritas. Ad fabulas autem audiendas, insana quadam curiositate, sese convertent. Fabulas, intellige primum Judaicas. Sic enim praecipit Tit. 1. *Ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis.* Meminit earum etiam 1. ad Timoth. 1. Deinde et fabulas haereticorum; ut Simonis magi atque aliorum ejusdem farinae: quas prolixe recensent in suis libris Irenaeus et Epiphanius.

5. *Tu vero vigila in omnibus labora.* Non liquet utram in partem converti debeat particula, *in omnibus;* tametsi Graeca magis exigunt, ut ad praecedens verbum referatur. Nam pro verbo *labora,* Graece est *κακοπάθησον*, id est *mala patere, afflictiones tolera.* Quod praeceptum per se consistit: sicut et supra cap. 2. ubi dicebatur: *Labora sicut bonus miles Christi.* Sensus igitur est: Cum ea quae dixi jamjam immineant: tu adversus haec vigila in omnibus, id est omnes partes officii tui diligenter exsequere, atque in afflictionibus et laboribus obdura; nec adversariis cede, nec periculis.

Opus fac Evangelistae. Opus Evangelistae facit, qui Evangelium, sicut oportet, praedicat, id est, integram et sanam Evangelii doctrinam auditoribus cum omni sinceritate annunciat, nec sua quaerens, nec auribus serviens. *Ministerium tuum imple.* Erasmus ita vertit: *Ministerium tuum ad plenum probatum reddito.* Theophylacti interpres: *Ministerium tuum certifica.* Nam tale quid significari putant Graeco verbo πληροφόρησον. Qua de re nos accurate egimus, quum tractaremus illud Rom. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Hoc certe loco non aliud significare voluit Paulus, quam quod noster interpres expressit. Quod et liquet ex Graecorum commentariis. Unde nec Hentenius Oecumenii interpres, etsi in multis Erasmi imitator, hanc partem aliter transtulit. Est autem sensus obvius: In munere ac ministerio tuo ita versare, ut nihil omittas eorum, quae a bono et fideli ministro Evangelii jure exiguntur.

Sobrius esto. Hanc partem Graeca non habent, ut nec agnoscunt Syrus interpres et Ambrosianus. At neque in omnibus est manuscriptis Latinis. Denique Pelagius, Primasius et Haimo cum non exponant, arguuntur non legisse. Plusquam verisimile est, ex occasione additam esse, cum pro eo: *Tu vero vigila,* quaedam Latina versio haberet: *Tu vero sobrius esto;* ut et legitur in Ambrosiano textu secundum editiones antiquiores. Nam Graeca vox utroque modo verti potest; et res, quae

significantur, cognatae sunt, sobrium esse et vigilare. Nec dubium, quin alicubi magis conveniat sobrii, quam vigilantis significatio; ut 1 Petr. 5. *Sobrii estote et vigilate.* Nam alioqui repetitio esset ejusdem: verum hoc loco magis congruit verbum *vigila*, quod proprium est episcopi et pastoris. Nec admodum opus erat ad sobrietatem hortari Timotheum, quem ab aquae potu revocaverat epist. superiore.

6. *Ego enim jam delibor.* Ex his verbis et sequentibus colligunt omnes pene interpretes, Paulum hanc Epistolam scripsisse omnium postremam, imminente jam passione mortis. Id enim significare videtur totus hic locus, quum dicit: *se jam immolari et tempus suae resolutionis instare; se consummasse cursum suum, nec aliud esse reliquum, quam ut repositam sibi coronam justitiae percipiat.* Verum jam dudum in argumento Epistolae ostendimus, inter ejus scriptionem et Pauli obitum ferme novem aut decem annos intercessisse. Constat quoque eam, quae ad Philemonem scripta est, in qua tamen hospitium parari sibi petit, tanquam mox e carcere liberando: hac longe posteriorem esse, uti suo loco monstrabitur. Quare quae hic ab Apostolo dicuntur, non ita sunt accipienda, quasi plane sentiat, se jamjam rapiendum ad martyrium; praesertim cum alia quaedam ejusdem epistolae repugnent huic intellectui; quemadmodum in argumento declaratum est et adhuc infra docebimus: sed tantum significant, ipsum etsi de tempore mortis ac passionis incertum, tamen paulatim per carceres et tribunalia parari ad victimam.

Existimat quidem Cardinalis Baronius, qui de his rebus accurate scripsit tom. 1. Annal. Eccles., ista Pauli de instanti suo obitu verba sic accipienda, quod fortasse divinitus ipsi revelatum esset, se sub Nerone capite plectendum. Sed quoniam Nero tunc etiamnum juvenis erat et permultis adhuc annis imperare poterat; non satis causae Paulo fuisse videtur ex ejusmodi revelatione, ut diceret, tempus suae resolutionis instare. Quocirca non apparet, haec a Paulo dicta fuisse per revelationem aliquam de instante martyrio sibi factam; sed ipsum ex praesenti rerum suarum statu, quid tandem sibi eventurum esset, prudenter ac probabiliter conjecisse, quod et alibi interdum facit, velut ad Philipp. 1. et 2. Illud etiam considerandum est, Paulum loqui, ut jam senem et laboribus confectum; qui proinde non multum vitae tempus sibi reliquum arbitretur.

Ac quoniam non dubitabat, se martyrio finiendum, idcirco et de eo tanquam brevi futuro loquitur. *Ego enim*, inquit, *jam delibor*, seu potius, *immolor;* quomodo legit Augustinus. Nam et ipse interpres ita vertit ad Philippenses 2.: *Sed etsi immolor* etc. Sensus et connexio est: Idcirco cum tam seria obtestatione te discipulum meum officii tui admoneo, quod jam senex sim et incertus, quamdiu futurus superstes. Jam enim, tanquam victima Christo destinata, per hos carceres et gravissimos quos patior adversariorum impetus immolari incipio.

Passionem suam *immolationem* vocat, quia actus ille martyrii, quo quis usque ad mortem certat pro veritate, gratissimum est Deo sacrificium spirituale, idemque magnam habens convenientiam cum sacrificio corporali. Notandum est autem, verbum Graecum σπένδομαι non quamvis immolationem significare, sed eam proprie, quae fit in foederibus sanciendis. Unde, sicut in epist. ad Philipp., cum ait, se immolari super sacrificio fidei ipsorum, significat, Philippensium fidem, quam ab ipso didicerant, morte sua sancitum atque confirmatum iri, perinde, ut olim caesis victimis foedera sanciri solent: ita hic insinuat, mortem, qua pro Christo immolandus erat, fore doctrinae suae, quam mundo praedicaverat, sanctionem.

Et tempus resolutionis meae instat. Id est magis ac magis appropinquat; nec admodum longe potest abesse. *Resolutionem suam* vocat mortem, sive quod morte corpus in cineres resolvatur; seu potius, quod per eam solvatur vinculum,

quo anima corpori est colligata. Sic idem Apostolus ad Philippenses 2. *desiderium habet dissolvi et esse cum Christo.* Nec dissimili phrasi Petrus Apostolus 2. epist. 1. mortem suam vocat *depositionem tabernaculi.* Qua ratione rursum hic quaeri potest, an sicut B. Petrus eo loco certum se esse affirmat ex Christi Domini revelatione velocem esse sui tabernaculi depositionem, ita Paulus ex revelatione divinitus accepta scribat tempus suae resolutionis instare. Sic enim multi sentiunt haec a Paulo dici, quod significationem mortis ac martyrii sui instantis a Deo accepisset, sicut et Petrus. Sed de ea re, quid nobis probabile videatur, jam supra diximus. Neque vero negamus, Paulum aeque ut Petrum coelesti oraculo admonitum fuisse passionis instantis. Sed id multo post scriptam hanc epistolam factum putamus.

7. *Bonum certamen certavi.* Haec partim subjungit ad sui ipsius consolationem, partim ut Timotheum ad imitationem accendat. Certamen bonum, id est pulchrum, egregium ac praeclarum. Id enim significat Graecum καλόν. Loquitur autem de certamine suscepto a tempore suae conversionis ad fidem Christanam, ex quo non destitit ad coronam propositam contendere per omne genus bonorum operum, praesertim ministerii Apostolici; nec non per tolerantiam laborum, afflictionum et persecutionum. Metaphora sumpta est ab iis, qui pro praemio certant seu lucta, seu cursu, seu alio genere ludi: quod significat Graeca vox ἄγων. Quamquam hic certamen, quod cursu fit intelligi videtur; nam sequitur:

Cursum consummavi. Non cursum vitae, sed certaminis, qualis scilicet est eorum, qui in stadio currunt. Hanc enim comparationem adducit etiam 1 Cor. 9. Porro consummasse se dicit hunc cursum, quamvis adhuc, ut minimum, extremus actus restaret passionis et mortis; quia jam, ut ante dictum est, ad metam certaminis appropinquabat, ac de reliqua parte stadii percurrenda certam habebat in Domino fiduciam. Hoc enim fere modo rem istam declarat August. lib. 2. de pec. mer. cap. 16. Nam et Christus morti quidem propinquus, sed nondum morte consummatus dixit: *Consummatum est* Joan. 19.

Fidem servavi. Non haec jactantiae verba sunt, sed bonae conscientiae; ut et superiora. Fidem intelligit eam, quam miles imperatori, quamque minister ac dispensator domino suo debet, id est fidelitatem. Non enim magnum erat tanto Apostolo, non defecisse a fide Christiana, ad quam tanto miraculo vocatus, tantis revelationibus instructus fuerat, sed quia commissum erat ei munus evangelicae praedicationis in gentibus, de eo fideliter et perseveranter inter tot adversitates administrato gloriabatur, dicens: *fidem servavi.* Hoc ergo significat, quod alio loco commendat dicens: *Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* 1 Cor. 4. Et ibi quidem tanquam adhuc in medio cursu constitutus, non audet pronuntiare se talem esse: *Neque enim*, inquit, *meipsum judico*, hic autem cursu jam pene consummato, fidenter dicit, *fidem servavi*, paulo post auditurus illud: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui:* juxta id, quod sequitur.

8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae. In reliquo*, Graece, λοιπὸν, *quod reliquum est*, uti legit Ambrosianus. Praemium certaminis feliciter absoluti vocat *coronam*, metaphoram retinens cursorum, quibus corona praemii loco solet proponi. *Coronam justitiae* plerique interpretantur coronam pro bonis ac justis operibus debitam: quomodo dicitur, corona certaminis, praemium laboris. Alii *coronam justitiae* pro corona justa dictam volunt, Hebraea phrasi: quemadmodum Jes. 62. *corona gloriae* legitur, id est corona gloriosa. Sed hoc ferme recidit cum priori. Porro *coronam* intelligit vitam aeternam, id est eam, quam Jacobus Apostolus *vitae coronam* appellat cap. 1. Hanc coronam *sibi repositam* dicit Paulus, non alibi quam apud Deum; quia a Deo sibi reddendam certissime expe-

ctabat. Quo sensu supra dixit cap. 1. *Certus sum, quia potens est depositum meum servare,* tale etiam est illud Sap. 5. *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.*

Hic jam quaeritur, quomodo vocet Apostolus justitiae coronam, quae est corona misericordiae; dicente Psalmista: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Respondeo, ista non minus consentire, quam quod in Scripturis vita aeterna aliquando merces, aliquando gratia vocatur. Merces, quia datur pro meritis bonorum operum: gratia, quoniam haec ipsa merita sunt Dei dona. Sic eadem vita aeterna corona justitiae est, quia legitime certanti debetur; corona misericordiae, quia nec certare legitime posset homo nisi Deus daret, nec ad coronam pervenire, nisi lapsus et errata certando commissa misericorditer idem Dominus condonaret. Confer quae diximus ad illud Rom. 6. *Gratia Dei vita aeterna.*

Quam reddet mihi Dominus in illa die. Non dixit, dabit, sed *reddet,* veluti debitum quoddam, et creditum, sive depositum, quod jure reddendum sit. Annotarunt hoc studiose Theophylactus et Oecumenius. *Dominum* intelligit Christum, qui venturus est judex vivorum et mortuorum. Nam de eo statim subjungit: *Sed et iis, qui diligunt adventum ejus;* quod huc necessario referendum est. Hinc vero satis apparet, Christum ut hominem non modo judicaturum, verum etiam coronas daturum, id est electos suos donaturum beatitudine coelesti. Sed id facturum intellige, quatenus per sententiam adjudicabit Apostolo Paulo, caeterisque electis coronam ipsis debitam, dicens: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum* etc. Nam efficienter et proprie creaturam beatificare, solius est increatae potestatis. Jam quod addit: *in illa die,* consueta notatio est temporis extremi judicii: quam alibi *diem Domini* vocat.

Sed dicet aliquis: Si demum in illa die reddenda est electis corona: non igitur ante illam diem datur animabus separatis, utcumque purgatae fuerint. Respondeo, Paulum loqui de praemio, quod homini datur, non animae soli. Dicit enim: *Quam reddet mihi,* scilicet Paulo. Atqui proprie Paulus non erit ante judicii diem, quando a morte resuscitabitur ad vitam. Ex tunc enim incipiet vita aeterna hominis; quam hic coronam appellat. Quaeritur autem, an ex hoc loco statui possit, Apostolum fuisse certum de sua salute, videlicet ea certitudine, cui falsum subesse nequeat. Id enim significare videntur illa ejus verba: *Quam reddet mihi Dominus;* quae quidem sunt verba Scripturae, ac proinde verissima. Sed obstat huic sententiae, quod in Epist. ad Phil. 3. velut haud plane adhuc certus, ita loquitur: *Si quomodo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis.* Scripta est autem ad Philip. Epistola post istam ad Timotheum; quemadmodum in argumento utriusque Epistolae satis loculente probavimus. Itaque respondeo, Paulum hic non simpliciter affirmare, quid futurum sit; sed vel sermonem esse bonae fiduciae, quasi dicat: quam coronam certa spe a Domino exspecto; vel potius intelligi conditionem, si usque ad mortem perseveravero. Nam quod hic de se dicit, mox extendit ad omnes alios diligentes adventum Domini; de quibus utique certitudinem absolutam non habebat.

Justus judex. Addit hoc illi, quod praecessit *Dominus* per appositionem, praefixo in Graecis articulo. Unde alii vertunt: Qui est justus judex. Haec justitia Christi judicis in eo consistit, quod redditurus sit unicuique secundum opera sua; sicut ipse Dominus diserte de se testatur Matth. 16. dicens: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Porro totus hic locus, *ubi coronam justitiae,* et *justum judicem* nominat Apostolus, et *reddendi* verbo utitur, aperte refellit haereticos, qui merita bonorum operum audire non sustinent. Etenim si Christus, ut justus judex redditurus est Paulo et omnibus electis coronam justitiae pro fide servata cursuque consummato; est igitur

in his operibus ratio meriti respectu ejusmodi coronae.

Neque vero haec operum merita adversus Christi gratiam astruunt Catholici, quod impudenter calumniatur Calvinus. Est enim Catholicorum doctrina, tantam erga nos esse Dei bonitatem, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona; et pro his, quae ipse largitus est, aeterna praemia sit donaturus: ut habet decretalis Epistola Coelestini Pontificis ad Episcopos Galliae cap. 12., unde et a concilio Tridentino verba repetuntur, sess. 6. cap. 16. Quam Ecclesiae Catholicae doctrinam dum negant haeretici, procul dubio bonitati et gratiae Dei, quae nostrorum effectrix est meritorum, detrahunt. Consule Augustinum lib. de gratia et lib. arb. cap. 17. de corr. et grat. cap. 13. et hom. 14. inter 50. Quibus locis haec Apostoli verba tractat eo modo, quo diximus.

Non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. Graece: *Sed et omnibus iis, qui dilexerint apparitionem ejus;* tametsi suspicio est, notam distributivam *omnibus* in Graeco adjectitiam esse. Nam Hentenius in Oecumenio non reddit: Ambrosianus quoque ac caeteri veteres Latini non legunt: denique nec Syrus interpres in suo Graeco reperit. Atqui omnino proclivius est hanc voculam addere, quam auferre; propterea, quod sensus eam postulare videatur. Ob quam causam ab omnibus subintelligitur; atque a Patribus Tridentinis etiam addita fuit sess. 6. cap. 16. Sensus enim est: Nec mihi solum reddet Dominus coronam justitiae, sed et omnibus, qui invenientur dilexisse ejus adventum, quo manifestus et gloriosus apparebit universo mundo.

Diligunt adventum Domini, qui sanctis operibus ad eum sese praeparantes, ipsum se exspectare et diligere declarant, quomodo domini sui adventum diligit servus, qui ea facit, quae domino placent, ut cum ille venerit, paratus inveniatur. Non diligit autem, qui quasi dominus non sit venturus, ea facit, quae novit illi displicere. Hanc enim utriusque servi comparationem ipse Dominus adducit Luc. 12. Caeterum ex hac parte sententiae constat, per *coronam justitiae* Paulum non intellexisse praemium aliquod accidentale, sibique peculiare, sicut nonnulli intellexerunt: sed vitam aeternam, quae praemium est essentiale. Facit enim eam coronam omnibus adventum Domini diligentibus communem.

Festina ad me venire cito. Graece σπούδασον, id est *stude, da operam, ut venias ad me cito.* Cur Timotheum, quem Asianis Ecclesiis Episcopum praefecerat, Romam ad se evocet Apostolus, non levem profecto causam fuisse existimandum est, quamvis eam hic non explicet; nisi, quod ex sequentibus conjicere licet, ejus ministerio uti ipsum voluisse ad promovendum Christi negotium, eo quod aliis adjutoribus esset pene destitutus. Nam quod nonnulli causam hanc adferunt, ut priusquam moreretur, eum videret, ex supradictis vanum apparet; nec ea causa satis digna est tanto Apostolo. Quod ait, *cito,* non sentit continuo literis acceptis Timotheo veniendum esse. Cur enim tam multa in hac Epistola ei praecepisset de regenda Ecclesia, si statim erat eum habiturus praesentem? Sed *cito,* id est ut infra declarat, ante hyemem; ne scilicet in alterum annum differat profectionem. Cum enim Paulus Romam venerit sub tempus vernum, uti facile colligitur ex ult. cap. Act., probabile fit, hanc Epistolam, quae ab illo tempore aut prima fuit, aut secunda, scriptam fuisse paulo post idem tempus; id est ineunte aestate proxima, quemadmodum et Baronius opinatur. Ex hoc Apostoli loco habemus, Episcopos a suis Ecclesiis ad tempus posse abesse ob graves causas.

9. *Demas enim me reliquit, diligens hoc saeculum.* Dereliquerat Paulum captivum Demas, ut apparet, periculo territus, ac suae securitati et quieti consulere volens. Hoc enim est, quod ait: *Diligens hoc saeculum,* id est hujus vitae commodorum amore ductus, ita ut tam Pauli, quam Evangelii curam privatis

commodis postponeret. Ubi tamen non est significatum, quod a fide Christi defecerit: imo vero, si, quod nobis admodum verisimile est, haec Epistola scripta fuit e carcere Romano prima aut secunda, tantum ad tempus Apostolum reliquisse putandus est. Nam postea ad eum reversus, iterum sese illi adjutorem exhibuit. Quod manifeste probant Epistolae posterius scriptae ad Coloss. et ad Philem., in quibus Demas inter salutantes nominatur, et ita quidem, ut in altera connumeretur adjutoribus Pauli. Cui sententiae subscribit etiam Hieronymus in fine comment. epist. ad Philem.

Quocirca fabulosum putamus, quod scribit Dorotheus in Synopsi: Demam Pauli discipulum, postquam ab eo recessit, factum fuisse apud Thessalonicenses idolorum sacerdotem. Quod fictum arbitror occasione sumpta ex eo, quod subjicit Apostolus, eum abiisse Thessalonicam. Nec illud probabile, quod scribit Epiphanius haer. 51., Demam via veritatis relicta fuisse haereticum, eadem sentientem cum Cerintho, Ebione et aliis, qui Christum nudum hominem asserebant. Mihi sane vero similius est, eum, ut Pauli discipulum, bonam operam postea navasse Ecclesiae Dei; ac forte eundem esse, quem Ignatius in epist. ad Magnesianos Deman vocat ipsorum Episcopum ἀξιόθεον, ut loquitur, id est Deo dignum. *Et abiit Thessalonicam.* Sive ut rebus suis privatis illic vacaret, sive ut procul abesset a periculo. Ac forte Thessalonica erat illi patria.

10. *Crescens in Galatiam.* Repetendum, *abiit,* seu profectus est; non tamen amore hujus saeculi, quemadmodum Demas, sed vel Evangelii causa missus illuc a Paulo, vel certe dimissus ob aliam justam necessitatem. Pro *Galatia Galliam* in textu legendam esse contendit Epiphanius haer. 51. Sed ei nulla suffragantur exemplaria. Caeterum Theodoretus legit quidem *Galatiam*, sed *Galliam* interpretatur. Nam ut auctor est Ammianus lib. 15. Gallos sermo Graecus Galatas appellare solet; quod Galatae a Gallis originem traxerint. Unde quod legitur 1 Macch. 8. Romanos subegisse Galatiam, de Gallis intellexit Josephus, aut ejus saltem interpres lib. 12. Ant. cap. 17. Huc accedit, quod antiqua martyrologia Bedae, Usuardi, Adonis, et aliorum, ad quintum Cal. Julii uno ore testantur, Crescentem non tantum in Galatia, sed etiam in Galliis Evangelium praedicasse, sedesque ibi Viennensem et Moguntinam erexisse.

Verum hoc ipsum argumento est, Galatiam non Galliam hic intelligi; cum secundum fidem martyrologiorum Crescens a Paulo in Galatiam missus, quae est Asiae minoris regio, transitum inde fecerit in Gallias; ac rursum ad Galatas reversus, quibus specialiter datus erat Episcopus, tandem apud eos martyrio vitam finierit. Adde, quod in Actis et Epistolis Apostolicis uno semper et consueto modo Galatia sumi videtur, pro ea scilicet regione minoris Asiae, quae hoc nomine erat notissima.

Titus in Dalmatiam. Haec regio est Illyrici. Scribit autem Apostolus Rom. 15. *se usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi.* Quare non dubium, quin et Titus illuc Evangelii causa, Paulo volente, profectus fuerit. Ad hunc jam ante peculiarem scripserat Epistolam: Creta Provincia ei demandata. Cujus et in 2. ad Cor. epist. frequentem cum laude facit mentionem.

11. *Lucas est mecum solus.* Hunc Apostoli Pauli sectatorem, et omnis ejus peregrinationis individuum comitem appellat Hieronymus in catal. Qui et Evangelium scripsit et Apostolorum acta, Pauli praesertim, prosecutus est usque ad biennium Romae completum in priore captivitate.

Marcum assume, et adduc tecum. Non de Marco Evangelista loquitur, qui Petri comes fuit; sed de Joanne consobrino Barnabae, cui cognomen erat Marco; sicut Act. 12. et 15. dicitur. Hunc autem cum Timotheo Romam venisse, quod hic Paulus exoptat, discimus ex Epistolis ad Colossenses et Philemonem

postea scriptis. Nam in utraque Marcus est in numero salutantium: Timotheus autem Paulo conjunctus in titulo.

Est enim mihi utilis in ministerium. Non privatum, sed Evangelicum: ad quod aliquando visus fuerat inutilis. Nam Act. 15. propter eum facta fuerat dissensio inter Barnabam et Paulum; Barnaba volente eum assumere comitem ad opus Evangelii, Paulo autem negante eum recipiendum esse, propterea quod ipsos in priore expeditione Evangelica deseruisset. Verum postea correctus, et ab eodem Paulo utilis, imo perutilis, ut in Graeco est, ad Evangelii ministerium judicatus, Romam una cum Timotheo nunc ad id munus evocatur.

12. *Tychicum autem misi Ephesum.* Ne forte diceret Timotheus: Quem igitur Ephesi relinquam meo loco, functurum officio Episcopi, si Marcum etiam vis, ut mecum adducam? occurrit Apostolus, dicens, se Tychicum misisse Ephesum, ad hoc scilicet, ut vices Timothei suppleat absentis. Tanta erat Pauli solicitudo pro Ecclesiis, ut ne maxima quidem urgente necessitate vellet eas suis pastoribus destitui, nisi vicariis idoneis prius substitutis. Utrum autem per Tychicum haec ipsa Epistola missa fuerit, una cum Epistola ad Ephesios, ut sentit Baronius, existimans hoc loco praeteritum tempus exponendum per praesens, *misi,* id est *mitto:* an vero, quod aliis placet, diverso tempore missae fuerint, et utra ante alteram: nos, ut perplexum et cognitu non necessarium, in medio relinquimus. Si Baronii sententia placet, potest, quod hic dicitur, sic exponi: *Misi,* id est mittendum jam destinavi. Vel certe sic, ut praeteritum referatur ad tempus, quo Timotheus literas erat lecturus. Nam sane ejusdem temporis verbo utitur Apostolus in epist. ad Philem. dicens de Onesimo, *quem remisi;* cum sit omnium sententia, per ipsum Onesimum eam Epistolam missam fuisse.

13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* De *penula,* quam Paulus requirit, variae sunt interpretum sententiae, pro varia significatione vocabuli Graeci φελόνη, aut φαιλόνη. Utrumque enim in codicibus legitur. Ac primum, falluntur, qui exponunt de pallio consulari. Nam id neque significatur ea voce, neque Paulo convenit. Eodem fere loco habendum, quod Ambrosianus *penulam* interpretatur vestem senatoriam. Caeterum constat, ea voce Romanis significari vestem aptam imbribus ac frigori depellendo; qua potissimum iter agentes uti solent: quam Hieronymus in 3. dialog. contra Pelagianos *lacernam,* ac de ea multi praesentem locum accipiunt.

Alii significare putant scriniolum, seu thecam librariam; quam Syrus interpres Hebraeo more *domum scriptorum* vocat, id est arculam, in qua scripta conservantur. Sed mirum, si Paulus ex loco tam remoto, vestem, aut arculam adferri sibi jubeat; quasi Romae non essent, qui talia aut facerent, aut venderent. Illud quoque praeposterum videtur, ut vestem itinerariam reliquerit iter facturus eandemque repetat itinere peracto. Quod si arculam libris, chartisque refertam, velut Pauli bibliothecam intelligas, erit expositio multo probabilior: praesertim quia librorum ac membranarum mentio subnectitur.

At vero nonnulli antiquiores Graecam vocem interpretati sunt *volumen.* Unde Hieronymus ad Damasum scribens in Epist. 125. qu. 2. sic ait: Volumen Hebraeum replico, quod Paulus φελόνην juxta quosdam vocat. Loquitur autem de volumine Hebraeo veteris instrumenti. Quae sane expositio non parvam habet probabilitatem. Nam Graecum φέλλος librum, id est corticem arboris significat; ex quo volumina olim fiebant. Ac notum est, veteris Scripturae libros ita scribi solere, ut convolvi possent, eo videlicet modo, quo adhuc in Judaeorum synagogis visuntur. Nec mireris, Paulum e tam longinquo reposcere hujusmodi volumen. Cum enim sacrosanctum haberetur, nec passim exstabat, nec facile librariis describendum committebatur. Quod vero

quidam *penulam* interpretatur vestem sacram, quam Latini planetam vocant, vulgo casulam; non est unde solide probetur. Graecis enim ea vestis non φελόνη, sed φαινόλιον nuncupatur, vocabulo diversae originis ac soni. Verum satis haec de penula Pauli.

Restat, ut de Troade et Carpo brevissime dicamus. Troas Asiae minoris civitas erat, eadem cum Troja, decennali Graecorum obsidione celeberrima. Ad eam Paulus ter accessisse legitur. Primum Act. 16., iterum 2 Cor. 2., tertio Act. 20. Quo postremo accessu penulam illic reliquit, quando et mortuum ibidem suscitavit. Quod quidem factum est anno uno ante scriptam hanc Epistolam. Carpus Troade Paulum hospitio suscepit, dignus habitus, cui idem Apostolus res suas in depositum commendaret, quique post obitum in numero Sanctorum ab Ecclesia honoretur. De quo vide martyrologia ad 3. Idus Oct. Ab hoc diversus esse videtur, etsi nonnulli confundant, Carpus ille Cretensis, aeque ab hospitalitate laudatus, de quo Dionysius quiddam memoria dignum refert in Epistola ad Demophilum. Rursum diversus ab utroque Polycarpus Smyrnae Episcopus et Christi martyr insignis.

Et libros, maxime autem membranas. Si *penulam* accipimus arcam librariam, erit haec pars supplementum et expositio praecedentis, quasi dicat Apostolus: Veniens adfer tecum arcam seu scrinium una cum libris et membranis in eo repositis. Si *volumen* intelligatur: distinguenda erunt haec tria; ut *volumen* sit liber Scripturae sacrae, sicut ante dictum est; *libri* sint alii codices in chartis descripti; *membranae* vero, quod idem vocabulum hic in Graeco est, sint schedae pelliceae, in quibus, uti verisimile est, Paulus quaedam scitu digna ad juvandam memoriam annotaverat. Unde, velut de iis singulariter solicitus, dicit: *maxime membranas;* tametsi Syrus interpres, alio forte respiciens, vertit: *fasciculum voluminum,* id est membranas in volumina complicatas.

Porro circa hunc locum animadvertenda quaedam sunt. Primum satis ex eo liquere, quod scripta sit a Paulo haec Epistola brevi post ipsius in urbem adventum, et proinde multis annis ante mortem. Non enim reposceret vestem aut arculam, aut libros ab annis ferme decem Troade relictos. Deinde, si diem obitus jamjam sibi instare sentiebat, quorsum requirit ista, sibi jam nulli usui futura? Postremo, quantum existimare debeant omnes Episcopi et Pastores, sibi necessariam esse lectionem et studium Scripturae sacrae, quantumcunque etiam profecerint; quoniam Paulus ab ipso Domino mysteria religionis edoctus et tot annis Apostolatu functus, adhuc libros desiderat, quos legat.

14. *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit.* Graeca vox χαλκεὺς, *fabrum aerarium* significat, ne quaestorem aerarium quispiam hic suspicetur. Hunc Alexandrum, si tamen idem est, tanquam haereticum Paulus excommunicaverat, ut ipse testatur 1 Tim. 1. Quo Pauli facto irritatus, multo etiam magis sanae doctrinae resistebat. Erat autem Judaeus, Ephesius, idemque fidem Christi professus. Neque enim aliter excommunicari poterat. Idem, ut apparet, quo acceptam, quam putabat, injuriam ulcisceretur, Pauli captivi causam apud Neronis amicos exagitabat, tanquam hominis seditiosi ac nova dogmata disseminantis, atque veterem Judaeorum religionem, quae Romae permissa erat, expugnantis. Hujusmodi falsos fratres Paulus, in ipsis etiam vinculis constitutus, quae pro Christo tolerabat, infestos habuit. *Multa,* inquit, *mala mihi ostendit,* fecit, exhibuit, intulit: multis malis me affecit. Hebraea phrasis est, eademque frequens in Scripturis. Unde illa in Psalmis: *Quis ostendit nobis bona? Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas?* Et quod praesenti loco simillimum est: *Ostendisti populo tuo dura.* Sic ipse Paulus Tit. 3. *Omnem ostendentes mansuetudinem.*

Reddet illi Dominus secundum opera ejus. Graece *reddat,* imprecantis modo.

Cui lectioni suffragantur tam Latini codices manuscripti non pauci, quam veteres ennarratores Ambrosianus, Pelagius, Primasius et Sedulius. Ad eundem modum legunt Hieronymus lib. 3. ad dial. contra Pelagianos cap. 1. atque in exposit. cap. 8. Eccles. et Gregorius, seu quisquis auctor, in Concordia locorum script. interrog. ult. Et ille quidem affirmat, haec esse verba male precantis, dicitque quaerendum, quomodo talia clementer dicta sint: hic vero sensum conatur explicare, quemadmodum et Graeci interpretes. At e diverso in editione Syriaca futurum legitur enuntiativum. Similiter et apud Augustinum lib. 16. contra Faustum cap. 22. et lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 37. Quo posteriore loco sic habet: *Non ait, reddat, sed reddet illi Dominus secundum opera ejus. Quod verbum praenuntiantis est, non imprecantis.* Atque haec Augustini verba multi Latinorum in suas enarrationes retulerunt. Sed priore loco apud Augustinum esse legendum *reddat,* videtur indubitatum, quia ibi docet, quomodo sint accipiendae hujusmodi imprecationes. Unde eundem loco posteriore vitiato codice usum fuisse, crediderim: Syrum vero interpretem maluisse sensum dare, quam verbum reddere, quod videbatur offensurum. Quae res etiam scribis imperitioribus occasionem dedit mutandae lectionis.

Caeterum imprecatorius hic sermo nihilo magis offendere debuit, quam aliae tam multae, quae in Psalmis et Prophetis leguntur adversus impios execrationes, quas charitati contrarias esse nemo dixerit orthodoxus. Nam quod Paulus, pro quo persequente et saeviente Stephanus, quando lapidabatur, oravit, parem omnino charitatis affectum erga suos inimicos gesserit, vel ex eo perspicuum est, quod ad Rom. 9. scribit, se optasse pro illis esse anathema, quodque rursus cap. 10. sic ait: *Voluntas cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis ad sulutem.* Loquitur enim de Judaeis, qui ipsum capitaliter oderant. Non ergo malevolentiae vel impatientiae fuit, quod hic dicit: *Reddat illi Dominus.* Sed aut intelligendum est, eum hoc Prophetico spiritu praenuntiasse cum approbatione justitiae divinae, quomodo multa similia in Psalmis et Prophetis dicuntur, aut revera vindictam illi divinam, quatenus justa est, imprecatum fuisse, praesupposita tamen ejus impoenitentia, ut qui malitiose peccans, spem emendationis nullam praeberet. Sic enim et animae martyrum interfectorum Apoc. 6. Deum orant: *ut sanguinem ipsorum vindicet de iis, qui habitant in terra.* Nec dissimile illud Nehemiae 4. adversus malignos irrisores populi Dei: *Ne operias,* inquit, *iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt aedificantes.*

Sensum hunc tradit Cajetanus in eo, quod dicit, haec esse verba cupientis divinam justitiam. Nam quod Apostolus ad divinam justitiam respiciat, manifestum est, quia addit: *secundum opera ejus.* Hoc autem genus imprecationis seu maledicti licitum et sanctum esse, docet S. Thomas in 2. sec. q. 25. art. 6. ad 3. et q. 76. art. 1. in cor. et ad 3. Notandum obiter, *Dominum* hic convenienter intelligi Christum, quemadmodum superius ibi: *Reddet mihi Dominus.* Ubi et *justum judicem* eum appellavit, non ob aliud, quam quia redditurus est unicuique secundum opera sua.

15. *Quem et tu devita.* Id est, observa et cave tibi ab illo. Id enim significat Graecum φυλάσσου, quo et Lucas usus est Act. 21., ubi nos habemus: *ut abstineant se ab idolis immolato* etc. Innuit autem Paulus, Alexandrum fuisse hominem, qui circumcursaret, quique nunc Romae esset, nunc alibi: adeo quidem, ut etiam Timotheum, qui Ephesi erat, aggressurus videretur; sive ut eum retraheret ad legem Mosis, sive ut legis adversarium, Paulique discipulum vexaturus.

Valde enim restitit verbis nostris. Cum in Alexandro duo mala notentur; alterum quod adversarius esset doctrinae Pauli, alterum quod ipsum Paulum mul-

tis malis afficeret: hoc posteriori dissimulato, tantum prius illud adfert pro ratione, cur Timotheo cavendus esset, quia nimirum Pauli sermonibus ac doctrinae vehementer fuerat adversatus, ut discamus, haereticos ob eam potius causam cavendos esse, quia falsa docent, quam quia temporaliter nocent.

16. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit.* Id est, auxilium aut patrocinium praestitit. Certiorem nunc facit Timotheum de successu causae suae, pro qua reus et captus Romam ductus fuerat. Itaque *primam suam defensionem vocat,* quando primum omnium ad tribunal Neronis causam dixit. Ubi jam impleri coepit illud, quod Dominus ei Hierosolymis apparens futurum praedixerat Act. 23. his verbis: *Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romae testificari.* Hoc autem contigisse primo anno, quo Romam venit, etsi Lucas in Actis ejus non meminerit, dubium esse non potest, scienti morem Romanum de captivis audiendis ac memoria repetenti ea, per quae satis jam probatum est, hanc Epistolam eodem anno scriptam fuisse.

Quam si scripsisset, ut multi putant, instante martyrio: non utique post tot annos de prima sua defensione, quid actum esset, Timotheo significaret; praesertim cum ex aliis Epistolis certo constet, eum interea Romae Paulo adfuisse. Respondet quidem Cajetanus, Paulum loqui de defensione non omnium prima, sed quam primam habuit post secundum suum adventum in urbem Romam. Verum caetera, quae partim in argumento, partim in hoc capite de tempore scriptae hujus Epistolae dicta a nobis sunt et dicenda, hujusmodi responsionem non admittunt. Ut interim praeteream, quod proxime dicit Apostolus: *Ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes;* quo ex loco Sasboldus colligit, Apostolum loqui de prima defensione sui quum primo Romam venisset.

Sed omnes me dereliquerunt. Id est, omnium amicorum ope fui destitutus. Loquitur de iis, qui prodesse poterant; ut qui gratia valebant apud aulicos. Tantus enim omnes invaserat communis periculi metus, ut Pauli captivi causam nullus auderet commendare. Caeterum a Luca familiari suo, de quo supra dixit: *Lucas est mecum solus,* desertum eum fuisse, nequaquam est verisimile. Potest et ita exponi: *Omnes,* id est pene omnes.

Non illis imputetur. Alexandro peccanti in Spiritum sanctum divinam ultionem imprecatus fuerat: his autem, qui tantum ex humana quadam infirmitate et metu peccabant, veniam a Deo precatur. Hoc enim est, quod optative dicit: *Non illis imputetur,* scilicet in culpam apud Deum, id est, Deus remittat, non puniat. Hoc enim dicit, quod pro suis persecutoribus, inter quos Paulus fuerat, Stephanus dixerat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* Act. 7. Porro non ita pro his orat Paulus, quasi non etiam pro malitiose peccantibus, ut haereticis et apostatis orandum sit, sed quod impetrandi fiducia pro his multo minor sit quam pro illis.

17. *Dominus autem mihi astitit et confortavit me.* Cum essem, inquit, ita desertus et destitutus omnium auxilio; Christus Dominus mihi praesto fuit, meque corroboravit, ne succumberem in mea defensione, ac ne metu mortis dicerem aut facerem quidquam, quod esset praeter dignitatem causae susceptae. Sic enim ipse pollicitus est, Luc. 21. dicens: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Porro quod recentiores quidam interpretes Erasmum secuti pro verbo *astitit,* reddere maluerunt *adfuit,* non probamus. Diversum est enim in Graeco verbum ab eo, quod paulo ante habetur: *Nemo mihi adfuit,* idem autem cum eo, quod Act. 27. verbis Pauli legitur: *Astitit mihi hac nocte angelus.* Et mox angeli verbis: *Ne timeas Paule, Caesari te oportet assistere.* Quo loco ipse etiam Erasmus alterum *astitit,* alterum *sisti* vertendum sibi putavit.

Igitur secundum Graeca vocabula, aliud est *adesse*, aliud *assistere*. Illud significat opem ferre: istud praesentem astare. Quare sicut in Actis eo sermone significatum est, angelum Paulo praesentem sese exhibuisse per revelationem, ita et hoc loco Christum Dominum. Similis est locus Act. 23., qui sic habet: *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto* etc. Ex qua locorum collatione jam promptum est intelligere, Paulum dicentem: *Dominus mihi astitit,* non solum loqui de praesentia auxilii divini, sed de apparitione Dominica sibi facta, qua singulariter in illo periculo fuerit confortatus. An autem apparuerit ei Dominus per angelum, an per seipsum, non liquet: nisi quod ordinarium sit, talia per angelorum ministeria fieri. Nam et de Christo Domino legitur, quod *apparuit illi angelus de coelo confortans eum,* Luc. 22.

Ut per me praedicatio impleatur et audiant omnes gentes. Quamvis hac parte significari possit causa, propter quam astiterit ei Dominus et confortaverit eum: magis tamen videtur esse sermo narrantis, quid sibi a Domino per revelationem dictum fuerit, nimirum haec aut similia verba: *Constans esto, ne timeas. Adhuc enim oportet, ut per te praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes.* Sic enim expositus hic locus maximam omnino similitudinem habet cum utroque loco Act. jam paulo ante citato. *Impleatur,* Graece πληροφορηθῇ, quod alius quidam vertit: *confirmetur,* alius sic reddit sententiam: *Ut per me fieret fides praeconii* seu *praedicationis.* Fallit hos opinio de significatione verbi Graeci, de qua satis alibi diximus. Rectius hoc loco Erasmus, Lonicerus et Hentenius, qui cum nostro interprete: *impleretur* aut *expleretur* verterunt. Ita superius hoc eodem capite: *Ministerium tuum imple.* Et huic significationi respondet Theophylacti et Oecumenii commentarius. Denique eam explicat, quod hic adjungitur: *Et audiant omnes gentes.*

Itaque sensus est, Dominum Paulo per visum dixisse: Oportet, ut per te Evangelii praeconium impleatur, ad plenum perducatur, id est longius et usque ad terminum tibi a me decretum protendatur, ita ut audiant illud omnes gentes: hoc est, ut latissime per gentes, quarum tu es Apostolus, propagetur Evangelii mei doctrina. Non enim *auditum* inanem intelligit, sed cum effectu fidei. Simile illud Rom. 15. *Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi,* id est longe, lateque propagaverim. Vide ejus loci commentarium. Quod igitur Joanni de repetendo prophetandi officio dictum legitur Apoc. 11., idem de instaurando Evangelii praeconio Paulus sibi dictum indicat; tanquam et ipse audiret a Domino: *Oportet te iterum praedicare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.*

Porro sive pars ista narrative, sicut eam exposuimus, intelligatur; sive, quod aliis placet, causaliter: illud tamen significari non dubium est, Evangelii praedicationem per Paulum adhuc implendam esse, ut audiant omnes gentes. Ex quo datur intelligi, Paulum postea vinculis solutum ac liberum in varias orbis partes Evangelium sua praedicatione divulgasse. Quare nec in postremis vinculis, nec instante martyrio scripta est ab eo haec Epistola; sed multo ante, videlicet in priore captivitate Romana; quandoquidem Romae bis tantum incarceratum eum fuisse historiae produnt. Unde nec in superioribus alia cogitanda est *prima defensio,* quam qua e primis vinculis causam dixit. Id quod etiam sagaciter observavit in suo comm. Sasboldus, ut illic monuimus.

Et liberatus sum de ore leonis. Liberatus, Graece, *ereptus.* Neque enim significat se liberatum e vinculis; cum haec ipsa e vinculis scribat, et toto biennio vinctus permanserit: sed praesenti periculo, quod tunc metuebatur, ereptum fuisse. *Leonem* plerique Neronem Caesarem interpretantur, ita dictum ob ferociam animi. Nam etsi primo ac secundo

imperii sui anno mansueti atque benefici principis nomen promereri visus fuerit: mox tamen in apertam saevitiam prorumpere coepit, ut de eo historici testantur. Agebatur autem tertius annus imperii ejus, quando Paulus primum ad tribunal ejus stetit. Alii vero, quod probabilius est, hac sermonis figura non aliud significari putant, quam periculi magnitudinem, e quo divina ope fuerit ereptus, ut si diceret ereptum se e faucibus mortis. Sic enim fere accipitur illa phrasis in Scripturis. Neque verisimile est, Paulum apud ipsum Neronem causam tunc dixisse, sed apud judicem quempiam inferiorem.

18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo.* Graece et Syriace: *Et eripiet me.* Similiter Ambrosianus, et manuscripta quaedam Latina legunt in futuro: *Liberabit autem me.* Nec est in Graeco inter praeteritum verbum et futurum ea soni similitudo, quae mutationem alterius in alterum facile admitteret, quemadmodum in Latino. Denique futurum postulat ejusdem temporis verbum subsequens, *et salvum faciet.* Sunt autem optimae fiduciae verba, quae hunc sensum habent: Non solum tunc ereptus sum e vitae periculo; verum etiam certo confido fore, ut idem Christus Dominus in posterum me conservet, si non a persecutione et periculo, certe ab omni opere malo, quo scilicet a confessione nominis ejus recederem; id est, non patiatur me superari a tentatione, sed daturus sit constantiam usque ad mortem. Unde sequitur:

Et salvum faciet in regnum suum coeleste, quasi dicat: etsi a morte praesenti non eripiat, futurum tamen confido, ut me salvet, perducendo *in regnum suum coeleste,* ubi perpetua vita et salute cum eo fruar. Vocat regnum coeleste, ad distinctionem terreni et temporalis; quum illud sit spirituale et aeternum. *Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.* Observa contra Arianos, Apostolum ea Christo adscribere, quae alibi Deo velut propria tribuit, ut 1 Tim. 1. et Rom. ult.

19. *Saluta Priscam et Aquilam.* More suo salutationes aliquot subnectit. Quod codices tam Graeci, quam Latini variant, ut alii *Priscam* legant, alii *Priscillam,* mirandum non est. Nam *Priscilla* a *Prisca* diminutivum est; quo fere gaudent mulieres appellari. Atque hoc nomen ter legitur Act. 18. Cur autem Priscam priori loco nominet, uxorem scilicet ante virum, quaeri potest. Sed de eo satis dictum est Rom. ult., ubi inter salutationes eodem ordine nominantur. *Et Onesiphori domum.* Id est, familiam ejus domesticam. De Onesiphoro et ejus in Paulum humanitate, habemus supra cap. 1.

20. *Erastus remansit Corinthi.* Hic unus erat eorum, qui Paulo ministrabant, ut habetur Act. 19. Idem Rom. ult. *arcarius civitatis* vocatur, scilicet Corinthiorum, sicut ibi expositum est. Is Corinthi remanserat anno superiore, quando per eas partes Paulus iter faciebat, ut innuitur eodem loco Actorum. Remanserat autem detentus, ut verisimile est, publicis officii sui negotiis.

Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Fuit et hic e comitibus Pauli, ut liquet ex Act. 20. et 21., ubi modo Asianus, modo Ephesius appellatur. De hoc constat ex Actorum historia, quod una cum Paulo Mileto discesserit ac Hierosolymam pervenerit; ubi templum ingressus occasionem attulit Judaeis commovendi tumultum adversus Paulum. Neque vero Paulus postea Miletum reversus legitur, sed ex Hierosolyma captivus Romam perductus est itinere longe diverso. Quomodo igitur potuit Trophimum Mileti infirmum reliquisse? Respondendum videtur, aut mendum irrepsisse in hunc locum, ut *Mileti* pro *Melitae* scriptum sit, veluti suspicatur Baronius: aut, si suspicionem non admittas, quod nulla ei suffragantur exemplaria, *Melitem* a Paulo *Miletum* vocatam esse, transpositis, ut interum fit, vocalibus. Est autem Melita insula, ad quam Paulus Romam proficiscens navigio appulit Act. ult., ubi et patrem principis insulae morbo liberavit, et omnes ejusdem insulae infirmos curavit. Cur autem Trophimum itineris sui

comitem non etiam curaverit; eadem ratio a nobis reddenda est, quae reddita est alibi de Epaphrodito et Timotheo. Neque tamen ex ea infirmitate mortuus est Trophimus. Nam postea a Paulo Arelatem destinatus fuit episcopus; de cujus fonte, ut ait Zosimus Papa, tota Gallia fidei rivulos accepit. Legitur in martyrologiis ad quartum Cal. Januarii.

Additiuncula B. P.

Etiam in Creta fuisse urbem, cui nomen esset Miletus, Grammatici probant ex Hom. 2. Iliad. et ex Strab. lib. 12. In hac potuit relinqui Trophimus aegrotus, quum Cretam adnavigaret Paulus captivus, ut legitur Act. 27. Strabonis testimonium hac in re eo plus valere debet, quod fuerit Cretensis. Porro cur haec de Erasto et Trophimo commemoret Apostolus, intelligitur ex eo, quod sequitur:


21. *Festina ante hyemem venire.* Graece: *Cura, ut ante hyemem venias.* Cum enim sociis Evangelii non solum prioribus illis, verum etiam his duobus destitutus sim; valde mihi opera tua est necessaria. Dicit autem: *ante hyemem,* Timotheo consulens, quod hyberno tempore periculosa sit navigatio. *Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia. Pudens* vir erat apud Romanos clarissimus, senatorii ordinis, Pater sanctarum Praxedis et Pudentianae virginum, de quo vide martyrologium ad 14. Cal. Junii. *Linus* vero idem, qui Petro proximus in episcopatu Romano postea successit, et antea Paulo ministravit, Ignatio teste in epist. ad Trallianos.

Additiuncula B. P.

De hoc Pudente ac de Claudia, quae hic nominatur, ipsius uxore, nuper elaboratum magnaque industria ex veteribus ethnicis erutum prodiit Syntagma viri nobilitate et doctrina atque ingenio egregii, Francisci Moncaei Frigidae Vallis Toparchae, Tornaci excusum. Est ei titulus: Ecclesiae Christianae veteris Britanicae incunabula regia.

Et fratres omnes. Post nominatos praecipuos hac generali clausula reliquos omnes, qui Romae erant, fideles complectitur.

22. *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.* Id est, tecum sit per gratiam suam. Unde sequitur: *Gratia vobiscum. Amen. Vobiscum,* id est tecum, et cum universa Ecclesia tibi commissa. Pro *vobiscum,* μεθ᾽ ὑμῶν, quod hodie constanter habent codices Graeci, in Graecorum commentariis legitur et studiose exponitur: μεθ᾽ ἡμῶν *nobiscum.* Dicunt enim, Paulum hic etiam sibi ipsi gratiam Dei precari. Mihi probabilior est vulgata codicum lectio. Nam et Epistolam ad Titum, quamvis ad eum solum scribat, ita claudit: *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Graeca subscriptio post finem Epistolae sic habet: Scripta e Roma ad Timotheum secunda, quum Paulus iterum sisteretur Caesari Neroni. Sed hujusmodi Graecae subscriptiones, ut incerti sunt auctoris, ita non magnae auctoritatis.



IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD TITUM
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Hujus Epistolae, quam ad Titum, suum ex gentilitate discipulum, scripsit Apostolus, idem fere argumentum est cum duabus ad Timotheum, praesertim cum priore. Nam sicut Timotheum Asiae minori praefecerat; ita Titum Cretae celeberrimae et amplissimae insulae, quae nunc vulgo Candia vocatur. Erat igitur uterque de iis, quae ad regimen ecclesiarum pertinerent, etiam per literas instruendus. Quamvis enim non sit dubium, quin Apostolus eos coram satis et doctrina et monitis instruxisset, quando eis curam ecclesiarum delegabat: idipsum tamen denuo per Epistolam sibi faciendum putavit, tum ut eadem inculcata magis haererent memoriae, tum quod sciret, se non illis solum scribere, sed quod profuturum esset toti Ecclesiae; tametsi scribendi occasione ex emergentibus quibusdam causis accepta, maxime ex eo, quod iis in locis quidam doctrinis ac fabulis suis Judaicis sinceritatem fidei Christianae studerent corrumpere. Nam adversus hoc genus agit in utraque Epistola non longe post initium.

Quod autem multo brevius ad Titum scribat, quam ad Timotheum, ea ratio reddi potest, quia Titus, ut aetate provectior, ita et ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitatior: Timotheus autem junior atque recentior; ideoque pluribus informandus. Primum ergo de Presbyteris, sive Episcopis ordinandis Titum admonet: mox adversus Judaizantes insurgit, quos jubet acriter increpari. Deinde ad morum praecepta accedens, aetatum ac personarum officia praescribit: imprimis autem obedientiam et subjectionem commendat tam servis erga dominos, quam fidelibus in universum omnibus erga principes. Et inter haec semel atque iterum praeclaram admiscet mentionem gratiae, qua nullo nostro merito salvamur per Christum. Denique a vanis quaestionibus avocat, et haereticum fugiendum monet.

Quando scripta sit haec Epistola, non liquet, nec facile ex Actis Apostolorum colligi potest, quod in iis non legatur Paulus Cretam ingressus fuisse. Verisimile est, scriptam esse ante captivitatem Apostoli; quia vinculorum hic nulla mentio. Imo cum dicit cap. 3. *Ibi enim*

statui hyemare, plane significat non esse vinctum. Putat Baronius, Apostolum tunc quando e Macedonia, sicut Act. 20. legitur, in Graeciam profectus est, non statim recto itinere in Graeciam venisse; sed navigatione usum appulisse in Cretam, atque ibi praedicato Evangelio, ac Tito discipulo ad curandam ejus regionis Ecclesiam relicto, demum in Graeciam, sive Achaiam pervenisse; ubi tribus mensibus moratum fuisse Paulum Lucas eodem Act. 20. testatur. Igitur eo tempore scriptam esse hanc Epistolam existimat. Incidit autem illud tempus in secundum imperii Neronis annum. Videndum autem, an haec Baronii sententia satis congruat his quae leguntur 2 Cor. 2.

Quod ad locum attinet, Nicopoli scriptam esse censet Hieronymus, quod et legitur in argum. huic Epistolae in Latinis codicibus praefixo, idemque loquitur hypographe Graecorum. Conjecturam isti capiunt ex eo, quod dicit Apostolus cap. 3. *Festina ad me venire Nicopolim.* Sed cum subjungat: *Ibi enim statui hyemare,* non utique significat, se Nicopoli esse, quum haec scriberet, sed futurum esse. Nisi dicas haec a Paulo scribi ineunte hyeme; quasi dicat: Nicopoli, ubi nunc sum, me invenies. Ibi enim tota hyeme sum mansurus. Utut est, illud saltem apparet, Epistolam hanc ex Achaia missam esse.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei [1]), et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est, 2. in spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia: 3. manifestavit autem temporibus suis [2]) verbum suum in praedicatione, quae credita est mihi [3]) secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei: 4. Tito dilecto filio [4]) secundum communem fidem, gratia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro. 5. Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates Presbyteros [5]), sicut et ego disposui tibi. 6. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir [6]), filios habens fideles, non in accusatione luxuriae [7]), aut non subditos. 7. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem [8]): non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, 8. sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, 9. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores [9]), maxime qui de circumcisione sunt: 11. quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia. 12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum pro-

---

[1]) Rom. 8, 29. 30. [2]) Eph. 1, 9. 10. 2 Tim. 1, 10. 1 Petr. 1, 20. [3]) Act. 9, 6. 15. [4]) 1 Cor. 4, 15. [5]) Act. 14, 23. [6]) 1 Tim. 3, 2. [7]) 1 Tim. 3, 4. 5. [8]) 1 Cor. 4, 1. [9]) 1 Tim. 1, 4. 6.

pheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. 13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, 14. non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum, aversantium se a veritate. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum[1]), sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant[2]): cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

Scribit de constituendis per civitates Presbyteris, et quales ii esse debeant; per eos redargui debere errorum magistros Judaicis fabulis deditos.

1. ***Paulus servus Dei.*** Peculiare est huic Epistolae, quod in ejus fronte *servum Dei* Paulus se nominet. Nam in aliis Epistolis, aut servum Jesu Christi, aut ejus Apostolum se vocat. Dicit autem se *Dei servum,* non solum communi ratione, qua servi Dei dicuntur, quicunque verum ac sincerum cultum Deo exhibent, et ut habet canticum Zachariae: *in sanctitate et justitia* ei serviunt, quod est omnium piorum, sed quod in familia et regno Dei certum ministerium atque officium sibi injunctum habeat. Quod quidem explicat sequentibus verbis:

Apostolus autem Jesu Christi. De hoc titulo satis alibi diximus. De eodem pulcre Hieronymus in comment. Hoc tale mihi videtur, inquit, quale, si dixisset, Praefectus praetorio Augusti Caesaris, Magister exercitus Tiberii Imperatoris. Ut enim judices hujus saeculi, quo nobiliores esse videantur, ex regibus, quibus serviunt, et ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur: ita Paulus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolorum se Christi titulo praenotavit. Haec ille. Non debet autem offendere, quod se vocet *servum Dei, Apostolum autem Jesu Christi,* quasi Christus non sit Deus: nam Christum secundum id, quod homo est et caput totius Ecclesiae, considerat. Quin potius eo, quod indifferenter modo Dei, modo Christi servum se nominat, Christum esse Deum vult intelligi.

Secundum fidem electorum Dei. Chrysostomus et ejus sequaces sic exponunt: *Christi Apostoli, cui concrediti sunt electi Dei.* Juxta quem sensum *fides* ad Paulum refertur, et eam significat virtutem, quae ab iis exigitur, quibus magnam aliquid committitur. Alii, Hieronymum secuti, phrasim Hebraeam hic agnoscunt, ut sensus sit: Servus Dei et Apostolus, seu legatus Christi in hoc missus, ut iis, qui sunt a Deo electi, fidem, qua salventur, annuntiem. Quae expositio simplicior est et Apostolico sensui congruentior, quam et Theodoretus innuit. Nec ab ea dissentiunt Theophylactus et Oecumenius, dum alterum hunc sensum adjiciunt: Apostolus sum, ut electi per me credant. Specialiter autem *electorum* meminit, non quod ii soli credant in Christum, ut perverse ex hoc loco colligunt sectarii, sed quia salus, ad quam dirigitur fides annuntiata, totumque munus Apostolicum, solis ex Dei voluntate contingit electis. Unde et ait in 2 Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur.* ***Et agnitionem veritatis.*** Expositio est ejus, quod

---

[1]) Col. 2, 20. 21. Rom. 14, 20. [2]) 2 Tim. 3, 5.

praecedit. In hoc, inquit, missus sum Apostolus, ut electi per me credant et cognoscant veritatem. Nam credere est cognoscere et recipere veritatem divinitus revelatam de rebus ad pietatem atque aeternam salutem pertinentibus. Unde addit:

2. *Quae secundum pietatem est in spem vitae aeternae.* Relativum *quae, veritatem* respicit, ut patet ex Graeco. Nec Graece est *in spem*, sed *in spe*, quemadmodum et Hieronymus legit. Itaque sensus est: Quae veritas circa pietatem, verumque Dei cultum versatur, ex quo speranda nobis offertur vita aeterna, idque juxta Dei promissionem, prout sequitur: *quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora saecularia. Qui non mentitur,* Graece ἀψευδής, quasi dicas: *immendax*, id est expers mendacii. Hieronymus in comment. et Augustinus de civit. Dei lib. 12. cap. 16. legunt: *non mendax.* Ambrosianus ac Syrus interpres: *verax.* Recte alii vertunt: *Qui mentiri nescit, non potest,* juxta quod dicit 2 Tim. 2. *Negare seipsum non potest.* Statuit enim Apostolus immobilem promissionis firmitatem ex eo, quod ille promiserit, qui fallere non potest.

Quid sit: *ante tempora saecularia,* pro quo Hieronymus et Augustinus legunt *aeterna,* Graece αἰώνια, diximus ad 1. cap. epist. 2. ad Tim. Significatur autem universum tempus, quod ab initio fluxit, quodque saeculorum nomine solet in Scriptura designari. Usitatius diceretur: *ante omnia saecula, ante mundum conditum.* Nam saecula simul cum mundo ceperunt initium, dicente Apostolo Hebr. 11. *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Leguntur quidem apud Hieronymum in comm. haec verba: Sex millia necdum nostri orbis implentur annorum, et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, Dominationes caeteraeque virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint? Ante haec itaque tempora, quae nec sermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promisit Deus etc.

Sed sive ex propria sententia scribat haec Hieronymus, sive, quod interdum facit in commentariis, ex aliena, fuit enim illa Graecorum Patrum communis opinio angelos ante mundum corporeum exstitisse, nihil ei patrocinatur Apostolus hoc loco. Tantum enim dicit Deum promisisse vitam aeternam ante omnia tempora, fuisse autem aliqua tempora ante mundum corporeum non affirmat. Nam ita dictum est *ante tempora saecularia,* sicut ad Eph. 1. *ante mundi constitutionem,* et sicut Dominus ait Joan. 17. *Priusquam mundus esset.* Quae omnia tantum valent, ac si dicatur ab aeterno, propterea quod ante mundum creatum sola fuerit aeternitas. Verumtamen in verbo *promittendi,* notanda est catachresis: nam ab aeterno proprie promitti nihil potuit, quando nullus erat, cui promitteretur.

Sed quia promittentes constituunt dare, quod promittunt; hinc Apostolus abusus est vocabulo promissionis pro decreto seu praedestinatione, ut sit sensus: Deum ab aeterno praeordinasse et constituisse dare electis vitam aeternam. Atque ea est expositio B. Augustini loco memorato. Quidam auctor *promissionem* accipit proprie, et hunc reddit sensum: Quam promisit ab antiquis temporibus, scilicet per Prophetas. Quomodo Zacharias dicit in cantico: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt Prophetarum ejus.* Vel, quam promisit ab initio saeculorum, scilicet in Paradiso, dicens ad serpentem: *Semen mulieris conteret caput tuum.* Verum hae expositiones contorquent phrasim: *ante tempora saecularia.* Nostra vero proprie accipit atque eodem modo, quo accipitur in 2 Tim. 1.

3. *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum. Temporibus suis,* Graece *propriis*, id est huic negotio praescriptis, quam alibi vocat plenitudinem temporis, Gal. 4. et Eph. 1. Sunt autem

hic et superius in Graeco diversa vocabula, pro quibus nos tempora legimus: χρόνοι et καιροὶ, quorum posterius proprie significat tempora rebus agendis opportuna seu deputata, quae nonnulli appellant momenta, ut interpres vulgatus 1 Thess. 5. et Act. 1. *Verbum suum* sive *sermonem suum* Hieronymus interpretatur Filium, qui est Verbum Patris. Hunc enim Pater manifestavit mundo per Apostolorum praedicationem. Graeci verbum Evangelii intelligunt. At contextus magis exigit, ut intelligatur verbum promittentis; ita tamen, ut metonymice significetur res promissa seu praedestinata, quasi dicat Apostolus: Quod ab aeterno Deus promisit, id nunc suo tempore manifestavit, scilicet vitam aeternam. Manifestavit autem non quidem statim exhibendo, sed palam praedicando. Unde sequitur:

In praedicatione, quae credita est mihi. Id est per praedicationem illius aeternae promissionis seu propositi divini, cujus praedicationis officium post alios Apostolos etiam mihi Paulo commissum est. *Secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei.* Id est per delegationem mihi factam a Deo Salvatore nostro. De significatione Graeci vocabuli, quod modo *praeceptum*, modo *imperium* vertit interpres, diximus exponentes initium prioris ad Timotheum Epistolae. Ex quo etiam Apostoli loco, qui huic similis est, satis intelligitur de Deo Patre sermonem esse. Porro quod Apostolatum suum Paulus hoc longiori exordio tam accurate commendat, non id facit Titi causa, sed eorum, quibus ille erat praefectus. Cum enim inter eos multi essent Judaei, iidemque Judaicis fabulis ac traditionibus addicti, ipsique Paulo iniquiores: auctoritatem suam Apostolicam, qua illi reprimerentur atque in ordinem cogerentur, in primis asserendam sibi existimavit.

4. *Tito dilecto filio secundum communem fidem.* Subaudi: *scribit hanc Epistolam. Dilecto,* Graece γνησίῳ, id est *germano,* ut legit Ambrosianus; tametsi Hieronymus, in cujus textu legitur *carissimo,* putat vim Graeci vocabuli Latino sermone non posse explicari. Sed tamen eam prope explicant haec vocabula: *vero, ingenuo, germano.* Sentit Apostolus, Titum sibi in evangelico ministerio subsidiariam operam navasse, non serviliter, sed liberaliter atque ingenue, perinde ut filium patri. Addens autem: *secundum communem fidem,* significat eum in fide Christi, ejusque sincera praedicatione, nusquam discedere ab ipsius Pauli vestigiis: cujus rei testimonia sunt in 2. epist. ad Cor. Communem ergo fidem dicit suam et Titi, ut bene exponit Hieronymus, non autem communem omnibus fidelibus, quae commendatio nimium esset generalis. Conferenda est haec salutatio cum ea, quae pene eadem est ad Timotheum in prima Epistola, ubi dicit: *Timotheo dilecto,* sive germano *filio in fide.*

Gratia et pax a Deo Patre. Graece *Gratia, misericordia, pax a Deo Patre.* Et quidem Graecos interpretes Theophylactum et Oecumenium medio loco *misericordiam* legisse, probant eorum commentarii: verum Chrysostomus inter enarrandum misericordiae non meminit, sed tantum gratiae et pacis. Hieronymus et Ambrosianus, caeterique Latini *misericordiam* nec legunt, nec explicant. Constat, Origenem non legisse scribentem in epist. ad Rom. cap. 1. initio salutationis. Denique Syrus interpres non agnoscit. Quare verisimile est, ex duabus ad Timotheum epistolis, in quibus legitur, huc quoque translatum esse. Quid autem nomine *gratiae* et *pacis* in hujusmodi salutationibus significetur, satis in praecedentibus epistolis dictum est.

Et Christo Jesu Salvatore nostro. Graece atque Syriace: *Et Domino Jesu Christo Salvatore nostro.* Sic et Ambrosianus. Epithetum *Salvatoris* Christo addendum putavit Apostolus, quia Deo id paulo ante tribuerat, ut ex communicatione nominis Filius intelligeretur non inferior Patre. Quamquam aliter Christus Salvator ut Deus; aliter ut homo. Salutem enim, quam ut Deus principaliter operatur, ut homo promeritus est nobis

sua passione. Unde et illi, ut homini, nomen Jesus, id est Salvator.

5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae.* Orditur a narratione, qua Titum reddit memorem mandati, quod discedens ei dederat. Nonnulli propter id quod legunt, *reliqui te Cretae*, et non *in Creta;* dubitant, Creta civitatis nomen sit, an regionis. Verum absque dubio regionis, sive insulae nomen est, ac Graece legitur, *in Creta,* quemadmodum et Latinius vertunt neoterici.

Ut ea, quae desunt, corrigas. Vel, quemadmodum Hieronymus legit: *ut ea, quae deerant, corrigeres.* Quamquam idem admonet in Graeco verbum esse, quod significat *supercorrigere.* Cujus emphasim tam Graeci, quam ipse Hieronymus, accurate expendunt. Significat enim Apostolus, se multa correxisse, non omnia; sed et ea, quae correxit, exactiori lima opus habuisse: hujus autem negotii curam sese Tito demandasse. Sensum hunc clarius expressit Erasmi versio, quae sic habet: *Ut ea quae desunt pergas corrigere.*

Quaeres cur non dicat Apostolus, *ut ea, quae desunt, suppleas.* Nam proprie quod deest, suppletur, non corrigitur. Respondeo cum Cajetano, Paulum, ea quae desunt intelligere, quae subterfugerant ipsius correctionem, id est quae corrigenda restabant. Non enim est Graece ὑστεροῦντα, sicut alibi; neque ὑστερήματα ut 1 Thess. 3., sed λείποντα. Quod propius expressit vetus illa versio, quae habebat, *ut quae reliqua sunt corrigas;* citante Hieronymo lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 8.

Rursum quaeres, cur non ipse Paulus opus suum absolverit, ne quid corrigendum Tito relinqueret. Primum respondeo, nullam ecclesiam ita constitui posse, quin semper aliquid restet corrigendum. Deinde, sicut ait Hieronymus, Apostolicae dignitatis erat, ecclesiarum jacere fundamenta; moxque substitutis idoneis, qui superaedificarent, ad alias orbis partes evangelio Christi imbuendas properare. Sic 1 Cor. 3.: *Secundum gratiam Dei,* inquit, *quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat.* Ubi gratiam intelligit Apostolici muneris.

Et constituas per civitates presbyteros. Graece κατὰ πόλιν, id est *per singulas civitates.* Erasmus vertit, *oppidatim;* sed minus recte. Primum, quia non omnino idem est oppidum et civitas, Graece πόλις: Concilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur; ait Tullius in Somn. Scip. Deinde, quia oppidatim fieri dicitur, quod fit per varia oppida, etsi non per omnia, aut singula; sicut ostiatim, vicatim. Quare melius vertit Hentenius: *Et constituas singulis civitatibus presbyteros. Presbyteros* autem, Latine Seniores, intellige non aetate, sed ordinatione sacra. Tametsi Graecum vocabulum, ecclesiae consuetudine receptissimum, nobis retinendum est; maxime propter haereticos, qui libenter sub novis vocabulis confusionem introducunt.

Quaeritur, quos dicat presbyteros: Num episcopos, an episcopis inferiores? Hanc quaestionem ipse Apostolus dissolvere videtur, quum seipsum interpretans paulo post subjicit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse.* Nam ex conjunctione causali manifestum est, quod de eodem loquatur. Verumtamen adhuc quaeri potest, utrum *episcopi et presbyteri* nominibus significare velit eum, quem nunc presbyterum vocamus, uti nonnullis Catholicis visum est; an eum, quem episcopum. Respondeo, episcopi nomine tam hic quam in epist. 1 Tim. 3. (de utroque enim loco prorsus idem judicium est) ex omnium interpretum et Patrum sententia, significari eum, quem ecclesiae consuetudo episcopum vocat; hoc est, qui tam ordine quam jurisdictione caeteris, qui tantum presbyteri sunt, superior est: nec tamen inde consequens esse, ut nomen *presbyteri,* prout hic accipitur, idem omnino significet, quod episcopus: sed, ut etiam episcopo sit commune.

Praecipit enim Apostolus, constitui per civitates presbyteros, qui iidem sint epis-

copi. Non ergo nomina idem significant, sed in eosdem cadunt, etsi non in omnes eosdem. Nam omnis episcopus presbyter est, non contra. Perpendatur caput 5. eccl. hier. apud B. Dionys. Quae consideratio servit etiam aliis scripturae locis intelligendis, in quibus presbyterorum, aut seniorum, aut majorum natu (quod in Graeco idem est) fit mentio. Loquitur enim interdum scriptura de presbyteris episcopis, interdum de presbyteris non episcopis.

Monet ergo Titum Apostolus, ut per civitates constituat presbyteros episcopos, scilicet singulos per singulas; nondum de presbyteris qui non sint episcopi solicitus: eo quod tunc plures haberi facile non possent, et unus, qui episcopus esset, cum adjuncto sibi diacono ad omne ecclesiasticum ministerium in illa adhuc fidelium paucitate sufficeret; quemadmodum ex Epiphanio annotavimus ad illud 1 Tim. 3. *Diaconos similiter pudicos.*

At dices: Creta centum habebat civitates, ut testantur veteres scriptores; unde et ἑκατόμπολις dicta fuit. Neque tamen ullo modo verisimile est, Titum uni Cretae insulae centum dedisse episcopos, praesertim in tanta raritate ministrorum ecclesiae. Sed sciendum imprimis, Paulum ecclesiastice loqui. Nunquam autem in ecclesia consuetudo fuit, ut omnia oppida, quantulacunque, proprios episcopos haberent; sed majora tantum et insigniora, quae et ecclesiastico more civitates vocabantur. Praeterea, de solis iis loquitur civitatibus, in quibus erant justo numero fideles, quibus episcopus attribueretur. Cujusmodi civitates tunc adhuc paucas in ea insula fuisse existimandum est.

Verum adversus ea, quae de presbyteri et episcopi discrimine diximus, objici solent, quae Hieronymus scribit tum in hujus loci comm., tum in epist. 85., quae est ad Evagrium, plane contendens, primis ecclesiae temporibus episcopum et presbyterum unum et eundem fuisse, idque ex hoc Apostoli loco et aliis, quae ibidem citat, manifesto constare. Postea vero, ad tollendas schismatum occasiones, in toto orbe decretum fuisse, ut unus de presbyteris electus, superponeretur caeteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret. Ex quo subinfert, episcopos magis ex ecclesiae consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse majores. Similia transscripsit ex Hieronymo suis in commentariis Anselmus, vel quisquis auctor.

Ad hanc objectionem quid respondendum nobis videatur, diximus in 4. Sent. dist. 24. et nunc breviter repetimus: Hieronymi sententiam esse, quod inter episcopum et presbyterum initio nascentis ecclesiae discrimen non apparuerit propterea, quod tam nomen episcopi (ut ipse quidem existimat propter verba Philip. 1.), quam ecclesiae regimen utrique quodammodo commune esset; communi enim, inquit, presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur: sed ad excludenda schismata factum, ut unus caeteris praeponeretur; hoc est, praepositus esse agnosceretur. Non enim dicit, *communi potestate,* sed *consilio presbyteros ecclesiam gubernasse.*

Erat ergo revera potestas penes unum, qui episcopus vocabatur, caeteris presbyteris usque adeo superior, ut eorum judicem fuisse declarent haec Apostoli verba 1 Tim. 5. *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* et quae sequuntur. Hinc etiam praepositus vocabatur, ut Hebr. 13.: *Mementote praepositorum vestrorum. Obedite praepositis vestris* etc. Quod nomen permansit episcopis usque ad tempora Cypriani; imo et Hieronymus in hujus loci comm. utitur. Sed et Joannes singulis ecclesiis, ad quas scribit, singulos attribuit angelos, id est episcopos. Singulariter enim ei dicitur: *Angelo Ephesi ecclesiae scribe,* non angelis, et ita in aliis. Igitur unus, quem angelum vocat et ad quem Joannes scribere jubetur, caeteris ejusdem civitatis presbyteris cum potestate praeerat; idque tempore Apostolorum.

Quare quod Hieronymus scribit, primis

ecclesiae temporibus episcopum et presbyterum unum et eundem fuisse, ac postea in toto orbe fuisse decretum, ut unus de presbyteris electus praeponeretur caeteris; mihi videtur, ut pace tanti viri dixerim, nec scripturae sacrae, nec antiquitatis historiae consentaneum. Nam et scriptura Apostolica, ut ostensum est, agnoscit episcopum presbyteris majorem, et nulla exstat historia, sed nec ullus alius scriptor ecclesiasticus, qui mentionem faciat illius decreti, de quo loquitur Hieronymus.

Quod si hac in parte placet Hieronymo deferre: poterimus dicere, fuisse quidem, quamvis non ita conspicue, propter communem gubernationem. Illud quoque notandum in verbis Hieronymi, non eum negare, episcopos dispositione Dominica presbyteris esse majores: sed id esse dicit ex ecclesiae consuetudine magis, quam dispositionis Dominicae veritate, quia nimirum ecclesiastica consuetudo, seu constitutio, ad eminentiam episcoporum multa adjecit; velut locum in ecclesia excelsiorem, quem Graeci θρόνον vocant et ornamenta peculiaria; item variarum rerum consecrationes; excepta tamen ordinatione et consignatione, quas ipsemet Hieronymus excipit; alteram in epistola ad Evagrium, alteram in dialogo contra Lucif.

Additio. B. P.

Non potuit B. Hieronymus ignorare, episcopum esse majorem aliis presbyteris tam jurisdictione quam ordine, jure etiam divino: sed oratorio more per quandam hyperbolen, ex certis causis, extollit presbyterorum dignitatem. In epist. quidem ad Evagrium, ut quorundam diaconorum arrogantiam comprimeret, qui sese presbyteris anteferebant vel anteferri patiebantur. Id Hieronymus perinde esse ait, ac si anteferantur episcopis, quid enim magnum habet episcopus prae presbyteris aliis; qui in re omnium maxima illi pares sunt, in potestate consecrandi corpus Domini? In Comment. autem hujus loci videtur hoc agere Hieronymus, ut quorundam episcoporum fastum deprimat, qui insolenter presbyteris dominabantur et injuste vinculum excommunicationis injiciebant. Credibile est, illum prae oculis habuisse Joannem Hierosolymae episcopum; de quo sciunt eruditi quantopere afflixerit Hieronymum et fratrem ejus Paulinianum, omnesque fautores eorum. Legantur apud Hieronymum epist. 60. 61. 62. Supra ex Epiph. dictum est et res ipsa loquitur, quod tempore Apostolorum multae ecclesiae unicum haberent presbyterum, qui idem esset episcopus. Eae certe non regebantur communi presbyterorum consilio, quod ait Hieronymus.

Obiter hoc loco notandum adversus nostrae aetatis sectarios, ex eo quod Tito praecipitur, ut presbyteros, sive episcopos per civitates constituat, satis ostendi, non ad saecularem magistratum aut principem pertinere, ut aut ordinet aut constituat ecclesiae ministros, sed ad ipsius ecclesiae praefectos, quales utique erant Titus et Timotheus.

Sicut et ego disposui tibi. Graece et Syriace: *Sicut ego tibi ordinaveram,* sive *praeceperam.* Significat se ea per literas repetere de constituendis episcopis, quae coram praeceperat. Res enim tanti momenti diligenter erat inculcanda. Videtur autem adverbium *sicut* ad qualitatem pertinere, quasi dicat: Tales constitue episcopos quales praecepi. Id enim explicat sequentibus verbis.

6. *Si quis sine crimine est.* Sicut in epist. 1. ad Tim. 3. recensuit notas episcopi constituendi, ita et hoc loco. Inter eas prima est, ut *sit sine crimine,* vel ut alii vertunt, *inculpatus;* tametsi Graeca vox non significat eum, in quo nihil omnino culpae resideat (sunt enim multae leves culpae, sine quibus haec vita non ducitur), sed qui sic vixerit, ut nullus eum merito possit in crimen vocare, quique sit, ut vulgo dicitur, boni nominis et famae. Nam qui infamia notatus est, auctoritatem amisit; sine qua cum fructu praeesse non potest. Haec episcopi nota seu proprietas etiam in epist. ad Tim. primo loco posita est, quamvis sub alio

vocabulo, quando dixit, *oportere Episcopum esse irreprehensibilem.* Idem enim utrobique significatum est. Vide quae ibi dicta sunt ad vers. 2. et 10.

Unius uxoris vir. Quem dicat unius uxoris virum, late prosecuti sumus in comment. prioris epist. ad Tim., ubi refutatis aliis, partim haereticorum partim etiam Catholicorum quorundam expositionibus, ostendimus, hunc esse germanum Apostoli sensum, ut is intelligatur unius uxoris vir, qui, si uxorem habeat, aut habuerit, non tamen acceperit secundam, sed una contentus vixerit. Quem sensum non modo Hieronymus caeterique Latini tradiderunt; verum etiam probant, ac solum agnoscunt, in hunc locum scribentes auctores Graeci Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius. Quamquam ad probationem sufficere poterat Ecclesiae Catholicae praxis perpetua; qua, propter hanc Apostoli legem, digamos, id est eos qui priore defuncta aliam duxissent uxorem, ab episcopatu repellit. Quae vero sit hujus praecepti ratio, moralis, an mystica, similiter a nobis explicatum est loco memorato, ut non sit opus hic, eadem dicere.

Filios habens fideles. Non solum exigit, ut ipse episcopus expers sit criminis; verum etiam, ut filios habeat integritati paternae respondentes. Cujus praecepti rationem assignat in prima ad Timotheum dicens: *Si quis domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?* Primum autem est, ut ejus filii, si quos habet, *fideles sint,* id est Christi fidem professi. Nam quomodo externos ad fidem sua praedicatione adducet, qui ne domesticis quidem suis ac liberis potuerit fidem persuadere? Qua de re exstat canon Concilii Carthaginensis tertii, prohibens, ne quis episcopus, presbyter, aut diaconus ordinetur, priusquam omnes suos domesticos Christianos Catholicos fecerit.

Non in accusatione luxuriae. Ita ad verbum reddidit interpres, quod alii sic vertunt: *Non obnoxios crimini luxus,* id est qui de luxu non possint accussari. *Luxus,* seu *luxuria,* Graece ἀσωτία, non in sola libidine carnis intelligitur, sed toti generi temperantiae opponitur; comprehendens ebrietates, comessationes, fornicationes, ac caeteras impudicitias; denique omnem immoderatum et inhonestum rerum usum.

Aut non subditos. Negatio repetenda est ex parte praecedenti. Quod ut commodius fiat, alii vertunt, *aut intractabiles,* sive *immorigeros;* sive quod legit Ambrosianus, *inobsequentes.* Graeca dictio significat eos, qui subjici nolunt, qui in ordinem cogi non possunt. Hanc quoque notam cum superiore posuit in Epistola ad Tim. ita scribens: *Filios habentem subditos, cum omni castitate.*

7. *Oportet enim episcopum sine crimine esse.* Ad qualitates ipsi Episcopo inhaerentes redit, ac repetit, quod primo loco dixerat, ut alia addat ejusdem generis. Simul declarat, se non de quibuscunque presbyteris, tametsi hoc nomine fuerat usus vers. 5., agere, sed de iis, qui sunt episcopi.

Sicut Dei dispensatorem. Hoc est, *tanquam Dei vicarium* ac ministrum in dispensatione Evangelii et sacramentorum. *Sic nos,* inquit, *existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei,* 1 Cor. 4. Redundat autem infamia dispensatoris in Dominum ipsiusque dispensationis ministerium. Unde rursus ait 2 Cor. 6. *Nemini dantes ullam offensionem; ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* etc.

Non superbum. Hieronymus et Ambrosianus legunt, *non protervum.* Erasmus et Hentenius vertunt, *non praefractum,* id est sui sensus ac judicii tenacem, qui ratione non dimoveatur ab eo, quod semel animo concepit. Quod vitium est hominis superbi sibique placentis: in Episcopo autem, qui omnibus omnia fieri debet, intolerabile. *Non iracundum.* Hoc quoque vitium vehementer Episcopum dedecet; quem oportet *esse mansuetum ad omnes, et cum mo-*

destia corripere eos, qui resistunt 2 Tim. 2. *Non vinolentum, non percussorem.* Haec duo eadem, eodemque ordine conjuncta habentur in priore ad Tim., de quibus satis eo loco dictum est.

Non turpis lucri cupidum. Hujus loco ad Timotheum dixit: *non cupidum,* sive *non avarum:* unde apparet, Apostolo eundem esse *avarum,* et *turpis lucri cupidum.* Quod quidem verissimum esse probat experientia. Nam homo avarus nihil pensi habet, unde et qua ex causa accipiat, tantum intentus, ut rem augeat. Hinc illud Satyricum: Unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere. Item: Lucri bonus est odor ex re qualibet. Erasmus vertendum putavit: *Non turpiter lucro deditum.* Sed cur ea versio nobis non probetur, rationem dedimus, exponentes illud de diaconis in prima ad Tim. cap. 3. *Non turpe lucrum sectantes.* Est enim idem in Graeco vocabulum. Eum ergo *turpis lucri cupidum* interpretamur, qui lucrum captat undecunque, etiam repugnante honesti ratione. Hanc notam expendant parochi et episcoporum officiarii, qui jura sua, quae vocant, ita severe exigunt, etiam a tenuioribus, ut remissioni nullus sit locus. Id autem si turpe judicatur in minoribus, quanto magis in Episcopo?

8. *Sed hospitalem, benignum.* Hucusque vitia recensuit, quae abesse debent ab Episcopo; nunc adjicit virtutes ei necessarias, quae quidem bona ex parte vitiis illis opponuntur. De hospitalitate, quam in Episcopo commendat, in quo praecipue sita sit, diximus in prima ad Tim. Et eodem pertinet, quod nunc addit, *benignum,* Graece φιλάγαθον, id est *amantem bonorum,* scilicet *hominum;* ut intelligat Episcopus, non hoc a se exigi, ut malis et improbis hominibus, aut assentatoribus, mensam habeat expositam, sed ut consuetudine bonorum delectetur, eosque mensae suae adhibeat; idque juxta praeceptum Eccles. 12. *Da bono, et non receperis peccatorem.* Unde et laudatur a Possidio B. Augustini factum, qui disticho palam affixo profitebatur alienae famae detractores sua mensa esse indignos.

Erasmus *bonum* ad res ipsas referre maluit; vertit enim, *bonarum rerum studiosum.* Idem sentire videtur Augustinus lib. 14. de civit. Dei cap. 7. ubi legit, *amatorem boni.* Sed multo probabilius est, ut ad personas referatur: sic enim melius cohaeret cum parte praecedenti, ut jam ostensum est; praesertim cum ita venustius in Graeco conjungantur φιλόξενον, φιλάγαθον: quasi dicere velit Apostolus, *amatorem hospitum, sed bonorum.* Certe Graecum ἄγαθος usitatius de personis dicitur, quam de rebus. Porro idem est judicium de privativo vocabulo ἀφιλάγαθος, quo usus est Apostolus in 2 Tim. 3., ubi nos habemus, *sine benignitate.*

Sobrium. Multi vulgatae editionis codices legunt, *prudentem, sobrium:* sed plures, iique antiquiores et meliores, *prudentem* omittunt; adstipulante etiam Clementina editione. In Graeco tantum est σώφρονα, quod dum alius *prudentem,* alius *sobrium* vertit, factum est improba quorundam diligentia, ut ambae versiones conjungerentur. Quod et accidit 1 Tim. 3. in vocabulis *prudentem* et *pudicum,* ex hac eadem Graeca dictione redditis; sicut eo loco monuimus. Caeterum Ambrosianus hic legit *prudentem.* Id vero Hieronymus reprehendit, substituens *castum,* seu *pudicum.* At Syrus interpres nostro consentiens eam dedit vocem, quae *sobrium* significat. Atque hoc nobis prae caeteris probatur, modo sobrium intelligas eum, qui rebus moderate utitur, atque in omni actione temperate se gerit. Quae virtus est Episcopo summopere necessaria. Vide quae de eadem voce diximus 1 Tim. 3.

Justum, sanctum. Justum, qui innocenter inter homines versetur. *Sanctum,* qui pure et incontaminate Deum colat. Has duas virtutes conjunxit in suo Cantico Zacharias. Graece est ὅσιον, non ἅγιον. Quae duo, teste Hieronymo, ita differunt, ut hoc significet purum a vitiis, illud insuper addat pietatem in Deum.

Continentem, Graece ἐγκρατῆ, quod alii vertunt *temperantem.* Hieronymus *abstinentem* legit; ut is significetur, qui cupiditates refraenat, eas potissimum, quae sunt a libidine et gula. Haec virtus in numero fructuum spiritus, quos ad Galatas S. Paulus enumerat, extrema est.

9. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Non satis est Episcopo, si inculpate vivat, nisi etiam doctus sit, et, quod praecipuum est Episcopi munus, alios docere possit. Id quidem ad Timotheum dixit uno verbo, *doctorem;* sed hic pluribus explicat. Ac sicut ibi doctorem intellexit, non cujuscunque scientiae, sed ejus, quae secundum pietatem sit; ita et hic doctrinam vult intelligi pietatis Christianae. Sic ad Rom 12. *Qui docet, in doctrina.* Graecum participium ἀντεχόμενον, quod noster interpres vertit *amplectentem,* proprie significat eum, qui adhaeret alicui rei, velut unguibus affixus, nec avelli se patitur. Unde textus Ambrosianus ita legit: *Tenacem ejus sermonis, qui* etc. Proinde sensus est: Oportere Episcopum esse talem, qui tenaciter ac mordicus adhaereat fideli sermoni, quo salutiferam doctrinam aliis tradat. *Fidelem sermonem* suo more vocat eum, qui est certae et exploratae veritatis; ut in utraque Epistola ad Tim.

Ut potens sit exhortari in doctrina sana. Graeca et Syra, suffragantibus Latinis quibusdam, conjunctionem interponunt: *Ut potens sit et exhortari.* Sensus est: Ad hoc volo Episcopum esse instructum verbo veritatis, ut non solum docere alios possit, verum etiam potens, hoc est, sufficiens et idoneus sit, qui exhortetur ad pietatem, et ad omne genus virtutis; idque per sanam, integram et incorruptam Evangelii doctrinam. *Et eos, qui contradicunt, arguere.* Id est, qui sanae doctrinae resistunt et obloquuntur, tum Scripturae testimoniis, tum firmis rationibus revincere. Hujusmodi *contradictores* maxime sunt haeretici, quales illo tempore erant Judaizantes. Hos enim notat in sequentibus.

Jam ut in summam colligamus, quae praeter integritatem vitae Paulus in Episcopo requirit, ea sunt: Primum, ut sit doctus: secundum, ut doctrinam veritatis constanter teneat: tertium, ut doceat alios: quartum, ut idoneus sit ad exhortandum: quintum, ut etiam potens sit ad redarguendum contradicentes. Porro cum nemo dixerit, universa haec officia a quibuslibet exigi presbyteris; agnoscit enim Apostolus 1 T. 5. presbyteros bonos, nec tamen laborantes in verbo et doctrina: manifeste consequens fit, Episcopi nomine non posse hoc loco quemvis presbyterum intelligi. Verumtamen, ne per hoc presbyterorum inscitiae patrocinari videamur: Hieronymi verbis admonemus, hunc locum adversus eos facere, qui inertiae se et otio et somno dantes, putant peccatum esse, si Scripturas legerint, et eos, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos inutilesque contemnunt.

10. *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, et seductores.* Causam reddit, cur Episcopum velit esse potentem ad exhortandum et redarguendum, nominatim apud Cretenses. Ad eos enim peculiariter respicit, ut ex sequentibus patet. Est autem tacitus hic transitus ad haereticorum increpationem; adversum quos agit usque ad finem capitis. *Sunt enim,* inquit, *inter illos multi inobedientes,* hoc est, intractabiles, refractarii, quique Christianam disciplinam non ferant. Est enim idem in Graeco vocabulum, quod supra vertit: *Non subditos;* quomodo et hic legit Hieronymus. Item *vaniloqui,* Graece ματαιολόγοι, qui inania frivolaque loquuntur ac docent; qui fabulosis narrationibus et doctrinis auditorem detinent. Denique *seductores,* Graece φρεναπάται, hoc est, mentium deceptores, ut habet Hieronymi textus; id est, qui pravis opinionibus mentes hominum inficiunt, qui errores seminant inter fideles. Rem postea specialius explicat. *Maxime, qui de circumcisione sunt.* Id est Judaei. Nam et Creta multos habebat ex dispersione Judaeos. Unde Act. 2. inter caeteros,

qui Hierosolymae erant die Pentecostes, Judaeos, etiam Cretes recensentur.

11. *Quos oportet redargui.* Graeca sic sonant: *Quibus oportet ora occludere* aut *obstruere.* Atque ita Syrus interpretatur. Hieronymus sic legit: *Quibus oportet silentium indici.* Sed aliud est silentium indicere, quod est imperantis; aliud, redarguendo cuipiam os obstruere, quod officium hic ab Episcopo exigitur; juxta id quod supra dictum est, oportere episcopum esse talem, qui *potens sit, eos, qui contradicunt, arguere,* id est erroris convincere. Itaque sensum reddidit noster interpres. Quamvis enim haereticus etiam manifeste convictus obstrepere nunquam cesset, censetur tamen os ei obturatum, quando redargutus est, ut cum ratione non habeat amplius quod dicat.

Qui universas domos subvertunt. Graece *totas.* Rationem indicat, cur oporteat Episcopum adversus ejusmodi vel maxime vigilare, et intentum esse officio: quia non leve est, inquit, detrimentum, quod adferunt Ecclesiae. Non enim paucos aliquot fideles sua doctrina pervertunt, sed totas familias subvertunt, subtrahentes spiritualis aedificii fundamentum, quod est fides. Metaphora sumpta a domo materiali, quae subvertitur evulso fundamento. *Docentes, quae non oportet.* Plus intelligi vult quam dicit: nam sensus est, docentes falsa et noxia, quae faciunt ad subversionem fidei. *Turpis lucri gratia.* Significat, eos avaritia excaecatos falsa docere; dum quaestum existimant pietatem, ut ait 1 Tim. 6. Nam doctores, qui se ad quaestum componunt, facile persuadent, ea vera esse, et pietati consentanea, quae grata vident auditoribus, in quorum manus respiciunt.

12. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta.* Pronomen *illis,* non Judaeos refert, sed Cretenses in genere; quanquam eorum multi erant Judaei, quo tempore Paulus haec scripsit: ut supra dictum est. *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.* Versus est hexameter in Graeco; quem simili versu Latino sic reddas, solo mutato numero:

Res semper mendax, mala bestia, venter iners est.

Falluntur autem, qui hunc versum Callimacho poëtae tribuunt: nam is patria Cyrenensis fuit, non Cretensis: nec apud eum integer habetur hic versus, ut et B. Hier. notat Epist. 84., sed ex eo dumtaxat hemistichium illud: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, inseruit hymno suo, quem scripsit in Jovem; coarguere volens Cretensium vanitatem, quod apud se esse dicerent Jovis sepulchrum; qui, ut ait, nunquam moritur, sed semper vivit. Caeterum versus integer est apud Epimenidem Cretensem, Callimacho vetustiorem, in libro περὶ χρησμῶν, id est de oraculis.

Unde etiam ratio colligi potest, cur eum Paulus *prophetam* vocet. Non enim, ut quidam volunt, *propheta* Paulo hic idem est, quod poëta, quasi loquatur ethnicorum more, qui poëtas suos solent vates appellare, quod eos numine quodam agi censerent: nam alibi suo nomine poëtas appellat, ut Act. 17. *Sicut et quidam,* inquit, *vestrorum poëtarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.* Sed *prophetam* vocat Epimenidem, quod de oraculis scripsisset et rerum arcanarum notitiam profiteretur. Unde Apulejus inclytum fatiloquum eum fuisse scribit, lib. 2. Floridorum.

Neque tamen absolute eum *prophetam* dicit Apostolus, quem noverat a cultu veri Dei alienum; *sed proprium ipsorum,* id est Cretensium, prophetam. Quod ita videtur intelligendum: Vatem seu prophetam domesticum, et ab ipsismet Cretensibus pro tali habitum: cujus proinde testimonium adversus eos merito proferatur.

Porro *Cretenses* adeo *mendaces* passim audierunt, ut locum dederint proverbio apud ethnicos ipsos: Cum Cretensibus cretizandum esse; quo significabant, adversus mendaces utendum mendacio. *Malae bestiae* vocantur, quod essent ad nocendum prompti, more bestiarum earum,

quae ictu, morsuve venenum relinquunt. Hoc enim genus animalium Graeco nomine θηρία proprie significatur; maxime si addatur epitheton κακὰ, *mala*, tametsi non ignorem θηρίον aliquando de jumento dici, ut Heb. 12. ***Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.*** Ob hujusmodi causas arbitror Cretenses vulgari dicterio fuisse inter tria cappa pessima recensitos hoc versu:

Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες, τρία καππὰ κάκιστα.

Hoc est:

Cretes, Cappadoces, Cilices, tria pessima cappa.

Denique *ventres pigri* sunt appellati, quod gulae et inerti otio essent dediti. Sunt, qui distinguant haec duo vocabula, sic ut tertio loco *ventres*; quarto, *pigri* vocentur: *ventres* a studio gulae et voluptatum corporis, *pigri*, ab inertia. Nobis magis placet, ut conjungantur.

13. *Testimonium hoc verum est.* Satis indicat, se non omnia illius poëtae probare: non enim divina scribebat oracula, sed vel daemonum responsa, vel humana commenta. Hoc tamen, inquit, testimonium, quo suos insulares notat vanitatis, maleficentiae et inertis gulae, adeo verum est, ut oraculum videri possit. Noverat hoc Paulus experientia doctus, et fama publica: neque tamen desperabat apud eos Evangelii fructum, utpote confisus virtuti gratiae Dei per Christum, quem illis praedicabat. At neque ista scribens, maledicus est, aut contumeliosus in Cretenses; sed gentis ulcera commemorat medico, quem eis reliquerat, videlicet Tito, cui dixit: ***Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas.*** Hoc enim est, quod jam sequitur.

Quam ob causam increpa illos dure. Graece, *argue, redargue illos severiter*, vel, ut Hieronymus legit, *acriter*, quasi dicat: Ne eis parcas, ne dissimules. Adverbium ἀποτόμως, quo utitur etiam 2 Cor. ult., ubi nos habemus: ***ut non praesens durius agam,*** sumptum videtur a medicis, aut chirurgis, qui carnem emortuam, aut putrescentem ad vivum resecant. Hinc est, quod quidam neotericus opinatur hic praecipi Tito, ut excommunicationis gladio eos, de quibus loquitur, abscindat a reliquo corpore. Quo sensu dictum ostendimus illud ad Gal. 5. *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant.* Verum hoc, etsi de loco memorato ad Cor. probabiliter dici queat, huic tamen loco non convenit, ubi generatim agitur de vitiis gentis increpatione corrigendis. Itaque sensus est: Quum tales sint, tu eos ita redargue rationibus e verbo Dei petitis, ut ulcera eorum ferro increpationis tangas, et quod vitiosum est, ad vivum reseces. Hanc enim vim habet adverbium Graecum, etiam apud profanos auctores. Loquitur autem Apostolus de fidelibus, in quibus adhuc haerebant prioris conversationis vitia.

Sed hic duplex occurrit dubitatio: Una, quomodo mandet Tito, ut dure Cretenses increpet, cum in 2. ad Tim. 3. velit, servum Domini mansuetum esse ad omnes, et cum modestia corripere etiam eos, qui resistunt? Altera: Quomodo praecipit eos hic dure increpari, qui cibos aliquos velut ex lege immundos rejiciebant; nam et de iis Apostolum loqui sequentia probant: cum Rom. 14. tales jubeat velut infirmos tolerari. Ad priorem dubitationem respondeo, debere quidem episcopum esse mansuetum ad omnes, quoad animi praeparationem; non semper tamen utendum mansuetudine, sed interdum severitate, quemadmodum suo loco explicatum est. Unde ipse Apostolus 1 Cor. 4. *Quid vultis?* inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* Neque vero cum dicit: *Increpa illos dure,* lenitatem correptionis excludit, sicubi magis profutura videatur.

Ad alteram respondetur, Apostolum ad Romanos scribentem agere de infirmis in fide, quia a paterna consuetudine non ita statim avocari poterant, quos proinde vult ad tempus tolerari, donec perfectius instituantur: hic autem agit adversus obstinatos quosdam et indociles, qui non

contenti privata observatione discriminis ciborum aliarumque legis ceremoniarum, etiam gentilibus, ad quos lex Mosaica nihil pertinebat, easdem observantias imponere et persuadere nitebantur; idque adeo cum opinione, quod cibi lege quondam vetiti per se essent immundi. Quae doctrina plane erat perniciosa. Unde et hic ab Apostolo vocati sunt *seductores* seu mentium deceptores. Quanquam et illos taxat Apostolus, qui talibus magistris temere credebant. Sed de hac re plura diximus in comm. epist. ad Rom. ad illud cap. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.*

Ut sani sint in fide. Id est, ut integritatem doctrinae Christianae conservent, ac quidquid ei contrarium suggeritur, respuant. *Sanitatem* Apostolus modo ad doctrinam, modo ad animum refert translatione quadam, qua sanum id dicitur, quod sincerum et incorruptum est, ac vitii expers.

14. *Non intendentes Judaicis fabulis.* Graece *non attendentes*, uti legunt Hieronymus et Ambrosianus. Sensus enim est: Ne seductoribus illis Judaeis, de quibus supra, fabulas suas Judaicas venditantibus aurem praebeant. Quas autem vocet *fabulas Judaicas* hoc loco non omnino certum est. Chrysostomus ceremonialia legis Mosaicae significari putat, quatenus post Christum observanda proponuntur tanquam ad salutem necessaria, sicut isti Judaizantium magistri faciebant. Sed durum videtur, ut legem divinam, quatenus ceremonialia complectitur, Apostolus contemptibili nomine fabulas vocet. Alii de traditionibus seu praeceptis Pharisaicis interpretantur. Sed de his agitur in parte sequenti.

Quare verisimilius est, hic intelligi fabulosas narrationes a Rabbinis Judaeorum excogitatas et auditoribus tradi solitas pro vera historia, quasi ad intelligentiam Scripturarum necessaria. De quibus etiam interpretati sumus illum locum 1 Tim. 1. *Neque intenderent fabulis.* Ab his avocandi erant fideles; primum, ne assuescerent fabulis aures accommodare, praesertim in rebus sacris, deinde quia sub cortice fabularum non raro latebat impietas.

Et mandatis hominum aversantium se a veritate. Graece et Syriace: *aversantium veritatem,* quod et Latinius dicitur et significantius. Alioqui dicendum erat: *avertentium se a veritate.* Scriptura quoties de mandatis et traditionibus hominum in malam partem loquitur, ea semper intelligit, quae sic ab hominibus instituta sunt aut praecepta, ut aut omnino nihil ad pietatem conducant aut etiam pietati ac legi Dei repugnent. Utriusque generis exempla referuntur Matth. 15. et 23. et Marc. 7. Prioris quidem generis, lotiones multae supervacaneae: posterioris vero, Corban et juramenta per templum et altare. Vocantur autem hominum mandata, quod ab humano sensu ac spiritu profecta sint; quatenus scilicet homo a se ipso movetur, et non a Deo. Qua ratione etiam illud ab Apostolo dictum est 1 Cor. 3. *Nonne homines estis?* Huc ergo pertinent Deuteroses, quas vocant, et Thalmudicae traditiones a Rabbinis Hebraeorum etiam post Apostolorum tempora excogitatae, ineptiarum et impietatis plenae.

At vero nimis impudenter hunc locum detorquent haeretici contra constitutiones ecclesiasticas et pontificias, quasi sint, juxta locutionem Scripturae, hominum mandata ac non potius Dei, qui dedit potestatem talem hominibus, Christo ad eos dicente: *Qui vos audit, me audit* Luc. 10., quemadmodum plenius a nobis declaratum est ad illud Col. 2. *Secundum praecepta et doctrinas hominum.* Quanquam hoc loco Paulus manifeste seipsum explicat. Non enim simpliciter dicit: *Mandatis hominum,* sed addit *aversantium veritatem,* scilicet evangelicam, quae (inter caetera) docet id, quod sequitur:

15. *Omnia munda mundis.* Innuit hac parte, quonam potissimum respexerit, loquens de *mandatis hominum,* videlicet ad ea, quibus multarum rerum, tanquam immundarum, vel esus, vel contactus prohibebatur. Cujusmodi praecepta

notat Col. 2. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Qui locus cum isto conferendus est. Sciendum est enim, eos, contra quos tam hoc loco, quam ad Col. agit Apostolus, non solum voluisse legalia, quae a Mose tradita erant, imponere gentilibus ad Christum conversis; verum etiam multa alia adjecisse observanda, quae ex majorum traditione acceperant, maxime circa cibos usumque rerum. Insuper autem docuisse, quidquid seu lege seu traditione vitandum praecipitur velut immundum, id sua natura tale esse, ut immundum reddat hominem edentem, tangentem, utentem.

Itaque duplici nomine tradebant hominum mandata. Primum, quod legi divinae praeceptiones adjungerent a se adinventas atque a spiritu Dei alienas. Deinde quod immunditiam legalem in Dei injuriam prave interpretarentur, quasi per seipsum, ut loquitur Apostolus Rom. 14., aliquid esset commune et immundum. Igitur adversus hujusmodi mandata hominum dicit: *Omnia munda mundis,* ac si dicat: In creaturis Dei nihil est ex se immundum, sed omnia munda sunt mundis, hoc est, bene et sancte utentibus. Jam autem, ut bene rebus utantur homines, imprimis opus est fide, qua credant omnia esse munda. Nam in lege quidem veteri multa prohibebantur velut immunda, sed significatione, non natura; quemadmodum hunc locum tractans explicat Augustinus lib. 31. contra Faustum cap. 4. Propter quam causam Israëlitis, tanquam figurativo populo, talium rerum esus aut contactus erat illicitus, non autem gentilibus. Unde in Levitico non simpliciter immunda vocantur, sed passim dicitur: *Hoc aut illud immundum erit vobis,* id est, propter immunditiae significationem vobis prohibitum.

Ex his igitur facile est, hodiernis sectariis respondere, dum ex hoc loco calumniam faciunt Ecclesiae Christi, propterea quod ciborum quorumdam abstinentiam fidelibus interdum indicat. Non enim id facit errore Judaizantium aut haereticorum, qui cibos aliquos dixerunt immundos, sed ut per hujusmodi abstinentiam fideles Deo pro peccatis satisfaciant, carnis lasciviam doment, mentemque promptius in Deum elevent. Sed replicat Calvinus, Apostolum non alio sensu cibos omnes puros vocare, nisi quia liber omnium usus est, quoad conscientiam, quod non erat tempore veteris legis propter prohibitionem divinam. Resp. Si vera sunt, quae dicit Calvinus: graviter ergo libertatem Christianam laeserunt Apostoli, quando Act. 15. gentilibus injunxerunt abstinentiam a suffocatis et sanguine. Rursum, si vera dicit, igitur tempore veteris testamenti dici non poterat: *Omnia munda mundis,* ac ne quidem post adventum Christi, usque ad ejus passionem. Quod quam falso et impie dicatur, ipse Christus ostendit, qui urgente adhuc lege dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quae de corde procedunt.* Matth. 15. Hoc autem, quid aliud est dicere, quam: *Omnia munda mundis,* et quod sequitur. Manet ergo ratio, quam diximus, et quam ipse etiam Apostolus alibi manifestius asserit, dicens: *Omnem creaturam Dei bonam esse,* 1 Tim. 4. Et cum ait Rom. 14. se scire ac certo persuasum esse, quod *nihil per seipsum commune sit; nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* Unde et hic consequenter dicit:

Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum. Hanc sententiam nonnulli ita generaliter acceperunt, ut ex ea colligerent, nec eleemosynam, nec ullum aliud opus hominis infidelis mundum esse, sed peccatum quidquid ab eo fieret. Verum hoc pacto etiam contra sequeretur, omnia fidelium et justorum opera munda esse, quoniam hoc praecessit: *Omnia munda mundis,* eritque falsum: *Non est justus in terra, qui non peccet,* Eccles. 7. Igitur Cajetanus et alii haec absurda fugere volentes, dixerunt, Apostoli sermonem esse formalem, de coinquinatis scilicet et infidelibus quatenus tales sunt. Nam ex infidelitate et mente inquinata nulla potest actio munda procedere, sed

quaecunque procedit, immunda est impuritate peccati. Hic sensus etsi verus est, non tamen hic ab Apostolo spectatus. Non enim de actionibus loquitur, sed de rebus.

Quare dicendum est, Apostolum, sicuti dixit: *Omnia esse munda mundis,* id est, fideliter ac bene utentibus, sic et e diverso pronuntiare, quod *coinquinatis et infidelibus,* id est iis, qui per immunditiam cordis aut per infidelitatem Dei creaturis vel abutuntur, vel quasi essent impurae, non utuntur; nihil esse mundum, sed omnia immunda. Non quod creatura Dei veram contrahat immunditiam per malum usum aut falsam opinionem hominum, sed partim quia conscientia hominis existimantis aliquid immundum esse facit, ut quamdiu ea conscientia ipse laborat, ea re sine peccato uti nequeat; non secus ac si res vere immunda esset; quomodo Rom. 14. ab eodem Apostolo dictum est, ei, qui existimat aliquid commune esse, illi esse commune, unde et ibidem generaliter concludit: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est:* partim vero, quia sicut res simpliciter bona fit mala male utenti; ita res simpliciter munda fieri dicitur immunda abutenti per cordis immunditiam. In hunc fere sensum Apostoli verba tractat Augustinus loco memor. contra Faustum, ubi etiam ostendit, ea praecipue quadrare in Manichaeos, quibus, inquit, omnino nihil est mundum, quia scilicet docebant, omnes cibos propter mali principii commixtionem esse immundos. Confirmat eundem sensum id, quod sequitur:

Sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia. Haec adversativa continet in se causam partis superioris; estque sententia sic explicanda: *Coinquinatis et infidelibus nihil est purum, sed omnia impura,* quia nimirum *inquinata est eorum mens et conscientia;* mens, quia per errorem res per se mundas judicant esse immundas; conscientia vero, qua errante seipsos ad opus applicant in utramvis partem. Nam qui persuasus est verbi gratia, suillam esse immundam, sive comedat sive abstineat, peccat. Comedit enim, contra conscientiam mentisque suae dictamen; abstinet autem, contra fidei veritatem. Ita *conscientiam* hic interpretatur Cajetanus. Alii *conscientiam* accipiunt pro animo sibi conscio. Sic enim accipitur aliquoties in utraque ad Timoth. epist. Ita sensus erit, inquinatam esse eorum conscientiam, quia sibi multorum scelerum conscii sunt. Huic intellectui congruunt sequentia:

16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Id est, profitentur unius veri Dei notitiam et cultum; sed quem ore confitentur, factis negant, quia facta professioni nequaquam respondent, utpote praeceptis Dei, cujus notitiam jactant, omnino contraria. Manifeste notatur Judaeorum hypocrisis, qui cum veri Dei notitiam sibi peculiariter prae omnibus gentibus vendicarent, et sanctitatem Deo dignam promitterent; rebus tamen ipsis nihil minus exhiberent. Loca similia sunt Rom. 2. et Jac. 2.

Cum sint abominati et incredibiles. Graece: *Cum sint abominabiles et impersuasibiles.* Hieronymus et Ambrosianus legunt, *execrabiles et inobedientes.* Vocat eos Paulus abominabiles, propter vitae morumque impuritatem; impersuasibiles autem, hoc est pervicaces, nec ullam admittentes rationem, qua possit eis veritas persuaderi. Non solum ergo Deum negabant moribus legi divinae contrariis, verum etiam pervicacia non credendi verbo ejus, quem nosse se gloriabantur.

Et ad omne opus bonum reprobi. Hanc quoque partem ita generaliter interpretati sunt quidam, ut ex ea consequens sit, infideles nihil vel moraliter bonum agere posse. Verum multo rectius alii *bonum opus* intelligunt, quomodo Scriptura de bonis operibus loquitur, id est, opus verae pietatis, cujus fundamentum est fides. *Ad omne* enim hujusmodi *bonum opus* hi, contra quos agit Apostolus, *erant reprobi,* propterea quod doctrinae sanae pertinaciter resisterent; in eo maxime, quod ex lege Mosaica justitiam quaerentes, gratiam Christi re-

spuerent, ejus nimirum, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere,* Joan. 15.

Est quidem omnibus infidelibus et Christi gratiam ignorantibus commune, quod juxta hunc sensum sint ad omne bonum opus inepti; quemadmodum aperte testatur Apostolus Rom. 3. adscribens eis illud Davidicum: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed istis Judaizantium magistris hoc attribuit peculiare, quod ad omne opus bonum *reprobi sint* ac rejectitii, id est, merito suae obstinationis, qua nullam admittunt fidei persuasionem, ita derelicti a Deo, ut quasi desperata sit eorum conversio, qua ad opera verae pietatis proficiant. Quanquam id ipsum et de aliis haereticis obstinatioribus vere dici potest. Quod si generatim de opere moraliter bono quis malit Apostolum intelligere; sensus erit: Illos sanae doctrinae adversarios adeo mente corruptos esse, ut vix quicquam boni operis ab eis, dum tales sunt, exspectari possit. Sed et hoc de plerisque haereticis veritatem habet.

CAPUT SECUNDUM.

Tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam: 2. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide [1]), in dilectione, in patientia: 3. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices [2]), non multo vino servientes, bene docentes: 4. ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, 5. prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes [3]), benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei [4]). 6. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. 7. In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum [5]), in doctrina, in integritate, in gravitate, 8. verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis [6]). 9. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, 10. non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus [7]). 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus [8]), 12. erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo, 13. exspectantes [9]) beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi: 14. qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem [10]), sectatorem bonorum operum [11]). 15. Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat [12]).

---

[1]) Cap. 1, 13. [2])1 Tim. 3, 11. [3]) Prov. 31, 13.—27. [4]) 1 Pet. 2, 12. seq. [5]) 1 Tim. 4, 12. [6]) 1 Pet. 2, 15. [7]) Matth. 5, 16. [8]) Matth. 28, 19. 20. [9]) 1 Cor. 1, 7. [10]) Act. 20, 28. [11]) Eph. 5, 25.—27. [12]) Vers. 7. 1 Tim. 4, 12.

SUMMARIUM CAPITIS SECUNDI.

Senes, anus, juniores, servi quomodo instituendi sint, docet: et ipse Titus quomodo se gerere debeat. Et haec omnia confirmat ex scopo seu fine, propter quem gratia Dei nobis apparuit.

1. *Tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam.* Adversativus est sermo; quasi dicat: Illi fabulas docent et hominum mandata: tu vero istorum loco, tanquam sincerus Evangelii minister, ea loquere et trade fidelibus, quae consentanea sunt sanae et incorruptae doctrinae, sive quod ad fidem pertinet, sive quod ad mores. Prius autem de moribus subjicit doctrinam sanam; postea de fide aliquid addit.

2. *Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes.* Repetendum, *loquere,* id est praecipe, *senes sobrios esse* etc. Sunt enim in Graeco accusativi. Aut certe subaudiendum verbum παραχάλει, *adhortare,* quod infra exprimitur: *Juvenes similiter hortare.* Primum, *sobrios esse vult senes;* tum ut exemplo cohibeant adolescentum intemperantiam, tum ne per temulentiam minus apti sint dandis consiliis, rebusve gerendis. Deinde, *pudicos,* Graece σεμνοὺς, id est *graves,* uti legit Ambrosianus; vel *honestos,* ut Hieronymus, id est, gravitatem ac honestatem prae se ferentes, et ab omni lascivia quam maxime alienos. Valde enim offendunt leves et lascivi in senibus mores. Tertio, *prudentes,* Graece σώφρονας; quod alii vertunt, *temperantes,* id est in omni actione prudenter ac moderate se gerentes. Hanc virtutem in Episcopo requisivit capite superiori, et 1 Tim. 3. Quibus locis Graecae vocis significatio plenius exposita est.

Sani in fide, in dilectione, in patientia. Praepositiones addidit interpres. *Sani fide,* dum fides, qua in Christum creditur, nullo errore aut fabulis miscetur. *Sani dilectione,* seu *charitate,* quando non simulata, sed sincera est dilectio et in Deum dirigitur. *Sani patientia;* quando dura et adversa tolerantur, non ut apud homines gloria comparetur, sed ut ad bona a Deo promissa perveniatur; item quando corporis afflictio, ciborumque ac veneris abstinentia non ex superstitione assumitur, sed ex vera pietate. Significantur tres praecipuae Christianorum virtutes, fides, charitas et spes, a qua patientia vires accipit. Unde et *sustinentia spei* vocatur 1 Thess. 1. Quae virtutes ideo specialiter a senibus exiguntur, ut eorum exemplo simul et doctrina ad inferiores aetates promanent.

3. *Anus similiter in habitu sancto.* Graeca sic explicatius ab aliis redduntur: *Anus itidem, ut sint in habitu, qui sanctimoniam,* seu *religionem deceat.* Ambrosianus legit: *In statu religione digno.* Sensus est, anus ac provectae aetatis matronas admonendas esse, ut amictu, incessu, ac toto corporis gestu, decorum pietatis servent. Nam Graecum κατάστημα non solum ad vestitum refertur, sed ad omnem corporis habitum, etiam vultu, sermone, silentio comprehenso; juxta expositionem Hieronymi. Atque haec illa est gravitas, quam in eo sexu et aetate singulariter commendat Ambrosius lib. de viduis.

Non criminatrices. Graece μὴ διαβόλους: *non calumniatrices.* Idem vocabulum 1 Tim. 3., ubi nos habemus: *Non detrahentes.* Muliebria vitia sunt, garrulitas et curiositas; ex quibus ad detractionem et calumniam proximus est gradus. *Non multo vino servientes.* Quod hic dicit, *servientes,* in 1 Tim. 3., ubi de diaconis agebat, dixit *deditos;* ut alterum sit alterius interpretatio. Vetularum vitium est bibacitas. Unde de illis poëta lib. 3. Fastorum: Vinosior aetas haec erat, et gravidae munera vitis amans. Quanquam hoc vitium aliquid est ebrietate minus, sicut ostendimus loco memorato prioris ad Timoth. Prohibens autem Apostolus, ne multo vino serviant anus, utique concedit eis usum vini moderatum. Sed quod concedit vetulis, ex consequenti intellige negatum adolescentulis. Unde nec Timotheo juveni vel modicum indul-

get vini, nisi propter stomachi debilitatem et frequentes infirmitates.

Caeterum hujusmodi praeceptis anus ac matronas institui vult Paulus, propterea quod et aetati illi, sexuique congruant; et quoniam ab illis velut magistris quibusdam exempla formamque vivendi minores sunt accepturae. Hoc enim est, quod deinceps subjungit:

Bene docentes. Rectius, *bona docentes;* uti legunt Ambrosianus et Hieronymus. Alii vertunt, *honesta docentes.* Graecis una dictio est composita *καλοδιδασκάλους,* id est *honestarum rerum magistras.* Hoc nonnulli referunt ad exempla vitae: sed ex sequentibus liquet, Apostolum agere de doctrina et institutione, quae sermone fit. Neque repugnat illud 1 Tim. 2. *Docere mulieri non permitto.* Non enim ibi prohibetur, ne domi ac privatim filios ac filias necessariis praeceptis instituat: id quod Salomon a matre sua erga se factum testatur et laudat Prov. 4. et 31., sed ne doceat in coetu publico. *Mulieres,* inquit, *in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui* 1 Cor. 14. Vult igitur hoc loco Apostolus, ut foeminae natu grandiores sint adolescentularum magistrae, easque doceant non aniles fabulas, non artes amatorias, non superstitiosas observatiunculas; sed ea, quae bona sunt et honesta, id est pietatem, charitatem, pudicitiam, artemque bene et christiane regendi familiam. Haec enim in sequentibus explicantur. Atque huc referri potest, quod Ambrosius viduitatem vocat fidei castitatisque magistram. Lib. de viduis.

4. *Ut prudentiam doceant adolescentulas.* Duplex est hujus loci distinctio in Latinis codicibus. Quidam enim haec conjungunt, alii separant, ut ab eo vocabulo: *Adolescentulas,* initium sit novae sententiae, quae praecipiat, ab Episcopo institui adolescentulas, quales esse, et quomodo se gerere debeant. Sic enim et in praecedentibus, inchoando sententiam dixit: *Senes;* deinde *Anus;* et infra: *Juvenes.* Atque hanc constructionem, ut meliorem, amplectitur S. Thomas et post eum Liranus. Huic distinctioni nonnihil favet quod paulo post sequitur: *Juvenes similiter hortare* etc. *Similiter,* inquit, videlicet, ut jam praecepi hortandas esse juvenculas. Confer 1 Tim. 5. vers. 2. Verum lectio Graeca separationem hanc aegre admittit. Est enim verbum transitivum σωφρονίζωσι, pro quo nos habemus, *prudentiam doceant.* Ambrosianus legit, *instituant.* Hieronymus, *ad castitatem erudiant.* Significat autem modestum ac sobrium, seu temperantem reddere. Quod verbum proinde casu suo destitui non potest. Item, si seorsim de adolescentulis scribere voluisset Apostolus, eum servasset ordinem, ut prius de juvenibus praeciperet; sicut prius de senibus praecepit, quam de anubus.

Certe veteres expositores tam Latini quam Graeci jungunt adolescentulas cum verbo praecedente. Quibus accedit translatio Syriaca, Latine sic reddita: *Et honestas reddant eas, quae sunt juvenculae.* Igitur hic ex occasione interserit Apostolus praecepta vitae spectantia ad foeminas adolescentiores; ut sensus sit: Anus admonendas esse, ut sint honestatis magistrae, quo possint modestas, prudentes, graves, ac temperantes reddere juvenculas. Hanc distinctionem si sequamur, tum conformiter dicendum erit, quod Apostolus non vult haec immediate fieri per episcopum, vitandi scandali causa; nisi pro concione in conventu publico, nec enim decere, si episcopus adeat adolescentulas, vel eas ad se vocet: eo quod talia facile gignant suspicionem. Idcirco praecipere Apostolum anubus, ut per eas fiant haec, a quibus utiliter et sine offensione fieri possunt. Loquitur autem de juvenculis tam nuptis quam innuptis. Nam ea, quae sequuntur, fere ad nuptas pertinent.

Ut viros suos ament, filios suos diligant. Nonnulli philosophantur in vocabulis *amare* et *diligere,* volentes rationem adferre, cur viros praecipiat amari, filios autem diligi. Sed frustra. Nam in Graeco non est haec diversitas. Unde Hieronymus legit: *Ut ament viros suos,*

ut ament filios. Interpres autem Theophylacti Graeca sic propius expressit: *Ut sint amantes maritorum, amantes liberorum.* Vult Apostolus eas institui, ut ament viros suos casto et conjugali amore; ne conjiciant oculos in viros alienos. Cum autem idem ipse Eph. 5. viro quidem praecipiat, ut uxorem suam diligat, uxori autem, ut timeat virum suum: nulla tamen hic praeceptorum est contrarietas; quin potius ex utriusque loci quasi diverso praecepto colligendum relinquit, ita mulierem debere virum suum amare, ut etiam timeat; ita timere, ut amet. Ex his enim duobus affectibus commixtis resultat reverentia, quam viris suis debent uxores. Quod autem vult eas doceri, ut filios suos ament, cum id matribus sit maxime naturale: sic intelligendum, ut filios ament amore ordinato et Christiano, quo piam educationis eorum curam gerant. Nam stulte et indulgenter amare, odisse est.

5. *Prudentes, castas, sobrias.* Supplendum, *esse;* quod in Graeco semel expressum, ad singula refertur. Hic jam tertio monemus pro una voce Graeca duas in nostro textu legi, *prudentes* et *sobrias,* cum Graece tantum sit σώφρονας, quod alius *prudentes,* alius *sobrias* transtulit. Hieronymus *pudicas* legit. Similis accessio contigit Ambrosiano textui, in quo legitur, *prudentes, pudicas, castas.* At probabile est ex optimorum codicum manuscriptorum testimonio, nostrum interpretem tantummodo vertisse, *prudentes, castas.* Porro Syra Graecis consonant. De Graeci autem vocabuli significato jam aliquoties egimus. Hic utrovis modo recte, vertitur, *prudentes,* aut *sobrias,* aut etiam *temperantes,* minus recte *pudicas,* ne idem repetatur, quia sequitur, *castas;* id est, pudicitiae fideique conjugalis observantes.

Domus curam habentes, benignas. Pro tribus vocibus: *Domus curam habentes,* una composita est in Graeco οἰκουροὺς, quasi dicas, *domus custodes;* ut vertit Erasmus; hoc est, quae assidue sint domi, remque curent domesticam. Quae mulierum praecipua laus est. Unde apud antiquos probae matrisfamilias symbolum erat testudo; quod illud animal nusquam e cortice discedat, ac ne caput quidem exserat, nisi cura corporis id exigente. Quod sequitur *benignas,* Graece ἀγαθὰς, Erasmus vertit *bonas* et sine ulla distinctione conjungit parti praecedenti, Theophylactum secutus; tanquam sensus sit, praecipi, ut sint bonae custodes domus. Verum alii ferme omnes seorsim legunt, *benignas,* id est, placidas ac mites erga domesticos, nec obstrepentes maritis; sed mores eorum, ac vitia tolerantes; qualis commendatur Abigail uxor Nabal Carmeli 1 Reg. 25.

Subditas viris suis. Seu *propriis,* ut est in Graeco et apud Ambrosianum. Non solum vult, ut benignas et commodas se viris exhibeant, sed etiam obsequentes ac morigeras; quandoquidem vir caput est mulieris 1 Cor. 11. et Ephes. 5. *Ut non blasphemetur verbum Dei.* Hoc est, ne doctrina Christiana male audiat apud infideles; ne crimen recidat in evangelium, si mulieres, quae Christo nomen dederunt, minus obtemperent suis maritis.

6. *Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.* Pro *sobriis,* rursum Hieronymus *pudicos,* Ambrosianus autem *continentes* legit. Graeca sensum hunc postulant: Adolescentes adhortandos esse, ut modeste et temperate se gerant. Itaque praecepto hoc tam pudicitia, quam sobrietas comprehenditur. Interim observa, Apostolum brevitati studentem non omnia praecipere, sed praecipua: cum nemo nesciat, quam multis aliis praeceptis opus habeat aetas juvenilis.

7. *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum.* Graece: *Per omnia teipsum praebens formam bonorum* (sive *honestorum*) *operum.* Hieronymus contendit illud, *in omnibus,* ad superiora referendum esse, hoc modo: *Hortare, ut pudici sint in omnibus.* Sed is in hac opinione pene solitarius est. Nam caeteri tam Graeci, quam Latini, suffragante editione Syriaca, conjungunt sequentibus. Idque sane multo conve-

nientius. Postquam enim Titum admonuit Apostolus, quibus praeceptis senes, anus, adolescentes instituere debeat; nunc quo efficacior sit exhortatio, praecipit ipsi Tito, ut in omnibus, quae ab aliis exigit, semetipsum praebeat velut exemplar archetypum bonorum operum sanctaeque conversationis. Alioqui metuendum, ne quod verbo docet, opere destruat. Ita ad Timoth. 1. epist. 4. *Exemplum,* inquit, *esto fidelium in verbo, in conversatione.* etc. Sic et B. Petrus presbyteros adhortatur, ut pascant oves sibi commissas, tanquam formae facti gregis. 1 Pet. 5. Quibus in locis eadem est Graeca dictio τύπος, id est forma.

In doctrina, in integritate, in gravitate. Graece: *In doctrina integritatem, gravitatem.* Addunt nonnulli codices, incorruptibilitatem. Et ad eum modum Syrus interpres legisse videtur. Sed Graeci commentatores hoc tertium non exponunt, ut verisimile sit additum ex diversa lectione. Sunt enim vicina vocabula, quorum alterum integritatem, alterum incorruptionem significat. Notandum est autem, illam partem, *in doctrina,* a quibusdam connecti cum eo quod praecedit, hoc sensu: Praebe teipsum in omnibus exemplar bonorum operum, quae respondeant tuae doctrinae; ne scilicet mores a doctrina discrepent.

At plerique (quod magis placet) adjungunt sequentibus, tametsi non eodem sensu. Nam Theophylactus *integritatem* et *gravitatem* refert ad doctrinam hoc modo: Doctrinam trade puram, integram et incorruptam, atque ab omni levitate et fabulis alienam. Alii vero referunt ad mores, ut sensus sit: In hac docendi provincia fac praestes integritatem vitae nullo vitio corruptae, nec non gravitatem morum, quae docentis auctoritatem commendet. Nam verbum *praebe,* repetendum est in hac parte, sicut et in sequenti.

8. *Verbum sanum, irreprehensibile.* Accusativi sunt, a verbo jam dicto dependentes. Unde alii sine ambiguo vertunt: *Sermonem sanum, irreprehensibilem.* Et sensus est: Inter docendum non aliud loquere, quam quod sanae fidei conveniat, quodque non facile pateat reprehensioni aut contemptui. Nam Graeca vox significat etiam quod contemni non possit. *Ut is, qui ex adverso est, vereatur.* Pro verbo *vereatur,* Graece et Syriace, *erubescat.* Quod vulgatus iuterpres in Psalmis saepe vertit, *revereri;* quomodo hic legunt Hieronymus et Ambrosianus, atque etiam MSS. Laudensis.

Nihil habens malum dicere de nobis. Multi Graeci codices legunt in secunda persona, *de vobis.* Sed veterum Graecorum commentarii satis arguunt, eos *de nobis* legisse. Respicit autem haec causalis: *Ut is qui ex adverso est* etc., non solum partem proxime antegressam: *Verbum sanum, irreprehensibile;* sed totam admonitionem Tito factam, ab eo loco: *In omnibus teipsum praebe.* Quasi dicat Apostolus: Haec, quae dixi, praesta diligenter, ut adversarius, quicunque ille est, qui in Christianis quaerit, quod criminetur et reprehendat, pudore suffundatur; dum nihil invenit in nobis, qui Christianorum praesules et episcopi sumus, reprehensione dignum, sive doctrinam morum inspiciat, sive vitae conversationem.

9. *Servos dominis suis subditos esse.* Id est obedientes ac morigeros. Repetendum autem ex superioribus, *hortare.* Cur post instructionem aetatum et sexuum, nunc peculiariter de servis agat, rationem infra audiemus.

In omnibus placentes. Particulam, *in omnibus,* etiam hoc loco Hieronymus ad praecedentia retrahit, ut legatur: *subditos esse in omnibus.* Sic enim habetur Col. 3. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus.* Alii plerique jungunt cum vocabulo, *placentes,* Graece εὐαρέστους, hoc nimirum sensu, ut studeant dominis suis obsequi et gratificari in omnibus, ut per omnia gratam et placitam dominis exhibeant servitutem. Utraque distinctio bona est. Sed id quod dicitur, *in omnibus,* limitate debet intelligi, sicut aliis locis admonuimus, scilicet de iis, ad quae dominorum potestas extenditur;

aut certe de omnibus, quae cum voluntate Dei, qui supremus est Dominus, non pugnant. Debet enim inconcussum manere illud Petri: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Actor. 5. Atque hanc exceptionem ipse Paulus alibi declarat, in eo quod addit, *sicut Christo,* aut *sicut Domino,* aut quid simile. Ephes. 6. et Col. 3. *Non contradicentes.* Id est, non obloquentes aut responsantes, aut mussitantes adversus imperia, si quid jubeatur, quod minus allubescat. Itaque eleganter vertit Ambrosianus interpres: *Non responsatores.*

10. *Non fraudantes.* Hieronymus legit, *non furantes.* Melius erat, *non suffurantes,* sive, *non suppilantes.* Nam Graecis νοσφίζεσθαι dicitur, qui furtim aliquid decerpit, aut detrahit, cum totam rem tollere non ausit. Usus est eodem verbo B. Lucas semel et iterum Actor. 4., ubi nos habemus, *fraudare de pretio agri.* Legitur etiam 2 Mach. 4. Vult igitur Apostolus servos admonitos, ne de rebus dominorum quicquam furtim subtrahant. Quod vitium adeo servis familiare quondam habebatur, ut poëta fures pro servis in versu posuerit, nulla metri necessitate.

Sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Graece, ad verbum: *Sed fidem omnem ostendentes bonam.* Nec secus legunt Hieronymus et Ambrosianus. At noster interpres, cui consonat editio Syriaca, sensum reddere maluit. Nam Hebraea phrasi omne dicitur, quod perfectum est et nulla parte deficit. Igitur omnem bonam fidem ostendunt servi, quando nulla parte fraudant heros suos, sed in omnibus integram praestant fidelitatem. Unde sensu prorsus simili 1 Tim. 3. legitur in Graeco, *fideles in omnibus.*

Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Salvatorem nostrum Deum alii Christum, alii Deum Patrem interpretantur. Utrique probabiliter. Porro quae causa sit, ut de servorum officio hic et ad Timotheum et in aliis epistolis tam solicite praecipiat Apostolus; ea ratio reddi solet, quod jam tum exorta erat haeresis eorum, qui dicerent, omnes fideles per Christum effici liberos; nec quemquam amplius premi debere jugo servitutis humanae, postquam Christum Deum nactus esset dominum. Hoc an ita se habeat, non adeo liquet. Nobis non est necesse, rationem quaerere extra eam, quam Apostolus ipse tam hoc loco, quam 1 Timoth. 6. diserte exposuit: ideo videlicet a servis tanta cura exigi, ut in omnibus obsequentes et fideles se praestent dominis; ne per eorum improbitatem *nomen Domini et doctrina blasphemetur,* sed potius, ut *eam ornent in omnibus;* id est, ut obedientia, fide et morum integritate doctrinam Christianam apud heros suos et quoscunque alios, quibuscum versantur, commendatam reddant; quo plures ad eam amplectendam alliciantur.

11. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* Rationem innuit, cur in catalogo eorum, qui instituendi sunt ab episcopo, descenderit usque ad servos, infimum genus hominum; quia nimirum gratia Dei proposita est omnibus hominibus, etiam servis. Hac autem occasione beneficium redemptionis humanae partibus quibusdam explicat, velut effectis, quae sunt recessus et emundatio a peccatis, sancta conversatio, bona opera, beatitudo et participatio gloriae Christi. Ex quibus vult intelligi, merito se exegisse a Tito, ut fideles hortetur ad pie sancteque vivendum: sic enim eos assequi finem redemtionis.

Quod ad textum attinet, Graeca sic habent: *Apparuit,* sive, *illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus.* Ubi *salutaris* femininum est nominativi casus ἡ σωτήριος; quod alii vertunt, *salutifera,* videlicet necessario cum *gratia* construendum. Hujus lectionis vestigia sunt apud Ambrosianum et Hieronymum. Nam ille legit, *salutaris;* hic vero omittit, *nostri.* Graecis concinit editio Syriaca. *Apparuit enim benignitas Dei, servatrix omnium.* Quanquam in Graeco ambiguum est, utrum illud, *omnibus hominibus,* regatur a proximo nomine, *salutaris,* quod neotericis placet; an a re-

motiori verbo *apparuit*, ut vult Theophylactus, tametsi idem verbum capite seq. positum est absolute. Verumtamen utraque constructio commoda est et sensum fere eundem facit. Non enim multum interest, sive dicas, *salutarem Dei gratiam apparuisse omnibus hominibus;* sive *Dei gratiam omnibus salutarem apparuisse.*

Nomine *gratiae Dei* non effectus beneficentiae divinae gratuitus, qui in nobis est, ut alibi, sed ejus causa, hoc est, ipsa beneficentia Dei intelligitur; quam sequenti capite aliis nominibus *benignitatem et humanitatem Dei* appellat. Confer, quae dicta sunt 2 Corinth. 6. vers. 1. Eam *apparuisse* dicit *omnibus hominibus,* non quod omnibus ac singulis toto mundo hominibus innotuisset, sed quia per Apostolos palam mundo praedicata jam erat, ut salutem adferens omni generi hominum, ne servis quidem exceptis. Unde non favet hic locus eorum opinioni, qui dicunt, singulis quibusque hominibus gratiam adesse sufficientem ad salutem. Quod si verum esset: tum non modo tempore Apostolorum, ac deinceps apparuisset haec gratia cunctis hominibus, sed ab initio mundi. Quod constat alienum esse a sententia hujus loci.

12. *Erudiens nos.* Non quod gratia Christi consistat in doctrina, quemadmodum volebat Pelagius; sed quia manifestatio gratiae seu beneficentiae Dei nobis esse debet vice institutionis ad vitam sancte agendam. Verumtamen nec ea institutio, nec ulla doctrina auribus admota, quantumvis ad persuadendum apposita, praestabit, ut sancte vivamus; nisi Deus hoc ipsum per gratiam suam in nobis efficaciter operetur.

Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria. Graecum participium praeteriti temporis est. Unde legit Ambrosianus: *Ut abnegata impietate et saecularibus desideriis. Abnegationem* intelligit Apostolus, non quae voce tantum fit, sed quae reipsa. Is igitur abnegat impietatem, qui ab idololatria falsoque cultu et doctrinis pietati contrariis sese penitus avertit. Abnegat autem *saecularia,* sive, ut est in Graeco, *mundana desideria*, qui omnes mundi cupiditates a se abdicat, quod genus sunt imprimis voluptates carnis, item avaritia, ambitio, contentiones, aemulationes et caetera ejusmodi. Nam ut ait B. Joannes 1 Epist. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Videtur autem in verbo, *abnegantes,* allusio quaedam esse ad abnegationem, quae solemniter et conceptis verbis fit in baptismo.

Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo: Sobrie Graece σωφρόνως, quod rursum Hieronymus, sibi constans, reddit *pudice.* Sed saepe jam diximus, latius patere Graecae vocis significatum. Unde magis placet Ambrosiana lectio, *temperanter,* quod ad sobrietatem et pudicitiam commune est. Sic enim et Augustinus legit tract. 17. in Joan. Igitur Apostolus hac sententia complexus est summam vitae Christianae, definiens eam his tribus, sobrietate seu temperantia, justitia et pietate: temperantia, qua quisque bene sit ordinatus erga seipsum; justitia, qua erga proximos; pietate, qua erga Deum; quemadmodum pulchre locum hunc exponit Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat. cap. 28. ita concludens: Quisquis ergo vult ad regnum pervenire coelorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo.

Porro tribus his virtutibus tria respondent opera, quibus Deum placamus et promeremur, ab angelo singulariter commendata Tob. 12., Jejunium, Eleemosyna et Oratio. Atque hoc velut triplici remedio curanda sunt tria vitia dictis virtutibus opposita, quae Joannes Apostolus commemorat loco supra citato, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae.

Quod autem Paulus jam toties sobrietatis, seu temperantiae meminit, de Cretensium agens institutione: nam et senes, et anus, et juvenes, et adolescentulas vult admoneri, ut sobrii sint: suspicionem

praebet magnae illius gentis intemperantiae: nec immerito, quandoquidem eos et superius ex domestici vatis testimonio ventres pigros appellavit. Quorum etiam infames libidines et luxus referuntur a Strabone lib. 10. Quod addit, *in hoc saeculo*, non ita accipiendum, quasi virtutes non remaneant in saeculo futuro: manere enim eas ad ornatum, imo et quasdam illi statui congruentes actus habere, recte post Augustinum Scholastici docent in 3. Sent. dist. 33., sed significat vitam praesentem iis virtutum actionibus destinatam esse, quae praesenti saeculo conveniant, et quibus ad futuri saeculi retributionem perveniatur. Unde sequitur:

13. *Exspectantes beatam spem.* Hebraismus est, quo *spem* posuit pro re sperata. Nam sensus est: Dum interim spe exspectamus promissam beatitudinem, tanquam praemium bonarum actionum hujus vitae. *Et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Adventum* Graece ἐπιφάνειαν, id est apparitionem, illustrationem, adventum cum splendore et manifestatione. *Adventum gloriae,* secundum quosdam Hebraea phrasi dictum est, pro adventu glorioso. Alii simpliciter accipiunt pro manifestatione gloriae. Hunc Domini adventum cum spe et desiderio exspectant omnes, qui sobrie, juste et pie vivunt in hoc saeculo; quia non nisi per eum adepturos se sciunt participationem gloriae Christi, qua perfectam assequantur redemptionem. Unde eis dicitur: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, Luc. 21. et passim adventus ille Christi, sicut impiis et peccatoribus formidabilis, ita piis ac justis vehementer optabilis describitur, ut Rom. 8. Phil. 3. 1 Joan. 3.

Sed quaeritur, quem Apostolus dicat magnum Deum. Cajetanus non vult nomen Dei hoc loco restringi ad personam aliquam, sed accipi ut commune Patri et Filio et Spiritui sancto. Ambrosianus Deum Patrem intelligit. Idem sentit Erasmus tam in paraphrasi, quam in annotationibus. Hunc sensum olim arripientes Ariani inde probare conati sunt, Filium esse Patre minorem, quod distinctionis causa Patrem Apostolus *magnum Deum* vocet.

At vero Hieronymus, Chrysostomus ac caeteri Catholici interpretes magno consensu totam hanc partem ad Filium referunt, atque adeo ex hoc loco aperte retundi putant Arianos, quod Filius non quomodocunque Deus, sed magnus Deus vocetur. Pro Filio facit nomen *adventus,* scilicet ad judicium universale, quod erit in fine saeculi. Hic enim adventus non Patri, nec Spiritui sancto, sed Filio tribui solet in Scripturis; ut qui solus in humana forma gloriosus ac visibilis mundum judicaturus est. Nam et Graecum nomen ἐπιφάνεια aliis locis tribuitur adventui Christi; ut 2 Thess. 2., ubi de Antichristo dicitur, quod *eum Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Item 1 Tim. 6. et 2 Tim. 4. semel et iterum. Caeterum Deo Patri hujusmodi adventus, aut apparitio nusquam adscribitur.

Est et alia conjectura ex Graeco textu. Nam priori tantum parti praeponitur articulus, ut proinde simul in eadem persona complecti videatur partem posteriorem: cum alioqui, si alia et alia persona significaretur, articulus esset repetendus, ut videre est Matth. 28. et alibi. His accedit, quod cum in initio sententiae de Patre dicat: *Apparuit enim gratia Dei,* sermonis consequentia postulare videtur, ut haec pars tota ad aliam personam referatur, scilicet Filii, quemadmodum e diverso in illa sententia capitis sequentis: *Cum apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* etc., ex eo, quod postea Spiritus sancti et Filii mentio fit, argumentum sumitur, initio de Patre sermonem esse.

Caeterum non ita sensum hunc astruimus, ut damnemus diversum, quo vel de Patre vel de Deo sine personae limitatione intelligatur illud: *magni Dei,* quod autem sequitur: *Et Salvatoris nostri* etc., ad humanam Christi naturam pertineat, ut non absurde Cajetanus exponit, tan-

quam sensus sit: Exspectantes manifestationem gloriae magni Dei, qua scilicet ejus majestas et magnitudo tunc omnibus innotescet, nec non manifestationem gloriae Salvatoris nostri Jesu Christi, quando scilicet in assumpta natura mirabiliter gloriosus apparebit, idemque Patri agnoscetur aequalis. Nam usque ad illud tempus neque magnitudo Dei, neque excellentia Christi Salvatoris erit omnibus agnita et confessa. Tunc autem confitebitur omnis lingua, quia Dominus est Jesus Christus in gloriam Dei Patris Phil. 2. Sane hic sensus adeo non favet Arianis, ut eos etiam expugnet, quatenus Filium evehit ad aequalitatem Patris, ut et ipse magnus Deus agnoscetur. Neque vero Patrem ad distinctionem Filii *magnum Deum* Apostolus appellat, quod volebant Ariani, sed proprio divinitatis epitheto et falsorum Deorum comparatione, juxta illud Psalm. 76. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster?*

14. *Qui dedit semetipsum pro nobis.* Hoc est, qui in assumpta carne semetipsum sponte tradidit in passionem et mortem pro nobis, sive omnibus hominibus sive speciatim electis, in quorum persona Paulus saepe loquitur. Nam pretium mortis Christi sufficit quidem omnibus redimendis et salvandis, sed solis ad salutem applicatur electis.

Ut nos redimeret ab omni iniquitate. Explicat, quod dixit *pro nobis,* quasi dicat: Ideo seipsum tradidit in mortem, ut eo pretio nos redimeret ab omni peccato, quo mortem merebamur: omnes enim eramus servi peccati, Christo attestante, quia *omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* Joan. 8. Consistebat autem ea servitus in duobus, affectu et reatu, quoniam et servos exhibebamus nos ad obediendum peccato Rom. 6., et *poenae mortis addicti eramus propter peccatum* Hebr. 2. Sed ab utroque servitutis malo nos redimit Christus.

Et mundaret sibi populum acceptabilem. Graece περιούσιον, pro quo legit Ambrosianus *peculiarem,* Hieronymus *egregium,* Augustinus *abundantem.* Loca Augustini sunt Epist. 48. et lib. de unit. Eccles. cap. 14., ubi citat hunc locum pro multitudine eorum, qui sunt in Ecclesia. Porro Hieronymus in comment. scribit, se de Graeca voce sapientes hujus saeculi consuluisse, nec discere ab eis potuisse, quid significaret. Unde putat, vocabulum esse sacris Scripturis, sicut a LXX. translatae sunt, proprium. Habetur autem Exod. 19., ubi nos ex Hebraeo legimus: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis,* et Deut. 7. *Ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Atque ejusmodi verba repetuntur ejusdem libri cap. 14. et 26. Alius locus est Malach. 3. *Et erunt mihi in die, qua ego facio, in peculium.* Rursum alius Psalm. 134., ubi nos habemus: *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israël in possessionem sibi.* Quo quidem in loco LXX. et Theodotio, teste Hieronymo, περιουσιασμὸν verterunt, Aquila vero, et quinta editio dederunt περιούσιον, nulla significationis diversitate. Denique Symmachus, ut idem Hieronymus affirmat, quod semel ex Hebraeo סגלה Graece verterat ἐξαίρετον, id est, egregium aut praecipuum, in alio volumine Latinum reddens vocabulum *peculiarem* interpretatus est.

Jam quod Hieronymus negat apud profanos auctores invenire se potuisse, ab aliis inventum est. Nam Budaeus ex Theodoro et Theophrasto docet ea voce significari quod rarum est, inusitatum et peregrinum. Quam significationem nonnulli putant huic loco optime convenire. Verum nobis non est ambigendum, quin LXX. interpretes ac caeteri, vertentes περιούσιον, id exprimere voluerint, quod Hebraea voce significatur. Id autem est *peculium,* hoc est, aliquid industria, pretio, labore comparatum, ut propria possessio. Rabbi Salomon exponit thesaurum dilectum, quomodo et vertit Pagninus Exod. 19. Quod enim quis multo labore aut pretio comparavit, id carum habet velut thessaurum.

Quamvis igitur caetera significata, ut acceptabile, egregium, rarum, abundans

seu copiosum, a Graeca voce atque ejus derivatis non sint aliena; proprie tamen id, quod in originali lingua est, expressit, qui vertit *peculiarem*. Sicut et ipse Hieronymus interpretatus est locis supra citatis. Nam ad ejusmodi loca Paulum hic allusisse nullum est dubium, praesertim cum juxta id, quod alibi dicit: *Omnia in figura contingebant illis* 1 Cor. 10., non ignoraret, antiquum populum Israëliticum mira Dei virtute ac singulari beneficio liberatum e servitute Aegyptiaca et per hoc factum Deo peculiarem, fuisse typum populi Christiani, morte Christi pretioque sanguinis ejus, idque beneficio longe majore redempti e captivitate diabolica, quem proinde populum ut peculiarem merito sibi vindicat.

Itaque sensus Apostoli est: Christum dedisse semetipsum pro nobis, ut nos ab omni iniquitate redemptos et emundatos possideret tanquam populum peculiarem. An autem ejusdem sit significationis, quod in oratione Dominica legitur ἐπιούσιον, pro quo alii quotidianum, alii supersubstantialem reddiderunt, Hieronymus significari putat praecipuum, egregium, peculiarem, eum videlicet, qui de coelo descedens, ait *Ego sum panis, qui de coelo descendi:* id alterius est inquisitionis.

Sectatorem bonorum operum. Graece ζηλωτὴν, id est *aemulatorem*, uti legunt Hieronymus et Ambrosianus. Alii non male vertunt *studiosum bonorum operum.* Urgent eam vocem Graeci interpretes. Vides, inquit Chrysostomus, ut non simpliciter opera virtutis a nobis exigantur. Ait enim *aemulatorem*, hoc est magna cum alacritate, et ingenti studio et animo, virtutis opera capessentem. Adjicit hanc partem Apostolus, ut insinuet, ita demum nos fore populum acceptabilem et peculiarem Christo, si bonorum operum studiosi fuerimus, quandoquidem ad hunc finem nos redemit. Verumtamen sicut per gratiam redemptionis ipse nos facit populum peculiarem, ita et facit sectatorem bonorum operum.

15. *Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio.* Pro doctrinis, inquit, et fabulis Judaicis haec, quae dixi, doce et loquere, ad haec exhortare; et inobedientes aut contradicentes *argue cum omni imperio.* Ubi notandum, hanc partem *cum omni imperio,* quamvis non incommode ad tria praecedentia verba referri possit; videri tamen ad proximum verbum *argue,* proprie referendum esse. Deinde non praecipi Tito, ut imperiose agat, id quod apud Ezech. 34. reprehenditur in pastoribus populi, his verbis: *Cum auctoritate imperabatis eis et cum potentia:* sed ut auctoritatem praeferat, maxime quando increpandi sunt et arguendi refractarii. Unde quidam vertunt: cum omni auctoritate.

Liquet ergo, praeceptum hoc Apostoli non esse contrarium illi, quo Timotheum admonet, ut cum omni patientia arguat 2 Tim. 4. Non enim pugnat auctoritatis ostensio cum mansuetudine et patientia. Quanquam Gregorius parte tertia curae past. admon. 17. diversitatis horum praeceptorum aliam assignat rationem, videlicet ex diversitate ingeniorum Titi et Timothei, quod illum Apostolus videret mansuetioris esse spiritus, hunc autem paulo ferventioris. Potest et ex parte auditorum ratio diversitatis adferri. Nam et supra de Cretensibus dixit: *Increpa illos dure.*

Nemo te contemnat. Auctoritatis servandae praeceptum est, quasi dicat: Ita te gere in officio tuo, ne quis te despiciat et ut Hieronymi verbis hoc ipsum repetam: *Nolo te talem exhibeas, ut possis ab aliquo merito contemni.* Sic enim futurum, ut doctrinae et increpationis tuae fructus pereat, praesertim si vita tua te laicis inferiorem ostendat. *Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quam clericos,* ut ait idem Hieronymus. Observa Paulum non hic dicere, quod Timotheo: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Unde colligitur, grandioris aetatis fuisse Titum quam Timotheum.

CAPUT TERTIUM.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire [1], ad omne opus bonum paratos esse: 2. neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines [2]. 3. Eramus enim aliquando et nos [3] insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. 4. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei [4]; 5. non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam [5] salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis [6] et renovationis Spiritus sancti, 6. quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: 7. ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae. 8. Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus praeesse [7], qui credunt Deo. Haec sunt bona et utilia hominibus. 9. Stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanae [8]. 10. Haereticum hominem [9] post unam et secundam correptionem devita: 11. sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. 12. Cum misero ad te Artemam aut Tychicum [10], festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hiemare. 13. Zenam legisperitum et Apollo [11] solicite praemitte, ut nihil illis desit. 14. Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. 15. Salutant te, qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

SUMMARIUM CAPITIS TERTII.

Potestatibus subditos esse admonet, et ab omni opere malo abstinere, cum per gratiam Christi renovati sint et justificati. Contentiosas quaestiones vitari jubet, haereticum hominem post admonitionem rejici, quod subversus sit. Postremo salutem precatur et gratiam.

1. *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse.* Post interpositam mentionem beneficii redemptionis nostrae, redit ad praecepta recte vivendi; subjungens nunc ea, de quibus omnes in universum sint admonendi. Quale imprimis est, ut *principibus,* Graece *principatibus, et potestatibus subditi sint.* Inter principatus et potestates non est quaerendum discrimen. Sentit enim Apostolus, iis, qui praesunt in republica, quocunque nomine censeantur, obtemperandum esse. Pronomen *illos* monstrat Cretenses, sicut ibi: *Increpa illos dure.* Putat Hieronymus, idcirco Paulum hic et ad Rom. 13. fidelibus commendare subjectionem principibus debitam, quod eo tempore vigeret adhuc apud multos dogma Judae Gali-

---

[1] Rom. 13, 1. 2. 1 Petr. 2, 13. 14. [2] 1 Thess. 5, 14. [3] Eph. 2, 3. [4] 1 Joan. 4, 9. [5] Rom. 3, 24. [6] Joan. 3, 5. [7] Eph. 2, 10. [8] 1 Tim. 1, 4. [9] 2 Petr. 2, 1. [10] Act. 20, 4. Eph. 6, 21. Col. 4, 7. [11] Act. 18, 24.

laei, de quo Gamaliel loquitur Act. 5., qui docuerat, neminem debere vocari dominum praeter Deum solum; nec tributa Caesari solvenda ab iis, qui decimas ad templum deferrent. Erant enim inter Cretenses multi Judaei, quorum mores notavit primo cap. Quanquam sufficere potest ea generalis ratio, quae superius ex ipso Apostolo dicta est de servis; videlicet ne male audiret Christiana religio, si Christiani minus sese morigeros magistratibus praeberent; utque potius promta legum observantia ac tributorum praestatione professionem suam ornarent, eamque potestatibus hujus saeculi commendatam redderent. Hanc enim rationem etiam Petrus Apostolus 1. epist. 2. non obscure tradidit.

Dicto obedire. Graece πειθαρχεῖν, dictione composita, id est *obedire principibus* seu *magistratibus.* Inculcatio est ejusdem praecepti. *Ad omne opus bonum paratos esse.* Eam partem *ad omne opus bonum,* Hieronymus connectit superiori: *Obedire ad omne opus bonum;* ut id, quod sequitur: *paratos esse,* proprium et speciale sit praeceptum. Alii omnes, quod nec Hieronymus improbat, nostram servant distinctionem, ut haec pars sit quaedam explicatio praecedentium, quasi dicat Apostolus: Quod praecipio obediendum esse principibus ac magistratibus, id eatenus intelligi volo, dum bona sunt ac licita, quae jubent. Ad omne enim opus bonum, quodcunque potestas superior injunxerit, etiamsi grave sit et ex parte praecipientis injustum, paratos esse fideles oportet; saltem avertendi scandali causa. Si vero contra Deum aliquid praecipitur, ibi locum habeat illud B. Petri Act. 5. *Deo potius obediendum esse quam hominibus.* Nonnulli sententiam hanc simpliciter accipiunt, ut per eam fideles in genere admoneantur ad beneficentiam. Nam et ea, quae sequuntur, generalia sunt praecepta.

2. *Neminem blasphemare.* Id est ne cuiquam aut de quoquam maledicant. Gravitatem hujus peccati docet 1 Cor. 6., quum maledicos recenset in eorum numero, qui regnum Dei non possidebunt. Huc revocantur et caetera linguae vitia, ex odio aut contemptu proximi nata, ut convitium, contumelia, calumnia, detractio, susurratio, irrisio. His affine est, quod sequitur: *Non litigiosos esse.* Graece ἀμάχους, *alienos a pugnis,* sive ut Erasmus vertit: *non pugnaces.* Quanquam ipso etiam Calvino judice, melius vertit vetus interpres: *Non litigiosos,* quod et apud Hieronymum et Ambrosianum legitur. Significantur enim pugnae verborum, ut lites, rixae, contentiones, a quibus alienos oporteat esse fideles. Idem vocabulum habetur inter virtutes episcopi 1 Tim. 3.

Sed modestos. Graece ἐπιεικεῖς, quod his modis vertunt: *placidos, mites, humanos, moderatos.* Usus est eadem voce Paulus Phil. 4., ubi nos habemus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Graeco nomine significatur ea virtus, qua quis commodum et facilem sese exhibet aliis; eorumque dicta et facta, quamvis etiam in speciem mala, benigne interpretatur, ac de jure suo cedit interdum pacis causa. Disserit de hac virtute Philosophus lib. 5. Eth. cap. 10. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Quod in 2 Tim. 2. *servum Domini,* id est episcopum dixit *non oportere litigare, sed mansuetum esse ad omnes:* id nunc ab omnibus fidelibus exigit. Omnem erga omnes mansuetudinem ostendit sive exhibet, non qui nusquam severitatem adhibet, aut nullum peccatum punit; sed qui servatis circumstantiis loci, temporis, personarum, ab hujus virtutis officio nulla parte deficit; maxime cum Christi praeceptum sit: *Non resistere malo.* Matth. 5.

3. *Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes.* Quia praeceperat, omnem exhiberi mansuetudinem erga omnes homines, volens ea generalitate comprehendi etiam infideles et veritatis adversarios: nunc quam aequum ac rationi consonum sit ejusmodi praeceptum, ostendit a lege charitatis,

quae dictat, ut tales simus erga alios quoscunque, quales vicibus commutatis alios erga nos esse vellemus. Et quidem haec pars complura continet documenta. Primum, ut qui per gratiam Christi jam fideles sunt, et in novitate vitae ambulant, erroris pristini et conversationis memores, non se fastuose efferant adversus eos, qui adhuc in errore et vetustate vitae detinentur; sed humanos ac mites se illis exhibeant, condolentes eorum miseriae, et parati subvenire. Deinde, ut suo exemplo cogitent, etiam illos posse, si Deus misereatur, gratiae Christi fieri participes; eaque spe nihil praetermittant, quo eos in societatem tanti beneficii perducant. Tertium, ut ex hac descriptione discamus, quales ante gratiam Christi sint omnes homines, etiam illi, qui putantur honeste et sine querela conversari secundum legem, vel naturalem, vel scriptam. Nam Apostolus etiam seipsum hic aperte includit, dicendo *et nos.* Includit et Titum, qui in gentilitate honeste vixerat, juxta illud de Episcopo 1 Tim. 3. *Oportet illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.*

Non nominat autem crimina manifesta, velut adulteria, sacrilegia, furta, rapinas, homicidia, a quibus multi sola natura vel lege edocti sese abstinent; plures metu poenarum, aut honoris cupiditate manum cohibent. Unde de quibusdam ait Dominus, quod *omnia faciunt, ut videantur ab hominibus.* Matth. 23. At neque idololatriam nominat, peccatum gentilibus commune; quoniam hoc ad Paulum et Judaeos non attinebat: sed ea recenset, quae ut plurimum latere solent in animo, quaeque in iis etiam, qui cultum unius Dei profitentur, et vitam forinsecus honestam degunt, inveniri possunt; cujusmodi sunt errores, illicita desideria, malitia, invidia, odium.

Ex his colligi potest, quo sensu dixerit idem Apostolus ad Phil. 3. *secundum justisiam, quae in lege est, conversatum se fuisse sine querela.* Quae verba suo loco plenius a nobis sunt exposita. Certe Hieronymus in hujus loci comm. ostendit, ea, quae hic dicuntur, in ipsum etiam Paulum competere ante conversionem; ut qui sine Christo vitiis omnibus servierit: nec ista pugnare cum iis, quae de se scripsit ad Philippenses.

Dicit ergo: nos, qui nunc Dei beneficio Christiani sumus, quondam eramus *insipientes,* sive *stulti,* quia vera sapientia destituti. Item *increduli,* Graece ἀπειθεῖς, pro quo Hieronymus *inobedientes* legit; Ambrosianus, *inobsequentes.* Verum alibi Paulus eo vocabulo denotat infideles, qui praedicationi veritatis resistunt, nec ullam persuasionem admittunt; quales erant plerique Judaei, qualis et ipse Paulus fuerat, quando miraculis Apostolorum et doctissima Stephani disputatione nihil commotus, Ecclesiam toto conatu persequebatur. Item eramus *errantes,* tam in via morum quam doctrinae; juxta illud Jes. 5. *Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit.* Forte specialiter respicit ad errores Judaicos ac Pharisaicos, quibus ipse fuerat imbutus.

Servientes desideriis et voluptatibus variis. Servientes, id est addicti more servorum. Hinc enim omnis peccator servus peccati vocatur. Hac parte potissimum significari videntur cupiditates et voluptates carnales omnis generis. Unde Hieronymus negat, etiam Paulum potuisse aestuantem flammam restinguere voluptatum, quando non erat templum Dei. Porro vitia spiritualia consequenter jam enumerat: *In malitia et invidia agentes.* Graece διάγοντες, *degentes. Malitiam* intelligit, non ut generale vitium est, sed malignitatem, qua quis malum vult alteri, quadam specie vindictae; ut exponit Theophylactus. Sic enim apte cum invidia conjungitur.

Odibiles, odientes invicem. Odibiles, sive *odiosi,* ut legit Hieronymus, dicuntur, qui morum improbitate aliorum odia adversum se provocant; ut fere homines contentiosi, quique privatis ubique commodis aut honoribus intenti sunt. Hinc autem sequitur alterum, ut scilicet invicem odio prosequantur. Quaeret aliquis,

an omnia vitia jam enumerata competant in omnes et singulos a Christo alienos. Resp. etsi non omnia, tamen pleraque in omnes competere ex mente Pauli. Voluit enim is declarare, quales sint homines fide Christi nondum illuminati: nec quemquam esse, qui non prius cupiditatibus serviat; tametsi nec omnibus iisdem, nec aequaliter, omnes sint addicti.

4. *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Dixit quales simus omnes antequam veniamus ad Christum; nunc docet, quid Christi gratia nobis praestet, nobis inquam malis et immerentibus, quales jam descripsit. Est autem doctrina valde illustris, qua beneficium gratuitae justificationis nostrae breviter quidem, sed luculenter et graviter exponit. *Benignitas,* pro qua Hieronymus et Ambrosianus *bonitatem* legunt, Graece χρηστότης, virtus est, juxta Stoicos, qua quis ultro studet bene mereri de aliis. Quod maxime Deo convenit, qui praevenit nos suis beneficiis, et commodi nihil a nobis exspectat.

Humanitatem nonnulli interpretati sunt humanam naturam sive incarnationem, ut sensus sit: Postquam mysterium incarnationis Christi Salvatoris nostri mundo patefactum est. Sed hunc intellectum respuit vox Graece φιλανθρωπία, quae non aliud significat quam amorem erga homines, id est, studium hominibus benefaciendi. Quem affectum etiam Latini *humanitatem* appellant. Sic enim ipse Erasmus vertit eandem dictionem Act. ult., ubi dicuntur barbari Paulo et sociis ejus non modicam praestitisse humanitatem.

Priori sensui illud etiam obstat, quod humanitas hic attribuitur Patri, non Filio. Nam istud: *Salvatoris nostri Dei,* de Patre dicitur, ut patet ex subjunctis. Dicit enim, *eum effudisse in nos abunde Spiritum sanctum per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Quod non de alio quam de Patre potest intelligi. Sicut et veteres intellexerunt, nominatim Hieronymus, qui studiose lectorem monet, in praesenti capitulo manifestissimam, ut loquitur, inveniri Trinitatem. Congruunt et aliae Scripturae, charitatem hanc erga genus humanum Deo Patri tribuentes, ut Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et Joan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum,* et Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Similiter Ecclesia Dei Patris φιλανθρωπίαν confitetur, quando in publicis precibus eum appellat *humanae salutis amatorem.* Atque interim observa, in hac Apostoli sententia tam Patri quam Filio Salvatoris epitheton adscribi. Quod et in superioribus hujus Epistolae animadvertere est.

Verbum *apparuit* eodem modo exponendum est, quo in cap. superiori et ad idem tempus referendum. Non enim sensus est: Postquam benignitas et humanitas Dei declarata est in nativitate, aut passione filii ejus, sicut quidam exponunt; sed: Postquam ea per Evangelii praedicationem mundo illuxit atque innotuit. Neque enim Christo nascente, aut patiente, sed Evangelio Christi nati et passi per Apostolorum praedicationem coruscante, salvos fecit Deus eos, de quibus deinceps Apostolus loquitur, uti modo patebit.

5. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos.* Graece: *Non ex operibus, quae sunt in justitia, quae fecimus nos;* aut, ut alii mutato modo commodius vertunt: *Non ex operibus, quae essent in justitia, quae fecissemus nos.* Sed tamen idem est sensus. Unde nec veteres Latini aliter legunt, quam noster interpres transtulit. Sentit enim Apostolus, non ex ullo operum, quasi justorum, merito, quae a nobis facta essent, nos salvos factos esse per Christum; quia nimirum nulla erat nostra justitia, nisi falsa; nulla opera justa. Neque enim significat, nos fecisse opera justitiae, ex quibus tamen non simus salvi facti: sed, quia opera justi-

tiae salutem adferunt, ideo simpliciter intendit a nobis opera justitiae removere. Similis loquendi modus est, quo Dominus ait Joan. 5. *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Non enim habebat voluntatem suam, id est a voluntate Patris diversam, quam quaereret.

Loquitur autem Apostolus de ea justitia, quam Scripturae commendant: quippe ea sola apud Deum pondus habet ad salutem, aut partem aliquam salutis nostrae. Rejiciuntur ergo opera moralia tam legis quam naturae, quantumlibet speciosa, tanquam ad justificationem nostram nihil omnino conferentia. Nam opera vere justa, quae Paulus in hac eadem Epistola sexies *bona opera* vocat et vehementer commendat; non sunt nostrae justificationis antecedentia merita; sed sub ipsa gratuita justificatione comprehenduntur, tanquam a Deo per Christum nobis praeparata. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Eph. 2.

Sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Id est per gratuitam beneficentiam, qua nostri misertus est, in quibus nihil boni reperit ad quod respiceret, salvos nos fecit. Ubi notandum est, hanc salutem non intelligi in sola gloria coelesti, sed complecti totam hominis renovationem ab initio fidei usque ad perfectam ejus beatitudinem. Sic ad Eph. 2. *Gratia estis salvati per fidem.* Igitur, *salvos nos fecit,* quatenus justificavit, et per hoc in via salutis constituit, ad perfectam salutem deinde perducturus: quam et nunc in spe possidemus; juxta illud Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Recte igitur et solide Augustinus et Thomas, aliique scriptores orthodoxi docent ex hac Scriptura, Deum nos ad salutem praedestinasse non ex ulla nostrorum operum praescientia, sed ex sola sua misericordia. Sicut enim salvos nos fecit, ait B. Thomas 1. p. q. 23. art. 5., ita praedestinavit nos salvos fieri: igitur si salvos fecit non ex operibus, sed ex sola sua misericordia; sic quoque praedestinavit.

Caeterum male ex eodem hoc loco colligunt haeretici, vitam aeteram, quae est perfecta salus, non reddi pro meritis bonorum operum. Quamvis enim tota salus nostra sit ex gratia Dei, non ex meritis nostris: per eandem tamen benignam et gratiosam Dei providentiam ille constitutus est ordo salutis nostrae, ut priores ejus partes meriti rationem haberent respectu posteriorum; id est bona opera collata ad vitam aeternam. *Tanta est enim Dei bonitas,* ait Papa Coelestinus, *ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona.* Non ergo merita nostra statuimus, tanquam nostra, sed tanquam a Deo donata; ut nihil prorsus habeat homo, de quo tanquam de suo glorietur.

Porro quod ait in prima persona: *Salvos nos fecit,* non de omnibus omnium temporum justis, aut electis loquitur; sed referendum ad eosdem, de quibus superius dixit: *Eramus enim aliquando et nos insipientes* etc. Hoc est, ad omnes eos, qui illo tempore erant fideles et justi. Quod manifeste liquet ex eo quod subjungit: *Per lavacrum regenerationis* etc. Non enim per baptismum salvi facti sunt omnes omnium temporum electi. Verumtamen sicut in periodo superiori tacite voluit intelligi, quales sint omnes homines, antequam ad fidem vocentur; ita et hic vult eandem esse rationem de caeteris omnibus hominibus quicunque salvantur, aut salvi facti sunt; videlicet non ex operibus justitiae, quae ipsi fecerint, sed secundum Dei misericordiam salvos fieri, aut factos esse.

Per lavacrum regenerationis. Baptismum vocat *lavacrum regenerationis,* quia qui baptismi sacramento foris abluuntur, intus regenerantur in filios Dei per gratiam adoptionis; idque ex institutione Christi, qua dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Joan. 3. Hinc ergo refellitur haereticorum novitium dogma, quo statuunt, sacramenta a

Christo instituta non aliud esse, quam symbola quaedam externa, quibus salus per Christum accepta velut sigillis obsignetur et confirmetur. Quod enim Christus dicit, *ex aqua;* et Apostolus, *per lavacrum;* idemque alibi: *mundans eam lavacro aquae:* non nudam sonat obsignationem salutis acceptae, sed causalitatem quandam, ita ut vere dicatur, homines per baptismum, tanquam instrumentum operationis divinae, regenerari, mundari, justificari.

Et renovationis Spiritus sancti. Idem baptismus *lavacrum renovationis* vocatur, quia per eum homo vetus exuitur, et novus induitur, dum scilicet is, qui baptizatur, deposita vetustate peccati, in novam transit creaturam. Ostendit hic locus, ut et alii multi similes, non justificari fideles sola imputatione justitiae Christi, quemadmodum sectarii docent; sed veram habere justitiam sibi inhaerentem, sine qua nemo spiritu ac mente renovatus vere dici possit. Sunt qui accusativum pro genitivo malint, *renovationem,* pro *renovationis;* hoc videlicet modo: *Per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti.* Sic enim Hieronymus legit, et Chrysostomus interpretatur, repetita praepositione, *per renovationem.* Quod et videre est in editione Syriaca. Nam Graeca ad utramque constructionem ambigua sunt.

Sed profecto convenientius est, quod dedit noster interpres. Conjunguntur enim regeneratio et renovatio, tanquam effectus ejusdem baptismi, quem propterea regenerationis et renovationis lavacrum appellandum Paulus censeat, id est, quo regeneramur et renovamur. Jam quod additur, *Spiritus sancti,* tam ad regenerationem, quam ad renovationem referri debet. Utraque enim est Spiritus sancti, tanquam causae efficientis: et quidem manifeste regenerationem Spiritui sancto tribuit Dominus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc. Et iterum: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Nominatur autem Spiritus sancti persona, quod huic ea peculiariter opera soleant adscribi, quae sunt gratuitae erga homines bonitatis divinae.

6. *Quem effudit in nos abunde.* Graece πλουσίως, id est *opulenter,* ut legit Hieronymus: pro quo Augustinus, *ditissime,* lib. de gratia et lib. arb. cap. 5. Sensus est: Deum non tenuiter aut parce, sed liberaliter et copiose contulisse in nos dona Spiritus sancti. Quod si de corpore ecclesiae intelligatur, aperte verum est: nam in ecclesiam abunde effusa est gratia Spiritus sancti. Sin autem referas ad singulos regeneratos; minus apparet verum, cum sint multi, in quos tenuiter admodum stillare gratia Dei videatur. Attamen si consideretur excellentia charitatis, quae inter dona Spiritus sancti primatum tenet (per eam enim amici et filii Dei, atque haeredes regni constituimur), non videbitur Deus parce effudisse Spiritum sanctum in eum, cui tantum illius donum impertitus fuerit.

Liquet etiam ex hac parte, justificationem nostram non consistere in sola remissione peccatorum, quod haeretici volunt; sed etiam, ac praecipue, in donis Spiritus sancti super nos effusis: cujusmodi sunt fides, spes et charitas. Nam remissio peccatorum non apte dicitur effundi. Nonnulli vertendum putant: *Quod effudit;* ut ad lavacrum haec pars referatur, sitque sensus: Quod lavacrum, sive quam aquam abunde, quoad effectum ipsius, in nos effudit. Sed hanc lectionem quamvis Graeca permittant, usus tamen loquendi respuit. Nusquam enim dicitur effundi lavacrum: at Spiritus sanctus, ejusve dona effundi, aut diffundi, non raro dicuntur in scripturis, ut Jes. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum,* et Joel. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Quod et Petrus Actor. 2. pro testimonio citat. Alius locus est Ezech. 39. Tale etiam est illud Pauli Rom. 6. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ut jam dubitandum non sit, quin Spiritui sancto, cujus mentio proxime praecesserat, aptandum sit relativum.

Per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Hic sermo: *Per Jesum Christum,* tam in epistolis Paulinis, quam in orationibus ecclesiae, causam promerentem significat. Itaque sensus est, Christum ut hominem sua passione nobis promeruisse affluentiam donorum Spiritus sancti, quibus renovamur. Ob eandem causam Christum vocat *Salvatorem nostrum,* quia nimirum universa salus nostra, ab initio fidei usque ad gloriae consummationem, ex illius est merito. Nisi cum aliis hoc ad *Christum* ut *Deum* referamus, ut ad significandam aequalitatem personarum idem nunc de Filio dicatur, quod antea de Patre. Erit fortassis, qui hanc clausulam putet referendam ad illud remotius, *salvos nos fecit.*

7. *Ut justificati gratia ipsius.* Id est non nostro merito, sed gratuito ejus beneficio, omne meritum nostrum praeveniente. Id latius in superioribus explicatum est, ibi: *Eramus enim aliquando et nos insipientes,* etc. Relativum, *ipsius,* tam ad Patrem, quam ad Filium referri potest: utriusque enim gratia passim ab Apostolo commendatur. Sed quia Graece est ἐκείνου, *illius,* sicut et Hieronymus atque Ambrosianus legunt (quo quidem pronomine id quod remotius est referri solet), idcirco potius ad Patrem videtur pertinere.

Haeredes simus secundum spem vitae aeternae. Simus, Graece, *efficiamur;* quemadmodum et legitur apud auctores modo citatos. Sensus est: Ut gratis ab eo justificati, per ipsam justitiam nobis donatam institueremur haeredes vitae aeternae, idque cum spe certissima ipsius haereditatis consequendae: *Spe enim salvi facti sumus.* Rom. 8. *Spes autem non confundit,* ejusdem cap. 5. Docte Cajetanus annotat utrumque dici ab Apostolo, et quod gratia Dei, et quod haereditario jure vitam aeternam adipiscimur. Nam gratia Dei justificamur, et filii Dei efficimur: adoptati autem in filios, jam haeredes sumus, quibus eo nomine vita aeterna debeatur.

8. *Fidelis sermo est.* Hanc partem Ambrosianus jungit sequentibus: at vero Hieronymus, Chrysostomus et alii plerique referunt ad doctrinam superiorem, idque multo congruentius; ut sensus sit: Haec quae jam dixi de beneficio gratuitae justificationis et salvationis nostrae, certa sunt et fide dignissima. Tota quidem Apostoli doctrina erat hujusmodi; sed hac notula admonet, quid ut tale praecipue velit auditoribus inculcari. Unde sequitur: *Et de his volo te confirmare.* Graeca vox *affirmare,* sive *asseverare* significat. Quod tamen etiam Latine dicitur, *confirmare.* Sensus est: Et volo, ut, omissis nugis et fabulis Judaicis, de his quae dixi sermonem habeas, haec affirmes et cum asseveratione doceas.

Ut curent bonis operibus praeesse qui credunt Deo. Graece: *Qui crediderunt Deo.* Non tantum, inquit, haec doctrina praestat integritatem fidei; verum etiam eo conducit, ut qui in Deum tanquam salutis auctorem crediderunt, curam habeant bonorum operum, ac soliciti sint, ut ea non solum exerceant, sed etiam omni studio promoveant, tanquam operum exactores et praefecti. Si enim per gratiam Dei regenerati, renovati et justificati sumus; utique deinceps ambulandum nobis est in novitate vitae et operibus justitiae, ut promissam salutem assequamur: quomodo diserte ratiocinatur Apostolus Rom. 6. Estque plane similis exhortatio in hac epist. cap. praeced. Nonnulli sententiam Apostoli sic explicant: ut studeant praecellere, sive, prae aliis eminere bonis operibus, sicuti decet bonorum operum professores. Sed hunc sensum Graeca non facile admittunt. Eadem phrasis repetitur infra sub finem epistolae.

Haec sunt bona et utilia hominibus. Bona, Graece καλὰ: quod alii vertunt, *honesta.* Significat enim bonitatem moralem. Pronomen, *haec,* non demonstrat opera, sed ea, quae dicta sunt de justificatione et bonis operibus: quemadmodum et capite superiori, cum dixisset: *Sectatorem bonorum operum,* mox subjecit: *Haec loquere et exhortare.* Est igitur

commendatio dictorum. Haec, inquit, quae dixi, et in sese recta atque honesta sunt, et hominum societati utilitatem adferunt. Metonymice verbis seu dictis tribuit, quod convenit rebus significatis.

9. *Stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita.* Superiori doctrinae a se traditae nunc eam opponit, qua Judaizantes occupabantur: et illam quidem, ut bonam et utilem praedicavit; hanc vero fugiendam docet ut vanam et inutilem. Pro *devita,* quod etiam apud Hieronymum et Ambrosianum legitur, Erasmus vertit, *omitte.* Sed antiquis versionibus patrocinantur Theophylactus et Oecumenius Graeci, testantes idem significari quod *fuge.* Plus autem est fugere, seu vitare, quam omittere. Graece est περιΐστασο. Usus est eodem Graeco verbo Apostolus 2 Tim. 2. ubi nos habemus: *Profana inaniloquia devita.*

Stultas quaestiones vocat, quae carent rationabili causa quaerendi, quaeque nihil adferunt aedificationis. Quales ut plurimum erant Judaicae quaestiones: utpote de rebus frivolis, interdum ridiculis, nonnullis etiam plane incertis, ac nulla auctoritate traditis. Exempla require apud Hieronymum et Ambrosianum. Caeterum hoc crimine non facile patiemur notari scholastica Theologorum problemata. Quamvis enim multa sint, quorum ratio et utilitas non statim quibusvis appareat: eos tamen haud latet, qui pro consuetudine sensus habent in sacris Theologiae studiis exercitatos.

Genealogiae, quas interpres Ambrosianus Latine reddidit *originum enumerationes,* quaenam et quales ab Apostolo taxentur, diximus ad illud 1 Tim. 1. *Et genealogiis interminatis.* Etenim, ut refert Hieronymus in hujus loci comm., Judaei magnam ex eo sibi arrogabant scientiam, si generationum series longo ordine possent enumerare; sive eas quae exstant in sacris literis, sive alias quascunque privatas suarum tribuum ac familiarum. Atque hujusmodi disciplina filios etiam suos a teneris annis imbuebant. His adjungit Apostolus *contentiones;* quod eae soleant esse comites stultarum et inutilium quaestionum. Quanquam recte intelligitur in universum admonere Titum, ut contentiones vitet, etiam ubi de rebus necessariis incidit disputatio, sicut Timotheum admonuit, dicens: *Noli contendere verbis* 2 Tim. 2.

Denique *pugnas legis,* sive, ut est in Graeco, *pugnas legales,* appellat eas verborum concertationes, quas occasione legis Mosaicae Judaei inter se movebant, maxime de ceremoniarum in ea praescriptarum observatione et modo. *Sunt enim inutiles et vanae.* Refertur ad quatuor praecedentia; stultas quaestiones, genealogias, contentiones, et pugnas legales. Quas omnes inutiles et vanas atque supervacaneas pronunciat; praesertim lege jam abrogata per Christum; quia fructu pietatis carent, qui solus in omni disputatione spectandus est.

10. *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita.* Graece, *post unam et alteram admonitionem rejice:* quod alii vertunt, *fuge:* tametsi in Graeco diversum est verbum a superiore: παραιτοῦ. Dicere poterat Titus: Mones me, ut fugiam contentiosas disputationes: quid igitur agam cum eo, qui contendere non cessat adversus veritatem satis sibi declaratam? Respondet Apostolus, admonendum esse semel et iterum: quod si ne sic quidem acquiescat sanae doctrinae, repellendum esse, nec amplius audiendum. Graeca vox νουθεσία *admonitionem* significat, non qualemcunque, sed quae cum reprehensione et severitate quadam fiat: ut recte quoque noster interpres *correptionem* verterit; etsi Hieronymus *admonitionem* mavult. Porro, sive admonitionem, sive correptionem, intellige ab episcopo faciendam; eoque, non ut homine privato, sed ut ecclesiae praefecto, nimirum cum auctoritate et potestate, qua etiam excommunicationem illi minetur, ni resipiscat.

Hujusmodi correptionem, eamque unam et alteram, adhiberi vult haeretico, priusquam rejiciatur: tum quia rejiciendus

non est, nisi via prius tentata, qua revocari possit ad sanam mentem; tum quia nec constare poterit, quod sit haereticus, id est in errore pertinax, nisi praecesserit admonitio cum veritatis declaratione. Nam haereticus est non omnis ille, qui quovis modo aberrat a recta fide, sed qui fidem Christianam professus, contra Catholicae et Apostolicae ecclesiae sententiam atque doctrinam satis sibi declaratam, suum errorem illi doctrinae contrarium eligit retinere. A qua electione nomen accepit. Hanc haeretici notionem, licet aliis verbis, tradit nobis August. lib. 18. de civit. Dei cap. 51. *Qui,* inquit, *in ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt; si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt: haeretici fiunt. Nam qui*, ut idem Augustinus ait epist. 162., *sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, quum invenerint: nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Et lib. 4. contra Don. cap. 16. *Si aliquis hoc idem sentiat de Christo, quod Photinus opinatus est, et hoc credit esse fidem Catholicam; nondum eum dico esse haereticum, nisi manifestata doctrina Catholicae fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat, elegerit.*

Ex his liquet, neminem esse haereticum, nisi pertinaciter erret in fide: pertinaciam autem ex eo aestimandam, si veritati satis sibi manifestatae nolit acquiescere. Quod ut cognoscatur, admonitio adhibenda est, et veritas declaranda. Jam autem talis cognitus non amplius admittendus est ad colloquium; sed aversandus et fugiendus. Atque id est, quod Titum Apostolus monet, non quidem propter ipsius periculum, sed quia post unam et alteram correptionem prodita satis haeretici pervicacia jam frustra cum eo verbis agitur, seu corripiendo, seu disputando. Proinde sibi relinquendus est et precibus agendum apud Deum, ut det ei poenitentiam. Est et altera praecepti ratio; scilicet, ut episcopi et pastoris exemplo commoniti fideles noverint, haereticum, ut hominem pestilentem, fugiendum esse; etiamsi censura excommunicationis nondum accesserit.

Sed quaeritur, cum Christus in Evangelio tres correptionis gradus praescribat, post quos frater, si non obtemperet, habendus sit velut ethnicus et publicanus Matth. 18., quomodo Paulus post secundam correptionem velit haereticum devitari? Quaestionem auget, quod nonnulli codices olim tantum habebant, *post primam correptionem devita.* Sic enim legit S. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. et ejus titulo commentator loci. Nam sic eum legisse probant haec verba commentarii: Idcirco hujusmodi homines, ut inexcusabiles sint, semel oportere corripi dicit. Quin et Hieronymus eam lectionem Graecis codicibus adscribit, tametsi ab Athanasio, ut ait, improbatam. Eadem lectio reperitur apud Irenaeum lib. 5. cap. 3., Tertull. lib. de praescript. cap. 16., S. Cyprian. Epist. 55. et Testim. lib. 3. cap. 78. Vide Bellarm. lib. 3. de laicis cap. 22. in solut. object. 14. Forte respondebis, Apostolum scribere ad Titum, qui erat Episcopus, et repraesentabat Ecclesiam, de qua dicitur: *Si Ecclesiam non audierit* etc., atque ita sufficere vel duas correptiones, vel unam solam. At contra est, quod Christi praeceptum etiam Praelatos obligat ad eum correptionis ordinem servandum. Nam Petro totius Ecclesiae futuro Pastori Christus loquebatur.

Primum resp. lectionem, quae unam et alteram postulat correptionem, quod receptissima sit, et omnibus hodie codicibus, tam Graecis et Syris, quam Latinis communis, omnino retinendam esse. Qua posita, quanquam responderi posset, in numero non esse vim faciendam, neque Apostolum excludere tertiam correptionem, sed magis admittere: *ut,* sicut Hieronymus ait, *in ore duorum aut trium testium stet omne verbum;* certior tamen responsio est, ordinem cor-

reptionis a Christo praescriptum non esse universalem atque adeo non pertinere ad peccatores manifestos, sed occultos; ut ex Evangelii contextu perspicuum est. Apostolus autem loquitur de manifesto haeretico, qui pravam suam doctrinam inter fideles disseminat.

Hic restabat objectio removenda eorum, qui ex hoc loco nituntur ostendere, non esse tollendos e medio haereticos, etiamsi tales sint, ut alios sua doctrina pervertant. Praecipit Apostolus, inquiunt vitandos esse haereticos, non occidendos. Sed pro nobis ipse respondet Calvinus, alias esse partes episcopi, alias politici magistratus; ac Paulum Tito scribentem non disserere de officio magistratus, sed docere quid episcopo conveniat. Haec ille et plura in eandem sententiam, hac quidem in parte sentiens cum Catholicis.

11. *Sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est.* Rationem subjicit, non tam cur fugiendus sit post unam alteramque correptionem haereticus, qua de re supra diximus; quam, cur episcopo deinceps ab eo corripiendo cessandum. Pro *subversus,* in Ambrosiano legitur *perversus,* sed rectius alii ex Graeco vertunt *eversus.* Sumpta est enim metaphora ab aedificio, quod si fuerit aliqua sui parte collapsum, instaurari potest; at eversis fundamentis jam nullus est reparationi locus. Sic, inquit, eum, *qui ejusmodi est,* id est, qui semel et iterum monitus adhuc in errore persistit, noveris eversum aut subversum esse, videlicet dissipato fidei fundamento; ut spes nulla reliqua sit, admonitionibus seu correptionibus apud eum quidquam proficiendi, magis autem metuendum, ne saepius increpatus per ἀντιπερίστασιν quandam durior efficiatur. Non excludit omnem spem Apostolus, sed eam, quae correptionibus nititur. Semper enim manet illud Rom. 11. *Potens est Deus iterum inserere illos.*

Et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. Delinquit, Graece *peccat,* ne quis in vocabulo delinquendi vim faciat peculiarem. Pro tribus autem vocibus: *proprio judicio condemnatus,* una composita dictio est αὐτοκατάκριτος, id est *a seipso* aut *per seipsum,* id est *suapte sententia condemnatus.* Id autem varie exponitur. A nonnullis hoc modo: Peccat contra conscientiam, ut qui sciens et prudens veritatem oppugnet, itaque condemnat seipsum. Hic sensus non potest probari. Nam qui doctrinam oppugnat, quam veram reputat, valde quidem ille perversus est, non tamen haereticus: hic autem de haeretico sermo est. Alii sic exponunt: Peccat in eo, quod a caeteris omnibus dissidens, proprium sequatur judicium. Sed non apparet, quomodo talis condemnet seipsum, id quod Graeca voce significatur.

Tertius igitur sensus est: Haereticum peccare, non quomodocunque, sed ita, ut proprio se judicio condemnet, dum praeveniens quodammodo judicium episcopi, quo condemnandus esset et a fidelium societate separandus, ipse semetipsum ab ea separat, palam et pertinaciter ab ejus doctrina dissentiens. Per hoc ergo, quod dicit, haereticum esse *proprio judicio condemnatum,* distinguit eum ab aliis excommunicatis. Nam alii solent inviti projici extra Ecclesiam, at haeretici *semetipsos segregant,* ut ait Judas Apostolus, id est seipsos excommunicant. Cum igitur excommunicatio sit quaedam condemnatio, sic enim a Patribus vocatur, imo cum sit aeternae condemnationis quaedam anticipatio, summumque divini judicii praejudicium, ut ait Tertullianus in Apolog. contra gentes cap. 39.: consequens est, haereticum seipsum etiam condemnare.

Non dissimile est, quod Dominus ait Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est,* id est, suae condemnationis manifestam habet causam. Nam in manifestis criminibus dici solet: *Hic homo judicium suum secum portat.* Potest autem haec pars dupliciter annecti superioribus: aut ut sit secunda ratio, cur in haeretico corripiendo non sit ulterius laborandum, velut qui jam sit condemnatus, aut ut sit occupatiuncula, ne quis culpet epis-

copi severitatem, quod eum sine spe correctionis abjiciat. Jam enim, inquit, a semetipso condemnatus est, et proinde incorrigibilis.


12. *Cum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim. Festina,* Graece *stude, da operam,* non enim celeritatis, sed sedulitatis significatio est. Hic observa providentiam Apostolicam. Titi praesentia opus habet ad promovendum aliis in locis Evangelium: non prius tamen eum vult ad se venire, quam in ejus locum submiserit Artemam aut Tychicum, ne Cretenses episcopali cura destituerentur. Tale quid etiam in 2. ad Tim. epist. vidimus. Ex quibus et illud patet, non sic ad residentiam in propriis Ecclesiis episcopos teneri, ut non interdum publici boni causa possint ad tempus abesse, modo ne desint interim, qui gregibus eorum praesentes invigilent. De Tychico frequens alibi mentio est: Artemas autem, quis fuerit, aliunde non habemus; ex hoc tamen loco colligitur, Pauli discipulum fuisse, eumque idoneum, qui Ecclesiam regeret. Nicopolis, Hieronymo teste, ea civitas est, quae ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit. Haec sita est in Epiro, contermina Graeciae. An autem in ea scripta sit haec Epistola, discussimus in argumento. *Ibi enim statui hyemare.* Id est hyemem transigere, quod Latine dicitur *hybernare.* Non hoc dicit, quasi vacaturus ab opere evangelico, propter hyemis incommoda, ut solent milites in hyberna deduci, sed quia res Evangelii poscebat, ut Nicopoli tantisper subsisteret. Vide, quae diximus 1 Cor. 16. ad illud: *Vel etiam hyemabo.*

13. *Zenam legisperitum, et Apollo solicite praemitte, ut nihil illis desit.* Quod nos habemus: *solicite praemitte,* melius alii vertunt ex Graeco: *studiose deducito* seu *prosequere.* Quod officium solet hospitibus abeuntibus exhiberi. In qua significatione et alibi non raro Graecum hoc verbum occurrit tam in Actis, quam Epistolis Apostolicis, ubi nos Latine semper habemus: *deducere,* ut mirum sit interpretem hic aliud reddidisse. Commendat igitur Tito Zenam et Apollo, ut per Cretam iter facturis viaticum subministrari curet, ne quid iis desit. Apollo quis fuerit, ex Actis Apost. et 1. ad Cor. epist. notum est. Hieronymus episcopum Corinthiorum vocat, et propter eorum dissensiones ad vicinam insulam Cretam cum Zena transfretasse putat, iisque dissidiis a Paulo per Epistolam sedatis, Corinthum revertisse. Zenam, de quo alibi nihil legitur, vocat *legisperitum,* Graece νομικὸν, quem Hieronymus interpretatur *legis doctorem,* quod talis apud Judaeos aliquando fuisset, eoque nomine postquam ad Christum transierat, evangelicae legis esset idoneus minister.

14. *Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios.* Rationem viatici procurandi ostendit. *Discant,* inquit, te hortante, *nostri,* id est Christiani, qui apud te sunt, *bonis operibus praeesse* atque intendere, ubicunque postulat necessitas, qualis ista erat deducendi viros Apostolicos Zenam et Apollo. Quid sit *bonis operibus praeesse,* superius explicatum est. Nonnulli ex hac locutione probari posse putant, hominem esse dominum suarum actionum et liberum habere arbitrium etiam in iis, quae ad pietatem pertinent, quod hodie sectarii negant. *Ut non sint infructuosi.* Non putent, inquit, se gravari, si urgeantur ad hujusmodi benignitatis opera: *Non enim onus est, sed fructus;* si bonis operibus studiose propter Deum incumbant. Per haec enim ipsis aeterna vita comparatur.

15. *Salutant te, qui mecum sunt, omnes.* More suo salutationibus Epistolam claudit. Salutem, inquit, tibi precantur omnes, qui mecum sunt, id est familiares et adjutores mei. *Saluta eos, qui nos amant in fide.* Addit *in fide,* non quod essent apud Cretenses, qui Paulum aliter, quam in fide amarent, sed ut innuat, qualis omnium Christianorum amor esse debeat, scilicet profectus et directus a fide.

Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen. In Graeco et Syro genitivus *Dei* non exprimitur, sed intelligitur. *Cum omnibus vobis*, id est fidelibus, qui apud te sunt. Hypographe Graeca sic habet: *Scripta ex Nicopoli Macedoniae.* Quid de ea sentiamus, in argumento dictum est. Adjiciunt nonnulli, missam esse per Zenam et Apollo. Quod ex superiori eorum commendatione quandam habet probabilitatem.



IN EPISTOLAM
BEATI PAULI APOSTOLI
AD PHILEMONEM
COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLAE.

Philemon, ad quem haec scribitur Epistola, Pauli discipulus, vir clarus erat apud Colossenses; cujus domum Colossis ad sua tempora permansisse testatur Theodoretus. Hospitalem fuisse et fovendis auxilio fratribus expositum, satis haec ipsa Epistola loquitur. Cujus quidem scribendae causa fuit ejusmodi: Erat Philemoni servus Onesimus, qui furto facto fugam iniit. Mox utriusque criminis, fugae et furti poenitentia ductus Romam se contulit ad Paulum captivum, quem hero suo noverat esse amicum. Ab eo susceptus et Christi fidem edoctus, atque baptizatus, aliquamdiu ministravit ei in carcere; donec satis in pietate confirmatum remittere eum Philemoni visum fuit. Remittit autem cum his literis commendatitiis, in quibus miro studio id agit, ut servum Domino reconciliet. Nec vero dubium, quin Pauli precibus Philemon annuerit, ac plus etiam praestiterit, quam rogatus esset. Nam manumissum fuisse Onesimum ex eo constat, quod postea Timotheo in episcopatu Ephesiorum successerit; uti liquido probat B. Ignatii ad Ephesios epist., in qua Onesimi, ut illorum Episcopi, valde honorificam facit mentionem.

Referunt Hieronymus, Chrysostomus et Theophylactus, fuisse quosdam, qui negarent huic Epistolae locum inter Scripturas sacras, propter humilitatem argumenti, eo quod ad hominem privatum ac de re privata scripta sit. Sed bene ab iisdem respondetur, utcumque argumentum humile et abjectum videatur, haudquaquam indignum esse spiritu Dei; quo auctore Paulus hanc Epistolam scribens, in commendando et reconciliando extremae sortis homine, tam egregium charitatis exemplum universae Ecclesiae reliquerit, etiamsi nullum hic doctrinae Christianae caput ex professo tractetur. Sane Chrysostomus quatuor utilitates insignes ex hac Epistola colligit; quas apud eum in argumento videre est. Easdem breviter recenset Theophylactus.

Scripta est Romae e vinculis, quorum quinquies meminit. Missa per Onesimum; una cum Epistola ad Colossenses, Tychico ad perferendum tradita. Simul enim missas fuisse has duas Epistolas, manifeste apparet. Nam utraque Timotheum Paulo

conjungit in principio, utraque Archippum compellat; denique utraque eosdem habet salutatores in fine, Epaphram, Marcum, Aristarchum, Demam et Lucam. Eodem tempore scriptas fuisse Epistolas ad Ephesios et ad Philippenses, affirmat Hieronymus et docere conatur. Cujus sententiam aliis in locis expendimus.

Epistolae hujus quam admirandum sit artificium, Graeci expositores passim inter commentandum annotant: Cajetanus quoque sub finem sui commentarii, et Erasmus annot. in hanc Epistolam ultima.

Paulus, vinctus[1]) Christi Jesu, et Timotheus[2]) frater, Philemoni dilecto, et adjutori nostro, 2. et Appiae sorori charissimae, et Archippo[3]) commilitoni nostro, et Ecclesiae, quae in domo tua est. 3. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo[4]), semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5. audiens charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu et in omnes Sanctos: 6. ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. 7. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua: quia viscera Sanctorum requieverunt[5]) per te, frater. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: 9. propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi: 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis[6]), Onesimo[7]), 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, 12. quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera[8]), suscipe: 13. quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: 14. sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes: 16. jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem[9]), maxime mihi: quanto autem magis tibi, et in carne, et in Domino? 17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me[10]). 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes[11]): 20. ita frater. Ego te fruar[12]) in Domino: refice viscera mea in Domino. 21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id, quod dico, facies. 22. Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis[13]). 23. Salutat te Epaphras[14]), concaptivus meus in Christo Jesu,

---

1) Vers. 9. 13. Act. 28, 16. 2) Col. 1, 1. 4. 3. 3) Col. 4, 17. 4) Eph. 1, 16. seq. Phil. 1, 3.—5. 5) 1 Thess. 4, 9. 6) 1 Cor. 4, 15. 7) Col. 4, 9. 8) Vers. 16. 9) Matth. 23, 8. 10) Vers. 12. 11) 1 Cor. 9, 11. 12) Vers. 12. 17. 13) 2 Cor. 1, 10. 11. 14) Col. 4, 12.

24. Marcus, Aristarchus[1]), Demas, et Lucas[2]), adjutores mei. 25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Amen.

SUMMARIUM.

Laudans Philemonem de beneficentia in Christianos commendat ei Onesimum servum fugitivum, quem ipse captivus Christo genuerat, ac rogat, ut eum jam plane alium in gratiam recipiat.

1. *Paulus vinctus Christi Jesu.* Statim initio vincula sua praetendit, ut misericordiam commoveat pro Onesimo supplicaturus, ac si tacite diceret: per haec vincula, quae pro Christo patior, te obsecro.

Et Timotheus frater. Fratrem suum Timotheum vocat honoris causa, quod eum haberet operis Evangelici socium, tametsi subsidiarium ac dignitate longe inferiorem. Qua ratione alibi eum filium suum appellat. Hunc autem sibi adjungit, ut duorum intercessio plus valeat. Ac forte per Timotheum erat Onesimus ad Paulum adductus.

Philemoni dilecto et adjutori nostro. *Dilecto* ἀγαπητῷ, nomen est non participium, quemadmodum et *vinctus,* δέσμιος, paulo ante. *Adjutorem* vero, sive ut in Graeco est, *cooperarium suum* Philemonem salutat, non quod episcopus esset Colossensium, ut quidam putant, is enim Epaphras erat, ut ex Epistola ad Colossenses facile conjicitur, sed quod rebus et opere, quo poterat, Evangelium Christi promoveret. Quo sensu Rom. 16. et Phil. 4. mulieres aliquot laudantur, quod Evangelii essent cooperatrices.

2. *Et Appiae sorori carissimae.* Graece *dilectae,* idem nomen cum superiori. Nec additur *sorori.* At e diverso Hieronymus *sorori* legit non *dilectae.* Unde mihi suspicio est Graecos codices olim variasse, ut in aliis esset ἀγαπητῇ, *dilectae;* in aliis ἀδελφῇ, *sorori,* cumque eadem varietas ad Latinos codices manasset, utramque lectionem fuisse conflatam in unam: *sorori dilectae* seu *carissimae.* Appiam hanc Philemonis uxorem fuisse verisimile est. Alioqui non eam Apostolus anteponeret Archippo. Legitur autem tam in Menologio Graecorum, quam in Ecclesiae Romanae martyrologio ad diem 22. Novemb. Philemonem et Appiam Colossis sub Nerone pro Christi fide lapidibus obrutos fuisse.

Et Archippo commilitoni nostro. Cur Archippum appellet suum et Timothei *commilitonem,* ex Epistola ad Colossenses intelligi potest, in qua sub finem ita scribit: *Dicite Archippo, vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Erat igitur Archippus in Ecclesiae Colossensis ministerio, sive ut presbyter, sive, quod magis putamus, ut diaconus. Nam Graece illic pro *ministerio* est διακονία. Cur autem ecclesiasticum ministerium metaphorice militia vocetur, et ministri *commilitones,* ea ratio est, quia in castris Ecclesiae, more militum, excubias agunt, et pro ea defendenda et propaganda assidue ex officio laborant. De hac militia sermo fuit 1 Tim. 1. et 2 Tim. 2.

Et Ecclesiae, quae in domo tua est. Erasmus vertere maluit *congregationi,* quam *Ecclesiae,* non considerans Apostolicum loquendi morem, quo Ecclesia dicitur non quaevis congregatio, sed ordinatus fidelium coetus, in quo ad scopum Christianae religionis alii regunt, alii reguntur; etiamsi unius tantum sint domus aut familiae. Sic idem Apostolus loquitur Rom. ult., 1 Cor. ult. et Col. 4. Quod ait *tua,* ad Philemonem refertur, ad quem principaliter hanc Epistolam scribit. Nam

---

[1]) Act. 12, 12. 15, 37. Col. 4, 10. [2]) Col. 4, 14.

aliorum ideo tantum adscripsit nomina, quo majorem ad id, quod petit, benevolentiam sibi pararet.

3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Solennis est Pauli salutatio, de qua saepe alias dictum est.

4. *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Adverbium *semper*, medio loco positum, etsi possit ad utrumvis hinc inde referri, rectius tamen sequentibus connectitur, hoc sensu: Ego Paulus, qui semper tui facio mentionem in orationibus meis, id est qui nunquam oro, quin tui meminerim, tuamque salutem Deo commendem, eidem Deo meo gratias ago. Plerumque haec duo conjungit Apostolus, orationem et gratiarum actionem, quia gratiarum actio petitionem commendat et quantumcunque jam acceperis, nunquam deest, quod adhuc petatur. De quibus autem gratias agat, indicant sequentia.

5. *Audiens charitatem tuam et fidem.* Cum audiam, inquit, multa de charitate tua, gratias ago. Charitatem priori loco nominat, vel quod dignitate fidem antecedat: *major enim horum charitas* 1 Cor. 13., vel ut subnectendo fidem charitati, significet, se loqui non de quacunque charitate seu dilectione, sed de ea, cujus opera ex fide procedant, sine qua nequeunt esse Deo accepta. Textus Ambrosianus fidem anteponit charitati, nec non editio Syriaca, sed Graecis et Latinis omnibus reclamantibus.

Quam habes in Domino Jesu et in omnes Sanctos. Graece *ad Dominum Jesum.* Quamvis autem in Graeco diversae sint praepositiones πρὸς et εἰς, *ad* et *in,* fere tamen interpretes eas hoc loco confundunt, tanquam idem significantes. Unde Ambrosianus legit: *In Dominum Jesum et in omnes Sanctos.* Et neoterici vertunt: *Erga Dominum Jesum et erga omnes Sanctos.* Ipse etiam Hieronymus, etsi legat: *In Domino Jesu,* quod ejus commentarius satis prodit, indistincte tamen de utroque casu loquitur. Sed de sensu videamus. Nulla quidem dubitatio est, quomodo fides esse dicatur in Dominum Jesum, fide enim credimus in Christum filium Dei. Sed quomodo fidem quis habeat in Sanctos, merito quaeritur, cum in symbolo fidei tantum dicamus: *Credo in Deum Patrem,* et *in Filium,* et *in Spiritum S.* De aliis autem, nulla addita praepositione: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem* etc. Nam credere in aliquem ecclesiastica phrasi e Scripturis desumpta, professio divinitatis est. Unde et Christus quando dixit Joan. 14. *creditis in Deum, et in me credite,* Deum se esse significavit.

Quanquam Hieronymus sine scrupulo concedit, adeoque affirmat, etiam in Sanctos credendum esse, sed hoc sensu, quia qui credit in Deum, consequenter omnia credit, quae de Sanctis Deo auctore tradita sunt in Scripturis. Quin et apud veteres hic sermo legitur: *credere in sanctam Ecclesiam.* Verum sensus ille ab Hieronymo redditus huic Apostoli loco non quadrat. *Sanctos* enim vocat Apostolus non illos eximios, quos utriusque testamenti Scriptura commemorat, ut Abraham, Mosem, Eliam, Joannem Baptistam, sed in universum fideles seu Christianos. Est enim Ecclesia Sanctorum societas. Quidam igitur Apostolum sic exponunt: Quam fidem habes in omnes Sanctos, id est, quam adhibes sanctis fratribus Christum annuntiantibus. Alii sic: Quam habes communem cum omnibus Sanctis, id est fidelibus. Sed violentae sunt hae interpretationes.

Nobis admodum probatur Theodoreti distinctio, qua singula reddantur singulis, ita quidem ut fides ad Dominum Christum referatur, charitas autem ad omnes Sanctos, sitque sensus hujusmodi: Gratias ago Deo meo de his, quae fama referente de te audio, scilicet de fide tua, quam habes in Dominum Jesum, et de charitate, quam passim erga omnes Sanctos, id est, Christianos, ipsis operibus exerces. Haec distinctio, praeterquam quod lucem huic loco adfert alioquin obscuro, magnam ac-

cipit probabilitatem ex Epist. ad Col., quae et scripta est eodem tempore, quo ista, et eodem destinata. Nam in ea cap. 1. post alia verba istis similia sic legitur: *Audientes fidem vestram in Christo Jesu et dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes.* Cur autem dicat: *in omnes Sanctos,* cum etiam malos et infideles diligere jubeamur, ad locum jam memoratum reddita a nobis est ratio.

Ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis boni. Quidam codices, quibus volunt Regia biblia, legunt: *omnis operis boni.* Nobis videtur intelligendum potius, quam adscribendum: nam et infra *bonum* absolute dixit pro bono opere. Illud quoque, quod nos habemus *evidens,* Hieronymus ait in Graeco melius haberi: ἐνεργὴς, id est *efficax* sive *operatrix.* Nam et Chrysostomum ejusque sequaces eam vocem Graecam legisse testantur eorum commentarii. Nec secus legit Syrus interpres, dum ita circumloquitur: *reddens fructus in operibus.* Secundum hos Apostolus, posteaquam exposuit, de quo Deo gratias solitus sit agere, nunc subjungit, quid in orationibus suis a Deo petat, ut sensus sit: Oro, ut fides tua, quam laudavi, efficaciter sese communicet ac manifestet per opera bona. Fides enim ex operibus comprobatur, juxta illud Jacob. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Sed cum Paulus Philemonem jam ante laudaverit non solum a fide Christi, verum etiam a charitate, quam habebat, id est opere declarabat in omnes Sanctos, parum commode videtur haec precatio subjungi, ut fides ejus fiat efficax; nisi intelligas, magis ac magis, quomodo plerique explicant.

Sciendum autem, id, quod Latine est *evidens,* Graece dici ἐναργὴς per ἄλφα, ut dubium non sit, quin ita noster interpres in Graeco legerit. Quam et veram esse lectionem, videlicet scribarum incuria jam olim unius literae commutatione depravatam, facile mihi persuasero, quod sensum efficiat planiorem atque instituto Pauli congruentiorem. Est enim famae, de qua loquebatur, amplificatio, pertinens ad majorem laudem Philemonis. Etenim particula *ut,* Graece ὅπως, non causam denotat, sed eventum.

Hoc igitur est, quod dicit: Audio fidem tuam in Christum, audio et charitatem in omnes Sanctos; adeo sane, ut illa tua in sanctos beneficentia ex fide profecta neutiquam latere possit, sed omnibus evidens ac manifesta fiat, agnoscentibus et praedicantibus opera tua bona, quae plurima facis. Similem lectionis varietatem in eodem Graeco vocabulo discussimus ad illud 1 Cor. ult. *Ostium enim apertum est magnum et evidens.* Quid autem Apostolica phrasi sit *communicatio in Sanctos,* alia loca planius ostendunt, ut Rom. 12. *Necessitatibus Sanctorum communicantes,* et Heb. ult. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci.* Sensum, quem dedimus, ex iis etiam, quae B. Thomas in hunc locum scribit, elicere promptum est. Porro tota haec Philemonis laudatio eo spectat, ut excitetur ad charitatem etiam Onesimo praestandam, utpote jam sancto, id est fideli et fratri, sicut infra dicit.

Quod est in vobis in Christo Jesu. Ne Philemon tanta sui laude extollatur; primum opera ejus aliis facit communia, quasi partem eorum in alios transferens, dum non dicit, *in te,* sed, *in vobis.* Per hoc autem significat domesticam Philemonis Ecclesiam bonorum operum ejus adjutricem. Deinde monet, unde ea habeat, scilicet ex beneficio gratiae Christi; ut, quemadmodum annotat Hieronymus, quicquid boni in Philemone laudatur, inde bonum sit, quia de fonte Christi ducatur. Potest autem illud, *in Christo Jesu,* quoniam Graece est, *in Christum Jesum,* sic etiam intelligi: Quae bona opera fiunt a vobis erga Christum Jesum. Nam, ut admonet Theophylactus et Oecumenius, in Christum refertur, quicquid boni egentibus impenditur, maximeque sanctis, nimirum attestante Domino: *Quod uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Notandum, hic multos codices tam Graecos, quam Latinos pro secunda persona primam exhibere: *quod est in*

nobis. Quod et apud Oecumenium legitur. Sed veram esse lectionem, quam interpretati sumus, ipse contextus sermonis satis ostendit.

7. *Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua.* Graece: *Gaudium enim habemus multum et consolationem super charitate tua.* Dicit *habemus,* vel quia loquitur in persona fidelium, qui erant Romae, vel quia Timotheum secum loquentem facit. Multi Graeci codices pro gaudio *gratiam* legunt. Est enim inter Graeca vocabula χάριν et χαρὰν unius tantum literae discrimen, ut facilis sit lapsus ex uno in alterum. Quod et contigit in tertia Joannis epistola, ubi vulgati codices habent: *Majorem horum non habeo gratiam;* cum in Graeco sit χαρὰν *gaudium.* Quam et hujus loci genuinam esse lectionem arbitramur. Sentit enim Apostolus, jure se gratias agere Deo de charitate Philemonis, quod ex ea multorum sermonibus ad se delata perciperet ingentem animo laetitiam, atque in vinculis et afflictionibus consolationem. Quae fuerit autem ea charitas, rursus explicat.

Quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. Requieverunt, id est refocillata sunt, quod infra vertit *reficere,* id est recreare, refocillare. *Viscera* peculiari idiomate scripturae novi testamenti significare solent intimum erga alios affectum amoris et misericordiae, ut Lucae 1. *Per viscera misericordiae Dei nostri.* Philip. 1. *Quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi,* et cap. 2. *Si qua viscera ac miserationes.* 1 Joan. 3. *Et clauserit viscera sua ab eo.* Unde et commotio viscerum metonymice commiserationem significat, Genes. 41. et 3. Reg. 3. Verum in hac epistola, in qua ter *viscera* leguntur, magis proprie videtur hoc nomen accipi, videlicet pro hominibus, quorum sunt viscera; cum quadam tamen connotatione miseriae misericordiam provocantis. Itaque sensus est: Philemonem suam charitatem in eo declarasse, quod sanctos, id est fideles, inopia aut miseria corporali pressos misericorditer refocillasset. Suggerit hunc sensum Cajetanus; aliorum expositiones, quia coactiores videntur, praetereo. Quod addit, *frater,* affectus magnitudinem exprimit, quasi dicat: propter haec merito mihi diligendus es ut frater. Hactenus exordium. Sequitur nunc propositio.

8. *Propter quod multam habens fiduciam in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet.* Graece, *quod decens est,* id est, quod convenit te facere; pro quo vertit Erasmus, *id quod officii tui erat.* Minus placet Hieronymi lectio, *quod prodest.* Illud quoque monemus, particulam *in Christo* non ad verbum subsequens *imperandi* (quod cuipiam videri posset), sed ad praecedentia referendam, quemadmodum patet ex Graecis, ubi hic est ordo: *Quapropter multam in Christo fiduciam habens.* Sensus igitur est: Quamvis multa possim erga te uti per Christum fiducia seu libertate (nam Graece est παῤῥησία), qua etiam tibi imperem id, quod aequum est:

9. *Propter charitatem magis obsecro.* Quamvis, inquit, imperare possim; charitas tamen, qua te ut fratrem amo, facit ut malim rogare. Significat, se cum eo agere non ut Apostolum cum discipulo; sed (sicut ante eum appellavit) ut fratrem cum fratre, cujus est rogare, non imperare.

Cum sis talis, ut Paulus senex. Ita quidem legit etiam Ambrosianus; ut sit sensus: Non impero, ut minori, sed rogo, ut aequalem atque coaevum; cum et ipse sis senex, sicut ego. Non enim decet senem seni imperare, sed junioribus. Verum huic sensui primum repugnat Graeca scriptura, quae non aliter reddi potest Latine, nisi manente persona, quae praecesserat in verbo *obsecro;* videlicet hoc modo: *Cum sim talis ut Paulus senex.* Atque eam lectionem etiam Syra versio comprobat. Obstat deinde quod additur: *et vinctus Jesu Christi,* hoc enim in Philemonem non competit, qui vinctus non erat. Qui si aliquando vincula passus fuisset pro Christo; non id Paulus in laudibus ejus tacuisset. Nam quod Ambrosianus interpretatur eum vinctum Jesu

Christi, id est, obligatum negotiis Dominicis, vel propter nomen ejus obnoxium vinculis et assidue periclitantem more Apostolorum: nimis longe petitum est. Quis enim propter haec sola legitur usquam appellatus vinctus Jesu Christi? Quod igitur Graeca volunt, cum Hieronymo sequamur, ut sensus sit: Obsecro te ego talis, nimirum Paulus Christi Apostolus, idemque senex, quem parum alioqui deceat rogare. Habent haec singula pondus suum ad movendum Philemonis animum: dignitas et aetas et, quod statim sequitur, vinctum esse Jesu Christi.

Quaeritur, quomodo Paulus senem se vocet; cum ex eo tempore, quo persecutus fuit ecclesiam Dei, quando adhuc teste Luca Actor. 7. adolescens erat, usque ad quartum Neronis annum, quo scripta est haec epistola, tantum fluxerint anni 24. Nonnulli putant Graeco vocabulo πρεσβύτης officium hoc loco significari, non aetatem. Sed hoc commentitum est. Usu namque Apostolico πρεσβύτερος, non πρεσβύτης, officium et ordinem ecclesiasticum omnibus notum significat. Dicendum igitur, Saulum persecutorem adolescentem, seu potius juvenem, νεάνιον, vocari ab aetate juvenili, quae protenditur usque ad annum 35., imo secundum alios usque ad annum 40. Juxta hanc supputationem potuit Paulus jam esse sexagenarius. Qua de re consule Cardinalem Baronium tom. 1. annal. ad annum Christi 36. Nam Cajetani supputatio scribentis in hunc locum, minus exacta est. His adde, quod Paulo canos et rugas senectutis acceleraverant labores, carceres, aerumnae et solicitudines, quas pro Christi nomine sustinuerat. Observa etiam, quod Paulum, quando convertebatur, virum vocat Ananias. Act. 9.

Nunc autem et vinctus Jesu Christi. Tertium hoc addit, idemque ad persuadendum efficacius caeteris: non quod vinctus sit (hoc enim per se contemptum et ignominiam magis sonat quam dignitatem aliquam Paulinam), sed quod *vinctus sit Jesu Christi.* Nam hoc apud Christianos pro summa dignitate (et merito) reputabatur: et hoc nomine ac titulo saepe alias gloriatur Paulus.

10. *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo.* Graece, *in vinculis meis.* Postulationem exponit mirabili charitatis affectu; dum eum, quem commendat, hominem servum, fugitivum ac furti reum, filium suum vocat, quasi dicat: non jam servo tuo, sed filio meo parces ac veniam dabis. Non abjicies me precantem pro meo ipsius filio. Quomodo autem filius suus sit, exponit addens, *quem genui in vinculis,* id est, quem in carcere constitutus in fide institui et Christianum feci. Quippe solemne erat Paulo, eos, quos ad fidem Christi per Evangelium deduxisset, filios suos a se genitos vocare, ut 1 Cor. 4. et Gal. 4., tametsi non eos sibi, sed Christo genuerit; nec sua sed Christi virtute. Recte tamen suos vocat, ratione ministerii, quod ad eorum novam in Christo nativitatem contulerat.

11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit: nunc autem et mihi et tibi utilis.* Graece et Syriace transposito pronominum ordine, *tibi et mihi utilis.* Sic et Hieronymus, Ambrosianus et Primasius legunt. Eundem ordinem vidimus in egregio ac pervetusto MS. Laudensi. Atque ita scripsisse Apostolum, res ipsa loquitur. Plus enim facit ad persuadendum, si Philemonis utilitatem ante suam ponat; quasi diceret, tibi imprimis, deinde et mihi utilis. Neoterici fere omnes annotant, Apostolum hic alludere ad nomen Onesimi, quod utilem significat, quasi dicat: Servus tuus Onesimus antehac parum nomini respondit. Inutilis tibi fuit et damnosus fuga et furto. Nunc autem postquam resipuit et Christo nomen dedit, vere est Onesimus, id est, utilis tibi et mihi. Hanc allusionem veteres non attingunt. Nec admodum sane verisimilis est; cum Apostolus utilem et inutilem nominando, vocabulis utatur ab *Onesimo* plane diversis. Ea sunt ἄχρηστος et εὔχρηστος. Bene autem annotat B. Thomas, rhetoricam et civilem esse extenuationem in verbo, *inutilis.* Non solum enim inutilis fuerat Onesimus domino suo, sed grave damnum intulerat: verum

mitigat hoc Paulus, tantum dicendo *inutilem.* At *nunc,* inquit, *et tibi et mihi utilis:* tibi, quia talis nunc est, ut utilitatem ab eo merito expectes, tanquam a Christiano et proinde liberaliter servituro: mihi autem utilis, per obsequium, quod in carcere detento praestitit.

12. *Quem remisi tibi. Tibi,* non est in Graecis, nec in omnibus Latinis. Quamvis, inquit, mihi sit utilis ac pene necessarius: remisi tamen, id est, nunc eum ad te dominum suum remitto, cum hac epistola commendatitia. *Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe.* Pro *ut* legendum, *id est.* Non solum enim Graeca sine ambiguitate sic habent, verum etiam Hieronymus ita legit et exponit, adstipulantibus quoque vetustis ac probatissimis exemplaribus Latinis. Est autem sensus: Tu eum, hoc est, meipsum, suscipe. Jam enim illum per charitatem in mea viscera recepi, ut unus mecum factus sit, ut proinde et tibi tanquam alter ego pari charitate suscipiendus sit et amplectendus. Interpres Syrus sensum hoc modo expressit: *Tu autem tanquam filium meum ita excipe eum.* Itaque per *viscera,* filium intellexit, tanquam ex visceribus genitum; quomodo in persona B. Virginis canit ecclesia: *De meis visceribus genui Deum et hominem.* Utrovis modo Pauli verba accipias, mira est in iis efficacia ad placandum Philemonem. Non enim poterat in Pauli viscera saevire, aut durius aliquid committere.

13. *Quem ego volueram mecum detinere.* Graece, *volebam,* id est, cupiebam, ut alii vertunt. *Ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii.* Occupatio quaedam est. Nam dicere poterat Philemon: Si tam ille tibi utilis erat; cur non eum apud te retinuisti? Ad hoc ita respondet Paulus: Maluissem, inquit, eum apud me retinere, ut mihi ministraret in vinculis, quae patior Evangeli causa, tuasque vices suppleret: neque enim dubito, quin ipse si Romae esses, hoc officium mihi libenter esses impensurus. Hic observa quod ait, *pro te,* et rursus, *in vinculis evangelii.* Sunt enim circumstantiae ad persuadendum vehementer appositae, quemadmodum et id quod sequitur.

14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere.* Pro *consilio,* Graece est *sententia,* id est voluntate, ut Hieronymus exponit. Quanquam non male vertit noster interpres. Sensus enim est: Sed te inconsulto, ac praeter voluntatem tuam nihil hujus rei facere volui, scilicet ut servum tuum apud me retinerem mihi ministraturum. Nolui hac in re desiderio ac necessitati meae obsequi; quamvis ex potestate possem. Iterum hic innuit, se jure potuisse, ob suam, imo ecclesiae necessitatem, Onesimum retinere, sed noluisse: quia videbat non expedire, ut hac sua potestate uteretur; ne de jure Philemonis aliquid videretur detrahere, cum nonnulla fortassis etiam illius offensa. Sed hac causa dissimulata, aliam subjungit magis spectantem ad laudem Philemonis.

Uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Pro *voluntario,* Graece *spontaneum,* ut alii vertunt. Nolui, inquit, eum mihi retinere: ne si id facerem, tametsi tu factum meum boni consuleres aut etiam probares, tamen minus laudis haberet opus tuum bonum, velut a necessitate profectum magis quam a voluntate. Nunc autem illum tibi remitto, ut quidquid de eo boni statueris, id non aliter quam sponte ac libera voluntate abs te factum judicari possit. Observant expositores, non dicere Apostolum, *necessitate,* sed *velut ex necessitate.* Nam etsi bonum Philemonis non erat ex necessitate futurum; tale tamen videri potuisset.

Sed quaeres, quodnam illius bonum erat futurum voluntarium? Neque enim Romam ad se remitti cupit Onesimum Paulus cum infra dicat: *Para mihi hospitium. Spero enim* etc. Respondeo, verisimiliter exspectasse Paulum, ut Onesimus aut sibi donaretur, aut simpliciter manu mitteretur.

Caeterum hic locus necessitatem a bono opere excludens (ut haereticorum quoque removeamus objectionem) non magis adversatur votis, sive monasticis

sive quibuscunque aliis, quae in ecclesia Catholica probantur, quam praeceptis apostolicis atque etiam divinis. Non enim hic est sermo de necessitate obligationis, quae communis est omnibus praeceptis et votis; sed de necessitate coactionis. Unde et Syrus interpres pro *necessitate, coactionem* vertit. Atqui coactio libertatem aut tollit aut minuit, non autem obligatio. Quare sicut praecepta non repugnant libertati voluntatis, ita nec vota. Nam si quando ea, quae ex voti fiunt obligatione, minus voluntarie fiant, per accidens id contingit, languescente animo ejus qui voluit; quod et in praeceptis adimplendis similiter contingere, nemini dubium est. Sed hac de re plura diximus ad illud 2 Cor. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate.*

15. ***Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes. Discessit,*** Graece, *secessit.* Nec additur *a te.* Estque ea lectio textus Ambrosiani. *Hora* definitum ac breve tempus significat, non solum Graecis, sed etiam Latinis. Alii vertunt, *ad tempus;* sed idem significatur. Itaque Paulus fugam Onesimi his verbis extenuat, quasi non tam fuga fuerit, quam secessus parvi temporis, quo sese recolligens et in alium hominem mutatus ad dominum, longe melior atque utilior, rediret. Dicit autem, *forsitan;* quia res ei non erat certa propter mutabilitatem humanae voluntatis, aut potius, sicut dicit B. Thomas, quia incomprehensibilia sunt Dei judicia.

Quod vero dicit, *ideo discessit,* non intentionem significat discedentis, sed eventum cujusdam boni, quod ex ejus facto Deus per suam providentiam intendit. Quandocunque enim ex re seu facto quopiam per occasionem bonum aliquod sequitur, Deum hoc intendisse certum est, apud quem casus et fortuna locum non habent, utpote cujus aeterna providentia infallibiliter omnia ordinantur in fines.

Porro quod ait, *ut aeternum illum reciperes,* quidam sic intelligunt: ut qui antea parum utilis tibi servus fuit, eum nunc, postquam ad meliorem frugem conversus est, reciperes perpetuo utilem tibi futurum. Hi legere malunt: *ut perpetuum illum reciperes.* Verum magis placet aliorum expositio, quae talis est: Ut pro servo temporario reciperes illum aeternum, id est nullo unquam tempore, ac ne morte quidem, abs te discessurum: reciperes autem (quod continuo sequitur) non ut servum, sed ut fratrem. Nam servitus omnis hac vita finitur: at fraternitas christiana manet in aeternum. Quod autem Cajetanus *aeternum* putat adverbialiter accipi posse, Graeca non admittunt.

16. *Jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem.* Significatur alia illius fugae utilitas, quod ejus occasione ex servo frater factus sit domini sui. Graeca sic habent: *Non amplius ut servum; sed supra servum, fratrem dilectum.* Hieronymus legit, *plus servo,* ut videri possit etiam noster interpres ita vertisse, cum praesertim sint boni MSS. qui sic legant; in quorum numero nos vidimus codicem Laudensem. Sensus est: Habiturus eum deinceps non ut servum; sed servo majorem, id est, servili conditione superiorem, nempe fratrem carissimum.

Maxime mihi. Ne Philemon iniquius ferret, fratrem suum dilectum vocari qui fuerat servus, idemque male meritus; anticipat sermonem Paulus, atque illum prius suum fratrem agnoscit, eumque maxime sibi dilectum. Nam ex quo renatus fuerat in Christo Onesimus, patrem cum Paulo caeterisque fidelibus communem habere coepit eum cui dicitur: *Pater noster, qui es in coelis.* Interim observa insigniter christianos in Apostolo affectus, qui Onesimum modo filium suum, modo fratrem vocat.

Quanto autem magis tibi et in carne et in Domino? Quod ait, *in carne,* tribus modis exponi video. Nonnulli significari putant Onesimum perinde, ut Philemonem, natione gentilem esse; et hoc nomine *fratrem ejus secundum carnem.* Nam si Judaeus fuisset, ipsius Pauli potius erat secundum carnem frater dicen-

dus. Alii in carne fratrem interpretantur membrum ejusdem familiae. Tertia est Hieronymi et Graecorum expositio, qui in carne fratrem intelligunt, quod jam a priori nequitia correctus, haberi dignus possit, cui mundana negotia seu ministeria committantur, ut sensus Apostoli sit: Quum mihi sit frater summopere carus ob solam conjunctionem spiritualem; tibi magis esse debet, cui cum illo duplex intercedit necessitudo, sive ut ita dicam fraternitas: altera, qua tibi conjunctus est secundum carnem, id est in negotiis hujus saeculi; altera, qua conjunctus in Domino, id est secundum spiritum, atque in rebus spiritualibus. Locus hic non significat, servos jure Christianae religionis absolvi a conditione servili; id quod multo post a principibus Christianis, in favorem sanctae religionis, est constitutum: sed eos, ubi facti fuerint Christiani, a dominis Christianis affectu fraterno suscipiendos et complectendos esse, nimirum ut fratres in Domino, in quo non est servus et liber Gal. 3.: *Omnes enim vos fratres estis,* inquit ipse Dominus Matth. 23. Quod autem haec fraternitas servitutem non aboleat, idem Apostolus docet 1 Tim. 6. de servis ita scribens: *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti.*

Sed quaeret aliquis, cur Paulus a Philemone non id petiverit, ut Onesimum manumitteret. Respondeo: Quamvis ex superioribus appareat, Paulum aliquid ejusmodi tacite expectasse a Philemone; non tamen expresse id petere debuisse. Primum, ne videretur Onesimus ex maleficio commodum reportasse, videlicet ex furto et fuga libertatem adeptus. Deinde, quia forsitan erat Philemoni futura nimis onerosa petitio; nam servi erant dominis suis valde utiles, et bona pars possessionis eorum. Denique visus fuisset Apostolus facere contra suam doctrinam, 1 Cor. 7. *Servus vocatus es? non sit tibi curae.* Quod si interroges, an saltem lege charitatis debuerit eum Philemon libertate donare? Respondeo, id non liquere. Res enim pendet ex circumstantiis. Nam quibusdam non expedit, ut sint liberi: et ut expediat, si tamen operae eorum necessariae sint dominis ad sustentandam familiam, non tenentur domini, ne quidem ex debito charitatis, hac utilitate seipsos privare.

17. *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.* Concludit petitionem, cum apposita conditione sane quam efficaci; ut, si non faciat, periclitari videatur societas amicitiae, quae Philemoni erat cum Paulo. Quomodo dicere solemus: Si me amas, id mihi praesta. Imo speciem habet obtestationis, quasi dicat: Per amicitiam nostram te oro, ut illum suscipias. Addit autem, *sicut me,* id est, tanquam alterum me; non quod eum velit tanto cum honore suscipi, quanto ipse a Philemone susciperetur: sed ut significet, eam rem tam sibi gratam fore, atque si in ipsius personam collatum esset beneficium; aut certe rogat, ut in Onesimo recipiendo consideret non qualis ille fuerit, sed qualis jam sit; nempe filius et frater Pauli, et quodammodo ipse Paulus.

18. *Si autem aliquid nocuit tibi aut debet: hoc mihi imputa. Nocuit,* Graece, *injuria affecit.* Ambrosianus: *Si aliquid laesit te.* Hinc colligitur, Onesimum aliquid Domino suo surripuisse priusquam fugeret. Unde dicere poterat Philemon: Paratus sum eum tua causa recipere in gratiam: sed ita tamen, ut quod abstulit, restituat. Hanc objectionem removet Paulus, dicens: Si quid damni dedit, quod tibi sarciri velis; aut si omnino quippiam debet, *id mihi imputa,* id est, damnum omne ac debitum ejus in me recipio, et si repetendum est, a me repete, me pro illo sponsorem accipe. Non igitur hic sermo est de imputatione peccati, sed de compensatione damni. Et illud *si* non dubitantis est, sed furti invidiam mitigantis.

19. *Ego Paulus scripsi mea manu.* Ut de damno securus sis, inquit, accipe chirographum meum, has literas mea manu scriptas, quibus me fidejussorem interpono. Non liquet, an totam Epistolam sua manu scripserit Paulus, an vero

hoc solum: *Ego Paulus scripsi mea manu.* Quod si totam scripsit, fuit ea res Philemoni procul dubio vehementer rata, nec minus honorifica; nimirum a tanto Apostolo totam Epistolam ipsius digitis exaratam accepisse.

Ego reddam. Graece ἀποτίσω, id est *dependam* sive *rependam,* ut habet Syriaca versio. Significat, se non quomodocunque spondere, sed absolute suam ipsius personam pro debito solvendo obstringere. *Ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.* In Graeco verbum est compositum προσοφείλεις, id est *insuper debes,* quomodo verterunt Erasmus et Hentenius. Hoc novo argumento Philemonem premit. Nam quia Philemoni verecundum erat futurum et parum honestum, si a Paulo debitum servi repeteret; dicit nunc Paulus, seu potius civiliter insinuat, utens rhetorica praeteritione, etiamsi non reddat, Philemonem sibi vicissim multo amplius debitorem esse, ut qui seipsum Paulo debeat. Itaque tanta quadam reconventione cum eo agit, videlicet allegatione debiti antiquioris ac longe majoris. Porro Philemon seipsum Paulo debebat, id est, salutem suam, quia Pauli praedicatione factus fuerat Christianus.

Quod tamen quomodo verum sit, ambiget quispiam, cum Paulus Colossensium civitatem, ubi Philemon habitabat, non accesserit, quemadmodum ex ejus ad Colossenses Epistola satis apparet. Sed cum Cajetano respondeo, fieri potuisse, ut Philemon alio quopiam loco, ad quem forte profectus fuerat, Paulum evangelizantem audierit atque etiam cum eo amicitiam contraxerit. Alia responsio est, si dicatur Philemon Paulo debitor fuisse suae salutis, quod a discipulo ejus Epaphra, Colossensium Apostolo, quem Paulus illuc miserat, una cum aliis Colossensibus conversus fuerit ad Christum. Erat hic Epaphras, quando scribebatur haec Epistola, Pauli concaptivus, ut infra dicitur.

20. *Ita frater ego te fruar in Domino.* Graecum ναὶ, quod interpres vertit *ita,* Hieronymus accipit quasi quoddam adverbium blandientis, quale Hebraeis est *na* in vocabulo *Hosanna.* Secundum quam expositionem Apostolus, ut nihil omittat eorum, quae ad persuadendum faciunt, etiam blandimentum sermonis adhibet, ut si diceret: Eja, mi frater, id mihi praesta, ut ego te fruar. Alii vero, quibus Syrus interpres annuit, propriam adverbii Graeci significationem retinent, ut sit affirmantis; quod Latine dicitur: nae, certe, etiam, ac sensus sit: Certe frater te rogo, suscipe eum. Id enim supplet Chrysostomus. *Fruar,* Graece ὀναίμην, optativi modi verbum est, non indicativi ac diversum ab iis, pro quibus alibi legitur *frui* in nostra versione, ut Sap. 2., Rom. 15. et 1 Tim. 6. Significat autem, fructum, voluptatem aut utilitatem ex re quapiam percipere. Sensum igitur hunc reddunt: Ita mihi contingat te frui, id est, ex tua praesentia tuoque colloquio ac praeclaris operibus capere voluptatem. Nonnulli sic: Ita tecum condelecter in futura beatitudine.

Verum alii pressius considerantes Graeci verbi significatum, putant ita recte verti posse: Hunc fructum abs te consequar, id est sine quaeso, ut hoc abs te beneficium impetrem, scilicet Onesimi reconciliationem. Qui sensus optime convenit textui. Addit autem *in Domino,* sive quia fructus et delectatio undecunque percepta, vana est, nisi in Deum referatur; sive ad significandum, se non nisi per Christum exspectare illud bonum, quod optare se dicit. Est autem in Graeco verbo manifesta allusio ad nomen *Onesimi,* quod utilem significat, quasi dicat: Hanc utilitatem mihi praesta, deprecanti pro Onesimo, qui ab utilitate nomen accepit. Occasione praesentis loci quaeri posset, quomodo frui et uti differant apud Theologos, quibusque rebus fruendum sit et quibus utendum. Sed de ea re ex professo egimus ad initium lib. 1. Sent. Nam hoc quidem loco *frui* non tam specialiter sumitur, ut de eo Theologi disputant.

Refice viscera mea in Domino. Quidam codices habent *in Christo,* sed ve-

rior est lectio *in Domino,* quam Graecis consentaneam editio quoque Clementina comprobat. Quanquam in sensu non est diversitas. Dominus enim ipse est Christus. Haec pars exprimit fructum seu beneficium, quod dicebat se optare. Potest autem bifariam exponi: *Refice viscera mea,* id est, meipsum pro Onesimo solicitum et anxium recrea, refocilla in his vinculis. Id autem facies, si Onesimum in gratiam receperis. Vel sic: Onesimum tanquam viscera mea, id est alterum me, a metu concepto recrea, veniam dando et in gratiam recipiendo. Nam et supra dixerat: *Illum, id est mea viscera, suscipe.* Tradit hunc intellectum Hieronymus, qui praeterea monet, illud *in Domino* referri posse vel ad *viscera,* vel ad verbum *refice.* Priori modo sensus erit: Refice Onesimum, qui est viscera mea in Domino, id est, quem ego ut mea viscera Christiano amore complector. Altero modo: Onesimum refice in Christo, id est, hanc ei gratiam praesta per Christum aut propter Christum. Suadet hunc sensum pars praecedens, in qua similiter ad verbum refertur, *in Domino,* quasi dicat: *Ita fiet, ut ego te fruar in Domino, si tu Onesimum reficias in Domino.*

21. *Confidens in obedientia tua, scripsi tibi. Confidens,* Graece *confisus.* Hic rursus insinuat, se, quamvis precibus agat cum Philemone, posse tamen praecipere. Id enim includit *obedientiae* nomen. Ac si diceret: Obedientia tua mihi probe cognita facit, ut plane confidam, me impetraturum id, quod his literis flagito: quoniam etsi praeciperem, obedires. Hoc autem dicit cum insigni laude Philemonis, ut proinde haec pars permagnam movendi vim habeat, adeo ut hic exclamet Chrysostomus: *Quem lapidem ista non flecterent, non emollirent?* Et tamen orationem adhuc auget, quod sequitur: *Sciens, quoniam et super id, quod dico, facies.* Tantam, inquit, novi tuam erga me obedientiam, ut non dubitem, quin plus etiam quam peto, sis praestiturus. Sic secundum Deum laudatus Philemon non poterat non annuere postulatis.

22. *Simul autem et para mihi hospitium.* Hoc adjicit, non quod magno apparatu opus esset ad Paulum hospitio excipiendum; aut quod is de praeparando sibi hospitio magnopere solicitus esset: sed pro novo argumento; scilicet ut Philemon, audiens Apostolum brevi venturum, vereatur, ne si rogata non praestiterit, offensionem ejus ac reprehensionem incurrat.

Nam spero per orationes vestras donari me vobis. Id est, spero futurum, ut Deus precibus vestris exoratus me vobis donet, ac praesentem exhibeat. Per hoc quod ait *donet,* non autem *reddat* aut *restituat,* sicut dicitur Hebr. ultimo, conjectura sumi potest ad ejus confirmationem, quod superius atque alibi in arg. Epist. ad Coloss. dictum est, Paulum non per seipsum, sed per alios Evangelium Colossensibus praedicasse. Porro manifestum est ex hoc loco, Paulum, quando hanc scripsit Epistolam, spem habuisse non levem suae liberationis e carcere. Sicut etiam ad Phil. 1. et 2. sperat ac promittit ad eos reditum. Quomodo ergo, dicet aliquis, in 2. ad Tim. Epist., quam multo ante hanc scriptam fuisse suo loco ostendimus, quasi martyrio jam proximus, dixit: *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat; cursum consummavi* etc. Hujus dubii solutio pendet ex intellectu verborum, quae ad Timotheum scripta sunt. Non enim ibi loquitur Apostolus de tempore proxime instanti, sed quo paulatim per carceres et persecutiones tendat, significare voluit; quemadmodum id a nobis expositum est. Nam ex prioribus Romanis vinculis has Epistolas scripsit.

23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.* Sicut initio Epistolae Timotheum adhibuit, velut comprecatorem; ita nunc in fine multorum addit consalutationes, ut intelligat Philemon, se non solum a Paulo et Timotheo, verum etiam ab aliis Pauli discipulis et communibus amicis, tacite sal-

tem atque ipsa salutatione rogari pro Onesimo. Horum primum merito nominat Epaphram; quod is Colossensium esset Apostolus, et pro Christi nomine, perinde ut Paulus, in vinculis teneretur. De quo plura in Epistola ad Col. Vide, si lubet, apud Hieronymum fabellam, quam narrat de Epaphra Pauli concaptivo, sed indigna, in qua refellenda moremur.

24. *Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas adjutores mei.* Graece, *cooperarii mei,* scilicet in negotio Evangelico. Nominantur hi omnes etiam in Epist. ad Col., ut satis liqueat, hanc Epistolam simul cum illa missam fuisse. Petendum ex eodem loco et ejus commentario de singulis istorum quatuor, quinam fuerint; ne hic eadem repetamus. Jam ex eo quod Demas, putatur enim idem esse, in utraque Epistola unus est salutantium, qui in 2. ad Tim. culpatus fuit, quod Paulum reliquisset diligens hoc saeculum, colligere debemus, eum postea ductum poenitentia rediisse ad obsequium Pauli, quem reliquerat. Qua de re plura 2 Tim. 4. et Col. 4.

25. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Cum spiritu vestro,* id est vobiscum, phrasi Scripturae; quod et in more est Ecclesiae; velut dum sacerdoti dicenti: *Dominus vobiscum,* respondetur: *Et cum spiritu tuo,* id est tecum. Optat igitur Philemoin et caeteris, ad quos scribit, *gratiam Christi Domini.* Quo nomine omne bonum salutare comprehendi, saepe dictum est alibi. In Graecis codicibus subscribuntur haec verba: *Ad Philemonem scripta est e Roma per Onesimum servum.*

